





IMAGO
PRIMI SÆCVLI
SOCIETATIS
IESV.


Doctori
Martyri
Virgini
LoyoLa amplectitur
implet orbem
Non nobis Domine, non nobis; sed Nomini tuo
III
C
IHS
I
Societas a IESV nata.
Omnia Solis habet.
II
Societas toto orbe diffusa
Toto micat orbe.
III
IV
Societas
a mundo mala patiens
Obiectâ tellure tenetur.
V
VI
IMAGO
PRIMI SÆCVLI
SOCIETATIS
IESV
A
PROVINCIA
FLANDRO-BELGICA
EIVSDEM SOCIETATIS
REPRÆSENTATA.
Adhuc multiplicabuntur. Ps. 91.
ANTVERPIÆ
EX OFFICINA
PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI,
ANNO SOCIETATIS SÆCVLARI
M. DC. XL.
Sine Labe.
Sine Ære.
In Senectâ uberi. Psal. 91.
Et bene patientes erunt. Ps. 91.


PREST D'ACCOMPLIR
1788

REGI SÆCVLORVM
IMMORTALI
SOLI DEO
CVIVS PROVIDENTIÆ
DEFINITVM EST OMNE SÆCVLVM
CVIVS ÆTERNITATI
OBNOXIVM EST OMNE TEMPVS
CVIVS GLORIÆ
OMNIS SOLENNITAS CONSECRATA
ILLI SOLI
MINIMA IESV SOCIETAS
NON SVO
SED DILECTI FILII NOMINE TER AVGVSTO
AVSA SE SISTERE
PRIMVM HOC SÆCVLVM
ET VNA SVORVM FILIORVM
SVDORES ET SANGVINEM
VITAM ET MORTEM
TEMPVS ET ÆTERNITATEM
DEMVM OMNIA
VNIVS DEVOTA GLORIÆ
VNIVS SVBDITA MAIESTATI
CVLTV DEMISSISSIMO, VENERATIONE SEMPITERNA
D. C. Q.

LECTORI S.



QVAMQVAM *recta & plana sunt omnia, quæ hîc leges; ne quo tamen vel casu vel infortunio offendas in ipso limine, de illo sic habeto. Societatem* IESV, *hoc eius Sæculari anno, exhibere mundo placuit. Illa est igitur quæ virginis, etiamnum ætate suâ florentis, & tamen maturæ, decoro habitu conspicua, & sublimis in medio sedet. Lumen, quod hîc ostendit sidus, quod proponit orbi terrarum, Dominus* IESVS *est. Hunc quia Societas nostra gerit in oculis, quia gestat in pectore, quia repræsentat in nomine, non se ostentat illa, quantumcumque conspicua; sed* IESVM *suum: ideoq; ad imminentes suo capiti cælestes genios, cum triplici Doctrinæ, Martyrij, & Virginitatis aureolâ, velut ex merito dandâ, atque inter geminos hinc inde Tubicines, Jubileum Societatis magnificè prædi-*

Psal. 113. *cantes, memor ipsa Instituti & Auctoris sui,* Non nobis, *inquit,* Domine, non nobis, sed nomini tuo da Gloriam. *Huic videlicet vni contra Fidei Virtutisq; desertores adserendo calamum stringit: huius Crucem, hoc est triumphale signum militiæ suæ, vel in medijs flammis quidlibet interim passura, non deserit: ad huius submissionem, quà licet, sectandam, & vtcumque moribus exprimendum eum, qui, posito diademate Diuinitatis suæ, ad naturæ nostræ abiectionem se ipse demisit, infra se habet omnia cuiuscumque dignitatis insignia, proscripta procul à se voto singulari; nihil dubitans sibi etiam oblata contemnere, quæ elata in alieno vertice quàm demissißimè veneratur. Adhæc subiectum eius pedibus tempus est, illud scilicet, quod primum iam emensa sæculum rectè contriuit, æternitatem porrò, (quandoquidem in primo etiamnum vigore virtutis est) in votis & oculis habitura. Et hanc illi, quasi certam, spondet quatuor solennium (vt sacra Jura loquuntur) votorum cura solicita, quæ occupatis circa Volumen primi sæculi quatuor Genijs exprimuntur. Illis adeò rem agentibus, publico quasi iure, translatum ad Societatem est, ex Dauidis Psalmo 91. Carmen illud non iam sæculare, sed perenne:* Adhuc multiplicabuntur in senectâ vberi; & benè patientes erunt. *Multiplicabuntur, inquam, etiamnum inuoluta, olim tamen explicanda, sæcula Societatis nostræ, quibus illa, ceu Palma plusquam*

Vlyss. Aldrou. Ornith. lib. 12. cap. 27. *centenaria, fructus feret* in senectâ vberi, *& cum Phœnice, aue non iam vnicâ, supra humana se erigens, suoq;* IESV, *velut soli, exposita,* benè patiens erit; vt annuntiet, *vitam semper nouam se haurire de cælo, operumq; suorum magnitudine, & senium in iuuentute,*

&

& nouo semper studio numquam interrupta virtutis iuuentutem in ipso senio possidere. Sic nimirum Societas vt Palma, *siue, vt ex Græco vertit ille,* vt Phœnix florebit. Tert. lib. de Resurr. carnis c. 13

Denique (quod, ne longior sim, verbo moneo) ternis, quæ ante columnas hinc & inde demittuntur, Emblematis singula singulorum sex librorum huiusce Voluminis argumenta respondent; vnicâ vbique Lunâ Societatem vnicam referente. Hæc enim, non aliter quàm illa, quodcumque habet, seu virtutis seu dignitatis suæ lumen, Soli suo IESV *reddit acceptum.*

SYNOPSIS TOTIVS OPERIS.



MICE *Lector, cùm propositum nobis hoc Opere sit imaginem tibi quamdam exhibere primi sæculi Societatis* IESV; *ne fortè diuersam à conceptu nostro tibi repræsentes, operæ pretium fuerit totius Operis Synopsim sub aspectum ponere. Itaque quemadmodum in omni vitâ Societas exemplar sui Ducis intuetur, sic in hoc scripto ijsdem ferè vestigijs opus suum promouet, quibus* CHRISTVS *acceptum à Patre munus est exsecutus.*

Hic cùm in formâ Dei esset, semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, *& instar mendicabuli in stabulo natus est. Ita Primus Liber Ignatium exhibebit primæ nobilitatis virum ad mendicabula redactum: & exinde natam hanc Minimam Societatem: cuius etiam Institutum compendio describit.* LIBER I. Philip. 2.

Post CHRISTI *natiuitatem hoc de illo memoriæ proditum accepimus:* IESVS proficiebat sapientiâ, & ætate, & gratiâ apud Deum & homines. *Eius vestigijs insistentes Libro Secundo Crescentem exhibebimus Societatem, & ad hunc annum centesimum longè lateque propagatam.* LIBER II. Luc. 2.

Confirmatâ tandem ætate, cœpit IESVS facere & docere. *Huius exemplo Liber Tertius Societatem producet Agentem, eiusq; varias functiones & exercitia.* LIBER III. Actor. 1.

Sed quemadmodum CHRISTVS, *post rem præclarè gestam, indigna* passus est, *nobis* relinquens exemplum, vt sequamur vestigia eius; *ita Liber Quartus Societatem exhibebit Patientem, varijsque calumnijs ac persecutionibus exagitatam.* LIBER IV. 1. Petr. 2.

Rursus quemadmodum CHRISTVS *per passionem suam peruenit ad* exaltationem nominis *(vt loquitur Apostolus) & gloriam nullis terrarum finibus comprehensam; sic Liber Quintus post varias tempestates ac procellas, Societatem dabit Honoratam, & summorum virorum encomijs commendatam.* LIBER V. Philip. 2.

Denique Liber Sextus, & quasi singularis, quæ de Societate vniuersim quinque Libris tractata sunt, totidem ferè Capitibus Prouinciæ nostræ Flandro-Belgicæ conuenire demonstrabit. LIBER VI.

In hoc Opere si non omnia debitâ accuratione perpolita, aut ad incudem reuocata deprehenderis; facilè, ni fallor, hoc affectui nostro erga charissimam matrem condonabis: qui ne Ludis hisce sæcularibus deesset, Tomum hunc opinione maiorem, sed vix semestri ab hominibus occupatissimis conceptum, composi-

tum,

tum, ac typis excusum in lucem protrudens, eumdem candori tuo beneuolentiæque commendat. Vale, & fruere. Antuerpiæ.

Temporis notam non adscribimus. satis ipsa se prodit solenni illâ, quâ Sæcularis hic annus celebratur, lætitiâ: & quidem è sacris Paginis petitâ. Nam siue Sanctorum Cosmæ & Damiani auspicijs (quorum natalis idem est & Societatis) sacri præconis voce inuitamur ad futuram illam proximo S. Ignatij festo, Sæcularis anni celebritatem, quam nemo vidit nec visurus est in posterum; ipsa sacrarum Litterarum verba tempus suum exprimunt,

Psal. 32. eXVLtate, eXVLtate IVstI In DoMIno:


siue ipso S. Ignatij festo, Sæculari iubileo iam recreati, Deo grates refundimus; hoc ipsum debitâ temporis notâ his verbis sacræ Litteræ consignant,

Luc. 1. eXVLtaVIt spIrItVs MeVs In Deo saLVtarI.

Tu, si placet, non tempus, alterúmve sæculum, sed æternitatem Societati precare.




IMAGO PRIMI SÆCVLI SOCIETATIS IESV.



DISSERTATIONES PROLEGOMENÆ DE ANNO SÆCVLARI ET IVBILEO.

DISSERTATIO PRIMA.

De instituto Operis.



RIMI sæculi Societatis IESV imaginem damus: quam vtinam omnis semper posteritas intueatur! Non hanc quidem scriptione nostrâ emortuis adumbratam coloribus; sed viuam illam spirantemque etiamnum ante oculos nostros, primorum Patrum pulcherrimis exemplis animatam, viuidam, vegetamque primigeniæ Societatis imaginem. Illam, inquam, vtinam posteritas omnis semper intueatur! Certè ne labentibus annis aliquando fortasse è conspectu subducat sese, illam nobis, illam alteri sæculo præsentem sistimus: publicum Æternitati testimonium, qualis primo sæculo Societas fuerit: quid egerit, pertuleritve: quo successu, laude, approbatione: quibus initiis incrementisque in eam, quam omnes admiramur, assurrexerit molem. hoc suscepti Operis consilium est. Ita maiores credimus, ita posteros exigere à nobis, qui vtriusque sæculi quasi nexus & vinculum sumus. Maiores quidem, vt de eorum fide constet, quòd integram florentemque nostras in manus tradiderint, & primo spiritu plenam: posteros verò, vt sciant qualem à nobis repetere debeant; qualem & ipsi tertio dein sæculo in venturas propagare ætates: tum etiam, ne incuriâ nostrâ cæco more aliquando & in tenebris, vt fit, primi sæculi statum frustrà requirant.

Imago primi sæculi nobis posterisque proposita.

 Prodent

Prodent illum quidem & loquentur omnibus ſæculis hiſtoriæ noſtræ atque annales: in quibus ſi alia vlla exoriens Reſpublica, hæc certè Familia diligens fuit; ab initio vti gerendis, ita ferè ſcribendis rebus intenta. Verùm perpetua operis ſeries interrupta rerum diuerſitate, non ita pariter, atque in ſemet vniuerſam Societatis magnitudinem oſtendit, & illam primi ſæculi gloriam: quæ vbi tota ſimul ſub vnum quaſi adſpectum datur, longè maximam habet admirationem. Deus immortalis! quàm ampla circumducentibus oculos obijcitur ſcena gaudiorum! A tam paruis initiis, tot exagitatam calumniis, tot preſſam odiis, vbi iam vnius ambitu ſæculi ita latè diffuſam cernimus per vtrumque orbem, vt non niſi cum ſole terminet curſum; quis omnium tam potens ſui, vt erumpentem lætitiâ vocem valeat continere? Eam ab Apoſtolicâ Sede tantùm videre confirmatam, Diuo Parenti Ignatio fuit olim ſumma votorum: vidit, & quo lætitiæ ſenſu! Xauerium, Fabrum, Laynium, Borgiam, Mercurianum, Claudium, ceteroſque Familiæ noſtræ præclaros viros, nuntiata incrementa quoties exhilararunt! Nos qui ſuccedimus in omnes quas habuêre lætitiæ cauſſas, continebimus plauſum? illos affecêre ſingula: nos complectimur vniuerſa. Colligimus, quæ toto ſæculo ſparſa fuerunt. quidquid vel egêre ipſi, vel præclarè actum à Sociis gauiſi ſunt, noſtrum iam eſt. non in partem lætitiæ, ſed totam ſimul poſſeſſionem venimus. Coronam claudimus, quam ſuis ipſi factis intexuere, & pulcherrimi ſæculi periodum ætas noſtra abſoluit. Quis ferat, ſi illam ſinimus labi tacitè, nulloque innoteſcere monumento? In æuum eat perennatura; & conſequentibus annuntiet ſæculis, vt *benedixerit* Dominus *coronæ anni benignitatis* ſuæ: lætiſſimi, fortunatiſſimi ſæcularis anni, quem tot elapſis antè annis, quaſi coronam accedere voluit, & expleti feliciter vnius curriculi eſſe metam, palmâ nobili & triumphalibus ſertis decorandam in *gloriam magni nominis ſui.* Illi, illi *gloriam dari* vult, illud *laudari* ſæculari carmine *in ſæculum ſæculi*; illud *annuntiari populo qui naſcetur, quem fecit Dominus, vt cognoſcat generatio altera, narrentque* & ipſi *filiis ſuis, vt ponant in Deo ſpem ſuam, & non obliuiſcantur operum Dei.* Hac benefactorum ſuorum agnitione contenta Diuinitas eſt: ſed & hanc ſuo iure exigit.

Eſt lætitiæ cauſa,

& gratiarum actionis,

Pſalm. 64.

Pſalm. 21.

Pſalm. 77.

Exſtet igitur grati animi monumentum, quod *nati pro Patribus filij* auctori Deo poſuêre,

Horat. l. 3. Carmin. Ode 30.

——— monumentum ære perennius,
Regalique ſitu Pyramidum altius:

quas vario item emblemate, vt noſtrum nos opus, doctiſque notis Ægyptij inſcripsêre, arcanis illi & vulgo ignotis. Nos apertiùs primi ſæculi imaginem ex illo prætereà conſpiciendam damus; magnis mentibus incitamentum, vt opinamur, haud paulò potentius quàm aut Themiſtocli trophæa Miltiadis, aut Iulio Cæſari conſpecta Gadibus ſtatua Alexandri, aut Q. Maximo P. Scipioni locatæ in atriis imagines maiorum: quas cùm intuerentur, animum ſibi fatebantur ad virtutem vehementer accendi, & non ceræ illi ſcilicet, neque figuræ tantam ineſſe vim, ſed memoriâ rerum geſtarum eam flammam egregiis viris in pectore creſcere; non ſedandam priùs quàm ſuâ virtute eorum famam gloriamque

ſtimulus æmulationis,

Salluſt. in proœm. Iugurth.

gloriamque adæquassent. Nimirum æmulatione suorum vehementiùs rapitur excellens natura, & coniunctorum potiùs domesticisque quàm aliorum exemplis.

Non est igitur, quòd labori nostro timeat aliquis suspicionem vanitatis; quasi id egerimus, vt nos nostraque laudando extolleremus. Dei vnius opus Societas est, non hominum labor: Dei opus celebramus. se *laudari* ipse *in operibus* suis, & quàm maximis extolli præconiis, quoties imperat? Illis autem quòd permixta est Parentum nostrorum laus, non ideò *verecundiâ domestici sanguinis*, vt ille ait, *quidquam silebimus*. Velleius Paterc. lib. 1. quos Deus tanti operis adiutores molitoresque assumpsit, oratione nostrâ seiungi non possunt: illorum decora, noua Numinis beneficia sunt; commemoratio, nonnisi publica actio gratiarum.

Quòd si quis veretur, ne maiorum laudes vindicemus nobis, & pro nostris, si non extranea, aliena saltem ostentemus bona, sapienter monet: sed cur non intelligit, hæc ideò fieri, vt aliena quæ sint, orbi constet; & mox propria à se posterisque exspectari nostrûm quisque sciat? cur non videt præclaram Sociis imponi necessitatem, quando ad absolutissimum istud exemplar omnium deinceps sæculorum exigentur ætates? Et profectò ita se res habet: maiorum gloria posteris quasi lumen est, quod in obscuro degeneres esse non patitur; horum socordia tantò flagitiosior, quantò illorum vita præclarior. Eam porrò gloriosè memorare qui pergunt, vbi turpiter desciuere, quid obtinent, nisi, vt stet ipsa contra illos Parentum claritudo; suæque ignauiæ accendant facem, ne in occulto sit? Eâ quoque ex caussâ maiorum facta celebrare consilium fuit. Nihil aduersus vetustatem præsidij satis: neque tam sanctum quidquam, quod non illa corrumpat. Vt alia desint, solâ temporis diuturnitate dilapsa fluunt omnia, etiam saluberrimis adstricta legibus: aliquid sensim remittunt nepotes de paternâ contentione, tandemque auitâ claritudine contenti, in desidiam vertuntur, quasi ad ea tantùm essent geniti, quæ maiores virtute suâ peperere. Certissima pestis illustrium familiarum arceri certiùs non potest, quàm perenni maiorum recordatione: quorum præclara facta perpetuò ingerantur oculis, obuersentur animis, exstimulent, vrgeant, conquiescere non sinant. *Templum* identidem, *templum* Hebræis *ostendi* per Ezechielem volebat olim Dominus: vt contemplatione augustissimæ domus, excitarentur aliquando ad religionem atque æmulationem parentum. Quantò maiorem vim apud animos nostros habere par est pulcherrimam hanc molem, quam centum iam annis tam prodigiosè elaboratam diuino consilio, tam altè eductam gloriosis tot Patrum laboribus, inter limites vtriusque sæculi, quasi è propinquo contemplamur? quos non stimulos admouere, vt, dum cernimus quibus eam fundarint firmarintque præsidiis, eadem & ipsi comparemus nobis; vt altero mox sæculo, tertioque, & vltra, integra semper & firma perseueret *in diem Domini magnum*. Tunc animis, Superi! si vmquam aliàs, tum robore viridique iuuentâ opus erit; si verè dicitur in isthæc tempora, siue nata, siue reseruata diuinitus hæc subsidiaria Ecclesiæ manus, vt nouissimis diebus bellet *bella Domini*, suoque tum strenuissimè collaboret Duci, quando

& conseruatio vigoris.

Ezech. 43.

vsque in mundi occasum.

Ioël. 2.

1. Reg. 18.

A 2 *iniquum*

2. Thessal. 2. Eccli. 44.

iniquum interficiet ſpiritu oris ſui. O ita ſit! *cum ſemine* tam clarorum Patrum *permaneant bona, & hereditas ſancta* ſint *nepotes eorum,* educandi tantam in ſpem, & tam præclaræ Societatem expeditionis. O faciat propitius IESVS, vt *filij eorum propter illos vſque in æternum maneant; ſemen eorum, & gloria eorum non derelinquatur!* Ita vouemus, ita ominamur hoc anno ſæculari. quem quia primi fortaſſe publico conſignare monumento aggredimur, originem ritumque omnem centeſimum annum celebrandi paulò accuratiùs perſequemur; præmiſsâ tractatione de Ludis Sæcularibus, totâque ratione Iubilei.

DISSERTATIO SECVNDA.

De Ludis Sæcularibus Romanorum.

Perennandi curâ ſæcularem annum celebrant Romani.

Diem Vrbis conditæ natalem non quotannis ſolùm inſigni celebritate coluere Romani, verùm & centeſimo quoque anno Sæcularibus Ludis. ſiue ea religio fuit hauſta ex Sibyllarum libris, vt credi voluerunt; ſiue ingenitâ principi populo perennandi curâ, incolumitatemque & æternitatem precandi à præſidibus Diis. A ſæculo Sæculares dictos, ratio nominis arguit. Sæculum *ſeneſcendorum hominum longiſſimum ſpatium*, Varro dixit. (De Linguâ Latin.) Centum annorum ambitu veterum multi finiuêre; & recepta modò opinio non vltrà extendit: quò quia nonniſi admodum pauci viuendo pertingunt, meritò de hiſce Ludis Ouidius: (2. Triſt.)

—— *Quos ætas aſpicit vna ſemel.*

Inde illa præconis ſolennis vox ad ſpectacula inuitantis, quæ neque ſpectaſſet quiſquam, neque denuò eſſet ſpectaturus. Significans, inquit Herodianus, (Lib. 3. in Vitâ Seueri.) præteritæ futuræque celebritatis interuallum ſupra omnem hominum eſſe ætatem. quo de interuallo licet diſſentiant Scriptores, ſatis accuratè tamen prodidere, Sæculares Ludos aliud fuiſſe nihil, quàm de conſeruato proximis centum annis Imperio publicam gratulationem, cum ſolennibus votis, vt Numinum fauor

Horat. in Carm. ſæcul.

Remque Romanam, Latiumque felix
Alterum in luſtrum, meliusque ſemper

æuum prorogaret.

Sanctiùs id cogitat Societas.

Et illi quidem profano ritu. Quantò ſanctiùs hoc ſæculari anno id Societati noſtræ precari conuenit ab immortali Deo, auctore & moderatore temporum, perennitatis omnis largitore? qui operum ſuorum benefactorumque celebrari memoriam iam olim præcepit: (Exod. 12.) non tantùm conſecrato ſolenni die in annos ſingulos cultu ſempiterno, ſed & inſtituto prætereà, redeunte certo annorum curriculo, ſacro Iubileo. (Leuit. 25.) Cui de Sæcularibus Ludis diſputationem præmittimus, propterea quòd ab his potiùs quàm à Iubileo ortam putamus centeſimi anni celebritatem.

Origo Ludorum Sæcularium.

Valerius Max. lib. 2. Angel. Politian. Miſcellan. cap. 58. Onuphrius

Ludi, qui deinde Sæculares dicti ſunt, principio Ditis & Proſerpinæ ſacra fuerunt. aucta poſtmodum ceterorum Deorum ſacrificiis, & ludis; Apollinis ac Dianæ in primis: olim à Valuſo Valeſio primùm, Seruio Tullio imperante, Deorum monitu trinoctio celebrata in memoriam

moriam redditæ ſanitatis tribus liberis: idque ad aram quamdam prope Terentum, in campo, qui deinde Martius, ſub terrâ repertam, Diti Patri & Proſerpinæ ſacram: quæ Rege Tullo Hoſtilio, tempore belli cum Albanis, illic defoſſa, hominum memoriâ exciderat. Panuin. libr. de Sæculari- bus Ludis.

P. Valerius Poplicola, is qui primus ab exactis Regibus Conſul fuit, primus quoque ritum hunc in Vrbem induxiſſe fertur: ſiue Valeſij exemplo, quòd ſalutarem vniuerſo populo ſperaret, qui tribus pueris fuerat; ſiue monitu potiùs carminum Sibyllinorum: in quibus, ſi morem hunc ſanctum haberent, Populo Romano certa Imperij promittebatur æternitas. Et hæc illa ſunt Martiali, Lib. 4. Epigram. 1.

—— quæ Romuleus ſacra Terentus habet:

& Auſonio, Idyll. 11.

Trina Terentino celebrata trinoctia ludo:

à ducenteſimo quadrageſimo ſeptimo, vel, vt alij, à trecenteſimo ferè Vrbis conditæ anno, ſingulis deinde ſæculis religioſè culta Ludorum Sæcularium nomine. *Primi Ludi Sæculares.*

Ordo celebritatis hic erat: iuuat enim, quoniam hæc vſque adeò peruulgata non ſunt, paulò diligentiùs commemorare. Inſtante Ludorum tempore, in omnem Italiam dimittebantur præcones, populos inuitaturi ad ludos, quos mortalium nemo vidiſſet, nemo iterum eſſet viſurus. Paucis ante ſpectacula diebus, Imperator ipſe, Conſules & Quindecimuiri, ante Apollinis Palatini & Iouis Capitolini templa pro ſuggeſtu conſidentes, populo piamina ſeu februa diſtribuebant, tædas, ſulphur, bitumen; quibus flagitia expiari ſtultâ ſuperſtitione perſuaſum erat. Prætereà in templo Dianæ hordeum, triticum, fabas populo dari mos, Parcis offerenda: vt propitiæ ſcilicet alterum de feliciori ſtamine nerent ſæculum. Tum ad formam initiorum Cereris caſtè peruigilia fiebant; mox toto triduo ſacrificia templis omnibus noctu atque interdiu, omnibus circis & theatris ludi omnis generis. Circenſium meminit Suetonius, Hiſtrionum & Saltationum Plinius, Venationum Capitolinus. Primæ Ludorum noctis horâ ſecundâ, effoſsâ humo, Ditis & Proſerpinæ aperiebatur ara; hoſtiaſque furuas Imperator, Conſules, Quindecimuiri immolabant. Interim ſtructâ in theatri morem extemporaneâ ſcenâ, lychnis atque ignibus relucebant omnia, & hymnis carminibusq; perſonabant. Summo manè in Capitolium primò, Ioui ſolennia ſacra facturi; inde ad theatrum ibant, celebraturi ludos Apollinis & Dianæ. Altero die matronæ nobiles adſcendere in Capitolium, frequentare lectiſternia, Iunonis aram adire: ſacrificia rurſum Diuis omnibus, omnibus aris. Die tertio, in templo Apollinis Palatini, ter nouem pueri prætextati, totidemque virgines, patrimi omnes matrimique, Græcâ Romanâque voce, hymnos ſemper nouos & pæanas concinebant pro æternitate Imperij, pro Senatus Populique incolumitate: quorum de numero celebre eſt Horatij carmen ſæculare. Tandem, completis ſolennibus, ara Ditis & Proſerpinæ, quæ egeſtis ruderibus primâ nocte aperta fuerat, rurſum terrâ obruebatur, nonniſi ſequentibus Sæcularibus Ludis reſeranda. Qui Ludos fecerant, inſcriptum ſuo nomine rei geſtæ monumentum in Terento relinquebant. *Ritus & celebritas Ludorum.*

E profanis ritibus pij stimuli.

Hæc de ritibus, profanis quidem & exoletis; ſed è quibus, velut è denſiſſimis tenebris, obſcura quædam affulgeat lux ad annum ſæcularem ſanctiùs celebrandum. Nam, præter publicam gratiarum actionem, quam tot ſacrificiis hymniſque erga Deos teſtabantur, erant hi Ludi quaſi luſtrum quoddam & expiamentum Vrbis: quam credebant hoc ritu à præteritis expurgari noxis, renouarique denuò & inſtaurari; ac meliorem precabantur in poſterum viuendi rationem. An non vmbra quædam ſanctioris in Iubileo expiationis? Solennia pro Republicâ vota quid niſi monita ſunt, vt meliora perpetuò vota faciamus, pro felicibus Societatis incrementis?

An Romani centeſimũ quemque annum celebrauerint.

Argumenta id negantium.

Sed quoniam cœpimus, in adyta Romanæ vetuſtatis paulò altiùs penetremus, & Ludorum ſeriem, obſcuram hactenus & vulgo ignotam, diſcutiamus, aliquantùm longâ fortaſſis, ſed nouâ, vt opinor, & non ineruditâ digreſſione. Milleſimum Vrbis conditæ annum ingenti ludorum & ſpectaculorum apparatu à Philippo Imperatore fuiſſe celebratum, certâ conſtat Annalium fide. An autem centeſimus quiſque initio ſæculi ſtatâ ratione temporum perinde fuerit obſeruatus, id verò in ambiguo eſt. Negant, quotquot ſcripsêre Sæculares Ludos, nonniſi centeſimo decimo anno referri ſolitos: omnium inſtar Onuphrius Panuinius diligentiſſimus inueſtigator; qui conſequenti temporum ſerie aptè oſtendit, poſt centeſimum ſemper & decimum annum notatos inueniri in Commentariis Quindecimuirorum: quorum erat & Ludos iſtos curare peragendos, & peractos publicis commentariis conſignare. quos proinde in hac re eorum muneri propriâ libentiùs ſe fatetur ſequi, quàm alium Hiſtoricorum quemlibet. Et luculenta, fateor, auctoritas eſt. Accedunt vetuſti quidam Græci verſus, quos Sibyllinos eſſe Zoſimus dicit: Angelus Politianus ita Latinè reddidit:

Lib. Miſcel. cap. 58.

Aſt vbi iam humanæ longiſſima tempora vitæ
Orbis agens annos referet centumque decemque,
Sis Romane memor : & quæ ſequuntur.

vbi longiſſimum humanæ vitæ tempus, id eſt ſæculum, annis centum decem circumſcribitur, Ludiſque Sæcularibus deſtinatur. Denique Horatius in Carmine ſæculari,

Certus vndenos decies per annos
Orbis vt cantus referatque ludos,

Ludorum orbem centum decem annorum ambitu definit: in cuius hîc ſententiam Acro & reliqui omnes eunt Interpretes.

Oſtenditur, centeſimum quemque fuiſſe celebratum, etiam ex ſerie temporum.

Verùm iis ego non aſſentior: qui non minùs firmâ auctoritate oſtendi poſſe video, Sæculares Ludos centeſimo quoque anno, tamquam inſigni initio ſæculi, fuiſſe digeſtos. Quod ex temporum ſerie etiam deducemus. Ac primò quidem, ſi expendere volumus, quos illi tanti faciunt, Quindecimuirorum commentarios, & quibus Horatij reliquorumque omnium nititur auctoritas, Sibyllinos verſus; an putamus incognitos omnino, & numquam viſos auditoſque fuiſſe Valerio Antiati, M.Varroni, T.Liuio, Sex.Pompeio, aliiſque veteribus, qui Sæculares Ludos centeſimo quoque anno celebrari ſolitos tradiderunt? vt Zoſimum, vt D.Auguſtinum, alioſque recentiores omittam. Adde, commen-

Apud Cenſorin. de Die natali, c.17.

commentarios istos Quindecimuirorum nonnisi temporibus Cæsaris Augusti fuisse conscriptos: cur præ Liuio, Varrone, Antiate, merentur fidem? Sibyllinis versibus (si modò, qui apud Zosimum exstant, Sibyllini sunt) auctoritatem Varronis oppono ita scribentis: *Quindecimuiros renuntiasse ex Sibyllarum libris, vti Ludi centesimo quoque anno fierent.* Nec temerè scripsisse censendus Alexander ab Alexandro: *A primâ origine singulis centum annis ex præcepto Sibyllinorum carminum fiebant.* De Horatij versu laborandum minimè; à multis enim ita legitur: Lib. 5. Genial. c. 26. Lud. Viues, Franc. Robortellus, Georg. Faber, & M. SS. apud Lambinum.

Certus vt denos decies per annos
Orbis & cantus referatque ludos.

Iam verò T. Liuius à secundis Sæcularibus tertios quartosque ita ordine recenset, vt manifestum fateatur Onuphrius, in eâ Liuium fuisse sententiâ, quòd secundi Sæculares anno Vrbis conditæ quadringentesimo primo celebrati fuerint, tertij verò quingentesimo primo, quarti autem sexcentesimo primo: vt & Florus illic in Epitomâ lib. 49. meminit. Et de Ludis Augusti Sæcularibus agens Liuius, addit: *Quos centesimo quoque anno (is enim terminus sæculi) fieri mos est.* Cur ille potiùs, quàm eodem tempore Horatius, centesimo quoque anno fieri solitos dixit, & non centesimo decimo? cur tam apertè initio sæculi eos collocat? an credibile adeò diligentem Historicum aut Sibyllæ versus ignorasse, aut Quindecimuirorum tabulas, aut Romanum morem? Et hæc quidem de primis Sæcularibus ante tempora Augusti, quos nimia vetustas obscuriores reliquit, & tantùm non tenebris inuolutos. *Secundi, tertij, quarti Ludi Sæculares.* Lib. 136.

Mutatâ Republicâ instaurati quoque Ludi sunt anno V. C. septingentesimo trigesimo sexto, Augusti voluntate potiùs, quàm ordine temporis id exigente, inquit Salianus: nimirum post ciuilia bella renouati in melius Imperij æternitatem Diis voluit commendatam, illo in primis Sæculari Horatij carmine, quod pueri puellæque ex more cecinerunt. *Quinti Ludi Sæculares.* In Epitome ad annum V.C. 736.

At opinioni nostræ nihil fauet magis quàm Claudij Cæsaris factum: cui cùm aduersarij refragari non possint, hunc primum fuisse aiunt, qui ad annum centesimum Sæculares Ludos redegerit. Is ab Augusto proximos, ordine sextos, anno V. C. octingentesimo dedit; instituitque prætereà centesimo quoque anno Vrbis in futurum referri debere. Veterem morem, credo, ex Liuij sententiâ reuocare studuit, & lege latâ stabilire: quòd illum & exactiùs videret & solenniùs ineunte semper sæculo obseruari. Sed fatendum est, huiusce instituti nec à Domitiano, nec à Seuero habitam esse rationem. His nempe temporibus conuenit, quod Pomponius Lætus de Sæcularium interuallo scribit: *Ambitione Cæsarum, cupientium id solenne suis temporibus exhiberi, ordo corruptus est, & pro libidine habiti Sæculares.* Itaque ab anno octingentesimo quo Claudius fecit, ad millesimum quo Philippus, bis prætereà dati Sæculares Ludi, cùm nonnisi semel debuissent. Domitianum fecisse interiecto tantùm spatio annorum supra quadraginta à proximis Claudij, ex Tranquillo, Tacito, Historicis, Papinio & Martiale Poëtis, certum est: Septimium Seuerum autem interlapsis plusquam centum *Sexti Ludi Sæculares.* In Epitomâ Rom. histor. *Septimi Ludi Sæculares.*

annis

Octaui Ludi Sæculares. annis post Domitianum, qui spectator interfuit Herodianus tradit, suâque ætate factos Dio scribit.

Millesimus Vrbis conditæ. Millesimi tandem Vrbis anni solennitas ex omni sæculorum memoriâ longè maxima fuit, celebrante Philippo; qui primus Romanorum Principum Christianus Imperator à Baronio asseritur. Bestiæ innumerabiles in circo maximo venationi obiectæ: in quibus elephanti XXXII. alces X. tigrides X. leones mansueti LX. leopardi cicures XXX. hyænæ X. hippopotamus I. rhinoceros vnus, arcoleontes X. camelopardi X. onagri XX. equi feri XL. gladiatorum paria mille. Scenicos ludos in Pompeij theatro tribus diebus totidemque noctibus peruigil populus spectauit, funalibus atque lychnis tenebras vincentibus. Etiamnum testes Ludorum Philippi nummos plurimos est reperire: in quibus præter Imperatorum patris ac filij nomen, & hanc inscriptionem, SAECVLARES AVGG. vel addita quædam longæuitatis symbola, vel animalium formæ, ex iis credo, quæ Philippum exhibuisse diximus. Nummus alter apud Occonem inscriptus legitur: MILIARIVM SAECVLVM. alter SAECVLVM NOVVM. Meminit in Chronico Cassiodorus: *Quadraginta etiam missus natali Vrbis Romæ concurrerunt, & agon mille annorum actus.* Quos Ludos etiam Sæculares appellat Sextus Aurelius Victor, licet impius Zosimus, odio fortasse Christiani nominis, post Seuerum neget ampliùs fuisse instauratos.

Capitolin. in Gordiano. Aurel. Victor in Philippo. Pomponius Lætus in Epitom. Baron. ad ann. Christi 249.

Primus & secundus Sæcularis V.C. verosimiliter Ludis celebratus. Ex hac serie liquet (vt ad inceptum redeamus) ab anno trecentesimo, circa quem vel instituti creduntur, vel potiùs primùm celebrati, singulis ferè ineuntibus sæculis suos assignari Sæculares Ludos veterum auctoritate. Sed quid de Sæculari primo V.C. quid item de secundo siue ducentesimo dicemus? nulla enim in historiis mentio est. Salianus noster, clarissimus huius æui temporum indagator, ad annum V.C. ducentesimum ita scribit: *Adest Romanæ Vrbis alter sæcularis annus, quem verosimile est multis Romæ ludis, sacrificiis conuiuiisque celebratum. ad maiorem autem huius anni celebritatem videtur tertium lustrum à Rege Seruio Tullio conditum.* Ex quibus apparet existimasse Salianum, centesimum quemque annum ludis solennibus & sacrificiis, conuiuiisque publicis ac priuatis, fuisse celebratum, etiam ante Ludos ad Terentum institutos.

In Epitom.

Fortè ab initio alij fuerunt Terentini, & Sæculares. Mihi venit in mentem suspicari, alios ab initio fuisse Terentinos, alios Sæculares Ludos; sed communi tandem nomine permixtos. Et Terentini quidem Diti ac Proserpinæ, Sæculares Phœbo & Dianæ potissimùm sacri perhibentur. Terentinos pro auertendâ pestilentiâ constat primùm institutos: Sæculares, lætitiæ erant & publicæ gratulationis. Terentini nonnisi nocte & furuis hostiis peragebantur: Sæculares luce palam & albis victimis. Fauet Ludouicus Viues, qui D. Augustinum ferè etiam in partes trahit, cùm de eo ita loquitur: *Alios videtur velle esse Ludos Ditis & Proserpinæ, atque Sæculares.* Quòd si fortè non omnino inanis hæc suspicio est, cur dici non potest inde ab Vrbe conditâ centesimum semper annum sæculari aliquo plausu fuisse exornatum? accessisse deinde circa annum trecentesimum Terentinos Ludos, & ex Liuij sententiâ ineunte semper sæculo vnâ celebratos, atque inde commu-

In Comment. lib. 5. de Ciuit. ad cap. 18.

communi tandem nomine Sæculares dictos. Quòd si subinde extra ordinem acti leguntur, id pro necessitate ita factum facilè concedimus, ad placandam Deorum iram; sicut & Iubileum modò, licet stato tempore definitum sit, ex caussâ sæpè extra ordinem instituitur. Et *Sæcularis carminis* (quod ait Acro Horatianus interpres) *duplex deuotio esse consueuerat : aut enim pro sedàndâ vitandâque pestilentiâ* (extra ordinem scilicet) *aut pro certo & definito annorum numero cantabatur.* quem numerum ego centum annorum fuisse contendo, & quidem recurrente initio sæculi plerumque obseruatum. Hæc ex tam recondità antiquitate delibasse sufficiat. expeditiorem fortè viam felicior aliquis inueniet. In Carmen sæcul. Horat.

Post annum millesimum Sæculares Ludos Romæ celebratos nonnisi semel inuenies ab Honorio Augusto. de quibus Claudianus: *Ludi vltimi Sæculares.*

Spectatosque iterum nulli celebrantia ludos
Circumflexa rapit centenus sæcula Consul.

Existimant auctores, vetitos fuisse à Constantino, vbi palàm CHRISTI fidem amplexus est. Nam eius edicto clausa Deorum templa, sublatosque cum sacrificiis ludos plurimos, Eusebius narrat. Ab Honorio eâ tantùm lege putantur permissi, vt sine sacrificiis & idolorum cultu soli tantùm darentur Circenses & Theatrales ludi, in memoriam pristinæ celebritatis; à quâ difficillimè auelli Romani poterant. donec tandem ista centesimi anni celebritas ad colendum centesimum quemque Seruatoris Natalem sanctiore ritu traducta est: incertum quibus initiis; sed eâ quoque ex caussâ (quod posteà dicemus) vt Populus Romanus ab inani Sæcularium Ludorum celebratione reduceretur ad verum solenne sacrum. quod petito ab Hebræis vocabulo Iubileum dixere; primusque Bonifacius VIII. decreto sanxit centesimo quoque anno celebrandum. *Vetiti à Constantino; à Christianis in Iubileum commutati sunt.*

Hæc origo centenariæ celebritatis. Nec superstitiosa numeri obseruatio est. Origenes, Hieronymus, Rupertus, Beda, multiplex in eo mysterium è sacris Litteris inueniunt: siue Noëmi arcam anno centesimo perfectam explanant, siue centenario patri natum Isaac, siue peregrinantem Abrahamum centum annos in terrâ promissionis, siue illud denique diuino promisso nobile centuplum. Copiam certè & eximiam significari multitudinem omnis agnouit antiquitas, quæ *linguas centum, oraque centum, centum aras*, pro multis & innumerabilibus dixit. Ego, quia centenarius numerus, decem decadum structurâ completus, eximius rarusque visus est in ætate mortalium, & insignis præterea annorum terminus, vnde nouum liceret auspicari curriculum, quod Sæculum dixere; ideò in sacrâ profanâque Republicâ cum lætitiâ exceptum atque obseruatum existimo. Louaniensis Academia superiore sæculo primum ab origine suâ centesimum publicâ sæcularis Iubilei lætitiâ coluit: & nuper ducentesimum secundo sæculari Iubileo. Millesimum ab obitu D. Bauonis Tutelaris sui in æde principe, quæ illi sacra est, admodum solennem egit Senatus Populusque Gandauensis : ac biennio pòst millesimum D. Læuini Præsulis & Martyris inclyti, tum in eâdem æde, tum in nostro Societatis IESV templo, quod eidem Diuo ære publico à fundamentis exstructum, peramplis regiisque donariis exornarunt. *Centenarius mysterij plenus. Primus & secundus Sæcularis Academiæ Louaniensis. Millesimus D. Bauonis & D. Læuini.*

Quingentesimus D. Norberti.

narunt. Et nuper annus huius sæculi XXXIV. ab obitu D. Norberti Quingentesimus, à Candidissimo Præmonstratensium Ordine, plausu & gratulatione insigni, ad memoriam simul & exemplum posteritatis, peractus est. Nec dubium, quin aliæ subinde Religiosæ Familiæ centesimum annum solennem egerint, licet monumenta non exstent. Quibus omnibus tantò ætate inferior, hoc Sæculari anno quasi à longè & vltima accedat minima Societas nostra, *crescatque in mille millia.*

DISSERTATIO TERTIA.

De Iubileo Iudæorum.

Ex computu Saliani.

QVàm profana apud Romanos Ludorum Sæcularium, tam sancta apud Iudæos anni Iubilei institutio fuit; antiquior multò ipsâ Vrbe conditâ ad annos propemodum octingentos. Illud saltem vtrique populo commune, quòd solennitatis caussa, accepti à Numine beneficij memoria fuit, cultu perpetuo apud posteros renouanda, eâ gestientis lætitiæ significatione, quam Romani designarunt *Ludorum* nomine; Hebræi, quasi nullâ satis voce possent exprimere, *Iobel* appellauêre; Latinè *Iubileum* dixeris. Quod vocabulum magnæ cuiusdam, & non se capientis lætitiæ indicem vocem eruditi interpretantur. vocabulum origine quidem Hebræum; sed nec ita inusitatum, vt quidam putant, Latinis Scriptoribus, quin inde cecinerit Silius:

Iubileus lætitiæ vox,

Apud Serrar. in Ios. Tom. 2. c. 6. q. 5. Sil. Ital. l. 14.

Et lætus scopulis audiuit iubila Cyclops.

nec ita barbarum aut deterioris æui, quin iubilandi verbum Varroni Festoque fuerit cognitum. Eius vim, quoniam frequentissimus vsus est, ita Festus explanat: *Iubilare, est voce confusâ inclamare præ gaudio.* & non vno loco idem Augustino est iubilare, atque gaudium quod corde conceptum est, & verbis explicari non potest, tamen voce testari. An non exprimere videntur id, quod Societatem IESV lætissimo isto Iubileo facientem cernimus? gaudium corde conceptum de tam propensâ in se Dei benignitate vel ad omnium stuporem; gaudium, inquam, illud, quod nullis satis verbis aut grata aut gratulabunda explicare potest, voce testatur, confusâ & inconditâ quidem, tumultuario quasi opere; sed quod vel inde iubilantis esse agnoscas, & sine arte aut fuco erumpentem lætitiam continere non valentis. Testatur, inquam, effusâ gratulatione, & voce magnâ in iubilo; & quà se per extrema terræ latè diffusam circumspicit, *extrema terræ* ad iubilandum cum Isaiâ inuitat: quaque omnem terram filiis suis ad prædicandum feliciore sorte diuisam videt, quàm Chananitis ad incolendum Hebræis fuit, *in cymbalis iubilationis* cum Regio Vate canit: *Iubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini eius.* illum scilicet, vt hoc loco Interpretes, militarem ἀλαλαγμὸν, & triumphalem ἐπινίκιον ὕμνον, cuius lætissima recordatio ab institutâ disputatione iam nos pænè abduxerat.

In Psal. 65. & 94. *conueniens Sæculari nostræ celebritati.* Isa. 44. Psal. 150. Psal. 65.

Symbola Iubilei, non ori... Lib. 1. de Iub. c. 2.

Iubilei originem qui à septimi diei quiete petunt, Conditoris exemplo præceptoque imperatâ, vt Paulianus; aut à quietâ vbertate terræ, quæ nec rastro læsa nec vomere, sponte suâ fruges otiantibus dabat, vt Pienti-

Pientinus; aut à renouato fœdere cum Noëmo quinquageſimo poſt diluuium anno, vt Montigianus; ſymbola Iubilei potiùs ingenioſè conquirunt, quàm eius ortum ex fide narrant. Illum autem quaſi conciliandæ vetuſtatis cauſsâ incertum facere quid attinet, cùm è ſacris Litteris manifeſtè conſtet, auctore Deo inſtitutum anno primo egreſſionis ab Ægypto? Operæpretium eſt rem omnem paulò accuratiùs cognoſcere, quoniam & reconditæ antiquitatis plurimum habet, & ſacræ eruditionis.

Lib. 3. de Iubil. c. 5.
Tract. de Iubil. c. 5.

Inſtitutus eſt anno primo egreſſionis ex Ægypto.

Vti ſeptimum quemque diem hominum quieti iam inde ab exordio mundi deſtinauerat Deus, ſabbatumque dici iuſſerat: ita cùm deinde populum ſuum ab Ægypto eductum in nouam eſſet poſſeſſionem immiſſurus, ſeptimum quemque annum agrorum quiete, manumiſſione ſeruorum de gente Hebræâ, æriſque alieni remiſſione ſacrum ſolennemque haberi voluit; atque inde Sabbaticum appellari, partim in memoriam adeptæ libertatis, partim aditæ hereditatis nouæ: expletis autem ſeptem ſabbaticis, hoc eſt, quadraginta nouem annis, ſanctificari deinde annum quinquageſimum, vocarique Iubileum; aut Iobeleum potiùs (vt ſcribere malunt, qui de apicibus diſputant) à voce illâ *Iobel.* Quam ſi cum aliis clangorem buccinæ interpreteris, alludes quidem ad lætitiæ ſigna ſacro iſto anno dari ſolita, & ſeptem buccinas quarum vſus eſt in Iubileo. at ſi libertatem cum Ioſepho, cum Hieronymo dimiſſionem, ἄφεσιν ſeu remiſſionem cum Septuaginta, ad mentem puto ſacri Scriptoris accedes propiùs: *Vocabis*, inquit, *remiſſionem: ipſe eſt enim Iubileus.* quaſi dicat: Ipſe enim remiſſionis annus eſt: ſiue ita intelligas remitti quemlibet in priſtinam hereditatem, libertatemque (quæ duæ erant præcipuæ Iubilei immunitates, præter alias cum ſabbatico communes) ſiue potiùs amiſſam libertatem hereditatemque diuenditam, quaſi remiſſam ad ſuos poſtliminiò redire. hereditatem quidem gratis, ad pauperes dominos: libertatem verò non ad ſeruos tantùm (quod anno quolibet ſabbatico fiebat) ſed eorum quoque liberos coniugeſque, quadraginta nouem annorum obſequio quaſi pretio redemptam. Atque hinc idem Cornelio eſt *annus Iobel*, quod *annus omnia ſecum adferens bona, & quemque in priſtinam libertatem hereditatemque reducens:* à radice *Iabal*, quod Hebræis eſt afferre atque adducere cum inſigni lætitiæ ſignificatione, quam læto buccinarum clangore & publicâ omnium gratulatione teſtabantur.

Apud Bentzon. de Iubil. lib. 1. cap. 5.
Leuit. 25.
In cap. 25. Leuitici.

Inſtitutus igitur, quemadmodum dicebamus, primo egreſſionis anno, tam Sabbaticus quàm Iubileus fuit. Sed, quod in aperto eſt, neuter obſeruari per quadraginta annos in deſerto potuit; cùm neque terram, cui requiem darent, haberent propriam, nec quos emerent agros reciperéntve. Ex quo rurſum liquet, tum primùm numerari cœptos, cùm, tranſmiſſo Iordane, in Chananitidem ingreſſi, quaſi pedem fixere & iniere poſſeſſionem: ſiue à captâ Iericho initium ſtatim ducas cum Saliano; ſiue à ſeptimo dein anno, poſt primam videlicet factam à Ioſue in Galgalis terræ diuiſionem, cum Serrario & Cornelio. Ex quo tempore annus ſeptimus, Sabbaticus primus: ac deinde quinquageſimus, primus Iubileus fuit. vterque, vt credibile eſt, in recenti inſtitutione,

tranſmiſſo Iordane obſeruari cœptus;
In Epitom. ad annum mundi 2584
Tom. 2. in Ioſ. cap. 13. quæſt. 13.
In cap. 25. Leuitici.

castè sanctèque obseruatus. Hoc initio deinceps tempora apud Iudæos per annos sabbaticos diuisa, sæcula per Iubileos: qui licet vix vmquam sincerè obseruati (aut vitio gentis à cultu veri Numinis facillimè dilabentis ad idola, aut crebris calamitatibus bellorum, seruitutis, exiliorumque;) tamen numerati semper fuêre: certissima temporum nota, veteris historiæ lux, ad annos septingentos Græcorum Olympiadibus prior.

sed vix deinde.

Sed illud nobis, præsertim qui Societatis nostræ Iubileum à mense Septembri numeramus, die videlicet sanctis Cosmæ & Damiano sacrâ; illud, inquam, non prætermittendum videtur, Iubileum apud Iudæos inchoari quoque solitum à mense Tisri; qui ciuilis quidem anni primus, sacri verò septimus erat, nostroque respondet Septembri. Quòd si & illud addimus, mensibus vsos fuisse lunaribus, ac Tisri magnam Septembris, magnam Octobris nostri partem solere complecti; imò verò annum ciuilem ita plerumque exeunte Septembri inchoari solitum, vt propterea scripserit Hieronymus, mensem Octobrem apud omnes Orientales esse primum; deprehendemus primum apud Hebræos Iubilei diem non magno abesse interuallo à primo Iubilei nostri. Præterquàm quòd, pro variâ lunarium mensium reuolutione, primum anni diem in Septembris apud nos vigesimum septimum aliquando incidere mirum non sit: atque adeò idem tunc illis, quod nobis modò, exordium Iubilei. Quod faciliùs etiam contingere potuit, si cum Serrario dicimus, dimissis in omnem circà regionem buccinatoribus festiuo clangore tubarum Iubileo initium dari solere, die Tisri decimo: decimus enim ad vigesimum septimum nostrum & propiùs accedet & sæpiùs: vel si cum Saliano à primo die mensis Iubileum inchoamus, sed decimo tantùm die qui missi fuerant præcones singulis in vrbibus tubâ insonuisse, denuntiantes Iubileum à decem diebus iam inchoatum; horum decem dierum ambitu primum Iubilei nostri diem plerumque inueniemus inclusum.

Idem Hebræis & nobis Iubilei mensis;

In cap. 1. Ezechiel.

fortè etiã aliquando dies.

Tom. 1. in Iosu. c. 13. q. 14.

In Epitom. anno primo Egressionis.

Verùm ab hac obseruatione omen ducere non placet. felicius nobis ab annuo Cosmæ & Damiani festo auspicium est, salutarium Medicorum non animis minùs quàm corporibus; quos sibi tutelares diuinitus datos credit hic sacer Ordo, ad miserorum mortalium opem, medelam, salutem calamitosis Ecclesiæ temporibus excitatus: quando non sine numine Diuûm contigit, vt qui eum confirmauit Paulus III. è gente Farnesiâ, ante Pontificatum Cardinalis fuerit titulo sanctorum Cosmæ & Damiani; & inter prognostica de futuris aliquando Pontificibus lemmata, quæ à sancti Malachiæ nomine aliquam vaticinij sumunt auctoritatem, hoc symbolo iam olim legatur præsignatus, Hyacinthus Medicorum. Sit igitur felicior in æuum fortunatiorque nobis sanctorum Cosmæ & Damiani dies Societati natalis, quàm primus Iubilei Hebræorum. quem etiam, stante quoquo modo Republicâ, numerare potiùs, vt suprà dicebamus, quàm religioso cultu obseruare consueuerant. vt vel ideò typum tantùm fuisse Auctores dixerint; & ea quæ signabantur bona, Christianorum temporibus reseruata: donec tandem omnis Iubileorum annorum cæremonia vnà cum Iudæorum Republi-

Sed omen melius à Festo SS. Cosmæ & Damiani.

publicâ prorſus extincta eſt; eiectique ipſi à facie Domini, inſtar profugi Caini, toto orbe exules, ſine Rege, ſine Sacerdote, ſine Sacrificio, ſine Templo, perpetuo in luctu & mœrore tot iam ſæculis degunt, ſine vllâ ſpe lætitiæ aut iubilationis. *Iudæorum Iubileus cum Republicâ extinctus.*

DISSERTATIO QVARTA.

De Iubileo Christiano.

AD Chriſtianum tandem Iubileum ventum eſt. plauſus date & lætitiæ ſigna. *Christo naſcente inchoatur Iubileus Christianus.*

Aurea centeno conſurgunt ſæcula Phœbo,
Et radiat cæleſte iubar. Miſeratus ab alto
Filius æterni Patris, de Virgine carnem
Indutus, —— Iacob. Card. de Centeſ.

noſtræque lucis in auras prodiens mortalis Deus, noui nobis Iubilei auſpicium facit. Ita ſentiunt, quotquot ſcripsêre iſtud Hebræorum quinquagenarium ſolenne typum noſtri geſſiſſe; verumque Iubileum Seruatoris aduentu ſumpſiſſe initium. tunc preſſis anteà iugo legis rediiſſe libertatem filiorum Dei; tunc amiſſam tot ſæculis cuique rediiſſe cæleſtis Regni hereditatem. Quid, quòd Hiſtorici non ignobiles tradidere Chriſtum Dominum conſecraſſe annum Iubileum feliciſſimo ſuo natali? dicunt enim ex Bedæ & Euſebij ſupputationibus natum fuiſſe anno ab Orbe condito quater milleſimo quinquageſimo, qui erat octuageſimus primus mundi Iubileus. Quæ ſupputandi ratio ſi vera (Saliano enim non probatur, qui duobus pòſt annis natum ponit) *oſtenderet* vtique, inquit Benzonius, *veteris Iubilei figuram appoſitè terminatam in* CHRISTO *naſcente tempore Iubilei:* atque inde nouum exortum numerarique cœptum Iubileum Chriſtianorum. Benzon. l. 3. de Iubil. c. 3.

Verùm nobis potiùs cum Nauarro placet, veterem Iubileum ſacræ Pentecoſtes typum fuiſſe, & quinquageſimum hunc diem per tot quinquageſimos annos fuiſſe præſignatum: eademque luce typum omnem ex Eccleſiæ ſenſu fideliter impletum; quod vetuſtis ipſa verſibus canit. Quare ſi quid Chriſtiano, vt nunc peragitur, Hebræoque Iubileo commune adhuc manet, id erit ſolum nomen, & myſtica quædam ſimilitudo; quòd illis corporum aſſertio curæ fuit, noſtris animorum: quæ verior libertas. Annorum certè diuerſa à principio ratio ſemper fuit: illis quinquageſimo, noſtris centeſimo quoque anno id ſolenne repetentibus, in memoriam ſacratiſſimi Natalis Domini: vnde fit, vt à ſæculari potiùs Vrbis natali conſuetudinem fluxiſſe credam. Sed paulò id diligentiùs inueſtigandum. Nauarrus notab. 4. de Iubil. n. 1. & 2. *Nec Iubileus Hebræorum typus fuit noſtri.*

Iubilei meminit Euſebius ad annum Seueri XII. Sed an Chriſtiani? Fama vulgauit centeſimum quemque olim fuiſſe Iubileum. An ab ipſis Eccleſiæ primordiis? nonniſi coniectura eſt, nimiùm adhuc vigente ſuperſtitione Gentilium. Veroſimiliùs initium ducitur à temporibus Conſtantini Magni: cùm ſe palàm efferre, & omnia paulatim obtinere Chriſtiana Religio cœpit. Exemplum erat in oculis, ſolenne ſacrum Sæcularium Euſeb. in Chron. *Chriſtianus veroſimiliter in Eccleſiâ obſeruatus ab intermiſſione Sæcularium Ludorum.*

larium Ludorum: quibus dum centesimum quemq; Vrbis natalem tam religiosè coli viderit, an credibile est nihil cogitasse de celebrando potiùs sæculari Seruatoris Natali die; quando ab illo iam feliciùs quàm ab Vrbe conditâ tempora annosque pridem cœperant numerare? Atque ipse Constantinus, dum primus Sæculares Ludos aut vetuit aut neglexit, quid aliud voluit, quàm impias superstitiones sacro permutari instituto? gratulationem enim publicamque lætitiam tantum abest vt tollere voluerit, vt sui ipse Imperij decennalia, vicennalia ac tricennalia dederit summo plausu: quantò solenniùs id facturus, si in eius tempora incidisset sæcularis Regis Regum Natalis? Quem an sequentes dein coluerint Imperatores Pontificesque, altum apud Historicos silentium. Quod de Millesimo præsertim cum Crantzio iure optimo mirere.

(Baron. Tom. 3. an. Christi 315.) (Saxonie lib. 4. c. 26.)

Iulium Roseum inuenio asserentem, consueuisse olim centesimo quoque anno Natalis CHRISTI celebritatem esse maximam, exemplo Sæcularium Ludorum. Vulgatum esse, centesimum quemque annum à NatiuitateCHRISTI fuisse Iubileum, Ioannes Friburgensis scriptum reliquit. imò & exornatū insigni Indulgentiâ à Romanis Pontificibus, etiam ante Bonifacium VIII. illorum temporum probus Historicus Ioannes Villanus auctor est. Quare & Iusto Rijcquio ita visum, singulis annis centesimis, ob sæculi παλιγγενεσίαν, Romæ solenne aliquod fuisse, quod ceteris ex multitudine accurrentium vndique populorum & cæremoniarum sanctitate celebrius esset atque præstantius: eumque morem à profanâ Ludorum superstitione ad veri Numinis cultum, vti alios complures, salubriter esse traductum. Certè inter caussas centenariæ celebritatis, hæc à Polydoro, Cornelio nostro, aliisque Auctoribus, recensetur: vt Populus Romanus ab inani Sæcularium Ludorum celebratione reduceretur ad verum solenne Sacrum. quod in eorum locum si successit, meritò statim ab eorumdem intermissione creditur institutum. Ea certè iam olim adeò inualuerat fama, vt Ioanni Monacho Bonifacius ipse testatus sit, vnam hanc sibi fuisse caussam annum Centesimum solenni decreto stabiliendi. Id suaserat ingens hominum multitudo, quæ sub annum millesimum trecentesimum è longinquis regionibus Romam sponte confluxerat, non ob aliam, vt aiebant, quàm Centesimi anni celebritatem. repertusque est senex centenario maior, profectus è Galliis, vt scribit Iacobus Cardinalis oculatus testis, qui coram Pontifice ceterisque Patribus testatus est, ad eam superiore sæculo paterno se exemplo verbisque commonitum: pluresque tum è Gallis tum ex Italis etiam tum superstites fuisse, ex eodem Iacobo Nauarrus habet, qui prioris Centesimi adhuc meminissent.

(In Schol. ad lib. Iacobi Card. de Centesimo.) (Tract. de Indulg. q. 6.) (De Iub. c. 9.) (Lib. 8. de Inuent. c. 1.) (In Leuit. 25.) (*Id probat fama vulgata ante Bonifacium VIII.*) (Benzon. de Iubil. lib 3. cap. 5. & 6.) (Iacob. Card. de Centes. cap 3.)

Quibus adductus rationibus Bonifacius, re totâ Purpuratorum Patrum examini iudicioque antè permissâ (& erat ipse eruditissimus, quod Annales testantur) famam illam & vulgatam passim de Centesimo fidem, ne venturis quoque sæculis incerta fluctuaret, decreto suo firmandam censuit, ad memoriam posteritatis. Professus id se facere *ex fidâ antiquorum relatione*, & nonnisi receptum scilicet antè morem *scripti patrocinio communire*. Quibus ex verbis Nauarrus alijque doctissimi Scriptores contra Polydorum, Crantzium, Volaterranum & Nouatores,

(*ipsiusque factum.*)

res, rectè deducunt, Bonifacium VIII. non institutorem auctoremque Indulgentiarum & Iubilei, sed instauratorem tantummodò fuisse. Et innuere Platina videtur, cùm ait: *Iubileum quoque idem retulit anno millesimo trecentesimo.* referimus enim quæ iam ante nos in vsu fuerunt.

Illud tamen in confesso, quemadmodum ante Olympiades apud Græcos temporum, ita apud Christianos tota Iubilei ratio ante Bonifacium incerta fuit. Primus ipse, quod diffitetur nemo, in ius redegit, primus decretis addidit, primus apparatu maximo peregit sub annum Domini M. CCC. eo concursu hominum ex orbe toto, vt ducenta peregrinorum millia qualibet ferè sacri anni die Romæ numerata meminerint illius æui Scriptores; &, vt Platina loquitur, *vix incedere per vrbem amplam quidem & vastam liceret.*

Bonifacius VIII. annum Centesimum primus redegit in ius.

S. Antonin. Chron. p. 3. Iacob. Card. de Centes. Platina in Bonifac. & Polydor. l. 8. c. 1.

Iubileum igitur Centesimo semper anno deinceps celebrandum Bonifacius insculpserat tabulæ marmoreæ ad Vaticanas fores; sed mortalium commodo contrahere spatia vitæ breuitas suasit. Itaque, quod mirere, ter vno sæculo variatum. Annus Centesimus Bonifacio placuerat more maiorum: Quinquagesimus Clementi VI. veteris Legis exemplo, vt verè esset re ac nomine Iubileus: Vrbano VI. Trigesimus tertius; ob mysterium annorum CHRISTI, qui omnis lætitiæ ac Iubilei nobis origo est. sed hic numerus bis tantummodò obseruatus, ceteris dein Pontificibus minùs probatus est. Tandem Sixtus IV. ex decreto Pauli II. decessoris sui, viginti quinque annorum spatio definiuit, celebrauitque primus; nulla vt ætas expers foret; imò & vnius hominis vita frui posset sæpiùs. isque numerus communi dein approbatione receptus, etiamnum obtinet. nec sine mysterio, vt pulchrè Rycquius. Cùm enim in Mosaicâ Lege, inquit, bina Iubilei sæcula centenario quoque annorum gyro clauderentur, duas Legum tabulas mysticè referentia; meritò Christianæ felicitatis tempore, cùm sacrum Dei Euangelium quaternis scriptum voluminibus, in quatuor orbis partes propagatum est, quaterna gratiæ ac remissionis sæcula singulis redeunt Centenariis, quinque & viginti annorum periodo circumscripta. Quorum vltimum nuper publicâ Orbis gratulatione peregit Vrbanus VIII. Pont. Max. quem non Ecclesiæ tantùm tot iam annis feliciter, sed nostræ priuatim Societati credimus in hæc tempora diuinitus reseruatum; quando illius inclyta Barberina domus, ex arce Romanâ, prima orbi quasi signum extulit Sæcularis nostri Iubilei. præcones (an ita appellari sinit incredibilis eorum benignitas?) Eminentissimi Nepotes fuêre; & illa Regiæ munificentiæ fama, in omnem latè orbem iam peruulgata. vt qui primum à Paulo III. Farnesio sæculum ducimus, alterum ab Vrbano VIII. Barberino non minùs fausto omine numeremus.

Clemens VI. annum Quinquagesimum fecit Iubileum, Vrbanus VI. Trigesimum tertium, Sixtus IV. vigesimum quintum.

DISSER-

DISSERTATIO QVINTA.

De priuato Iubileo annorum quinquaginta.

A Belgis Iubileus priuatus anni quinquagesimi. Lib. I. de Iubil. c. 4.

HÆc de publico hactenus Iubileo: verùm eius exemplo alia quædam inducta est consuetudo; quam quoniam Iubilei etiam nomine appellant, meritò priuatum dixeris. A Flandris, Gallis, Germanis, aliisque Belgij Populis, emanasse Benzonius tradit. Sit ita sanè: Belgarum sit istud inuentum. decet ergo, qui iubilandi consuetudinem sibi quasi propriam fecêre, ad celebrandum Societatis commune Iubileum singularem operam conferre. Mos ita habet: Qui Religionis, Sacerdotij, Coniugalis vitæ annum quinquagesimum attigere, nouum veluti sæculum condere & iubilare dicuntur. Itaque Religiosæ vitæ addicti Vota denuò nuncupant: Sacerdotes ad aram faciunt ritu primitiarum: Coniuges nuptiali ornatu, quo primùm sponsi solent, ad ædem sacram deducuntur. illic gratiis Deo solenniter actis, geniale domi epulum reduces exspectat, totusque dies festo plausu lætitiâque traducitur. Quin & immunitates quædam Monasticâ lege adstrictis concedi solent: idemque deinceps honor Patribus Iubilariis, qui Abbatibus haberi. Vtrumque emeritæ datur ætati; cuius & in militiâ rationem haberi apud gentes omnes inuenio, naturâ duce: & diuinâ lege Leuitas olim quinquagesimo ætatis anno liberari solitos onere ministrandi in Tabernaculo fœderis, & quietæ tantummodò rerum custodiæ non sine honore deputari. Atque inde hanc immunitatum originem deducere mauult Rycquius, quàm à manumissione seruorum aut Iubilei priuilegiis apud Hebræos.

Illustritus, *& immunitates.* Numeror. 8. De Iubil. cap. 25.

Vidit Mechlinia anno huius sæculi XVII. istiusmodi Iubileum Illustrissimi Antistitis sui Mathiæ Houij, quinquagesimum à suscepto Sacerdotio celebrantis annum, nobilissimâ in coronâ Belgicorum Præsulum, omniumque Ordinum frequentissimâ panegyri: quos inter & Mechliniense Societatis IESV Gymnasium festiuam edidit gratulationem vario carminum genere, rhythmico in primis; inducto in scenam vetere illo Iubal primo citharæ & organorum inuentore, à quo iubilandi ritum ac nomen Masius alijque deduxere. Illud tamen memorabilius, quod famâ accepimus, sub Ernesto Eburonum Antistite in ipsius Diœcesi Parochum fuisse, qui centesimum Sacerdotij sui annum celebrarit, hoc est, Belgico more secundum Iubileum. Hecatomben fecêre Lacedæmonij pro centum vrbibus quas tenebant; an non Hecatomben hic fecisse dicendus pro centum annis? prodigium certè non tam ætatis, quam attigere complures, non pauci etiam superauêre; sed longæuæ dignitatis & Sacerdotij Sæcularis. Rarum enim, ideoque plausu & iubilo dignum, vel ad quinquagesimum in eo munere annum peruenisse: rarum, inquam, in nostrâ præsertim Belgicâ Societatis IESV Prouinciâ: in quâ, præter communes vbique terrarum Sociis omnibus labores, propriæ quædam & perpetuæ missiones, Castrensis, Naualis, Hollandica, Zelandica, Frisia, & ad pestilentes ægros, tum multorum simul

Talis Illustriss. Houij Iubileus: Genes. 4. In c. 6. Iosue. *memorabilior tamen ille cuiusdam Sacerdotis Centenarius.* *Belgicis Patribus rarus.*

ſimul munerum laborioſa adminiſtratio, pleroſque acerbo funere ante diem eripiunt; longiore dignos vitâ, quam Dei cauſsâ tam generosè contemnunt. Nec defuere tamen primo iſto ſæculo, qui Prouinciam hanc ſolemni exhilararunt Iubileo, vegeti ſenes, & gerendis rebus in eâ quoque ætate aptiſſimi: vnum alterúmve interſerere iuuat. Guilielmo Hercano, poſt Religioſæ vitæ quinquagenarium ſolenne publicè celebratum, quaſi pro manumiſſione, impetrata ad claſſem Regiam (arduam profectò prouinciam, ſiqua toto Belgio) miſſio fuit: ex viro etiam tum corporis vires & animi alacritas erat. Franciſcus Coſterus, quà concionibus, quà ſcriptis Orbi notus, adminiſtratâ etiam vniuersâ Prouinciâ prudentiæ laude clarus, ſuum & ſanctioris vitæ & Sacerdotij Iubileum Populo Bruxellenſi ſpectandum dedit. Gandauenſes mirè recreauit Ægidij Bauarij Religiosâ in veſte iubilantis lætiſſimus conſpectus: quem primum è Sociis in eam vrbem ingreſſum tanto tempore vel diuini verbi Præconem habuerant, vel Collegij Rectorem. Leonardum Leſſium non magis ingenij monumentis quàm virtutum famâ æternum, ex orbe toto conſultum pro oraculo, de Religiosâ vitâ iubilantem Louanienſes Socij fauſtis acclamationibus ſunt proſecuti. At celebrius nihil, quàm Religioſus Iacobi Stratij tum Præpoſiti Prouincialis Iubileus; per omnia quæ eo anno obibat celebratus Collegia publico priuatoque plauſu, duplici chronico ex verbis Regij Vatis expreſſus: *Hercanus, Coſterus, Bauarius, Leſſius, Stratius eum celebrarunt.*

IVbILeMVs Deo In eXVLtatIone.
eXVLteMVs Deo In IVbILatIone.

Numerales litteræ vigeſimum nonum huius ſæculi annum ſignant, qui integerrimo ſeni ab ingreſſu in Tyrocinium erat quinquageſimus.

Verùm quid immoramur vitâ functis? viuis potiùs gratulandum eſt.

Felices qui talem annum videre diemque! Virgil. in Ciri.

Viuant, viuant candidi ſenes; & quam ſuis ipſi laboribus per annos quinquaginta illuſtrauere Societatem, hoc Sæculari anno iubilantem ſpectent. Suo priuatim Iubileo addant publicum, gaudium verò plenum; pars ipſi lætitiæ magna futuri, qui laborum fuerunt: fidi teſtes earum rerum quæ magnâ ſæculi parte geſtæ ſunt. Viuant, inquam, & altero ſæculo æquè feliciter eam videant efflorescentem.

Te, te in primis, communis omnium Parens, Muci Vitelleſce, hîc commemorare locus admonet. Tibi iubila, tibi plauſus excitandi. Triplicis Iubilei terminos vnâ ætate complexus es. Si vigeſimum quintum Eccleſia Iubileum numerat; hic tibi à ſuſcepto munere totius adminiſtrandæ Societatis quintus & vigeſimus eſt. Si quinquageſimum Religioſæ vitæ celebramus Iubileum; hunc etiam limitem exceſſiſti feliciter. Si centeſimus à primâ origine Iubileus fuit; tuus, tuus eſt ante alios, hic Centeſimus Societatis annus. Primum te *Sæcularem Præpoſitum Generalem* omnis ſciet poſteritas, vt ſuos appellabat Roma *Sæculares Auguſtos*. Viue omnium noſtrûm voto, Pater deſideratiſſime; tria prudentiſſimi Neſtoris ſæcula triplici Iubileo adumbraſti. *Memorandus hîc in primis P. N. Muc. Vitelleſcus.*

DISSERTATIO SEXTA.

De ferali iubilo ſectæ Lutheranæ, eiúſq; oppoſito Societatis Iubileo.

Cur non iubilet Societas, quando ferale iubilum excitarunt Lutherani?

ADeſſe nunc velim qui oculis parum æquis fortaſſe noſtrum hoc adſpicient Sæculare Iubileum, nec ſine conuitio cauſſas requirent tanti apparatus. Ita homines ſunt: quæ noua, quæ magna apparent, traducunt ſermonibus; &, prout varia ſunt ſtudia voluntatum, probant, improbántve. Deſiſtent, opinor, ſi expenderint animo, quod ſuperioribus annis ingemiſcens Germania vidit, & Chriſtianus orbis exhorruit. Omnes iubilandi cauſſæ vt reliquis communes ſint, hæc vna Societati tam propria, quàm ipſa diuino conſilio aduerſus hæreſes obiecta eſt. Age, ferale iubilum expediamus.

Beyerlinck in Iubileo. Adam. Cõtzen in Iubilo Iubilorum.

Voluebatur annus nuper decimus ſeptimus ſupra milleſimum ſexcenteſimum: Lutherani impiæ religionis ſuæ ſæcularem numerauere. quòd primæ ſcilicet tum apparuêre ſcintillæ peſtilentis flammæ, quæ funeſto incendio Germaniam primùm, aliquot deinde vicinas Prouincias quaſi agente procellâ ſubitò peruaſit. Sæculum (quod felix fauſtum) ſæculum eſſe iactabant; ex quo nimirum Diuis hominibuſque infeſtiſſima gens Religionem auitam per nefas excuſſerat. Toties interim bellis ciuilibus exarſerat Germania: rebellium ſanguine & Albis ſæpenumerò & fluxerat Rhenus: omnem ferè Europam domeſticis permiſcuerant ſeditionibus, publica ipſi bellorum fax, & ſæculi noſtri communis Erinnys. Et tamquam re benè geſtâ Ludos celebrauere vertente ſæculo. Excitantur ad plauſum præcipuæ Saxoniæ & Germaniæ vrbes. ſpargitur in vulgus ſæcularis nummus. in cælum tollitur infamis impoſtor. omnia libris fora, carminibus theatra, muneribus domicilia, iubilo gaudioque vniuerſa perſtrepit Regio. Quæ, malum, iſthæc tam flagitioſa dementia? Næ ego ipſos inferos triumphaſſe exiſtimo ſuis victoriis, & feralibus ludis prætuliſſe facem. Et erit qui Ignatio, erit qui Societati IESV ſæculares plauſus fieri vel ægrè ferat, vel cum acerbitate miretur?

Nimirum de contemptâ Religione, de profanatis maiorum Sacris, de proſtitutâ caſtitate, de ruptis Votorum nexibus, de concitatis ad ſeditionem populis, de tot ciuilibus bellis magnâ alacritate iubilare licebit. de aſſertâ maiorum Fide, de propugnatâ Religione, vindicatâ Sacrorum reuerentiâ, procuratâ toties populorum ciuiumque concordiâ, de glorioſis laboribus ſuis, iubilare non erit conceſſum Societati? Satis, opinor, vel tacente me, maleuola retunditur criminatio.

Ignatius à Deo oppoſitus Luthero.

Conferamus tamen pedem, ſi placet; & quem æterno conſilio Luthero Deus oppoſuit, ſcripto quoque noſtro opponamus Ignatium. Apparebit prouidentia Numinis certiſſima exhibentis remedia præſentiſſimis venenis. Ita venenatis infeſta animantibus Africa, herbarum eadem efficaciſſimarum ferax eſt. Neque è cauernis ſerpentes antè prorepere natura patitur, quàm inimica illis fraxinus frondere cœperit; cuius

cuius flores anguium morſibus certa medela. Eadem in hæreſibus fieri tot ſæcula dicent, quot naſci nouas vidêre. Quid ego hîc prima Eccleſiæ tempora commemorem? quid oppoſitum diuinitus Simoni Mago Simonem Petrum, Neſtorio Cyrillum, Arrio dignum magno nomine magnum Athanaſium? An fortuitò Iouiniano, Heluidio, Vigilantio obiectus Hieronymus? An caſu retudiſti, Auguſtine, Manem atque Pelagium? quando non ſine numine Diuûm contigit, vt eodem die hic in Angliâ, tu in Africâ naſcerere. An ita fors tulit vt in Tanchelinum inſurgeret victor Norbertus? vt in Albigenſes moueret arma Dominicus, vt Franciſcus adeſſet, vt vnà cum ſuis egregius vterque pugil dimicaret & vinceret?

Nec diſſimilia de Ignatio atque Luthero obſeruauere doctiſſimi homines. Quid, quòd eodem anno ſuperioris ſæculi vigeſimo primo (à quo meliùs ſæcularem ducere Lutherani poterant) quo, adultâ iam nequitiâ, palàm Eccleſiæ bellum indixit Lutherus; læſus in Pampelonenſi arce Ignatius, alius ex vulnere fortiorque, quaſi defendendæ Religionis ſignum ſuſtulit? Lutherus Petri ſedem probris conuitiiſque laceſſere aggreditur: Ignatius, quaſi ad ſuſcipiendam cauſſam, à B. Petro prodigioſè curatur. Lutherus irâ, ambitione, libidine victus, à Religioſâ vitâ ad profanam deſciſcit: Ignatius Deo vocanti impigrè obſecutus, à profanâ ad Religioſam tranſit. Lutherus cum ſacrâ Deo virgine inceſtas nuptias init ſacrilegus: perpetuo continentiæ voto ſe aſtringit Ignatius. Lutherus omnem Superiorum impudenter contemnit auctoritatem: prima Ignatij monita ſunt, plena Chriſtianæ demiſſionis, ſubeſſe & parêre. In Sedem Apoſtolicam furentis in morem declamat Lutherus: illam vbique tuetur Ignatius. Ab eâ quotquot poteſt Lutherus auertit: quotquot poteſt conciliat, reducitque Ignatius. Aduerſus illam nituntur omnia Lutheri ſtudia atque conatus: Ignatius ſuos ſuorumque labores peculiari voto illi conſecrat. Lutherus ſacris Eccleſiæ ritibus venerationem cultumque detrahit: Ignatius omnem illis reuerentiam aſſerit; Miſſæ ſacrificio in primis, Euchariſtiæ, Deiparæ, Tutelaribus Diuis, & illis tanto Lutheri furore impugnatis Pontificum Indulgentiis: in quibus nouo ſemper inuento celebrandis Ignatij Sociorumque deſudat induſtria. Et Luthero tamen præ Ignatio, illi Germaniæ probro, Epicuri porco, Europæ exitio, orbis infelici portento, Dei atque hominum odio, benè decretum fuiſſe cenſebitur Iubilum ſæculare? Sed reliqua perſequamur. vtriuſque enim videnda ſunt vno ſæculo incrementa; quoniam ea tantopere iactant Lutherani.

Ignatij & Lutheri facta contraria.

Non niſi partem Europæ Lutheri dementia attigit: totam omnino inſtituta ab Ignatio Societas IESV peruaſit. Illa nec Alpes nec Pyrenæos montes ſuperare vmquam potuit: hæc prima à noſtris hominibus occupata præſidia ſunt, quaſi vitales corporis & præcipuæ partes. Itaque per Italiam, per Hiſpaniam omnem ac Luſitaniam, primo ſtatim ortu tamquam ſubita quædam lux Socij diffuſi: quò Lutheri ſecta numquam penetrauit. Ad Septemtrionem hæreſis dominari ſe poſſe credidit: at illam vbique Societas perſequi, confirmare Catholicos, excitare languentes, vacillantes manu tenere, lapſos erigere, hæreticis

Ignatij maiora quàm Lutheri incrementa.

eſſe terrori, voce ſcriptiſque conuincere: vt teterrimos hoſtes Ieſuitas (ſic appellabant) ſuis maximè cœptis officere palàm indignarentur: tantis vbique, tamque felicibus rerum noſtrarum incrementis, vt moriens ingemiſceret Melanchthon (ſiue vero animi dolore, ſiue per conuitium) orbem vniuerſum breui Ieſuitis implendum.

Adde: quæ in Germaniam, Galliam, Angliam, Belgium procella deſæuiit, noua ſemper hæreſis fuit, ſibi ſemper diſſimilis, & nihil minùs quàm Lutheri proles; cur ſua vocant, aliarum peſtium incrementa? quàm multa, quàm infeſta inuicem, alia ex aliis exorta ſunt capita! execrata parentem progenies, quæ & ab illo, & à reliquis, & ſecum ipſa diſſentiret, non minùs quàm illa ſubitò nata è Colchici draconis dentibus militia.

Non Lutheri incrementa miraculum ſunt; Stapletonus in Vitâ c. 13.

Et miraculo tamen, ſi placet, adſcripſere, tantos ad Lutherum tam breui tempore factos eſſe concurſus. At Thomas Morus Martyr inclytus reſpondiſſe fertur, homines ad propoſitam vitæ libidinoſæ licentiam effrenes ruere, eamdem habere ſpeciem miraculi, quam quòd ſaxa deorſum cadant. Ita olim Calliſtæ meretrici, ſuorum iactanti numerum ſectatorum præ paucitate auditorum Socratis, idem philoſophus dixerat: *Ego adſcendo, tu deſcendis.* ſe videlicet per prærupta niti, & in arduum ducere virtutis adſcenſum, quò non niſi pauciſſimis ſequi lubet: illam verò facili deſcenſu pronam ferri in vitia atque libidinem, in quæ ſponte ſuâ abiecti mortales non magnis indigent ad ſequelam hortamentis. An non ſimile Lutheri miraculum fuit?

ſed Ignatij.

At Ignatio homines à libidine, à luxuriâ, à voluptatibus corporis, à peccandi dulcedine ac libertate abſtrahenti; ardua, dura, corpori moleſta, vulgo exoſa ſuadenti; tot tam breui tempore adhæſiſſe ſectatores, doctrinâ illuſtres, genere nobiles, ſpretis opibus clariores; tantam ex iis ſubitò conflatam eſſe cohortem, quæ toto orbe diuideret vires; vbique vnam & eamdem, ſibique in omnibus ſimilem; ſub vno capite, duce, moderatore, pro vnâ fide & Eccleſiâ coniunctiſſimis animis pugnantem; vnoque ſæculo infinita propemodum millia animarum, vel è Gentilium tenebris, vel hæreticorum fraudibus, vel cœno vitiorum expedita, ab æterno ſeruaſſe exitio, & intuliſſe cælo; id verò prodigium, id miraculum eſt, id iubilo dignum.

Nec Lutherus exceſſit Europam.

Quamquam quid tam operosè vtriuſque incrementa compono? Vtcumque ſua magnificè extollant Lutherani, non exceſsêre Europam. En quas iactet anguſtias impura religio, præclara iubilandi cauſſa. Societas IESV vix nata, Europæ finibus egreſſa, in Americam, Aſiam, Africam primo ferè atque eodem tempore penetrauit. Legant ſecundâ huius Operis parte excultam à nobis in Americâ Braſiliam, Peruuiam, Cubam, Mexicum, Chilen, Paraquariam: in Aſiâ Cambaiam, Mogor, Ormuſiam, Goam, Commorinum, Oram Piſcariam, Malabar, Trauancor, Malacam, Moluccas, & illam tot Martyrum ſanguine rigatam Iaponem, atque illa Sinarum ampliſſima ſeptemdecim Regna: in Africâ Congum, Angolam, Mozambicum, Monomotapam, Æthiopiam, ſeu Preſte-Iannis ſchiſmatici Regnum, aliaſque vaſtiſſimas regiones. ipſa ſummatim nomina recenſere longum eſt. An non ſimul Orbem vniuerſum ſuis laboribus complexa Societas?

I nunc,

I nunc, & Lutherum tuum compara, quiſquis es, & iubilandi cauſſas habere te crede. Non hæc peragrata dumtaxat, ſed Chriſtianis ſacris exculta ſunt Regna: nec exculta curſim; ſed plurima fixis ſedibus, multa etiam integra CHRISTO adiuncta. Vnius Xauerij induſtria hæreticorum omnium conatibus opponi poteſt. plus virum hunc pro Chriſtianâ republicâ egiſſe, quàm Lutheri aſſeclas omnes, Bozius ſcripſit. Ille igitur maiorum noſtrorum hactenus campus fuit, Orbis vniuerſus. hîc fluxit quotidie ſudor, ſæpiſſimè ſanguis.

Hæ iubilandi nobis cauſſæ ſunt. hæc Sæcularis anni trophæa tuis detracta aſſeclis, erepta inferis; quæ tibi, Luthere, tuoque opponimus Iubilo ferali. In te Diui omnes hominesque erant incitandi: tu probris maledictiſque vexandus, tu è memoriâ poſteritatis tollendus omnino. Deo immortali, CHRISTO duci, victrici Eccleſiæ, ludi erant conſecrandi, dicendæque gratulationes, de reſeruato in hæc tempora conceſſoque diuinitus Ignatio, de fortiſſimâ illius cohorte, quæ toto iam ſæculo inuicta, ſempiternum ſibi bellum cum tuâ impietate profitetur eſſe ſuſceptum. *Nobis igitur potiùs iubilandi cauſſæ.*

DISSERTATIO SEPTIMA.

De Librorum ſerie, argumento, ſtylo; Operis varietate.

EXpoſitâ origine cauſiſque Iubilei Sæcularis, quoniam de inſtituto Operis ſuperiùs egimus, ſupereſt de librorum ſerie pauca dicamus. Sex in partes diſtributa ſunt omnia: &, quoniam Imaginem primi ſæculi damus, totidem aut ſpectacula aut ludi vocari poſſent, quibus identidem ſua miſſilia ſubiunguntur Romano more. Vltima Belgicæ noſtræ propria eſt, ac ſingularis: quinque reliquæ vniuerſæ Societati communes. earum inter ſe ordo nec fortuitò, nec caſu ita digeſtus; ſed vt Societas (quoniam ad Seruatoris IESV gloriam nata eſt atque adoleuit) quemadmodum ceteris in rebus, ita & in hoc Opere ætatis ab eo inter mortales exactæ ſit imago. *Series Librorum.*

Initium Operis Societatis incunabula continet: tenuia quidem illa, ſed eò magis Auctori ſuo ſimilia. Quis credat, in ſpecu, latibulo boum, æterni Patris inchoari conſilia? quis à Virgine Deum, quis à Bethlehem tenui vico Seruatorem orbis exſpectet? Age, quis à milite rudi, quis à vulnerato victoque pertimeſcat exercitum? Primus illum Liber educet, auſpice IESV fortiſſimo duce, cohortem adlegente MARIA. Strictim tamen omnia, vt quæque memoriâ maximè digna videntur. vt ne actum agere (ſunt enim hæc Annalium noſtrorum prodita monumentis) ſed vnum ſub adſpectum (quod initio monuimus) Societatis vniuerſæ tam egregiam molem, breui quaſi in tabulâ pictam, aut velut in theatro ſpectaculum factam mundo, Angelis & hominibus, exhibere videamur. *Argumentum Libri primi:*

Altero deinde Libro auctior illa creſcenſque deſcribitur, non Vrbis mœnibus, non Italiæ coërcita finibus; ſed egreſſa vltra Oceani littora, emenſa Hiſpaniam, peruagata Luſitaniam, in Gallias, Germaniamque *Libri ſecundi:*

& Belgium noſtrum primo ſtatim ortu diffuſa. Quid? quòd & in extremos Indiæ fines, Æthiopum gemina Regna, Americæ ignotas antiquitati latiſſimas peruadens regiones, quaſi ſuccensâ tedâ paſſim obuia quæque corripuit, nullis cohibita terminis, nullis circumſcripta limitibus, vltra orbem ſuum, alium etiam (quod veteres de Alexandro) mente complexa. Neque hîc Auctori ſuo diſſimilis; cuius vix nati fama longè lateque percrebuit, & ab vltimâ Arabiâ cum muneribus Reges exciuit.

Libri tertij: Sed & Seruatoris exemplo magna iam tum agere Societas didicit, animo maiora complecti. Qui, Deus immortalis, aduerſus hæreticos, quantique conflictus! qui in erudiendâ iuuentute, confirmandis docendiſque populis, gentibus CHRISTO iungendis, & quàm perpetui vtique terrarum exacti labores! Tertij Libri id argumentum. In quo verò propiùs accedis ad IESVM, ô magnorum auctor facinorum glorioſa Societas? illum ſol exoriens per agros vrbeſque mira ſpectabat agentem, occidens idem relinquebat operibus îſdem quotidie propè diſtentum.

Libri quarti: At enim numquam magna virtus ſine inuidiâ eſt. in inſontem IESVM quanta incubuit! Sequens igitur Liber tempeſtatibus procelliſque pleniſſimus, ſcopulos inter obtrectatorum, inuidorum ſyrtes, maledicorum horribile murmur, fruſtrà frendentibus hoſtibus Caluiniſtis, Lutheraniſque furentibus, amicis triſte naufragium ſæpè formidantibus, incolumem Deo duce ſiſtet in portu: eò Seruatori ſuo ſimilem magis, quò pluribus exercitam caſibus, glorioſam periculis, vulneribus formoſam, profuſo ſanguine nobilem.

Libri quinti: Vti autem plerumque accidit, vt magna virtus vincat inuidiam; & id denique videatur admirabile, quod neque nutauit concuſſum, neque timuit oppugnatum, neque expugnatum propemodum, exhorruit: ita Societas ipſis ab ærumnis, quaſi fortitudinis notis decoriſque cicatricibus, excelſior in admiratione eſſe, multis etiam in amoribus cœpit. adeò vt dubium ſit, ſuâne domi magis gloriâ perſtrinxerit hoſtium oculos, an palàm ærumnis & ſanguine rabiem pauerit. Quintus igitur Liber, præter domeſticas clarorum doctrinâ & innocentiâ vitæ Patrum iam vitâ functorum laudes, inſuper decreta Pontificum, immunitates, virtutum præmia, conſulta Senatuum, Regionum & Vrbium approbationem, clariſſimorum toto orbe virorum præclara teſtimonia dabit in lucem. eò iam aduerſariis, qui maximè hæretici ſunt, formidoloſa magis, quò pluribus Regum, Principum, gentiumque munita præſidiis. Et verò num & in hac gloriâ IESVM refert? Refert ſanè, ni fallor. quid enim? qui pependit à cruce, quâ demum gloriâ à leto rediuiuus emicuit! qui tamquam mortalis naturæ conceſſerat, ſupra naturam immortalis reuertit; & glorioſus victor adſcendit ad Patrem. ille, inquam, qui omnium aliquando poſt homines natos calamitoſiſſimus, in cælo nunc maximus, adoratus in terris, inferis ipſis debellatis formidoloſus. Quippe vti virtutis comes inuidia eſt, ita inuidiam deuictam ſequitur gloria; eò maior, quò infeſtior illa premebat ardentiùs.

Poſtre-

Poſtremus res geſtas in Belgicâ noſtrâ complectitur: quæ quidem vt terrarum non adeò magna portio ſit, non minimam tamen Societatis continet laudem. Paruo ſpatio virtus egregia magnum ſui ſpectaculum præbet. In Pontico freto debellatus eſt Xerxes, nec Alexandri gloriæ montium fauces obfuere. pro Italiæ angulo per duo ſæcula Vrbs Roma luctata eſt. Et verò celeberrima pacis ſtudiis, Marte celebrior Belgica, non ſuos modò Belgas, ſed Europam pænè totam (abſit inuidia verbo) iam hominis ætatem & ampliùs, necdum tantâ varietate nationum deformata, complectitur. In hoc Martio campo, cote virtutis, fortitudini noſtræ patuit area. hîc Societas vix nata è veſtigio innotuit, mox adoleuit, dimicauit egregiè, vulnera accepit, ſanguinem miſit: & quod Societas vniuerſa præbere poſſit, id pænè omne Belgica vna exiguis terminis ſuis videtur eſſe complexa. Hæ ſunt inſtituti Operis præcipuæ partes. *Libri ſexti.*

Iam verò, vt Sæculari anno lætum canamus fauſtumque Pæana, neque ſterilis placuit neque nuda narratio; quando nec ludorum apud Romanos amœnitas abſque miſſilibus fuit exhibita. Quid enim? qui hiſtoriæ ſcribendæ incumbunt, ſi Imperatorum hortationes, Senatuum conſulta, militum plauſus referre conſueuerunt, non quòd res eæ ſic geſtæ ſint, verùm vt ſua ſit Lectori voluptas; ſi Thucydidi licuit interdum breuia carmina admiſcere; nobis in gratulationibus vſitatum morem, in hominibus vulgi ingenium ſpectantibus, cui omnium mox rerum ſatietas ſit, vt inquit Iſocrates, quantò æquius viſum, emblemata, carmina, orationes, velut miſſilia quædam interſerere, & quaſi de roſis ſertum, violis, narciſſis, hyacinthiſque, ceu minoribus floribus, intexere? Et verò à quibus iſta potiùs, quàm qui profitentur litteras quæ ab Humanitate nomen inuenere, exſpectes? *Ne nuda ſit narratio, adiuncta carmina,*

Nec de poëmatibus erit, credo, qui diſſentiat. de orationibus forſan non-nemo mirabitur. At nos veterum inſtituta ſectamur. An non maiores ſuos Romani laudare ſoliti pro roſtris? milites apud Thucydidem quàm grandi oratione Pericles pro patriâ interfectos, Demoſthenes Tulliuſque quantâ facundiâ exornauere! nimirum, vt quos fortiter cadentes aliquis operuerat terrarum angulus, forenſi collocarentur in luce; & diſertiſſimis inſculptum verbis, Pario marmore auguſtius in animis ciuium haberent monumentum. *item orationes,*

Accedunt emblemata, ceu rerum quædam ſimilitudines, ſiue, rurſus veterum exemplo, maiorum res geſtas incidentium æri; ſiue Ægyptiorum potiùs, qui hieroglyphicis vſi arcana quæque poſteritati tradidere. Ne tamen hîc ſupercilio triſti ſit Lector, qui ſingula ad rigidam normam accuratiùs exigat; neque animata relêget ab emblematis, neque compoſita. ita enim placuit admiſcere diuerſa; & verò in eiuſmodi rebus arbitrariam eſſe video doctorum indoctorumque ſententiam. Quare nec animantes, nec verò fabulas hiſtoriaſque ſecludimus: ſcimus enim & hæc placuiſſe non paucis. multitudini Scriptor, non pauculis hominibus, ſeruire contendat. *& emblemata:*

Si quid expolitum minùs videbitur, minuſque elaboratum; ſic habeto: & tempus fuiſſe breuiſſimum vix ſemeſtris vnius, non tantùm elucu- *omnia vno ſemeſtri.*

elucubrando huic Libro, ſed etiam typis excudendo præſcriptum: Scriptores verò eos, quos aut ad concionem dicere, aut litteras docere, aut aliis Societatis muneribus implicari ſimul oportuit. Oleum igitur magis nocturnaſque Mineruæ agitationes, & ereptas quotidianis negotiis horas redolere, quàm otioſum Lycæum Tuſculúmve, neceſſe eſt. Diſſimilem ſcriptionis characterem Auctorum varietas fecit: neque diſplicebit opinor. Solet enim plerumque iucunda eſſe mutatio, & ingeniorum placere diuerſitas.

Votum pro Societatis incolumitate.

Nunc te, Deus Opt. Max. cuius vnius honori omnis hic noſter deuotus eſt labor; nec te minùs, Optime IESV (quo enim potiùs te nomine appellet minima noſtra Societas, Optimum experta Parentem iam naſcens, adulta Ductorem, impugnata Propugnatorem Seruatoremque; quam tuo nomine inſignire tibi placuit, vt libertos eſſe nos tuos, ſocioſque in ærumnis, memores ſimus?) te, inquam, Optime IESV, tuamque appello ſuauiſſimam Matrem; ſi Marianæ gloriæ domi tot defenſores, tot apud exteras gentes propugnatores, tot vbique terrarum aluit ſtudioſos; ſerua cohortem tuam æterno tibi adſtrictam ſacramento; pugnaſque inter & victorias, proſpera inter & aduerſa, tuo in obſequio *annare* fac & *perennare*. Vos autem duo ſidera Coſma & Damiane, minimæ Societatis magni Tutelares; tu etiam, ſi placet, & placebit omnino, ſanctiſſime Pater Ignati, Franciſce Xaueri, Borgia, Aloyſi, ceterique illuſtres è Societate Heroës (& precor id vnus quod vniuerſi) boni conſulite hæc in vos ſtudia noſtra; quibus veſtra facinora laudare viſum eſt, totique æternitati imitanda relinquere. Viuite ſacratiſſimi Manes, & Sociis veſtris, per calcata vobis veſtigia euntibus, ne æternùm fauere & præeſſe deſinite.

Vnum iam supereſt: quoniam hæc Prolegomena ſecuturis (vt ita dicam) ſpectaculis ludiſque proloquuntur, ne à reliquo opere diſſideant, vt ſua illis miſſilia ex oratorio poëticoque penu deprompta ſubiungamus.



EXER-

EXERCITATIO ORATORIA.

GRATIARVM ACTIO DIVINÆ BONITATI *pro fundatâ Societate, & fausta apprecatio, vt Societas crescat annis & virtutibus.*

Secundùm dies ligni erunt dies populi mei, & opera manuum eorum inueterabunt. Isaiæ 65. v. 22.



SI, quàm prona est ad conferenda beneficia diuina benignitas, tam prompta foret ad referendas gratias humana facultas; esset cur sperare possemus, quos ipsa fecit dignos beneficiis, eosdem fore officiis non ingratos. Tametsi non est quòd nos deterreat ipsius prolixæ in nos liberalitatis magnificentia. cui satis est, vt grati simus pro acceptis beneficiis, acceptorum meminisse; nimis quàm satis, quorum meminerimus, eorum multitudinem recensuisse commemorando, magnitudinem dicendo extulisse. Quid igitur procliuius, quàm illi gratum esse, qui interpretatur tum relatam gratiam sibi debitam, cùm debere te noueris? quid facilius, quàm illic ingrati animi non inuri maculam, vbi voluisse reddere pro collatis meritis, est noui meriti conferendi illecebra? quid expeditius, quàm illic nomina expedire, vbi debiti solutio, est accepti confessio? Quare insignis esset stupor, illi, à quo plura quàm sperare, maiora quàm optare posses, vel, si posses, quàm auderes, accepisti, quantum debeas ignorare: summa impudentia, cùm debere te noueris, palàm non profiteri: grauissimum flagitium, cùm nec ignorare possis, & profiteri debeas, nolle gratias referre; quarum relatio haud sanè sit difficilior, quàm ipsorum acceptio beneficiorum. Porrò ne quis me horum criminum vel arguere vt ingratum, vel insimulare vt impudentem, vel condemnare vt impium iure possit; dabo operam, non quidem vt ea, quæ vnius ætatis curriculo Deus immortalis in Societatem vel ad ornamentum vel ad præsidium contulit, quanta sint ostendam; sed vt, professus esse quàm amplissima, vbi beneficiorum magnitudinem assequi non possum, ibi saltem gratitudinis debitum ingens, & cui minimè soluendo simus, reuerenter agnoscam. *Gratiæ Deo pro beneficiis reddendæ.*

Secundùm dies ligni erunt dies populi mei. Liceat hîc mihi existimare, cùm hæc Isaias vaticinando prædiceret, non modò in fidelem Dei populum & Ecclesiam, instar ligni propter flumen consiti vernantem, mentis aciem intendisse; verùm etiam respexisse ad Ignatium, & Ignatij Familiam, & Familiæ Socios, & Sociorum præstabilia opera, & operum denique diuturnitatem nullâ vnquam ætate labefactandam. Quid enim? an non Societas videri potest illud lignum, arbor illa, quæ necdum vnius sæculi vetustate corroborata, non sensim ac pedetentim serpere, sed simul ac semel, quaquà porrigit terminos orbis, patulis diffusa

ramis omnes vbique terrarum regiones cœpit opacare? Arborum nulla est, aut plantarum, quæ non aliquod habuit incrementi sui spatium; in hac vnus annus fuit inter minimam stirpem & maximam arborem, priùs vt inuenta sit matura ad fructum, quàm ad vsum sciretur idonea. Enimuerò vixdum Romæ sata egerat radices, cùm vltra vastissima Oceani spatia stirpe propagatâ, visa est repentè illic non crescere vt arbor, sed velut arbustum, vt ita dicam, siluescere. Miratur quis plures Americæ partes velut extra orbem positas, paucissimis abhinc annis in communem Christiani orbis ambitum reductas? miratur inueteratam tot sæculis barbariem ex vltimâ Barbariâ exterminatam? apertas sanctissimæ Religioni nostræ terras illas, quas mortalium oculis per tot ætates natura subduxerat? referat hoc in acceptis Nobregæ, Azpilquetæ, totque impulsis Apostolico spiritu viris, atque in primis Thaumaturgo illi Iosepho Anchietæ; de quo Præsulum primus in Orbe nouo Petrus Leitanus solenne habebat dicere, Societatem in Americâ annulum esse aureum, annuli gemmam esse Anchietam. Gaudet quis non eos tantùm qui infelici naturæ conditione miserrimam seruiebant seruitutem, sed & nobilissimos sanguine Proceres, clarissimos diademate Imperatores, coronatos vertices, humeros purpuratos in Africâ suauissimo CHRISTI iugo submisisse? gaudet macrum illud & sterile Æthiopiæ solum disperso nuper Fidei semine virtutum frugibus cœpisse efflorescere? agnoscat hîc Ouiedi, Paëzij, Barrerij, Siluerιæ curas; agnoscat Ignatij ipsius & Societatis vniuersæ inde à sui principio pro Abassinis studia, nec laborum oppressa mole, nec sinistris successibus & frequenti votorum frustratione retardata. Nam quid in alias nunc mundi oras deferatur oratio? Iaponiam certè non prætermittam tacitus, per cuius sexaginta sex Regna quanto fructu ramos suos hæc arbor extenderit, facili coniecturâ quiuis assequetur, si dixero, pluribus annis magnum illum Indiarum Apostolum, Fideique satorem Xauerium istic sementem fecisse. Cuius viri vberrimos fructus in aceruum si cogas, dices eum non vnius arboris fuisse surculum, sed multarum arborum seminarium. Nec cum vitâ finitæ sunt eius pro Oriente curæ. Amplissimum Chinarum Regnum, tot retrò sæculis clausum humano commercio, quod viuus penetrare non potuit, nunc tandem è cælis Christiano patefecit imperio. Nuper enim fidelissimis nuntiis intelleximus, Chinarum Imperatorem inania Numinum simulacra omnia è Larario suo proscripsisse. Quid affinius ad fidem Christianam capessendam, quàm eò adscendisse, vbi, si progrediatur, proximus gradus est, Catholicum esse? Sed mihi per alias regiones fructus colligenti ante oculos obuersatur illud frugiferum solum, in cuius gremio hæc arbor primùm sata est; quod illam suo, vt cresceret, succo aluit; vt floreret, calore fouit; vt propagaretur, adminiculis fulsit; Europa, quæ me suâ fecunditate ad sese rapit, & alia terrarum sola deserere hortatur. Non possum in hoc campo, in quo ob immensitatem exultare possit oratio, figere vestigium, si reliqua prosequi consilium fuerit: hîc enimuerò tanta suggeritur dicendi silua, vt magis vbi desinere possim, quàm vnde incipere

Societatis fructus in Europâ.

pere debeam, ſit mihi laborandum. Quare ſummam omnium fru-ctuum in medio ponam, quæ tantum habet ipſa vbertatis, vt neque mea, quæ nulla eſt, neque cuiuſquam, ad inflammandos animos elo-quentia requiratur. Hæc publica eſt totius propè Europæ vox, hic communis eſt plurimorum ſenſus, euerſa in Europâ dæmonum ca-ſtella, exterminata è ſcelerum cubilibus monſtra, reuocatas ab exilio virtutes, Muſas à funere excitatas, doctrinam ſcholis reſtitutam, in-fantes è plano Chriſtianis præceptis imbutos, pueros pietate in templis informatos, iuuenes in gymnaſiis moribus expolitos, viros è ſuperiore loco Chriſtiani officij admonitos, vſum Sacramentorum primo vigori frequentiæque reſtitutum: hæc omnia tam præſtabilia, tam exquiſita opera, magnâ ex parte, ad huius arboris fructus pertinere; ſiue, quod perinde eſt, Dei clementiſſimi eſſe in Societatem beneficia: cuius bene-ficentia ſecum quodammodò certat, & collata beneficia conferendis ſuperare contendit. Nunc verò, ſi non minùs conſeruatæ ſalutis, quàm acceptæ eſt beneficium; quòd ſalutis conſeruatæ, quia præteritis peri-culis ereptæ, certa eſt voluptas; acceptæ verò, quia futuris caſibus ad-huc expoſitæ, certus eſt metus; profectò quoniam Deo immortali, quia illo auctore hæc arbor ſata eſt, infinitis nominibus obſtrictos nos agnoſcimus, neceſſe eſt illius benignitatem memoriâ ſempiternâ proſequamur, qui eamdem ab infeſtiſſimis hoſtibus, ne exſtirpare-tur, ſuo præſidio; à peſtilentiſſimo inuidiæ afflatu, ne ſideraretur, ſuo fauore; à maledicentiæ fulminibus, ne ambureretur, ſuâ clemen-tiâ; à turbulentiſſimis perſecutionum tempeſtatibus, ne euerteretur, ſuâ prouidentiâ conſeruauit. Quidquid potuit vel inuidia obtrecta-tione, vel odium maleuolentiâ, vel calliditas dolis, vel audacia im-portunitate, vel iracundia furore; hoc totum, vt hanc ſtirpem in ſuo ſemine opprimerent, collegerunt. Lutherus (quo venenum ſuum ſpargere latiùs incipiente hæc arbor pullulare cœpit, quaſi ad prorepen-tem è latebris ſuis ſerpentem nouam Deus palmam produceret) Luthe-rus inquam, & quotquot in eius partes ſua vel libido vel furor at-traxit, hanc nouellam plantam primùm pubeſcentem, ſtirpitus euel-lere totis lacertis; deinde peſtifero Caluini ſpiritu afflati populi, iam efflorеſcentem, ſeueriſſimis edictis, iniquiſſimis proſcriptionibus, crudeliſſimis ſuppliciis, tamquam turbine aliquo, aut tempeſtate euertere; tandem adultis iam radicibus confirmatam, iniectâ ſecu-ri exſcindere, omnes vbique Chriſtianæ Religionis hoſtes velut ſi-gno dato contenderunt. at illa, contra lacertos firma, contra tem-peſtates ſolida, contra ſecures dura, egit radices altiùs, extulit trun-cum ſublimiùs, diffudit ramos latiùs, protulit fructus vberiùs. Sed quorſum iſta? nimirum vt intelligant omnes, hos, quos in cumulum congeſſi, huius arboris fructus, hæc, inquam, tam multa numero, tam rara nouitate, à Societate geſta facinora, eſſe in Societatem à Deo col-lata beneficia. Quæ profectò tanta ſunt, vt ad eam partim cumula-tiſſimè adornandam, partim fideliſſimè conſeruandam, Dei beneuo-lentia & prouidentia conſpiraſſe videatur. Hæc igitur tot, tantaque bona, quot quantaque accepiſſe ſupra votum eſt hominis, nos, ſi

Deus Societatem à multis periculis liberauit.

grati esse velimus, Deo accepta ferre decet: imò, ne ingrati simus, oportet. Quod vt fiat, exemplo erit Naaman Syrus, qui labe & contagione lepræ Iordanis âquis elutâ, ne sibi labes animi, quæ nullis manibus elui potest, aspergeretur ex ingratitudine, petiit ab Eliseo exiguam illius terræ, in quâ corporis ei reddita fuerat integritas, particulam; quam deinde secum in Syriam deuexit, ex eâque, ne quis tanti beneficij obliuioni locus esset, locum plenum religione effecit, cuius tacito adspectu, ad illius, quod susceperat, beneficij memoriam excitaretur. Quo nomine hunc locum appellabo? an, quia beneficij eum monebat, memoriæ monumentum? an quia obliuisci non poterat, obliuionis sepulchrum? Vtrumque illi consonat; vtpote qui non poterat à suo auctore adspici, quin cogeretur meminisse beneficij; nec huius poterat meminisse, quin idem obliuioni esset insepultum; neque insepultum esse poterat, quin obliuio eiusdem sepeliretur. Non opus est nobis peregrinæ & hospitis terræ portione ad refricandam beneficentiæ diuinæ memoriam: nemo enim tam hospes est in Societate, quin intelligat; nemo tam cæcus, quin videat; nemo tam ingratus, quin agnoscat, se diuinis beneficiis vndique septum: ita vt illorum memoriam perdere, maior sit labor, quàm delere, crimen.

Gratitudo commendatur exemplo Naaman.

Quapropter, vt qui bonorum omnium, quibus cumulati sumus, es principium, idem sis & orationis nostræ, quâ tot bona, quibus nos exornasti, recensuimus, finis: non eadem nobis mens est quæ Furnio, qui cùm parenti suo Antonianas partes secuto veniam à Cæsare Augusto impetrasset, *Hanc vnam*, inquit, *habeo iniuriam tuam, Cæsar, effecisti vt viuerem & morerer ingratus*. Alia nostra vox erit: Hæc tua est, clementissime Deus, non illata nobis iniuria, sed collata gratia, quòd non, vt ingrati viueremus, effeceris; sed, vt grati & viueremus & moreremur, coëgeris. Sed cùm tua exuberantis in omnes liberalitatis amplitudo in eo fastigio sit collocata, vt semper beneficia distribuat, numquam desideret; superest, vt nemo in te nisi conscientiâ possit gratus esse. Quare cùm numquam tibi gratiam referre possimus, illud certè non desinemus vbique profiteri, nos referre non posse. Tu interim, cui tam est insita beneficentia, quàm hominibus propria egestas, vt tuis beneficiis faueas, precamur; tantisque muneribus addas in omnes annos, lustra, ætates consequentes, perpetuitatem: vt quo auctore hæc arbor in arce orbis terrarum sata cœpit crescere; eodem fautore pergat florere, sibi ad fructum, aliis ad salutem, tibi ad gloriam sempiternam.

HOROSCOPVS SOCIETATIS IESV, NASCENTIS DIE FESTO SS. COSMÆ ET DAMIANI.

DVobus hominum vaniſſimorum generibus iure merito indignatur Chriſtiana ſapientia. Alterum eſt eorum, qui, cùm ſe peritos natalium iactent, naſcenti cuique ſidus aliquod fatale præficiunt; cuius ſideris vis ac numen infantium ætatibus tempus, moribus genium, cupiditatibus impetum, felicitati aut calamitati ſucceſſum, morti terminum tam certum imponat ac figat, vt nihil inexpugnabili decreto illius, & pluſquam ferreæ neceſſitati poſſit obſiſtere. Alterum genus credulitatem ſuam Planetariorum (vt eos B. Auguſtinus appellat) fallacibus commentis accommodat, & eorum ſomnia pro oraculis, errantes ſtellas pro ducibus, vanitatem pro veritate, pro religione ſuperſtitionem ſuſcipit atque admiratur. Vtrorumque nobis eſt damnanda vecordia. Illi enim fallunt, hi falli cupiunt: illi ſcientes mentiuntur, hi mentientibus credunt: vtrique verò vnanimi conſenſu profitentur, à fortuitâ ſiderum conſpiratione, placitisque ſtellarum, humanæ, id eſt liberæ, mentis rationes affectusque pendere; & has eſſe Parcas, quæ ſubeuntibus lucem mortalibus rerum omnium futurarum fata diſponant. At quantò ſalubriùs, quantò religioſiùs, homines CHRISTO initiati, exploſis Chaldæorum deliriis, cùm quis in hanc vitam naſcendo ingreditur, obſeruarent, non, quæ tum ſtella cælo præſideat, ſed quis Cælitum ſtellis imperet; quæ Beatorum, non quæ Planetarum ſigna fulgeant; non quid terror minetur aſtrorum, ſed quid Superorum fauor ſpondeat; quis Cælicolarum fortunet, non quis dæmonum funeſtet momenta temporum; cui Sancto, non cui ſideri, ſit ſacer dies? Chriſtianum eſt, naſcentibus Præſidem aliquem ex faſtis petere: non Venerem, ſed Virginem; non Martem, ſed Martyrem; non draconem aut canem, ſed Angelum lucis. Chriſtianum, natalis diei lætitiam non ad ſiderum ordinem, ſed ad cæleſtium animarum referre tutelam. Inter Chriſtianos, quemadmodum Sancti adſunt, ita par eſt vt præſint naſcentibus, & natales hominum, quos imperio regunt, virtutibus, gratiis ornamentisque diuinis augeant & locupletent. Atque hic eſt myſticus & ſacer horoſcopus; quem indagare tutum, iucundum inſpicere: de quo pium ac ſanctum eſt identidem cum ſpe bonâ, non cum formidine recordari.

Horoſcopi inſpectio damnata; rectè fiet ſi, quis Sanctus natali præſit, obſeruetur.

Neque verò, quando natalem Societatis IESV intueor, aliorſum me reſpectare fas eſt, quàm ad vos, decora Martyrum, exempla fratrum, Medicorum principes inclyti, COSMA & DAMIANE. Quàm fauſto enim omine iam centum abhinc annis ſacer honori veſtro dies, naſcenti tum primùm Societati affulſerit, teſtatur modò centeſimus eiuſdem Societatis natalis, ab ipsâ vehementer exoptatus, ab IGNATIO eius conditore iam olim præuiſus, ab immortali Deo, vnico & principe huius operis architecto, conceſſus, ab VRBANO VIII. Pontifice Maximo ampliſſimâ maximeque ſolenni Indulgentiâ cohoneſtatus, ab eiuſdem Eminentiſſimo fratris filio ANTONIO BARBERINO Cardinale tanto ap-

Ita Societati naſcenti affulgent SS. Coſmas & Damianus

paratu, impensâ, splendore Romæ celebratus, quantum neque optare pro suâ modestiâ Societas debuit, neque augere propemodum Patronus munificentissimus pro animi sui magnitudine potuit. A vestro, Martyres, auspicio, tutelâ, gloriâ, ope, maiorem claritatem mutuatur hic Superis hominibusque iucundissimus dies, quàm ab astris omnibus, ipsâque adeò solarium maiestate radiorum ac luce. Valeant astrologorum deliramenta: derideatur inane astrorum imperium: rumpantur stellarum coëuntium nexus. Vos, vos, natalium nostrorum Præsides agnoscimus ac veneramur; non stellas. Virtutes vestræ, exempla, facinora vestra nos sanctiùs afficiunt, clementiùs vrgent, velociùs trahunt, quàm omnis ille fatidicus ordo, & adamantina catena cælorum. Cùm enim fueritis & humanarum infirmitatum peritissimi Medici, & gratuiti beneficiorum generis omnis largitores, & germani animorum consociatione mirè concordes, & fortissimi cruciatuum pro CHRISTO toleratorum victores ac Martyres; ex harum contemplatione virtutum, tamquam cælestium signorum intuitu, horoscopum Societatis conficio, & quodammodò augurando pronuntio, à vigore & efficacitate diuini influxus vestri, Societatis hominibus neque in sanandis laborantium animis diligentiam, neque gratuitum in ministeriis exhibendis obsequium, neque in domesticâ tuendâ fraternitate concordiam, nec in periculis Dei hominumque caussâ subeundis, aut ærumnis laboribusque perferendis, animum atque constantiam defuturam. Quæ singula vt à vobis, tamquam stellis genitalibus, nascenti Societati impressa esse ostendam; priùs hoc demonstrandum videtur, vos fuisse semper, & esse stellas humano generi maximè propitias ac salutares. In quo sexcentorum est mihi testium instar vniuersa Græcorum, apud quos vixistis, laborastis, & triumphum consecuti estis, Ecclesia: quæ quot versibus vestrarum laudum modulationes decantat, totidem testimoniis asseuerat ac prædicat, vos esse clarissima mundi sidera; vos ab ipso CHRISTO tamquam inerrantes stellas rerum vniuersitati demonstratos; vos lucernas radiis miraculorum emicantes; vos veluti conspicua luminaria duo orbi terrarum affulgere, & perturbationum nebulas feruore fidei vestræ nullo negotio dissipare; vos luces diuinitus coruscantes venerabilis Ecclesiæ cælum claritate vestrâ circumfundere, & lucidissimam caligantibus vbique facem præferre; vos denique esse spectabile par astrorum, cum veræ lucis parente aurorâ exorientium, in quibus, tamquam in splendidissimis domiciliis, fulgor materiæ expers habitet, ac lætissimè propagetur. Hæc de vobis Græca canit Ecclesia, numeris tam effluentibus quàm festiuis; quorum licet paulò solutior rotunditas, delectare tamen sine satietate nos potest. Quibus perbellè hoc elogio Andreas Pyrus, scriptor quoque Græcus, applaudit: *Hodierno die serena atque illustris exoritur pauperum* CHRISTI *commemoratio, clarissimis miraculorum fulgoribus vsquequaque resplendens.* Nec est quòd vereatur quisquam aut æstimet, euanuisse iam pridem hæc sidera; &, posteaquam cælo suo hi ciues recepti sunt, consortionis terrenæ pertæsos, & mortalium impatientes oculorum, rebus nostris non ampliùs interesse. Viuunt enim, ac fulgent (quod iustitiæ Doctoribus Daniel Vates

vt stellæ.

Menæa Græcorum 1. Iulij, & 1. Nouemb.

Vates ſanctè promiſit) *quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates*; nec alius eorum erit erga nos beneuolentiæ, quàm beatitudinis finis. Dan. 12.

Ἐι καὶ παρῆκαν γῆν Ἀνάργυροι δύο,
Πληροῦσιν, ὡς πρὶν, καὶ πάλιν γῆν θαυμάτων.

Quos deſumptos ex Precationibus Græcorum verſus ita Latinè reddere libuit:

Quamuis relictis poſſident terris polum,
Nunc tamen, vt olim, Anargyri ſignis micant.

Et quamuis *hæc eſt natura ſideribus, vt parua & exilia validiorum ortus obſcuret*: Plin. Paneg. tamen tantum abeſt, vt hi ſoles erumpentibus in primum æui ſui crepuſculum Societatis adhuc teneræ ſcintillis caliginem ſuâ claritate induxerint, vt eamdem etiam communicatis è cælo radiis, impreſſisque ornamentorum ſuorum nobiliſſimis ſignis & characteribus, illuſtrarint. Id iam animaduertere, curæ pretium fuerit. Nam minimè dubiâ ſui ſimilitudine Societatem obſignatam eſſe voluerunt. *eique imprimunt quatuor facultates, quibus ſiunt*

Fuerunt Medici COSMAS ac DAMIANVS; quorum induſtriâ, ſolicitudine, charitate, & corpora ex grauiſſimâ morborum pernicie, & vitæ ex præſenti morte, & voluntates ex violentiâ affectionum, & animæ denique hominum plurimorum ex faucibus Orci ereptę, ac ſanitati reſtitutæ ſunt. *1. Medici,* Quod intelligens Orientis Eccleſia, hos denuò modulos in eorum laudes effundit: *Quo vos nomine appellabimus? Miniſtros? an Medicos tam animorum quàm corporum, & inſanabilium ægrotationum? qui ex theſauris diuini Spiritus medicamenta ſaluberrima proferentes, arcanâ quadam & ſacrâ chirurgiâ ſauciorum vulnera perſanatis.* Quæ medicandi induſtria cæleſti quadam deriuatione in Societatis huius alumnos ita traducta videtur, vt pari ſtudio ac felicitate, tamquam filij Medicorum, partes eorum gnauiter obeant, ſiue in integrâ animorũ valetudine conſeruandâ, ſiue in aduersâ depellendâ. Quo genere medicinæ, ſi omnes omnium artium commoditates, facultates atque copias diſpicis, nihil eſt melius, nihil nobilius, nihil optabilius, nihil hominum generi datum præſtabilius. Quod cùm perſpectum habeant artis tam diuinæ Profeſſores, vt præſtent quæ à tantis Magiſtris didicerunt; non inuiti, credo, illud ex laudatiſſimo Hippocratis iureiurando vſurpabunt: *In quamcumque domum ingreſſus fuero, ad ægrotantium ſalutem ingrediar.* Neque fortiùs loquuntur quàm faciant. Nam ſi quis per vniuerſam Societatem, velut myſticorum quamdam Medicorum academiam & officinam, oculos circumducere voluerit; deprehendet profectò ac videbit, hunc optimos medicinæ cæleſtis auctores aſſiduâ lectione terentem, illum hæreſium & errorum anatomiâ diſtrictum, alium in virtutum tamquam ſalutarium herbarum indagatione verſantem. Nec deerit, qui ſpiritualia ad ſalutem Exercitia præſcribat, qui in valetudinario aſſideat ægris, qui plagas exſugat & vlcera, qui cæleſtium ciborum delicias languenti ſtomacho ſubminiſtret. Quot, quamque verſati in hac arte Doctores, in cathedris, in pulpitis, in templis, in ſcholis, in tribunalibus ſacris, in caſtris, in tranſtris nauium, ſanitatem populorum aut rectâ inſtitutione tuentur, aut depulsâ mentium ægrotatione reſtituunt? Animaduertas, ex horum præſcriptione & curâ, odiorum frigora

gora calore charitatis expelli; ardentem libidinis intemperiem, castimoniâ refrigerante sedari; ingluuiei exuperantiam, præscriptâ ieiunij euacuatione digeri; acrimoniam bilis, mansuetudinis lenitate mitescere; angustias pectoris, conscientiæ serenitate diduci; laxitatem inertiæ, disciplinæ seueritate constringi; ceruicis duritiem, suauitate morum emolliri; omnem denique moralium morborum exercitum contrariis medicamentorum viribus debellari. Nullum autem est his Medicis suspectum tempus, nullæ fastidio sordes, nullum ministerium oneri, nulla excubias acturis intempesta nox. Vestri igitur, hoc est, Medicorum sunt filij, quotquot in hanc Societatem coëunt; & quam illis artem de cælo transfudistis, eam non tantummodò ad vestræ vigilantiæ & laboris exemplum, sed etiam ad liberalitatis & beneficentiæ imitationem exercent. Quemadmodum enim vos ægris omnibus nullâ spe lucri consuluistis, & reuocatâ in vsum Apostolicâ animorum sublimitate, quidquid gratis accepistis, id omne gratis quoque largiti estis, aquæductum gratiæ omnis indigentibus aperientes: ita Societas, ne pretio beneficium elocet, ac vendendo perdat, sine emolumenti terreni spe, sine præmio, nihil ad bilancem, nihil ad calculum reuocans, non computat quanti, sed cui dederit; non ponderat quantum lucri sibi, sed quantum miseris auxilium, ferat; non facit medicinam, quia sibi expedit, sed quia decet; charitati litat, cupiditati non inseruit. Auspicibus itaque nostris ac Ducibus, COSMAE & DAMIANO adscribam, quod Diis suis Latinus Stoicus: *Omnia sine mercede, sine vllo ad ipsos peruenient commodo, faciunt. Hæc quoque nostra ratio, si exemplari ab suo non aberrat, seruet; ne ad res honestas conducta veniat. Pudeat vllum venale esse beneficium. Gratuitos habemus*, non *Deos*, vt ille, sed COSMAM ac DAMIANVM. *Hos sequamur duces, quantum humana imbecillitas patitur: demus beneficia, non feneremus. Hoc magni animi & boni proprium est, non fructum beneficiorum sequi, sed ipsa.* Sed neque obliuisci possum insigne hoc præconium, quod totus Oriens de gratuitâ Medicorum nostrorum operâ & curationibus modulatur: *Officina vestra medica inexhaustus quidam est fons, qui, quò sæpiùs hauseris, eò copiosior effluit; quique effusus redundat, & quotidie exhaustus impletur. Gratis accepistis, gratis datis.* Quamobrem, quòd sæpissimè vos Anargyros Fasti Græcorum appellant, id summo vestro merito faciunt: tum, quòd omnino nummorum fuistis expertes, inopiâ sponte susceptâ opulenti; tum, quòd omnes etiam pecuniæ vias ignorastis, nihil quæstus, nihil vestri causâ facientes. Humanum profectò fastigium excedit hæc laus, omnibus vos beneficia conferre, calamitates detrahere, procurare salutem, operam gnauiter & sine cessatione impendere; sic tamen, vt nulla vos vestis, nullum vas, nullum mancipium, nulla conditio pecuniæ, nulla merces à propositâ integritate continentiâque deduxerit. Ex quo instituto vestro Societas vniuersa gratis concionatur, gratis peccata condonat, gratis Epulum cæleste instruit, gratis sacrificat, gratis militat, gratis ministrat, gratis docet.

II. Gratuiti;

Senec. lib. 4. de Benef. cap. 25.

Idem lib. 1. de Benef. cap. 1.

III. Concordes;

Quid autem de concordiâ vestrâ dicam? An vos cum Græcis diuinum quoddam iugum appellabo? Enimuerò coniunctis viribus, geminorum instar iugalium, laboratis. An conspicuam cælesti luce bigam,

bigam, vnius mentis, vnius genij, domicilij, virtutis possessores vehentem? Communia sunt vobis omnia, sicut communem habent oculi diem. An sacrum ac venerabile fratrum par, vnà euntium, vnà laborantium, vnà medentium? Quidquid ab alterutro præstatur, amborum est; vosque geminos potiùs esse quàm germanos, maior virtutum quàm vultuum similitudo demonstrat. Habet autem hoc à vobis genuina soboles Societatis, vt, quod omni consanguinitate certius est, sint virtutibus fratres, vtque diuersum sanguinem affectibus misceant; non fortuitâ germanitate sociati, sed electâ. Ac dispersa quidem sunt per omnes orbis angulos Societatis membra, tot nationibus regnisque diuisa, quot limitibus tellus: sed hæc tantummodò sunt interualla locorum, non mentium; discrimina sermonis, non pectoris; colorum dissimilitudo, non morum. In hac familiâ idem sentiunt Latinus & Græcus, Lusitanus & Brasilus, Hibernus & Sarmata, Iber & Gallus, Britannus & Belga: atque in tam disparibus geniis nullum certamen, nulla contentio; nihil ex quo sentias plures esse. Suspiciunt inuicem, inuicem cedunt, mutuò diligunt. Nihil suâ putant interesse, vbi nati sint, quos charitas CHRISTO peperit, Societas miscuit; idem propositum, idem tenor vitæ, eadem voti copula colligauit. Quidni igitur, quod Imperatoris Aureliani nummo impressum est symbolum, id huic Cœtui augurer euenire? Exhibet numisma stantes vnà Imperatores, & medio ac sublimiore inter eos loco caput orientis Solis, radiorum circumquaque se effundentium coronâ circumdatum; cui hæc adiicitur inscriptio, CONCORDIA AVGVSTORVM. Vt enim Sol oriens concordes Augustos vtrimque benignâ fauoris sui luce illustrat: ita vbicumque in nomine IESV congregantur Societatis huius participes, dulcissimæ fraternitatis vinculo colligati; ibi immortalis iustitiæ Sol CHRISTVS in eorum medio, ad nexum illum animorum splendoris sui claritate condecorandum, arctiusque stringendum, exoritur & inclarescit. Quâ Sociorum coniunctione quid excogitari potest aut ad iucunditatem dulcius, aut ad solatium opportunius, aut ad robur firmius, aut ad inuictum inter aduersa retinendum animum conducibilius? Concordia, legum, vrbium, Regnorum custos, familiarum nodus, tutela militiæ, exercituum anima, castrorum vallum, victoriarum auspex, Dei famulos non tantùm vt fratres compage amoris conglutinat; verùm etiam, vt eiusdem cohortis & stipendij milites, ad pugnas, ad clades, ad præbendum hosti sanguinem, ad mortes, aut vexationes ipsâ morte acerbiores, informat & erudit. Namque & hoc decus ab athletis fortissimis COSMA & DAMIANO Societas in hanc lucem prodiens, vi natalitiæ communicationis accepit, vt eam non fuga laboris desidiæ, repudiatio periculorum timiditati, militiæ terror latebris traderet; sed vt vel martyria, vel ærumnas martyriis pares, infractâ semper constantiâ exciperet, tolerare, amplecteretur, ambiret. Quando itaque martyrio purpuratos intueor COSMAM ac DAMIANVM, huiusce purpuræ laciniam Societati porrigunt, & hac quasi tesserâ insigniunt suæ dignitatis ephebos. Prospiciebant enim iam olim perspicacissimis animis irruentes in hunc Ordinem tempestates: coniuratorum in eam insidias, consilia, *IV. Martyres.*

E auda-

audaciam, furorem non ignorabant: ante oculos erant hæreticorum faces, mucrones ſicariorum, barbarorum venena, odia iudicum, periuria teſtium, equulei, rotæ, laquei tyrannorum: patibula Britanniæ, ignes Iaponum, Batauiæ carceres, Braſilorum rictus, Paraquariorum clauæ, venenata Peruuiæ tela, Turcarum acinaces in nouorum hominum innocentiam imminebant. Exſiliis, proſcriptionibus, naufragiis, latrociniis, inediæ, ſiti, nuditati, ſquallori, ſeruituti, & ſexcentis aliis peſtibus obiiciendus erat nouus hic partus. At quâ tectus armaturâ? quibus munitus præſidiis? Nimirum affulſerunt eius natalibus non Caſtor & Pollux, fabuloſi tempeſtatum depulſores; ſed COSMAS & DAMIANVS, animoſiſſimi milites CHRISTI: & ſuæ fortitudinis, tolerantiæ, alacritatis lucidiſſimas notas, commentitiâ ſtellarum omnium neceſſitate potentiores, ei reliquerunt impreſſas & inditas. A Menologo quidem Græco hi duo principes & anteſignani noſtri *φωτεινότατοι στῦλοι καὶ πύργοι ἄσειστοι*, lucidiſſimæ columnæ & inconcuſſæ turres, appellantur; quòd non ſolo virtutum ſpendore effulgeant, ſed earumdem quoque firmitate inter extremos cruciatus ſtabiliantur ac durent. Vos autem, Socij, beneficio natiuitatis veſtræ, & geminarum exortu atque impreſſione ſtellarum, oportet exemplo ſtellas, conſtantiâ columnas, inſuperabili animorum robore turres non videri, ſed eſſe. Vos oportet in periculis intrepidos, in aduerſis tranquillos, in proſperitate compoſitos, in dimicationibus fortes, in ipsâ morte viuaces perſtare, & quodammodò immortales. Quòd enim infantes quoſdam galeis armatos in hanc vitam prodire obſeruamus, id modò quam euentuum ſignificationem portendat, non inquiro: verumtamen ſic exiſtimo, vniuerſos huius Societatis homines, galeatos naſci ac prodire oportere, ad mucrones hoſtium imminentes capitibus, ad omnes fortunæ ictus, omnes aduerſariorum iniurias, omnes calamitatum impetus ac procellas, non ſubeundas tantummodò alacribus & fortibus animis, ſed infractis etiam viribus retundendas. Quod muniminis genus etiam Iſaias ſic commendat: *Galea ſalutis in capite eius.*

Menolog. 1. Nouembr.

Iſaiæ 59.

Atque hæc ſunt non fata, ſed munera; non ſortes à neceſſitate, ſed vires à cæleſti auxilio profectæ; non decreta genituræ, ſed beneficia, quæ propitij conſtitutio cæli, COSMAM & DAMIANVM velut conſpirantes tum ſtellas proferens atque coniungens, naſcenti Societati impertiit: hæc, inquam, ſalutiferæ exercitatio medicinæ, gratuitum obſequium, animorum concordia, martyrij votum & amor. Pro quibus veſtris immortalibus in hanc Familiam meritis, Patroni optimi, ſi pares vobis gratias non poſſum agere, quæſo obteſtorque, ne meæ naturæ potiùs, quàm immenſitati veſtrorum beneficiorum, id tribuendum putetis. Plus enim vobis debemus, quàm parentibus liberi. A parentibus enim in ſquallore & ſordibus procreati; à vobis nati ſumus lucidi atque ſplendentes. Illi nos genuere ad incertam ſalutis conditionem; vos ad minimè dubiam ſpem ſempiternæ beatitatis erexiſtis. Illi nobis patriam dederunt, hanc terram; vos cælum promittitis. Ab illis, vt ægri ac debiles; à vobis, non tantùm vt valentes, ſed etiam Medici vt eſſemus, accepimus. Illi enim humanis nos doctrinis imbuendos curarunt,

SS. Coſmas & Damianus inſtar parentum Societati.

runt, vos diuinis. Parentes nos ad compendium & quæſtum; vos ad prolixiſſimæ largitatis effuſionem incitatis. Illi ſanguine fratres coniunxerunt, vos charitate. Ab illis denique, timidi atque abiecti; à vobis, conſtantes, generoſi, & martyrij appetentes euadimus. Præſtantiſſimâ igitur in Societatem beneuolentiâ, & ſtudio prorſus diuino exſtitiſtis, tam optabilem illi ſortem in ipſis incunabilis decernentes. Quanto autem nunc gaudio fruimini, cùm ſerenis luminibus videtis, non eſſe omnino degeneres, quorum natiuitati fauorem veſtrum tam prolixè impenditis? cumque animaduertitis illos clientes, illos beneficiarios, illos filios veſtros, iam centeſimi natalis reditu probatos, noui ſæculi felicitatem, nouos animos, nouaſque virtutes ſibi non tam à ſuis conatibus, quàm à veſtrâ ope ac patrocinio polliceri? Audeo enim dicere: Erit, erit aliquando tempus illud, cùm Societas veſtro die nata, veſtro beneficio confirmata, præſidio cuſtodita, & propagata influxu, non tantùm ducenteſimum, ſed vlteriores etiam natales intueatur & celebret. Intereà verò vnuſquiſque Sociorum hæc ferè ſapientis viri cogitata in animo infixa meditabitur & vſurpabit: *Quidni ego magnorum virorum* (COSMAE atque DAMIANI) *& imagines habeam, incitamenta animi, & natales celebrem? Quidni illos honoris cauſſâ ſemper appellem? Quam venerationem* parentibus *meis debeo, eamdem illis* Societatis parentibus, *à quibus tanti boni initia fluxerunt.* Sen. Epiſt. 64.

PARADOXON.

Τὰς ἐν τῇ Ἑταιρίᾳ Ἰησοῦ μακαρίτας, τὸν αἰῶνα πεπληρωκέναι· ὅτι γῆρας τίμιον οὐ τὸ πολυχρόνιον, οὐδὲ ἀριθμῷ ἐτῶν μετρεῖται, πολιὰ δέ ἐστι φρόνησις ἀνθρώποις.

Id eſt, *Eos qui in Societate* IESV *mortui ſunt, ſæculum expleuiſſe: honoratam enim ſenectutem eſſe, non quæ diuturna, aut numero annorum æſtimetur, ſed prudentiam hominibus pro canis eſſe.*

QVotuſquiſque adeò longæuus, vt ſæculum viuendo expleat? vt vel ardentiſſimè cupiant miſeri mortales diu viuere, quis non prohibeatur verecundiâ ſenectutem iſtam vouere, nedum ſperare? Agit Societas IESV annum centeſimum; ſed quis in eâ centenarius? quàm multi potiùs longiſſimè ab eâ ætate diſtant? Habet adoleſcentes florentiſſimos, & forti excelſoque animo iuuenes; ſenes autem, quaſi poſt vindemiam racemos, admodum raros. Scilicet impalleſcunt ſtudiis & immoriuntur: conficiuntur laboribus ante diem, glorioſis quidem illis, at aſsiduis, & propè infinitis. Si quos fortè benignior ſeruaret natura, alius vaſtante Regionem peſtilentiâ, dum morientibus opem fert, contagio abſumitur; alius, vt pietas ne abſit à caſtris, militiæ occumbit, vbi morbi ſolent graſſari liberiùs, & mors tamquam de ſuo meſſem copioſam legere. Quid, quòd mari etiam ſe committant, quaſi terra deſit ſepulchris? Adeò paucis contingit ſeneſcere; ſæculum viuere propè nemi- *Cur pauci ſenes eſſe videantur in Societate.*

 ni.

ni. Borgia, tam in Imperio Hiſpano quàm in hoc Ordine rebus geſtis clarus, negabat olim apud Carolum Cæſarem à matre ætate non grandi maturam canamque prolem exſpectandam eſſe. Rectè tum ille quidem: adoleſcebat enim confirmabaturque primùm Societas: ſed cur decurſo ſæculo tam pauci modò canis ac ſenectute venerabiles? Senes non eſſent, inquit ille, non ſtaret Reſpublica. Mens, ratio, conſilium, ſine quibus neque ciuitates coaleſcere, neque Imperia durare, neque ſtabiliri poſſunt Regna, in ſenibus ſunt. valebúntne igitur iuuenes eam, in quam ipſi tam diuerſæ indolis & naturæ coiere, Societatem diu tueri & conſeruare? Quæ, malum! iſta eſt cenſendi imperitia? Ego verò omnes Socios aio ſenes eſſe, & quotquot extremum in Societate IESV diem obeunt, ſæculum vixiſſe. Cur rides? nihil inopinatum dico; nihil, quod non rationibus vincam neceſſariis; nihil, quod à conſuetudine aut vetere aut noſtrâ alienum videatur. Nónne callidi rerum æſtimatores, ſenes fatuos & deliros, qui opis alienæ egent vt incedant, vt curentur, vt ne quis ſiniſter caſus imprudentes obruat, non iam ſenum in numero habent, ſed repueraſcere dicunt, & ad infantiam redire? Non illepidè decrepitus ille noſtrâ memoriâ ſenex, nepotulo ſuo ſexenni, Triennio, inquit, Adriane, me maior es. annum agebat centeſimum & tertium: ſæculi prioris actam ætatem, ac ſi iam ad infantiam reuertiſſet, pro nihilo habebat. Ergo non annis ſenectus æſtimanda.

Omnes in Societate ſenes dici poſſunt.

Senectus non annis cenſenda, ſed præclarè factis.

——— *ætatem extendere factis,*
Hoc virtutis opus. ———

rebus enim ſapienter & præclarè geſtis dignitas conciliatur & auctoritas, præcipua ſenectutis ornamenta. Deus infantem non ſinat creſcere, non membris corroborari, non vſu fieri eruditiorem; qui nec loqui diſcat, nec ſapere: hunc tu, quia diu infans fuerit, adultum dixeris aut ſenem? An non vt ſilueſtria poma, quæ acerba ſemper & immitia ſunt, dicuntur numquam matureſcere; ita qui è pueritiâ non excedat, adhuc hæreat in nucibus & crepundiis, ſeneſcere omnino dicendus non eſt? negare non potes. Vide, quò te deducam. Quid fructus verni? numquid non æquè adulti ſunt anni principio, quàm eodem inclinato autumnales? numquid non maturiores, quàm qui ne autumno quidem miteſcunt aut molleſcunt? Quod pomis, quod vuis, quod fructibus ceteris concedis, homini negabis? non potes. Maturitate igitur, non lapſu temporis, ætas impletur. maturitas autem dignitate conſtituitur & auctoritate. Hæ verò ſapientiâ & prudentiâ acquiruntur, rebus geſtis oſtenduntur, denique populi ſenſu & opinione, non ſecùs ac guſtatu percipiuntur. Quod mens cogitatione comprehendit, & ratio docet atque explanat, exemplis demonſtro. Communis omnium primuſque humani generis parens, nónne maturâ ætate conditus eſt? nónne perfectiſſimâ maximeque venerandâ? annos tamen non numerabat, non contraxerat rugas, capillis non caneſcebat. Igitur non anni, non cani aut rugæ, ſenem faciunt, aut maturum, dignumque qui aliis maior & pro parente habeatur. Quid ille quem Virgo-mater vtero virum circumdedit? nónne ab ipſis incunabulis æqualis erat antiqui dierum Patris? (ſi tamen ita loqui fas eſt de eo qui ante dies & tempora ab æterno exiſtebat)

Immaturi qui dicendi ſint.

Maturitas in quo conſiſtat.

bat) numquid non maior credentium Patre Abrahamo? Non igitur adulto robuſtoque opus eſt corpore ad ſenectutem, nedum morbis fracto, aut ad interitum vergente: non opus eſt annos vixiſſe Neſtoreos, vt æquare illum aut pluribus etiam ſæculis vixiſſe cenſeare. Si ad Troiam Neſtor, aut domi Argis, rebus ludicris ætatem conſumpſiſſet, ſi cum dedecore & infamiâ turpiſſimis animum libidinibus contaminaſſet, ſi captus mendaci arridentis fortunæ vultu ambitioni miſerè ſeruiiſſet, an eo inter viros principes loco futurum fuiſſe exiſtimas? aut omnino quiſquam eum conſulat, aut viæ ducem optet, quem exorbitare videt, neque quò tendat, neque quid ſequatur intelligere? ab eo confirmari velit, dum animo vacillat aut trepidat, quem vmbris & neſcio quibus hominum ſuſpicionibus agitari, quem mortem conſpicit horrere non aliter, quàm pueri laruas & lemures? hunc ſenem vocet, qui, ſi corporis detrimenta ſeponas, à puero nihil diſtat? huic vt patri blandiatur? huic obtemperet? huic ſe ſuaque credat? Sapiat priùs ſibi delirus ille, pueriles nugas ſpernat, adoleſcentiæ impetus coërceat, refrenet libidines, animum in poteſtate habeat: denique tunc incipiat iuuenibus coli & in veneratione eſſe, cùm iuuentutis ipſe petulantioris probra, temeritatem & effrenatam cupiditatem ſuperauerit. Ceterùm dum ab iis vincetur, non venerabor vt ſenem, ſed vt puerum deſpiciam & contemnam. Etenim Salomonem, cùm duodennis adhuc, altercantibus in frequentiſſimâ populi concione meretricibus, ſapientiſſimam illam abſolutamque & propè diuinam ſententiam pronuntiauit, cùm diuitias & maieſtatem virtuti poſthabuit, cùm in remotiſſimas vſque regiones nominis ſui famam propagauit, arbitror verè ſenem fuiſſe: cùm verò vrgente & præcipiti ætate iners languit, mulierum amoribus fractus ſuccubuit, erectis aris infames Deos coluit, cùm plebi grauis & inuiſus, Principibus neglectus & contemptus, Deo Opt. Max. odioſus eſſe cœpit, nihilque dignum ſe & priſtinâ virtute, nihil dignum homine, nedum Rege, meditatus eſt; puerum, non virum, aut ſi quid puero magis miſerum & fatuum eſt, non ſenem fuiſſe, quis non fateatur? Opinor ego, non eos qui in Suſannæ optimæ probatiſſimæque feminæ amorem exarſerunt, criminis innocentem accuſarunt, inſontem capite damnarunt, tametſi annis, quos cenſebant, grauitatem; munere, quo fungebantur, dignitatem auctoritatemque præ ſe ferrent; ſed Danielem, ætate non prouectâ, concionem ad tribunal reuocantem, quæſtionem in nefarios iudices exercentem, ſuâ ipſorum confeſſione conuictos pœnâ talionis mulctantem, omnes ſenis partes expleuiſſe. Non igitur ætas decliuis ac deficiens, non cani & rugæ larua quædam ſenectutis; ſed mens, conſilium, moderatio & maturitas ſenem faciunt. Hæc ſi abſint à Societate IESV, meritò illi à ruinâ timuiſti, & raros in eâ ſenes eſſe aut ſæculum explere cauſatus es. Verùm enimuerò vt à Sociis abeſſent anni extremi & cani, ſi virtute & vitæ dignitate, ſi doctâ auctoritate, ſi prudentiâ, conſilio, animi integritate & conſtantiâ præſtent; ſi non ſibi, ſed Reipublicæ ſe & vniuerſis natos credant; ſi mentem ita in Deum erectam habeant, vt tamen miſeris numquam afflictiſque ſolandis deſint, vt à rudibus docendis, ignauis inflammandis, reducendis erranti-

Senes pueri venerationem non merentur.

Salomon in pueritiâ venerabilis:

idem in ſenectute deſpicabilis.

In Societate morum maturitas.

bus numquam cessent; quid caussæ est cur illis metuas, cur senes esse & parentum loco amandos colendosque inficieris? Non erat ætate grandis Iosephus, cùm à Pharaone Ægypti Rege iussus est senibus regióque concilio præsidere: nimirum iam antè ipse vnus Ægyptum ab impendente calamitate vindicauerat, cui ne prospiciendæ quidem, ne dicam auertendæ, tot grandæui & sæculares, vt ita dicam, senes suffecerant. Sed quid ego vetera commemoro, cùm liceat mihi vti domesticis, & nuperrimis ac propè præsentibus exemplis? Lainius noster qualem se Tridenti in illâ sapientissimorum Patrum coronâ atque orbis theatro exhibuit? qualem item noster Franciscus Strada Louanij, ad quem audiendum Doctores ipsi & Oratores cum auditoribus suis cateruatim confluebant? Erat tamen hic, si annos æstimes, adolescens; ille etiamnum iuuenis: vterque auctoritate, qui senectutis apex est, & morum maturitate ipsis senibus venerabilis. ALOYSIVS GONZAGA, vt in Ordinem hunc adscribi posset, nónne maiores suos (quos qualésque viros!) rationum momentis expugnauit? sed quantâ id cum moderatione & obseruantiâ? Nónne voluptatis omnis sensus (quod multis vix extremâ ætate, ac ne vix quidem contingit) nónne, inquam, voluptatis omnis sensus in eo erat extinctus? deferbuerat consumptusque erat ardor ille, vbi accepto è cælo igne cœpit ardere. Et eâ moderatione homo senilem maturitatem adeptus esse negabitur? Quid referam STANISLAVM, cui huius Societatis candidato adhuc cum Cælitum Reginâ, & cum beatis mentibus frequens erat ac familiare commercium? an non, ad exemplum optimi celebratissimique senis, Seruatoris nostri complexu dignatus est, maturusque habitus cui à Virgine-matre hoc pignus crederetur? Senem profectò se probauerat, cùm in medio corruptissimæ gentis forti & inconcusso animo steterat, cùm aduersus domesticos & consanguineos per obstantes difficultates ad crucis trophæum perruperat, acerrimus in vincendis hostibus, minimè mollis in spernendis suis, vt supra parentes CHRISTVM à se amari palàm ostenderet. non ille pueriliter mortem horrebat; sed quasi vitæ illum cepisset satietas, quâ Deo frui prohiberetur, in votis habebat dissolui quidquid erat mortalis concretionis, vt exsoluta vinculis hisce mens libera in cælum euolaret. Ecquid senem agnoscis, qui maturitate virtutum, morumque canitie sæculum expleuerit? Prætereo VBALDINOS & CAIETANOS, aliosque sexcentos nostri Ordinis in adolescentiâ senes. Vnicus tamen est, cuius obliuisci sit nefas, IOANNES noster BERCHMANNVS, cuius adhuc recens & spirans animis nostris obuersatur memoria. Hunc vidimus, priusquam Societati se tradidit instituendum; tradidit autem, cùm primùm per ætatem (quamquam nulla virtuti immatura est ætas) aut potiùs per leges humanas licuit: hunc, inquam, vidimus & suis & exteris, quà rectè factorum exemplo, quà monitorum prudentiâ, iam tum cùm prima elementa disceret, saluti fuisse; & vix tyrocinium ingressum, sodalibus suis præfectum. Erat in congressibus comis, in scholis sapiens, domi religiosus, in diuinis assiduus, in obsequendo promptus, in agendo grauis ac prudens: verbo absoluo, ætatem maturitate præcurrebat: neque aliter virtutum coronâ septus, quàm

Lainij & Stradæ maturitas.

Aloysij Gonzagæ maturitas.

Stanislai in pueritiâ generosus animus.

Joannis Berchmanni maturitas.

quàm si sæculum ipsum piis exercitationibus expleuisset. Tanti refert, diuinâ, quæ in legibus nostris elucet, sapientiâ niti, & de cælo acceptâ luce tarditatem ingenij anteuertere; vt homines gnaui & industrij legendis voluendisque historiis vitæ breuitatem solent compensare. Vides igitur tyrones, qui in minimâ hac Congregatione sunt minimi, senes & quasi centenarios esse. Restat, vt ab omnibus eos hoc loco & numero haberi demonstrem. Senes, cùm aut illis blandimur, aut honoris caussâ nominamus, Patres vocari, antiquissimum est; & quemadmodum *Senes aut Patres olim qui dicti.*

A senibus nomen mite Senatus habet,

sic iidem Patres Conscripti olim dicebantur. Qui verò ciues seruarant, aut Imperij limites produxerant, aut denique rebus præclarè gestis summam in Republ. dignitatem promeriti erant, patriæ Patres audiebant. quid notius? Non igitur annis hoc dabatur, sed virtuti, sed dignitati. Quibus verò adolescentes esse vitio vertebas, nónne quacumque sint ætate, in Presbyterorum seu senum hunc Ordinem quasi in Senatum conscripti sunt? nónne Patres, neque alio ferè verbo compellantur? quid tritius? Nónne Summi Pontificis auctoritate, ex suggesto, priùs etiam quàm sacris initiati fuerint, ad populum verba faciunt, credendorum capita exponunt, disciplinam Christianam suadent, conuertere in melius mores & æterna sectari hortantur? quid vsu receptius? Senes igitur haberi cur insolens videatur aut nouum? Iudices & Dei assessores in cælis viginti & quatuor, Seniores in sacro codice vocari nemo ignorat. Magnus ille Israeliticæ gentis Legislator, quos in consilium adsciuit, quos in gubernando populo socios esse voluit, Seniores dixit; quos CHRISTVS duodecim, illi plures Ecclesiæ præfecerunt, in iis Seniorum verbum vsurpat Apostolus. non tamen certæ se ætati aut Apostoli, aut CHRISTVS, aut Moyses, aut Numen ipsum, alligarunt; vt quos Seniores indigitarent, ceteris ætate præcellerent. Cùm igitur qui Deo vocante in Presbyterorum hunc Ordinem adleguntur, Senes ab Ecclesiâ vocentur, & esse iubeantur; quisquámne erit qui senes esse inficiabitur? Crede mihi, honorata senectus est, non diuturna (si tamen est aliquid diu in hac vitâ, quæ velut vmbra præterit) non quæ annos numeret (qui inde à primi parentis lapsu pauci sunt & ærumnosi) sed virtus & prudentia mortalibus senectutis conciliant auctoritatem. Atque vt inter eos, qui communi æstu insanientis debacchantisque turbæ auferri se sinunt, nemo senex est, quamuis sæculum totum vixerit; sed vel *puer centum annorum morietur*: ita vbi omnes diuinâ reguntur sapientiâ, quæ omni Philosophiâ & quantumuis longâ experientiâ certior est; addo etiam, vbi ab IESV æternâ Patris Sapientiâ in societatem laborum studiorumque sunt vocati, omnibusque paternâ curâ & solicitudine subueniunt & consulunt; nemo est cui non senectutis gloria debeatur, nemo qui dies suos ætatemque non expleat, & quamuis præmaturè mori videatur, sæculum centumque annos vixisse credi non debeat. *Vera senectus in quo consistat.*

EXER-

EXERCITATIO POETICA.

CARMEN SÆCVLARE AD IESVM ET MARIAM PRO INCOLVMITATE SOCIETATIS.



AECVLVM *felix, meliore quondam*
Erutum venâ, geminique plausu
Orbis exactum, properant beati
Condere Soles.
Magne labentis Moderator æui,
Qui vagos certâ ratione torques
Siderum cursus, rapidoque cælum
Turbine versas;
Qui vices rerum, variasque caussas,
Temporum momenta, diesque & annos
Diuidens, in te simul omne simplex
Colligis æuum;
Iure solennes tibi feriati
Ducimus pompas, tibi iure nostræ
Seruiunt Musæ, sociantque pulsis
Carmina neruis.
Altero rursus redeunte sæclo,
Quod tibi læti recinant minores,
Dic: Nouo semper meliora currant
Sæcula fuso.
Pulchrior semper meliorque primâ
Floreat proles: eat in nepotes
Integer patrum vegetusque sanguis,
Viuaque virtus.
Crescat in maius, solidique plena
Roboris partam studeat parentum
Gloriam æternis superare factis
Serior ætas.
O quibus mentis generosus ardor,
Inque defessus labor, æstuantis
Æmulus Solis, per vtrumque latè
Diditur orbem;
Non sumus cæli (neque fabulosæ
Vlla cortinæ cecinere fata)
Non sumus (cæli manifesta vox est)
Vltima cura,

Magnæ


Magna de nobis Patre prolocuto,
Patre, qui cælos, humilesque terras,
Et maris glauci vada salsa verbo
Condidit vno.
Cùm per obstantes Erebi cateruas
Vnicum Ductor traheret maniplum,
Jamque Romanas, populos daturus,
Scanderet arces:
Hunc gregem, dixit, tibi, Nate, nostris
Inclytum signis, proprium dicamus:
Hic nouis armis tibi subiugandum
Debeat orbem.
Dixit: ad læuam simul alta nubes
Solis exarsit radiis & auro:
Læta cœperunt simul auspicatò
Currere sæcla.
Nate, supremi monitu Parentis
Consoue amplexu facili clientes,
O potens tutela, tuoque septos
Numine serua:
Si per extremos tua signa Sinas,
Si per ignotæ populos Cataiæ,
Per pharetratos ferimusque Mauros,
Seras, & Indos,
Siue subiectis gelido Bootæ
Soluimus frigus glaciemque terris,
Siue pugnantem nebulis & imbre
Quærimus Austrum,
Seu catenatos maris & viarum
Impigrè obnixi trahimus labores,
Siue victuras emimus decoro
Funere palmas,
Gaudeat numquam pereunte fructu
Pulcher IgnatI comitumque sudor;
Martyrum fusus sit in omne sanguis
Fertilis æuum:
Si tuum IESV *tibi sacra turma*
Spiritum nascens animumque traxit,
Traxit & nomen, numerosque tanti
Implere laborat
Nominis, duris benè præparatum
Offerat pectus, alacremque vastis
Impetum terris, animosque magno
Æquet Olympo.
Supplicem tecum miserata gentem
Virgo, quæ iustis venit æqua votis,
Adsit, & nostris facilem Camœnis
Commodet aurem.

Digna supremum genuisse Numen
Virginum Præses, genuisse læta
Quotquot Ignatî soboles tuis ad-
uoluimur aris;
Cælitum Regina, hominumque custos,
Nos tuam, Mater, sobolem tuere,
More tutantis tenerum benignæ
Matris alumnum.
Quod rogat Diuos prece singulari
Lucidis Loiola receptus astris
(Hîc vbi longâ serie futuros
Ordinat annos:)
Quodque Xauerî pia vota spectant,
Et tot auratis Superûm locati
Sedibus, vitæ socialis ingens
Gloria fratres.
Sic erit: toto sonuere Olympo
Cælitum plausus, geminatque plausum
Doctus & IESV chorus & MARIAE
Dicere laudes.



Societas

Societas IESV.



Non eſt qui ſe abſcondat à calore eius. *Pſal.* 18.

CIMMERIAE *tenebræ, Phœboque incognita regna,*
Et quas perpetuò nox premit atra plagas,
Fabula quam veteres olim finxere Poëtæ,
Credita ab antiquâ ſimplicitate fuit.
Eſte procul nugæ: nullæ ſine ſole latebræ,
Terra nec æthereas effugit vlla faces.
Tu licet extremas Scythiæ glacialis ad oras
Hinc procul à patriis finibus exſul eas,
Et modò quod plauſtris, ratibus modò curritur æquor,
Quæque eadem ſemper ſidera terra videt;
Siue ſub aduerſo depreſſas cardine terras,
Viſaque adhuc nulli barbara Regna petas;
Quid fugis, ah demens? incaßùm niteris: omni
Sol aderit, fugias tu licet vſque, loco.
Seriùs aut citiùs his cuncta caloribus ardent:
Nullus ab his toto tutus in orbe locus.
Quod radij Solis, Cœtus facit iſtud IESV:
Omnis ab hoc latè, quà patet, ardet humus.

Societatis Iesv Symbolum
AD MAIOREM DEI GLORIAM.



זֶה מַפְגַּע הַנְּדָרִים


נַפְשִׁי דִּבְרֵי נְדָרַיִךְ   שֶׁהֵם חִצֵּי קַשְּׁתוֹתַיִךְ
עָפִים אֶל הַשֵּׁם הַנּוֹרָא   מַזְהִיר כְּמוֹ זֹהַר אוֹרָה׃
לוּ גַם לִי יֵשׁ כְּנָפַיִם   חִישׁ אָעוּפָה לַשָּׁמַיִם
עָלְתָה אֶל הָאוֹר לָרֶדֶת   וּלְהַרְבּוֹתוֹ זִיו תִּפְאֶרֶת
לְכוּ חִצֵּי בְּנֵי קֶשֶׁת   לְכִי אִשִּׁי לֹא נֹאֶפֶת
קְחוּ מִן הַשֵּׁם נַחֲלַת   שֶׁהִיא מִמַּעַל יוֹרֶדֶת
תִּתֵּן אוֹר חָדָשׁ בַּתֵּבֵל   לָכֵן יֵרָאֶה כָּל־הַחֶדֶל
מִזְרַח שֶׁמֶשׁ עַד מְבוֹאוֹ   רוֹמַת הַשֵּׁם עִם כְּבוֹדוֹ

Votorum hic ſcopus eſt.

Vota quid ad magnum iacularis mens mea NOMEN?
Hoc voueas, Socio detur vt ire tuo.
Ite ſacræ flammæ: non eſt meus ignis adulter,
Miſſa hæc de pharetrâ virgine tela volant.
Vt Socij ſacris prædentur ab ignibus ignes,
Vrat & hoc NOMEN *ſolis vtramque domum,*
Æternamq́ue orbi dent hæc incendia lucem,
Nominis & ſacrum creſcat vt inde decus.

Socie-

Societatis IESV sigillum.



Sub Cruce tuta latet.

PRISCA *superstitio, quò tuta lateret ab hoste,*
Mentitos coluit marmora ficta Deos.
Sic Siculi Cererem, Triuiam coluistis Iones:
Templa suá Thebis Bacchus in vrbe tulit.
Iuno Agamemnonias quondam est tutata Mycænas,
Ortaque ab antiquâ Punica Regna Tyro.
Palladis auxilio veteres creuistis Athenæ,
Palladis auxilio Dardana terra stetit.
Delos Apollinea est, & Phocis & Aonis ora:
Et Paphos, & Veneri sacra Cythera sua est.
Roma suum variis vario sub nomine templis,
Vnum præ cunctis est venerata Iouem.
O benè, quòd nostro scelus hoc procul exulat æuo,
Auspicio tuti quòd meliore sumus!
Quisque sibi titulos & quæ vult nomina quærat:
Nostra cohors Domini sub cruce tuta latet.

SS. COSMAS & DAMIANVS confirmatæ Soc. Præſtites.




Felicibus auſpiciis.

NOn fruſtrà vigiles ſeruant labentia nautæ
Tempora : nec fruſtrà ſidera clara notant.
Sideribus puppes ſinuoſaque vela reguntur:
Sideribus dubiæ traijciuntur aquæ.
Norat in Æmoniâ cùm Tiphys puppe ſederet,
Quæ vaga, quæ certis ſidera fixa locis.
Spectabat Geminos, ſpectabat Orionis ignes,
Et ſpiſſos Hyadum Pleïadumque choros.
Tempora nec nautis, nec nautis omnia proſunt
Sidera; ſunt certi, queis via tuta, duces.
Triſte rati ſignum ferro metuendus Orion,
Hoc timeam fragili per freta puppe vehi.
At geminus puro cùm lucet in æthere Pollux,
His ducibus tutum nauita carpit iter.
Altera nunc Argo, cui puppis fulget IESV
Nomine, cæruleas ardet inire vias.
Plus aliquid gemmis & Eoi mercibus orbis,
Plus aliquid fuluæ vellere quærit ouis.
Cedite Tyndaridæ, iam non mea ſidera, fratres:
Noſtra volunt alio lumine vela regi.
Cedite: nocturnam COSMAS *cum fratre carinam*
Diriget: hic Pollux, hic mihi Caſtor erit.
Iuimus & Romæ ſcitatum oracula; & illo
Sidere nos iuſſit ſoluere Roma ratem.

Societatis

Societatis IESV Iubileum.



Iubilemus Deo ſalutari noſtro, *Pſal.* 94.

Ἄγ', Ἑταιρεία ΙΗΣΟΥ,
Ἄγε τῆτες, ᾆδε τερπνῶς,
Ἑκατοστὸν ᾆδ' Ἀγῶνα.
Ἄγε, πλῆκτρον αἶρ', Ἰούβαλ
Κιθάρας δοτὴρ κελεύει.
Ἀλίαστα κύμαθ' ὅστις
Τάδε τῆς ὅλης θαλάσσης,
Σκοπέλους τε, λαίλαπάς τε,
Ἐνύδρας τ' ἔφευξε πέτρας·
Χ' ὅταν ἑστίαν πατρῴαν
Περσίτοις ἐσῆλθε ναυσὶ,
Μελίγηρυν εἰς ἀοιδὴν,
Πολύευκτα ἐν θαλάσσῃ
Προφέρει Θεῷ ἄποινα.
Ἄγε ἐκ τόσων ἀέλλων,
Ἄγε ἐκ τόσων ἀητῶν,
Ἀνίῃ τραφεῖσα ταύτῃ,
Ἑκατόν τ' ἔτη βλέπουσα·
Πνέει εὔδιός σοι αἴθρη,
Καὶ ἄπωσε πόντον εὐρύν.
Ἄγ', Ἑταιρεία ΙΗΣΟΥ,
Ἑκατοστὸν ᾆδ' Ἀγῶνα.

AGe, Sæculare carmen
Cane læta turba, nomen
Domini gerens IESV.
Animare pleƈtra Iubal
Citharæ iubet repertor.
Mare quiſquis, & feroces
Pelagi tumentis vndas,
Scopuloſque, vorticeſque,
Et operta ſaxa fugit:
Reduci ſimul paternos
Rate contigit penates,
Canit, & periculoſo
Superis Deoque ſoluit
Pia vota facta curſu.
Age, paſſa tot procellas,
Age, paſſa tot tumultus,
Teneris cohors in annis:
Tibi poſt graues labores
Fauet aura, leniore
Pelagi per arua flatu.
Age, Sæculare carmen
Cane læta turba IESV.

Τὸ δένδρον ὥσπερ ἀλκὴν
Ἴσως γελᾷ ἀήτων,
Νεφῶν τε καὶ χαλαζῶν,
Ἄληκτος ἡ ἰωή·
Κατωτέρους τε ῥίζοι
Βαθεῖαν εἰς ἄρουραν,
Ἀνωτέρους τε θάλλει
Καλυφθὲν ἀμφὶ κλῶνας.
Χ' οὕτω φάλαγξ ΙΗΣΟΥ,
Λίμνηφι κἂν Λεμάνου
Νέφος παρελθὸν ὠμὸν,
Γερμανίας τε ἀρχῇ
Εἱμαρμένον τοσούτῳ
Ὄγκους ἐρεύξῃ ἀπειλῶν·
Σεισθεῖσα ταῖς καταῖξιν,
Οὕτω κακαῖς καταῖξιν,
Ἄνω ἔχουσας ἡδεῖς
Ἑταιρεία μάκαιρα
Πρὸς ἄστρα τῆλε κλῶνας.
Εὔφρων φάλαγξ λύριζε
Μετὰ κρότων, μετ' αὐλῶν
Αἰῶνος εἰς ἑορτήν.
Ὅπου ἥλιος προσελθὼν
Γῇ ἡμέραν ἀνοίγει,
Ὅπου ἥλιος καλυφθεὶς
Βροτοῖς δίδωσι νύκτα,
Ὅπου Αἰθίοψ ἐπρήθη
Τιτᾶνος αἴθοσ' ἐγγὺς,
Ὅπου ἀγλάας τε ψυχρὸς
Εἴδει Γέλωνος Ἄρκτους·
Πτερόεσσα πάντα χῶρον
Σὴ φήμη ἵπτατ' ἀμφί.
Ἅμα κλεῖθα σκῆπτρα Σηρῶν,
Γῇ κλεῖθα καὶ θαλάσσῃ,
Ἰαπὰν τε Χριστιανῷ
Ἰχῶρι νῆσος ὑγρά·
Ἅμα πλουσία Περούα,
Ἕλος τε Μεξικανὸν,
Βρασίλων τε χθὼν ἔρημος,
Καὶ οὓς Κόλομβος ὄρους
Μαγαλάνιός τε βλέψε,
Σοὶ εὐχαριστέουσιν.
Ἑκατοστὸν ᾆδ' Ἀγῶνα
Ἑταιρεία ΙΗΣΟΥ.

Vt arbor alta ventos
Secura præliantes,
Nimbosque, grandinesque
Ridet tumultuantes:
Agitque firmiores
Terræ per ima nexus,
Viretque lætiore
Ramos operta fronde.
Sic tu cohors IESV,
Lacu licet Lemano
Exorta tetra nubes,
Germaniæque regnis
Fatalis ille nimbus
Minetur vsque & vsque:
Concussa tot procellis,
Tot turbidis procellis,
Ad astra latiores
Diffundis vsque & vsque
Cohors beata ramos.
Gaude cohors beata
Et Sæculare tandem
Deprome læta carmen.
Vbi clara fax Eoo
Ab axe prima surgit,
Vbi vesperi cadentes
Abscondit vnda flammas,
Vbi fusca gens propinquo
Torretur vsta sole,
Vbi frigidus nitentes
Cernit Gelonus Arctos:
Tua fama per remotas
Latè vagatur oras.
Tibi clausa regna Serum
Terrâ marique clausa,
Iaponumque Christiano
Tellus madens cruore,
Tibi Perüana diues,
Palusque Mexicana,
Siluæque Brasilorum,
Et quas Columbus oras
Magalaniusque vidit,
Gratantur. Euge lætum
Pia Sæculare carmen
Deprome turba IESV.

Socie-

Societas IESV anno ſæculari de Parentis ſui in ſe amore ſibi gratulatur.




Centum LOYOLA amplectitur annos.

SÆpè ego primorum laudaui tempora Patrum,
Ignati, tecum queis erat vna domus.
In te oculos, in te ſenſus, in te ora ferebant:
Et quod ſpectarent, nil niſi candor erat.
Et quoties aliquis Romanâ iuſſus abiret
Vrbe, ſub amplexus fas erat ire tuos.
Sæpè miſer dixi: Cur non mea tempore tali
Stamina fatales euoluere coli?
Cura tibi poteram propior, Loyola, videri,
Exempliſque tuis alloquioque frui.
Hæc ego dum ſolitis incendi vota querelis,
Aures viſa fuit vox pepuliſſe meas:
Quid quereris, primis quòd non tibi contigit annis
Sub curâ magni viuere poſſe Patris?
Falleris: in ſeros extenditur illa nepotes,
Nulla ſibi verus tempora ponit amor.
Atque adeò, quamuis nobis hæc viuitur ætas,
Nos quoque Loyolæ proxima cura ſumus.
Et iam non dubiis potes hoc cognoſcere ſignis.
Adſpice, quid ſigni pagina noſtra ferat.
Adſpicis? en centum LOYOLA amplectitur annos.
His tua ſuccumbit victa querela notis.

G Socie-

Societas anno ſæculari copioſos fructus promittit.



In ſenectâ vberi. *Pſal.* 91.

Creuit, io, centum, quamuis agitata, per annos;
Speratas tandem iam gerit arbor opes.
Fruſtrà illi Boreas, fruſtrà incubuere premendo
Pondera; quin damnis creſcere viſa ſuis.
Adſpice, quàm latè diffundat frondibus vmbras;
Adſpice, quod peperit, ferre laborat onus.
Hæc arbor, Loiola, tua eſt, quam ſeuit IESVS,
Excoluitque ſuâ ſæpiùs ipſe manu.
Multi illam venti, multæ impetiere procellæ:
Et tamen hinc animos, hinc ſibi ſumpſit opes.
Firma ſtat, & ramis iam totum amplectitur orbem;
Iamque erit, vt ſenio, fertilitate grauis.
Copia pomorum creſcet, dum ſæcula creſcent,
Vberiorque ſequens quilibet annus erit.
Carpite iam mites ex arbore, carpite fructus:
En illos pronis porrigit ipſa comis.
Palmæ Europææ miraberis India fructus,
Quos mittet ratibus per freta vaſta ſuis.
Mittet ad Eoo poſitas ſub ſole Molucas;
Mittet ad ignotas, quas videt Vrſa, plagas.
At, quemcumque ſibi feret hinc Victoria ramum,
Imponet capiti, maxima Roma, tuo.

Progno-

Prognoſticon ſequentis ſæculi Societatis IESV.



Auſpicium melioris æui.

AVſpicium felix melioris naſcitur æui:
Plaudite Loiolæ iam, ſacra turba, tuo.
Hactenus effrenis tumefacta licentia ponti
Sideraque & tabulas viſa ferire tuas.
Quam non eluuiem, quas non Europa procellas
Attulit? aut quos non barbara regna metus?
At modò parce metu: ſubſident æquoris iræ;
Nec puto iam fluctus, qui timeatur, erit.
Omnia principiis ſurgunt ingentia duris:
Hoc voluit pretio maxima ſtare Deus.
Pòſt tamen erectæ cùm ſtant faſtigia molis,
Quod nequiit liuor perdere, laudat opus.
Sic noctem excipiunt formoſi lumina Phœbi;
Sic triſtes hiemes æquoris, alta quies.
Prima ratis tandem bis denis condita luſtris,
Cùm cæli & pelagi terra lateret aquis;
Auſpicium agnouit ſæcli melioris oliuam,
Quam tulit inuento fida columba ſolo.
Continuò ſiluæ, viſíque aſſurgere montes,
Et facies terræ, quæ fuit antè, redit.
Loiolæa ratis totidem quoque condita luſtris,
Auſpicium ſæcli iam melioris habes.


Societas æternitatem intuetur.



Non eſt mortale quod opto.

CVrritur, & longâ petitur teres annulus haſtâ:
Hoc iuuat: hæc ardens præmia curſus habet.
Annule principij ſemper redeuntis imago,
Decurſæ merces non inhonora viæ;
Tu, Loiolææ quæ meta ſit vltima genti,
Exprimis, & curſu quid petat illa ſuo.
Currit ad Euphraten, &, qui iuga frangit, Araxem;
Currit & ad fontes, aduena, Nile, tuos.
Currit ad Æthiopes, & aduſtos ſolibus Indos;
Currit & ad geminæ diſſita Regna Iauæ.
Currit ad extremos hominum Iaponaſque Sinaſque,
Quoſque Moluca ſuis barbara claudit aquis.
Currit & ad populos humano ſanguine paſtos,
Et quos occiduæ Tethyos vnda ferit.
Diuerſi curſus; finis tamen omnibus vna eſt,
Cùm mortale nihil vota laborque petunt.
Trans Indum gemmas alius ſibi cogat & aurum,
Atque alias alio littore quærat opes:
Quærere quod gazas Arabum, quod ſæcula vincat,
Hæc noſtræ ſemper gloria gentis erit.

IMAGO PRIMI SÆCVLI SOCIETATIS IESV.




LIBER PRIMVS.

SOCIETAS NASCENS.

CAPVT PRIMVM.

Cur diuersis temporibus diuersi Religiosorum Ordines nascantur.



SACROS Religiosorum Ordines à Deo excitari, quàm constans tam vera est rectè sentientium persuasio: sed cur in tempora tam diuersa singulorum ortus ac veluti natales digerantur, non perinde notum est omnibus. Ceterùm etsi arcanorum cælestium cæca plerumque sit inuestigatio; non ita tamen humanis hæc oculis semper subducit Deus, vt nullum eorum numquam ostendat. quæ dum luce suâ velut per nubem erumpunt, oculos nostros ad sui contemplationem inuitant. Quippe cùm Deus, quasi maiestate positâ, veloque diducto, aperit consilia sua, iam intueri illa fas est atque expendere, non tantùm venerari.

Obseruarunt pridem viri sapientissimi, quâ parte laborare aut vetustate torpere nobiliores aliquæ Ecclesiæ partes cœperunt, & labandi periculum minari, continuò à vigili illâ æternæ Mentis prouidentiâ laborantibus succurri; idque effici vt afflictæ recreentur, ac pristino vigori sibique reddantur. Accepimus, quo tempore nata est Societas, non paucos sacrorum Deo hominum, quibus animarum iuuandarum incumbebat cura (quæ fuit illorum temporum corruptela) Dei suique negligentes, otio magis ac desidiæ quàm pietati ac muneri suo deditos, elanguisse; perexiguam in multis doctrinæ, minorem in quibusdam virtutis fuisse curam: hinc eorum quæ sequi, quæ fugere oporteret, maximam populi ignorantiam; hinc in auaritiam, libidinem, Dei contemptum & in omne flagitium præcipitem cursum. Tali rerum statu quid exspe-

Consilia Dei, cur nouos Ordines instituat, esse vt Ecclesiæ laboranti succurrat.

Florimundus de Origine hæres. lib. 2. cap. 18.

exſpectari poterat, niſi, vt hæreſes (quod contigit) & errores, quà data porta, pleno ſe agmine effunderent, & in vrbes ac populos iam vitiis ſuis corruptos ſubitâ contagione longè lateque graſſarentur. Exortâ Societate, tandem reſpexere ſeſe; & veluti è longo veterno exciti, multi quod erant officio ac dignitate, moribus etiam ac virtute eſſe ſtuduerunt. Ipſi frequenter audiuimus à ſenibus memorari, vbicumque Societas veſtigium poſuiſſet, aliam continuò rerum faciem exſtitiſſe; & pro impietate, ignorantiâ, luxu, rei Chriſtianæ peritiam, religionem, probos caſtoſque mores celeriter effloruiſſe. Quæ dum narrarent, lacrymas gaudij, quod intimis pectoribus ſentiebant, indices ſæpè non continebant; quòd in ea vſque tempora vixiſſent, quibus videbant collapſam pietatem erigi, nec iam virtutem minùs, quàm priùs vitia, inualeſcere & coli. Hoc vbi in obſeruationem magis magiſque incurrit, iidem iam ſe felices, imò calamitates temporum propè felices vocabant, quibus par eſſet magnitudo ſolatij, quod optauerant magis quàm ſperauerant: nec finem faciebant Dei conſilia laudandi, quòd tam opportunè Societatem orbi dediſſet. Similem faciebant perito Medico, cui ſatis non eſt vim ardoremque morbi iucundâ quadam gratâque magis quàm efficaci frigoris temperie lenire; ſed propoſitum ac certum eſt cauſſam radicemque mali perſequi, & funditus tollere: ita Deum aiebant, cùm videret corruptelam in vulgus ſerpere, illi Eccleſiæ parti, quæ ceteras ſeruare debebat, medicinam facere voluiſſe, vt felici rerum conuerſione ſanitatem populus ab illis iterum reciperet, à quibus antè nonnihil hauſerat contagionis. Atque hæc multorum fuit opinio.

Altera cauſſa, vt varietas tempeſtiua faſtidientes inuitet.

Alij, vt quiſque pro animi ſui iudicio fert ſententiam, qui diligebant decorem domus Domini, in eumque penitus erant intenti, ſuauem Dei prouidentiam hîc admirabantur; quâ Eccleſiam ſpectabili quodam Ordinum diſcrimine adornare, & pulcherrimâ circumamictam varietate, velut ad elegantiam pergeret expolire: non vt animos piorum tantùm oblectaret, ſed vt oblectatione delinitis cumulatiùs prodeſſet: & quem in modum alimenta, quæ ad victum mortalium neceſſaria erant, varia fecit, ſingulíſque voluptatem ſuam permiſcuit, ne deeſſet quod tam vario hominum palato allubeſceret; ita varios in Eccleſiâ Ordines ab eo excitari prædicabant, vt quibus eſſet animus Dei conſiliis parêre, ſi hinc abſterrerentur, eſſet vnde allicerentur. Quamdiu quidem faſtidio non vexaremur, tantâ varietate opus non fuiſſe. Sicut enim primorum hominum ſtomachis valentibus obuias fruges, inuentaſque in arbuſtis baccas, vel ad neceſſitatem ſuffeciſſe, vel ad honeſtam voluptatem: ita vitam Apoſtolicam recenti ac vegetæ primorum Chriſtianorum virtuti ſanctitate illâ ſuâ ſatis acceptam fuiſſe, quam proinde à principio tantâ varietate & apparatu Deus non condiuerat; ſed, cùm ſenſus populi vnà cum moribus eſſet mutatus, faſtidium illud, quo plerique ſacros homines vitio ſæculi auerſabantur, recenti hac opportunâque varietate depuliſſe, & in reuerentiam amoremque vertiſſe.

Rurſus, vt condendo Orbi dies plures impendit, licet vno temporis momento totum opus omnibus ſuis numeris potuiſſet abſoluere; ita eum exornandæ Eccleſiæ ſuæ alias atque alias ætates aſſerebant deſtinaſſe.

nasse. Cùm igitur hoc sæculo hæreticorum impietas venerabile & sacrum Monachorum nomen per calumnias atque mendacia ludibrio simul & odio exposuisset; reseruatam in hæc tempora Societatem, quæ & esset Ordo Religiosus, & in se maximè varius; & tamen ab aliis ita discederet, vt Monachorum neque numero neque nomini accenseretur; & quamuis Ordo esset mendicans, gratis tamen seruiret alienæ saluti. Deum itaque tam multiplici hominum ingenio, tamque variæ animorum procliuitati, sapientissimè consuluisse, ac velut obsecutum, ne in tantâ familiarum copiâ deesset, ad quam præ ceteris sua quemque animi propensio fortiter inuitaret, diuinus impulsus blandè compelleret. Et profectò ita res habet. quàm multi ad certum vitæ Religiosæ genus animum adiecerunt; qui, si non exstitisset is Ordo quem aliis prætulerunt, à ceteris fortassis abhorruissent omnibus? quàm multi in hanc Societatem conuenere; quæ nisi fuisset, numquam de consiliis CHRISTI sequendis consilium mentemque suscepissent? Ita hi ex ingenio & indole suâ sentiebant.

Tertia caussa, vt nouis hæresibus opponatur.

Genebrardus in Chronico ad ann. Christi 1521.

Plures tamen principem caussam crediderunt, vt nouas satanæ machinationes nouis præsidiis Deus infringat, & opportuna auxilia laboranti Reipublicæ suæ in tempore submittat: qui vt prouidentiam suam paternamque curam clariùs manifestet, inde solet interdum subsidia petere, vnde minimè speres. Ita cùm Pelagius & Manes omni furore vexarent Ecclesiam, quis vmquam opem contra hostem ex ipso hoste sperasset? Augustinus tamen ex illâ ipsâ factione & colluuie aduersus illam prodiit, iamque victoriis insolentem elatamque prostrauit, fregit, euertit; non aliter quàm olim Paulus Iudæorum vim atque rabiem maximè debilitauit atque contudit, quam vnus omnium maximè armauerat. Nostris quoque tam miseris temporibus, quis putasset, Ecclesiæ, quam tot eruditione vanâque eloquentiâ inflati homines inuaderent, suppetias ferendas ab illitterato & rudi milite, eumque futurum huius æui hæreticis, quod olim Nestorio Cyrillus, Iouiniano, Heluidio, Vigilantio Hieronymus, Ario Athanasius? Ita aduersus Albigenses, quorum infelices reliquiæ, teste Florimundo, necdum sunt penitus extinctæ, nobile illud athletarum par, Dominicum & Franciscum, velut in aciem ac puluerem Numen eduxit: omnes hoste suo tantò fortiores ac feliciores, quantò meliorem caussam propugnarunt.

Flor. de Hæres. lib. 5. c. 2.

Cùm igitur portentum illud orbis terrarum & funesta pestis Martinus Lutherus religionem omnem ex animo priùs excussisset, ac tandem vnà cum veste omnem eius speciem, ipsamque peccandi verecundiam, exuisset, & impium Pontifici Ecclesiæque bellum indixisset; nónne aduersus illum in arenam prodiit Ignatius, homo militaris, qui, deposito sago, humilem lacernam vnaque virtutem & ardorem induit, & nouos nouæ militiæ conscripsit socios, quorum inermis pietas de armatâ impietate triumpharet? Non deerant quidem tunc siue sacrorum Præsules, siue illustres in Ecclesiâ Ordines, siue graues Theologi, quorum eruditio & sanctitas magno aduersus eam pestem erat vsui: sed, ne versutissimi hostis astutia plus virium ad inuadendam, quàm diuina sapientia ad propugnandam Ecclesiam adferre videretur; noua supple-

Florimundus ibidem. Genebrardus suprà. Suarez To. 4. de Relig. lib. 1. de Instit. Societ. c. 4. n. 3.

ſupplementa contra nouas machinationes ſubmiſit, quæ integra & recentia reſtaurarent pugnam, ſuoque ardore inflammarent aliorum animos, ſociorumque virtutem ſubleuarent ſuâ. Recentium quippe militum vt nouus, ita maior ferè eſt ardor; dumque verecundia & laudanda æmulatio non patitur fatigatos tironibus cedere, languor ſæpè vertitur in virtutem, & hoſtis pro ſperatâ victoriâ multiplicem vndique ex inopinato accipit cladem. Et verò nouas forteſque ſuppetias exigebat ſæculi prioris calamitas. Conuellebatur miſerandum in modum toto ferè Septemtrione Religio, iamque ſerpebat ad Oceanum hæreſis; quæ velut flamma copioſum nacta pabulum, fuſo celeriter incendio omnia longè lateque depaſcebat. Quippe mox à Luthero (ne quid de Anabaptiſtis dicam) Melanchthon, Carolſtadius, Zwinglius, Bucerus, Oecolampadius, Caluinus, ſimilis parenti ſoboles, prodiere: & ab illo, & inter ſe, & ſecum ipſi non minùs diſſenſerunt, quàm, vt ferunt fabulæ, illa ſubitò nata è draconis dentibus militia. vna tamen omnium & concors in eo erat voluntas, vt nihil religionis præter nomen inane ſeruarent. Etenim ex eâ tollebant, quidquid libido & animi mollities horreret. Itaque accubantes in conuiuiis, vino languidi, cibo confecti, ſacroſancta Fidei myſteria damnabant; & quidquid Baccho & Venere ſuggerentibus eructabant, pro cæleſti volebant eſſe doctrinâ. In ſacrarum Litterarum interpretatione non ſenſum, non Dei mentem, non Patrum, non Conciliorum auctoritatem; ſed libidines ſuas in conſilium adhibebant, & deliramenta ſua pro diuinis oraculis paſſim venditabant. Nec religio erat Dei verbum adulterare, aut etiam è ſacrorum voluminum numero euellere libros totos, ſi nimis apertè inſaniæ ſuæ aduerſarentur. Hoc auſi, quod flagitium non auderent? Nullum propè tam erubeſcendum erat ſcelus, cui ex Euangelio illo ſuo patrocinium non quærerent: hinc nulla apud eos caſtimonia, nulla votorum religio, nulla ieiunia, nulla ſacrorum, nulla Dei præcipientis aut vetantis reuerentia. Peſtifera interim dogmata auidè hauriebantur à rudibus populis in ſolatium delinquendi, pronâ ſemper in peius naturâ, ſibi, vt fit, libenter obſequente. quo quiſque impetu cupiditatis ſuæ rapiebatur, hoc putabat aut oportere, aut licere. Itaque Deum, Diuos, homines certatim violabant. adeò non ſatis eſſe videbatur, ſi moribus ſuis aſſererent illud Diui Hieronymi dictum, neminem eſſe tam impium quem hæreticus impietate non vincat, niſi etiam inter ſe de palmâ impietatis contenderent. Meritò igitur Theologus ille eruditione & virtute clarus ſcripſit, aliud ad animarum exitium dæmones non eſſe facturos, ſi humanâ ſpecie in terras venirent. quidquid enim ad ſcelerum horrorem incitat, quidquid virtutem ac pietatem commendat; hoc omne tamquam aniles fabulas explodebant, atque ex hominum animis ac memoriâ ibant euulſum. Tam robuſtæ interim erant impudentiæ, vt puriſſimi ſe fontes Euangelij recludere paſſim iactarent, cùm aditum ad omne nefas omnibus aperirent. Quod Euangelium dum propagant, rapinis, cædibus, rebellionibus omnia permiſcentes, ſacrilegiis ſuis ſpecioſum Reformatæ Religionis titulum imponebant; cælum, flagitiorum pretium, ſuis aſſeclis addicentes, modò crederent eò ſe, quamuis per ſacri-

Hæreſis quantum mali in Europam inuexerit.

D. Hieron. l. 7. in Iſaiam.

Coſterus in Præfat. Enchir. Controuerſ.

ſacrilegia & libidines ſuas, ire. Catholicos verò, auitæ Religionis tenaces, crudeliſſimè trucidabant; vt quibus æternam vitam auferre non poterant, hanc ſaltem eriperent. Nec ætati, nec ſexui parcebant. Chriſtiani ſanguinis inundatione Regna integra cruentarunt. voluptas captabatur ex innocentium ſuppliciis, tam barbaris & horrendis, vt priſcam tyrannorum immanitatem faciat mitem huius comparatio: vtque ad carnificinam tantam damnarentur, ſatis erat criminis Catholicum eſſe. Sed quid hæc refero, perinde ac ſi hæreſeos ſacrilega facinora vel ſummatim numerari queant? defleri poſſunt, non narrari. E Saxoniâ igitur peſtis hæc prodiens Germaniam ferè totam occupauit: inde ad Aquilonem & Orientem conuerſa, Daniam, Noruegiam, Sueciam, Gotthiam, Pannoniam, Hungariam populabunda vaſtauit. Tum ad Occidentem & Meridiem pari celeritate delata, Galliam inuaſit; Angliam deinde, Scotiam, Hiberniam, penitus funeſtauit. Ita ab vno Saxone temulento lacerata in membris ſuis Eccleſia, an opus non habuit auxilio nouo & robore, quo vel damna ſua repararet, vel bacchantem illam furiam compeſceret? Opus habuit profectò, & datum eſt tantò potentius, quantò clades erat nocentior. Ignatium cum Luthero commiſit Deus, metuendum hoſti aduerſarium, quia profligatiſſimæ impietati, inuicta arma, Chriſtianas virtutes obijcientem. Lutheri aſſeclis Societatem ſuam oppoſuit, quæ tantum flagitiorum horrorem, quantam hæreſis ſcelerum licentiam; tantum amorem pietatis in terras & regna inueheret, quantum illa virtutis odium incautis populis inſtillabat: non minùs denique humanam ſalutem muniret, quàm illa affligeret. Satis vt appareat, deploratiſſimo illo tempore Societatem à diuinâ prouidentiâ excitatam; vt Eccleſia nouo præſidio aucta, tam ingentia ſtragis imminentis acceptæque damna feliciùs vel amoliretur, vel reſarciret.

CAPVT SECVNDVM.

Societas vaticiniis prædicta.

VT imminentes populis clades, ita magnas felicitates Deus orbi frequenter prænuntiat prodigiis, ſignis, vaticiniis: illas, vt impios metu potiùs emendet, quàm pœnâ, & exitium in ſalutem vertat; has, vt ſoletur bonos, & ærumnarum acerbitates, quæ illos vrunt, mitiget, ac poſteritatis gaudia cum illis communicet. Certa ſiquidem meliorum ſpes à præſenti malorum ſenſu furtim abducit animos; & quæ tempore ſeparata ſunt, plenâ voluptatis cogitatione iungit, vt ſæpè non minùs iuuent exſpectata, quàm accepta delectent. Nec minùs poſteris duplicatur gaudium, cùm quod amant, id antequam eſſet, Deo peculiariter curæ fuiſſe intelligunt; ſeque eo bono plenè frui, cuius ſolâ exſpectatione maiores illorum votoque gaudebant. Creſcit etiam à vaticiniis, rerum quæ ſic prædicuntur, maieſtas & reuerentia. Quis enim dubitet de illarum ſanctitate, quas Veritas ipſa antè laudat, quàm terris oſtendit? Certè diuinum quiddam eis ineſſe oportet, quæ etiam ante

Prædictiones bonorum malorumque in cautelam, & ſolatium:

etiam in commendationem.

originem suam à Numine quodammodò consecrantur & commendantur posteritati priùs, quàm vel illæ vel posteritas esse cœperunt. His adde, huiusmodi vaticinia amoris quædam esse eaque perspicua signa: qui, si exilis est, celare se potest; immensus, erumpit, nec arcanorum patiens est. CHRISTVS igitur, quia Ecclesiam suam tenerrimo sponsi amore diligit, non sustinuit Societatem suam suppetias illi laturam tam diu occultare, donec eam orbi daret. Prælibandum erat sæculis prioribus illius gaudium. Sed futurorum prædictiones quàm veræ, tam obscuræ: neque aliter ferè lucem solent accipere, nisi ab euentis; quæ prænuntiata fuisse, nullum ipsa dubitationi locum relinquunt, cùm omni ex parte vaticiniis suis respondent. Quàm apertè, quàm non inuolutè (vt nobis iam videtur) & sine ambagibus locuti sunt Vates de venturo in orbem humanæ salutis assertore CHRISTO? Eum omnes canebant, promittebant, & ceu præsentem pænè certatim deprædicabant. Viuis adeò illum coloribus Isaias depinxit, vt rerum gestarum historiam scripsisse potiùs, quàm quosdam spei tantùm radios strictim velut per nubem emicantes, vt Vatibus mos est, ostendisse videatur. Quàm tamen omnibus qui illum antè legebant, visus est obscurus? *Obsecro te*, inquit ille, *de quo Propheta dicit hoc? de se, an de alio aliquo?* Potéstne inuolutius aliquid esse, magisque cæcum, quàm si non appareat, quo de homine, aut quâ de re sit sermo? Apostolis, quos ipse Seruator tam diu, tamque accuratè erudiuerat, non intelligebantur Scripturæ (sic Hebræi vocabant sacra Vatum volumina) donec infuso de cælo Spiritu, eorum ingenio quasi accensâ per noctem face præluxisset. Quid, quòd Pontifices ipsi, quibus incumbebat diuina oracula interpretari, longè sibi alium Messiam, moribusque & apparatu à CHRISTO planè diuersum, finxerant & exspectabant? Et quamquam, vt diuinæ legis ac voluntatis interpretes, veteraque euoluerent, ac noua effarentur; se tamen, vt Caiphæ contigit, non capiebant ipsi, suaque illos oracula fallebant. Adeò quasi obscurâ sub nube occultari solent, quæ venientes anni affusâ euentorum luce paulatim euoluunt ac produnt; nec aliter ferè humanæ mentis aciem ludunt, quàm quæ oculis eminus obiecta, dubiâ sui specie illos quantumuis fixos intentosque fallunt. Moueri videas eminus quidpiam; sed simul, an seipso, an ab alio, ambigas: si edita quietaque stet moles, turrim te videre, an arborem, dubites: si progredi cernas, ob interuallum tamen hominem à iumento sæpè non discernas, quamuis tam acutùm videas quàm aut aquila, aut serpens Epidaurius.

Sunt obscuræ, & ab euentis lucem accipiunt.

Act. 8.

Nos igitur, qui sacrorum voluminum arcanos sensus eminus tantùm, & oculis deficientibus sequimur, & ad quos temporum & æui vitio non omnes libri diuini peruenerunt, in tenebris versamur multò densioribus: ac tum demum vaticinia perspicimus, cùm quæ ab illis eminus, & velut per nebulam ostentabantur, cominus tandem pulsâque nube propiùs intuemur. Tum verò iucundâ memoriâ repetimus, qualis antè res visa fuerit, quid dubios reddiderit, quídve latuerit, cur vsque adeò hallucinaremur. Sed vt eò veniamus, quò hæc tendunt; Sacra veteris æui oracula ideam quamdam Ecclesiæ descriptionemque exhibent, inde à CHRISTI aduentu, Regnique eius constitutione, pertinentem vsque

Ecclesia à Prophetis descripta.

ad

ad sæculorum omnium decursum vltimamque metam; & in iis describunt tempora in quibus versamur. iubent enim Ecclesiam in primis securam esse de victoriâ, quamuis impietas omnibus inferorum armata furiis, omnes in illam vires & rabiem effundat atque consumat. Videbitur quidem interdum iis tantùm-non succumbere: sed opportuno auxilio subleuabitur à Duce & Imperatore suo; & ex metu luctuque ita recreabitur, vt lacrymæ, quas dolor expresserit, gaudio manare pergant. Quemadmodum belli Ductores hostium consilia & conatus, quos per exploratores cognouerint, militibus solent exponere, ne ad improuisas irruptiones trepidi arma fortassis & animos abijciant; vtque periculis animosiùs occurrant ac resistant, eos propinquâ copiarum auxiliarium spe confirmare, certamque ab his victoriam polliceri: denique suum in illos commendare amorem, curam, liberalitatem; atque ita sæpè illos accendere, vt à periculis ipsis & cladibus animos sumere videantur. Eumdem in modum Deus, qui Ecclesiam suam in hostico militantem, in aperta quandoque & extrema discrimina videt adducendam, spem eius certissimis erexit promissis, fore quidem vt acerrimè oppugnetur, & in magnas redigatur angustias; sed tandem vt causâ, ita bello victricem fore. Tempora, quibus superiore æuo affligebatur Ecclesia, iam tum Regio Vati ostendit, eiusque verbis præmonuit, non defuturos proditores suorumque desertores castrorum, qui ciuile quasi bellum per seditionem excitarent. Sed nónne promittit se laboranti pro voto subuenturum, profusâque in afflictos liberalitate semper vsurum? & cùm *infirmabitur*, quæ opem ei ferat, opportunè conscripturum nouam, inuictique roboris legionem, quam adeò suam suoque nomine volet appellari? Certè, qui sequentia vaticinij verba, quique quæ euenerunt expenderit; Societatem IESV laboranti Ecclesiæ, totque suorum defectionibus *infirmatæ*, in tempore submissam, non obscurè fatebitur adumbratam. Cùm enim ab armatâ perfidiâ cingeretur vndique & inuaderetur, & à suis, qui magno numero rebellabant, premeretur atque *infirmaretur*; an non Deus omnia in melius vertit, atque ex hac ipsâ secessione, mollibus & ignauis quasi resectis, illam longè fecit illustriorem ac valentiorem? quippe spuriæ illi, deliciisque fractæ, & se tantùm corporaque sua curantium turbæ substituit Societatem, legionem illam suam; quæ & eius vestigiis quàm proximè conaretur insistere, & hostibus intrepidè se opponeret. Obscuritatem sententiæ Dauidis faciebat vocabulum Hebræum חיה *haiath*, quod quidem cohortem siue societatem significat; ob nominis tamen ambiguitatem, vt facilè fit, Interpres verterat in vocem *animalia*: quâ versione nihilominùs positâ, adhuc eôdem spectare potest oraculum, vt eleganter demonstrat Velasquez noster. Sed res adhuc absens, aciemque dubiam subterfugiens, illud haud paulò reddebat obscurius. Euenta cum vaticinio conferamus. Quàm longè patet ad Orientem Asia, quàm latè ad Occidentem America excurrit, quàm vasta ad Meridiem protenditur Africa, per tam immensa terrarum spatia verus Dei cultus pridem exoleuerat. in Europâ, parte orbis minimâ, supererat Ecclesia; sed seditione belloque intestino miserè

Præmonita de periculis, sed securitate de victoriâ confirmata.

Psal. 67.

Societas IESV *Ecclesiæ laboranti promissa.*

Tom. 1. in Epist. ad Philip. c. 2. annot. 9.

lacera-

lacerabatur, cùm Deus opem illi ab æuo promissam ferens, iussit *animalia sua habitare in eâ;* siue, vt sonat Hebræa vox, Societatem suam, cohortem suam, legionem suam, iussit *habitare in eâ.* Cùm audis *animalia sua* in auxilium mittere, an equos generosum animal, an elephantos ingeniosam belluam, & militiæ idoneam, an tigrides, an leones, & si quæ sunt his aut ferociores aut fortiores feræ, missurum in hostes arbitraris? id si opinaris, procul aberras à vero. *Sua animalia* suos vocat milites, quorum robur & virtutem apud alium Vatem animalium notis figurisque descripserat: non aliter quàm Seraphim & Cherubim, summos felicissimosque militiæ cælestis Principes, animalium similitudine adumbrâuerat. Ita se Numen captui nostro accommodat: vt, quæ sensibus nostris subducuntur, aliquâ tamen ratione intelligamus. Sed quæ & qualia facit *sua* illa *animalia*? Videamus enim, an Sociis IESV nomen hoc conuenire possit. Dat animalibus suis *frontes quatuor*, vt in omnem mundi regionem non per interualla, sed eodem simul tempore oculos circumquaq; defigant. *Vnumquodque*, inquit, *ante faciem suam gradiebatur.* hoc est, gradiebatur quà facies spectabant; spectabant autem in omnem simul partem. Non igitur Europæ tantùm legionem illam suam quasi præsidium imposuit, sed in hostem toto orbe sparsum emisit; non tantùm solicitus seruare conuulsæ Ecclesiæ reliquias, sed etiam oppressa reliqui orbis Regna ab immani tyrannide & barbarie liberare. Agnoscísne igitur in animalibus his Societatem? de quâ Pius Pontifex, *Non contenti*, inquit, *terrarum finibus*, vt quorum animis & virtuti vnus orbis non sufficeret, *vsque ad Orientales & Occidentales Indias* quasi nouos mundos *penetrarunt.* Sed cur? an vt aurum inde gemmasque, & incognitas merces reportarent? *Perque eorum*, inquit, *spiritualia exercitia etiam Regna ipsa fidem* CHRISTI *agnouerunt.* Vix egressi erant ad bellandum *bella Domini*, cùm Regna integra ditioni Regis sui CHRISTI subiecerunt. *Ite*, inquit Isaias, *Angeli veloces.* Militiam hanc iisdem titulis ornat eodemque honore, quo cælestem: modò *animalia*, modò *Angelos*, mox alio compellabit nomine. *Ite*, inquit, *Angeli veloces.* magnum in celeritate solet esse momentum. *Ite ad gentem conuulsam & dilaceratam*, ad regiones ab idololatriâ & hæresi luctuosissimè vastatas, pridem rescissas ab Imperio meo & auulsas. *Ad populum terribilem, post quem non est alius.* ad Iapones & Sinas, vbi continget vobis victoria, sed non incruenta. Rigandi sunt agri illi vestro sanguine, vt in iis palmæ vestræ laureæque victrices lætiùs crescant. Sæuient in vos qui populum istum meum *conculcauerunt.* Sed ne palmam in manibus vestris timor infringat: audete modò vincere. Si tantùm pugnaueritis, vel cadendo vincetis. *Ite*, & longâ spe propè fractum populum, ac diuturnæ tyrannidi miserè intabescentem, in libertatem vindicate. *Ite* per ignota priscis maria, & ceu *nubes* per orbem circùm vndique *volate.* Nulla vos moretur corporis curandi, nulla commeatus cura. Quos olim misi *sine sacculo & perâ*, nullius rei penuria à gloriosissimis expeditionibus retardauit. Neque vos detineant eiusmodi onera & sarcinæ, impedimenta potiùs, quàm subsidia militiæ meæ. Accepto imperij signo, *ite, volate;* & vt grauidæ *nubes* doctrinam vestram vsque in

Societatis descriptio.

Pius V. in Bull. Societ. p. 111.

Societas prædicta ab Isaiâ Prophetâ. Isaiæ 18.

in vltimas insulas effundite; meique amoris obsequiis velut culturâ sementem, quam facitis, fouete.

Hæc ego, quia magnifica & augusta, verecundarer Societati adscribere; nisi opera Dei manifestare, non tam nobis gloriosum esset, quàm illi; & si quæ dico, à me essent inuenta. Sed cùm ab incorruptis grauibusque auctoribus, Benzonio, Lumnio, Bozio, & Vlysse Aldrouando aliisque, Societati tribuantur, cur fas non sit eorum iudicium sensumque sine inuidiâ referre?

Benzon.lib. 1.de Iubil. cap.8. Io. Freder. Lumn. lib. 2. Corn. à Lapide in Isa. cap.69.

Societas prænuntiata à S. Ioanne Euangel.

Habuit etiam Vates suos Ecclesia, postquam ex vetere illâ Iudæorum in augustiorem Deoque magis dignam speciem à CHRISTO est renouata: quos inter primus & vnus ferè celebratur Ioannes, Apostolus idem, & sacræ Historiæ accuratissimus scriptor. Is in eo libro, quem scribit de rebus quas in Ecclesiâ euenturas à Deo acceperat, vidisse se ait stellam de cælo cadentem, cùm quintus Angelus tubâ cecinit. Quid, obsecro, dici poterat ad rem nostram aut opportunius aut euidentius? Ecclesiam cælum, Doctores stellas, Angelos ductores Ordinum & Ecclesiarum rectores, quasi sacris notis designari nemo nescit, quicumque vel mediocriter in sacris Litteris est versatus. Hinc aliquot antè sæculis, velut in re minimè dubiâ, minimeque obscurâ, S. Thomas Aquinas, aut, vt alij, Anglicus, quatuor Angelis quatuor Prædicatorum Ordines, qui suâ ætate florebant, designatos ait. De quinto sic interpretatur dicam, an vaticinatur? *Alium* ait *Prædicatorum Ordinem excitatum iri, cùm alia fuerit hæresis exorta.* Quidquámne vel à nobis, qui prædictionem euentu comprobatam vidimus, dici posset apertiùs? Orta est hæresis, cùm *stella de cælo cecidit*, cùm Doctor Lutherus ab Ecclesiâ secessit. Quid censetis, Pannoni, tuque Bellarmine, viri sacrarum Litterarum peritissimi? De Ecclesiâ, inquiunt, & cælesti Religionis vitâ, repentino & horribili casu Lutherus in terram decidit, factus de Sacerdote profanus, ex paupere locuples, ex cælibe & continente maritus & adulter: humilem cellam in palatium, sacram & pannosam vestem in vanam & mollem, victum tenuem & parabilem vertit in lautitias & cupedias: quique propter CHRISTVM agros, nummos, liberos, vxorem contempserat; iterum vxoris, liberorum possessionumque caussâ CHRISTVM reliquit, & Christianam libertatem in libidinum licentiam commutauit. *Cecidit* igitur *stella*, erupitque ex inferis hæresis, cùm Ignatius, & ille quem ducebat Ordo, *tubâ cecinit*, diuinique Verbi præconium quaquauersus cœpit extollere. Quisquámne igitur dubitabit, an magnum illud fuerit bonum, quod Ecclesiæ vastitatem suam lugenti, & extremis cum periculis conflictanti Deus promisit? quod oraculis toties repetitis, quod verbis tam amplis tamque magnificis commendauit? Ingens profectò discrimen fuit, quod à tam infami ruinâ stellæ de cælo cadentis adiit. Quippe data erat stellæ caducæ *clauis putei abyssi. Et aperuit puteum abyssi: & adscendit fumus putei, sicut fumus fornacis magnæ: & obscuratus est sol & aër de fumo putei.* Numquid enim hi quinti Euangelij buccinatores, diuini cultus puræque religionis lucem, quam extinguere non potuerunt, errorum caligine velut denso fumo inuoluerunt; adeoque Solem ipsum iustitiæ Deum proiectissimâ

In cap. 9. Apocal.

Apud Osor. Tom. 4. Conc. 1. Bellarm. Præfat. ad Tom. 3.

ctiſſimâ viuendi licentiâ, velut obiectâ nube, ita obſcurare conati ſunt, perinde ac ſi omnino non eſſet? Sed nolo tam funeſto argumento ingentis, quo clades illa abundè penſatur, ſolatij ſæcularem hanc fœdare lætitiam. Eſt profectò vnde laudemus Dei benignitatem vigilemque curam, qui fuit in neceſſitate *adiutor fortis*; iacturamque illam nouo multiplicique cælorum ornatu ita ſolatur, vt vitiatum Eccleſiæ noxiumque germen videri poſſit amputaſſe, cuius loco ſuccreſcerent noui ſurculi, lætiſſimâ foliorum vmbrâ, & mox fructuum copiâ exuberaturi; aut certè eradicatæ labruſcæ feracem præſtantium racemorum vitem ſubſtituiſſe.

Pſal. 70.

Sed non contentus promiſſione ſemel factâ, ſicut olim omnibus oraculis, vſque ad deſignata & loca, & tempora, & hebdomadas, Filium venturum canebat; imò illo ipſo tempore quo venerat, eum per Pontifices indicabat, cùm Herodi reſponſum eſt quo loco naſciturus eſſet: ita modò hanc Filij ſui Societatem, vſque ad ipſa ferè tempora quibus eſt nata, Eccleſiæ ſuæ promittere non ceſſauit. Ego verò medij temporis vaticinia non exponam vberiùs, quæ partim ex S. Vincentio commendat atque explicat Orlandinus, partim ex Ioachimo Abbate pluriма præclariſſimaque adfert Benzonius. Nimis enim magnifica ſunt & illuſtria, quàm vt à nobis ſine verecundiâ poſſint fuſiùs referri. quæ quidem niſi publica eſſent, & aliquot etiam ſæculis ante Societatem conditam in lucem edita, ſuſpicionem mouere poſſent, non iam tum pronuntiata, ſed poſteà fuiſſe excogitata; adeò manifeſtè Societatem non quaſi futuram, ſed velut præſentem, nec minùs æuo illi quàm noſtro notam deſcribunt. *Venturum* enim aiunt *nouum Ordinem & Religionem Doctorum, deſignandum ab* IESV, qui ita *Clericorum* ſit, vt complectatur etiam *laicos Religioſos*, qui *clareat ſexto Eccleſiæ tempore, atque in fine mundi*; *eumque fore & Apoſtolicum, quique peculiariter ſubſit obedientiæ Summi Pontificis, & eruditum, qui tumidis magiſteriis* (verba ſunt Vatis) *ſtudiis ſuis ſilentium imponat.* Quàm hæc plana, quàm aperta, quàm Societati propria! numquid enim Societas hæc alio quàm IESV inſignitur nomine? numquid non Ordo eſt Clericorum, qui & adiutores habet laicos? Quàm multis errorum magiſtris eruditione ſuâ ſcriptiſque ſilentium impoſuit? Sed quis ferat à nobis dici, quòd iidem dicunt Auctores; Ordinem illum à *ſpiritus libertate*, & *Dei erga illum fauore præcipuè* commendandum? *perfectione alios omnes ſuperaturum, & inſtar Beniamini præ ceteris à Deo diligendum? illius operâ Pontifices potituros pace? Ordinem hunc iuſtorum futurum, cui datum ſit perfectè imitari vitam Filij hominis, collecturoſque in aream Domini vltimam meſſem?* qui dicantur *ſedere ſuper nubem propter contemplationem: futurum denique Ordinem perfectorum virorum, ſeruantium vitam* CHRISTI *& Apoſtolorum?* & id genus plura; quæ tamen à Benzonio & aliis Societati IESV attribuuntur. Faxit Deus, vt hæc tam præclara encomia factis repræſentet Societas.

Prædicta etiam Societas à S. Vincentio, Tract. de Vir. ſpirit. cap. 19.

& à Ioachimo Abbate. Benzon. ex Ioach. Abb. c. 10. & 14. in Apoc. Ioach. c. 15.

Idem cap. 1. in Ierem.

Idem in c. 14. Apoc.

Pauca nunc libet recenſere, quæ ſub ipſum Societatis ortum edita ſunt oracula; quò propinquiora, eò etiam apertiora: perinde ferè atque aurora, à ſole iam vicino plus lucis mutuata, ſubluſtri nocte haud paulò eſt clarior. Obiit Mediolani annis ante Societatem conditam circi-

circiter quindecim Archangela Panigarola, Cœnobij S. Marthæ, cui præfuit, Religiosa, magnæ virtutis mulier. Huic ferunt Diuos sæpè spectabiles se obtulisse, & familiariter cum eâ sermocinando futura multa prædixisse. Fortè imploranti subsidium pro Ecclesiâ, quam peccandi impudentia, & ex hac sensim nascens hæresis miserè ibat infestatum, diuinitus responsum est, appetere iam tempus illud, quo Ecclesiæ toto orbe laboranti succurreretur, per Sacerdotes Apostolicos de Societate IESV. Hoc Diuûm monitu mirè solata suas Archangela, decessit. Maria deinde Arconata, Monasterij eiusdem Antistita, certas preces Virginibus suis indixit, quibus Deum tam felicium temporum accelerationem quotidie flagitarent. Anno tandem 1564. S. Carolus Borromæus in Pastoralis curæ subsidium impetrauit Benedictum Palmium, *eloquentem* (vt Glussianus) *& zeli plenissimum concionatorem Societatis* IESV, *cum alijs sodalibus, quorum Ordinem optabat Mediolani stabilire.* Horum aduentu & nomine cognito, sacræ illæ Virgines, apud quas recens adhuc erat Archangelę memoria & vaticinatio, rem omnem Palmio exposuere, & publicis postmodum litteris ad Claudium Aquauiuam Societatis IESV Præpositum Generalem datis, Antistitam suam annis superioribus de propinquo Societatis ortu ac virtute, ita, vti dictum est, vaticinatam esse testificatæ sunt. Par fuit huic altera prædictio, æquè recens.

Prædicta etiam ab Archangelâ Panigarolâ & alijs. Sacchin. Hist. Societ. Tom. 1. l. 7. num. 36.

Ioan. Petr. Gluss. l. 1. Vitæ c. 9.

Franciscum Xauerium Parisiis splendidè nimis ac magnificè viuentem parens domum reuocare decreuerat. Odorata consilium parentis, Francisci soror, Discalceatarum Antistita, virgo sanctimoniâ insignis, Iasso Patri persuasit, ne sumptui parceret: quippe illum à Deo noui Orbis vltimique Orientis Apostolum destinatum. Exstant hæ litteræ in Xauerio castello testes vaticinationis; cuius euentus tam orbi est notus, vt nullam eius partem lateat. Nec Belgium hoc nostrum eiusmodi oraculis non gloriatur.

Tursell. Vitæ S. Xauer. l. 1. c. 2.

Erat Arnhemij Reinolda vidua opinione sanctitatis inclyta. Huic Deus aperuit Religionis & bellorum calamitates, Germaniæ ac potissimùm Belgio imminentes. Sed, armis vtcumque positis, Religionem quoque Catholicam per nouum Religiosorum Presbyterorum Ordinem instauratum iri. Hoc Numinis oraculum Reinolda sex ante natam Societatem annis in coronâ propinquorum exposuit, vt latiùs Libro sexto huius Operis explicabitur. Sed quia è pluribus Europæ regionibus singula referre scriptionis huius angustiæ non permittunt, traiicere placet in alium Orbem.

Rader. in Vitâ P. Canisij l. 1. c. 1.

Societas nostra vt saluti fuit etiam Ethnicis, ita & illis multò antè fuit à Deo præmonstrata. In vastissimis illis Paraquariæ prouinciis, tantam vbique inter barbaros memoriam vestigiaque S. Thomæ Apostoli inuenere Socij, vt dubitari non possit, Apostolum istic olim fuisse. Sed nihil Christianæ Religionis illic durauerat præter famam, Apostolique & vaticinationis ab illo prolatæ memoriam. Prædixerat iam tum, post multa sæcula Sacerdotes sibi in Apostolico munere aliquando successuros, qui eadem, quæ tunc ipse, posteros docerent; quique, vt ipse, cruces manu gestarent. Visa in manibus nostrorum crux, quam horum ignari pro scipione gestabant, & subsecuta Euangelij explicatio, barba-

Ann. Paraq. 1626. & 1627. fol. 109.

ris

ris fidem fecit, nostros esse eos, quos Apostolus olim venturos promiserat. Oraculum ipsi à maioribus longâ serie acceperant. Nec vanum commentum esse creditum fuit, cùm per disiunctissimas nationes, quas inter nec est nec esse potuit commercium, ab omnibus idem prorsus vaticinium celebraretur. Hæc in Occidentis Indiâ.

An. Æthiop. 1625. f. 217.

In Æthiopiâ ferunt quemdam ope nostrorum CHRISTO adiunctum asseuerasse, sibi apud Galas (populus est Æthiopiæ præ ceteris barbarus) agenti ab incolis dictum: venturos eò breuî Sacerdotes albos, qui Æthiopiam errorum plenam, aliam legem essent edocturi.

Ribera in Vit. S. Teres. l. 4. c. 5.

Plura non recenseo, ne copia pariat fastidium. illud tamen tacitus præterire non possum, quod euentu suo comprobandum, vt cetera, confidimus. S. Teresiæ rerum cælestium contemplationi suauiter intentæ oblata species Sociorum IESV, candida in cælo vexilla manu gestantium. Quod spectaculum magnâ voluptate intuenti, Quid si scires, inquit CHRISTVS, quantum opis olim ab his ferendum sit Ecclesiæ? Atque hoc idem illud est quod Ioachimo Abbati visum fuit. Sed spes tanta bonis erit solatio, nobis verò stimulo, vt virtutem paremus, ac animos, hac Dei militiâ & Societate in vltimo rerum discrimine hosti obiiciendâ dignos.

CAPVT TERTIVM.

IESVS *primus ac præcipuus auctor Societatis.*

IESVS *primus auctor Societatis.*

Societas IESV, vt à S. Ignatio de Loiolâ non ducit nomen, ita neque originem primam. & aliud sentire aut loqui, nefas. Neque hæc filiorum in Parentem est iniuria, honorem illi suum abrogantium, sed sinceritas iudicio illius & veritati subscribentium. Quippe Societas IESV humanum inuentum non est, sed ab illo ipso profectum, cuius nomen gerit. Ipse enim IESVS illam viuendi normam, ad quam se dirigit Societas, suo primùm exemplo, deinde etiam verbis expressit. Vota siquidem illa, quæ sunt nexus & velut anima Religionis, Apostolis suis ac Discipulis primus proposuit, persuasitque. Quæ res cùm è DD. Augustini, Hieronymi, Thomæ, principum Theologorum, sententiâ tam sit manifesta, vt in dubium vocari non possit; quid caussæ est, cur non & Religiosos Apostolos fuisse, & vitam Religiosam vt à CHRISTO primùm traditam, ita ab Apostolorum Societate primùm acceptam cultamque fuisse fateamur? Idem æquè certò affirmare licet de Clero illius ætatis fermè vniuerso, qui ad Apostolorum exemplar totus instituebatur. neque verosimile est hanc Religionem cum Apostolis extinctam intercidisse; sed continuâ successione in eorum Discipulis fuisse propagatam. Dubitare de hac re non sinit Possidonius in Vitâ S. Augustini, quem refert *mox à sacerdotij Ordine suscepto intra Ecclesiam instituisse Monasterium, & cum Dei seruis viuere cœpisse secundùm modum & regulam sub sanctis Apostolis constitutam*. Sic Possidonius.

Sed, quod ad faciendam fidem satis est: hæretici Apostolos his votis obstrictos fuisse negant; neque castè vixisse, etiam postquam CHRISTVM

stvm vocantem ſecuti ſunt, tumultuoſiſſimè vociferantur. Sentiunt enim arcem hîc religionis ſuæ, hoc eſt libidines ſuas peti, quæ illis prima ſunt maximaque religio. ex harum enim arbitrio omnia nouæ religionis ſuæ placita ſanxerunt. Quorum tam ſolicita aduerſus manifeſtam veritatem digladiantium inſania, dum ſeipſam iugulat, ſimul conuincit, quis ſit ſemperque fuerit Orthodoxorum de Apoſtolorum Religione ſenſus, quæ ſententia. Apoſtoli igitur, primique illi Sacerdotes Religioſi, non ideò tribus illis votis ſeſe obſtrinxerunt, vt à turbâ remoti ſibi tantùm ac Deo viuerent, ſed vt in ſuam aliorumque ſalutem pari ſolicitudine & curâ incumberent; carceres, ſupplicia, mortes in extremis ducerent, quandocumque ageretur ſalus animarum: pro quâ omne ſolum illis eſſet patria; vexari à barbaris, voluptas; ludibrio haberi, gloria; excarnificari, beneficium; votum, perire.

Quæ cùm ita ſint, perſpicuum eſt, Societatem Iesv ab Apoſtolorum Inſtituto ac Religione non differre niſi tempore; nec eſſe nouum Ordinem, ſed tantùm inſtaurationem quamdam primæ iſtius Religionis, cuius auctor vnus & ſolus fuit Iesvs. Sicut enim Apoſtoli ſaluberrimis Magiſtri ſui conſiliis obſecuti, Euangelij promulgandi cauſsâ caſtam pauperemque vitam duxerunt; ſic idem Inſtitutum profitentur quicumque huic Societati dant nomen. Et quemadmodum illi peculiariter ſe Christo conſecrarunt, vt pro ſalute animarum ex eius nutu ad quodlibet latus mundi impigrè aduolarent: ita etiam Societas Iesv, quacumque ſe porrigunt terræ, quacumque ſe maria diffundunt, obedientiæ ſuæ laborumque ſpatium explicat. Apoſtoli ceterique Diſcipuli Christvm, quamuis iam ab hominum commercio ſublatum, præſentem tamen in Petro & imperantem pari obediendi ſtudio ſemper agnouere: Societatis huius alumni in idem prorſus obſequium, Christi Vicario deuouent ſeſe, eiuſque nutum pro diuino oraculo ſemper intuentur. Denique ſicut illi & communi vitæ normâ, & continuis vaſtiſſimorum itinerum laboribus pro ſalute alienâ ſuſceptis Christvm ducem ſecuti ſunt: ita Societatis homines (quod de illis dixit Pius IV.) *ſicut nomen* Iesv *aſſumpſerunt, ita opere, doctrinâ & exemplo Dominum noſtrum* Iesvm Christvm *imitari, & eius veſtigia ſequi nituntur.* Ex quibus ſatis apparet, Societatem Iesv non eſſe Religionem nouam, ſed vel eamdem quæ fuit Apoſtolorum, vel illi ſimillimam, quæ primum ſui auctorem, præter Iesvm, agnoſcat neminem.

Societas Iesv eſt vita Apoſtolica.

Nec aliud ſenſere Summi Pontifices, quorum effata in rebus huiuſmodi errori non ſunt obnoxia, quia neſcio quid inſtar oraculi ab ipſo Numine accipere exiſtimantur. Itaque lecta Inſtituti noſtri formula Paulo III. hanc vocem expreſſit: *Spiritus Dei eſt hic.* Gregorius XIII. in geminâ Societatis confirmatione, *S. Ignatium inſtitutorem ac Socios eius à Spiritu ſancto excitatos* pronuntiat. Gregorius XIV. *Religionem Societatis* Iesv *nouiſſimis hiſce diebus diuinâ prouidentiâ excitatam* ait. Ita Pontifices: quorum teſtimoniis non pro arbitrio adhibetur fides, ſed debetur. Quin ipſe S. Ignatius Societatis conditæ laudem non ſolùm ex modeſtiâ, ſed etiam ex animi ſui ſententiâ, Deo attribuit omnem, dum ait,

Societas diuino nutu inſtituta.

ſummam ſapientiam & bonitatem Dei creatoris noſtri eſſe, quæ conſeruatura eſt, gubernatura, atque promotura in ſuo ſancto ſeruitio hanc minimam Societatem IESV, *vt illam dignata eſt inchoare.*

Quid verò illa tam illuſtris, totaque miraculum, Ignatij adhuc iuuenis & cæleſtium rerum rudis, & militariter ferocis, conuerſio, gladiique & balthei cum ſcipione & ſacco permutatio? quid illa ſpecies CHRISTI ferentis crucem, ſuumque Romæ patrocinium pollicentis, precanti oblata, dum Ordinis ſui approbationem procuraturus peteret Romam? an hæc non euincunt, opus quod moliebatur Ignatius, Dei fuiſſe, non hominis? Quid illa Bartholomæi Guidiccioni Cardinalis ſubita mutatio, quæ illum ex Ignatij aduerſario repentè in patronum vertit, tametſi contra nouos Ordines, Collegarum omnium animos & ſuum obfirmauerat? Non fuit hæc iudicij humani inconſtantia, ſed vis occulta diuini imperij, humanam pertinaciam fruſtrà renitentem expugnantis; cui facile eſt, vt voluntatis ſuæ obſtacula diſiiciat, ipſam quoque contumaciam frangere.

Argumenta denique Societatis à Deo, non ab homine, originem trahentis ſunt, approbatio eius & confirmatio à tot Pontificibus renouata, & aliis ſemper atque aliis diplomatis ſtabilita; tot hominum doctrinâ & genere illuſtrium, qui Societatem amplexi ſunt, incredibilis virtus & conſtantia; tantum eius tam breui tempore augmentum, per tot aduerſariorum impetus creſcentis, imò ab illis vires capientis, nec niſi obiectâ omnibus patientiâ pugnantis; profectus denique ad fidei, pietatis ac religionis incrementum tantus, vt, ſi luctuoſum videatur aliquot populos per hæreſim ab Eccleſiâ reuulſos defeciſſe, non minùs iucundum ſit tot nouas gentes ad CHRISTVM per Societatem adductas. Non hæc Ignatij, non Sociorum eius fuit induſtria, quia mortalem imbecillitatem excedit. vis eſt Numinis, Societatem ſuum eſſe opus probantis: cui animos ſufficit & vires, vt quod ipſe vult, illa nihil cunctetur aggredi; quod ipſe facit, facere illa videatur. quæ donec, vt cœpit, origini ſuæ hærens laborabit, tam diu malis humanis altior, caducâ mortalitate robuſtior, ſentiet etiam originis ſuæ magnitudinem & vires.

CAPVT QVARTVM.

Cur huic Ordini nomen Societatis IESV.

VEre cæca eſt inuidia, quæ non diſcernit in quid impetum faciat, modò in eum quem odit, rabiem ſuam effundat. laudem in contumeliam vertere, honeſtum probro, virtutem crimini dare nihil cunctatur. indulgere ſibi gaudet, etiamſi aliud furoris pretium non referat quàm maius tormentum ſui. Hoc ſentit malo ſuo infelix hæreſis, quæ non tantùm Societatis homines odiis, calumniis, &, vbi vel fucato fictoque religionis aut iuſtitiæ titulo potuit, etiam gladiis & ſecuribus ſemper inuaſit; ſed etiam Societatis nomen omnibus probris & conuitiis exagitauit, tamquam ab ipſo faſtu & ſuperbiâ petitum. quod reuera, vti mox demonſtrabimus, ipſa animi ſubmiſſio excogitauit & reli-

religio. suæ interim superbiæ haud ægrè ignoscit; quâ supremum rerum iudicium sibi arrogat, & quidquid illi displicet, quamuis sacrum, quamuis sanctum, pari supercilio damnat: &, cùm verba non potest, animum tamen accusat, & de mente fert sententiam; perinde ac si oculos in cogitationes quoque humanas ita insereret, vt Lynceus ille à Poëtis fingitur parietum septa & arborum truncos visu traiecisse. Sed frustrà hæretici vt in Societatem, ita in eius nomen stomachantur: cuius splendorem ac lucem dum ægris ab inuidiâ oculis non ferunt, graculorum more Soli nequidquam obstrepentium; vanis tantùm clamoribus inanes iras explent; sed quarum pœnas primi ipsi & soli sentiunt. Nam quod depressum volunt, ita insectando magis extollunt; quod obscuratum, magis illustrant. Vt enim non eleganter minùs quàm verè testatur D. Hieronymus, hoc ipsum hæreticorum odium, signum est gloriæ maioris eius quem odio prosequuntur ac detestantur. Neque immeritò ita iudicat vir sanctus. vt enim à malis laudari infamia, ita ab iisdem carpi ac lacerari gloria est; damnari ac diris deuoueri, quidam virtutis de improbitate ac malitiâ triumphus. Itaque illorum hîc conuitia refellere non est animus. ipsi illa satis damnant, dum quod culpant, ambiunt; nobisque ridendi magis, quàm confutandi materiam præbent. Nimirum hoc sibi nomen (quis credat?) sumpsissent, si tantùm id illis venisset in mentem: occupatum enim illud à Societate, Societati extorquere sunt conati, vt saltem nomine pietatem præferrent, quâ videbant doctrinam suam & mores destitui.

Societatem frustrà hæretici calumniantur.

S. Hieron. Ep. 80. ad August.

In oppido Thuringiæ Mulhusio (vt referunt Annales Collegij nostri Heyligenstadiensis) Lutheranus verbi minister scripto edito asseruit, se reliquosque Lutheranos veros esse Iesuitas; non verò illos, qui ab Ignatio Loyolâ dicerentur orti: quos acerrimè perstringens, mirificè sibi aliisque Lutheranis de nouo hoc nomine gratulabatur. Sed notata est à sapientibus hæreticorum leuitas, quòd, cùm variis se antè nominibus appellassent, ad extremum nomen nostrum, quod antè probris prosciderant, vt honorificum sibi vendicarent. Neque aliud præmium ex illâ tam subtili nominis nostri inuasione retulerunt, quàm duplicatam ignominiam: cùm & laudi putabant sibi fore, quod nobis tamquam superbum exprobrauerant; & quidquid in Iesuitas antè euomuerant, id omne in nouos illos Iesuitas aptissimè quadraret. Sed missos faciamus hæreticos, quorum tela inexpugnabili hoc scuto repulsa suos tantùm feriunt ac lædunt auctores.

An. Christi 1583.

Non negamus tamen, nomen hoc quibusdam etiam Orthodoxis nouum esse visum; sed hi admirationem suam verterunt in laudem, vbi facti caussas intellexere, quas hîc visum est referre. In confesso est, Ordinum Religiosorum, vt varij ac diuersi sunt, ita nomen varium ac diuersum esse. Neque enim eadem omnium est origo. Alij ab Instituti sui primis Auctoribus, alij à loco, alij à præcipuo quod exercent munere, alij à certâ virtute, alij denique à Cælitibus, in quorum tutelâ cupiebant esse, Ordinum suorum nomina deriuarunt. Rectè omnes, nec sine grauibus caussis. Neque verò negligenter quæsitum est ac deliberatum à primis Patribus nostris de nomine, quo recens hæc appellaretur

Cur Societas IESV *dicta.*

tur familia. cùm autem disceptando, vt fit, alius aliud censeret, S. P. Ignatius hoc ab eis suo velut iure postulauit, vt noui huius cœtus nomen suo permitterent arbitrio. Triplex potissimùm caussa illum, vt hoc peteret, mouit: quarum prima fuit humilitas Christiana. Verebatur enim, ne, si communi deliberationi nominis arbitrium permitteret, Socij, pro suo in Parentem optimum amore, nascentem hunc cœtum Ordinem Ignatij aut Ignatianum appellarent, nonnullas Religiosorum familias imitati, quæ ab auctore & duce suo vocabulum laudabiliter ducunt. quod nullo modo passurus erat Ignatius. Cuius sententiæ suæ doctoribus Apostolis videtur vsus, quorum humilitatem commendat D. Augustinus, quòd eos, quos ad Religionem suam adiunxerant, non Paulianos, non Petrianos, sed Christianos nominauerint. Quamquam, si rectè velimus æstimare, ab Auctore suo Societas nomen accepit. Cùm enim in hac condendâ nihil sibi, sed omnia Deo tribueret Ignatius, CHRISTVMque IESVM verum ac primum eius esse auctorem pronuntiaret; solertissimè perfecit, vt, quod in Philosophis, in Religione Christianâ, in Religiosis Ordinibus vsitatum est, & Auctoris sui nomen Religio ferret; nec tamen Ignatij nomen, quod latere cupiebat, audiretur.

S. August. in Psal. 44.

Quoad vocem SOCIETAS, ne hæc quidem ab Ignatio primùm est vsurpata, etiam ad Religiosorum Ordinem denotandum. D. Augustinus, vir supra omnem censuram, postquam recitasset verba S. Lucæ primos Christianos describentis; Religiosos suos alloquens, *Nostræ*, inquit, *societati testimonium perhibet lectio, quam audistis*. Beatus item Isidorus Hispalensis, & Leo X. summus Pontifex aliis Religiosorum Ordinibus hanc nomenclaturam tribuunt; ita vt in hac voce nulla nouitas argui possit, multò minùs arrogantia.

S. August. Serm. de Vitâ Cleric. ad pop.

S. Isidor. in Reg. cap. 4. Luc. Hisp. lib. 2. Hist. Erem. Camald. c. 14.

Sed altera & potior huius appellationis caussa est, ne Societati nomen imponeretur aliud, quàm quod Ignatius diuinitus didicerat: qui, permissâ sibi à Patribus nominis dandi potestate, nihil dubitans, nihil hæsitans, pronuntiauit nouam hanc familiam Societatem IESV vocandam. cuius vocabuli species & amor, iam inde ex Manresanis de Regno CHRISTI vexillisque meditationibus, aliisque præclaris mentis illustrationibus, animo eius altissimè insederat. Sed tunc potissimùm huius amore nominis est captus, cùm anno prioris sæculi 1538. Petro Fabro & Iacobo Layne comitibus Romam petiit. quippe postremo itineris die, cùm iam mœnibus appropinquaret, in templum desertum orandi caussâ deflexit de viâ. ibi vehementiùs precanti & à sensibus abstracto clarissimâ in luce Deus Pater illi sese per speciem ostendit, IESV Filio gestanti crucem & suppliciis lacerato præsentem Ignatium sociosque commendans. Quos IESVS cùm in fidem ac patrocinium promptissimè recepisset, ad Ignatium placido serenoque vultu conuersus, *Ego vobis*, inquit, *Romæ propitius ero*. atque id ipsum, vt Maffeius est auctor, vel in primis caussæ fuit, cur Ignatius confirmatæ postmodum Societati augustissimum IESV nomen indiderit. Addit Petrus Ribadeneira, qui hæc à Iacobo Layne Ignatij comite acceperat, tam altè Ignatij menti nomen IESV fuisse tunc impressum, vt non alio nomine Societatem appellare obfirmatissimo animo decreuerit; asserens vsque eò certum sibi esse

Deum

Deum id velle, vt ab eâ mente numquam dimoueri se posse diceret. Quin ab Ignatio testatur se audisse Polancus, cùm diceret contra Dei nutum se facturum, neque leue piaculum commissurum, si eâ in re vel tantillùm hæsitasset. & quamquam ex eius cœtu non deerant, qui mutationem nominis suaderent, quòd iam tum arrogantiæ nonnulli Societatem insimularent, quæ nomen hoc augustissimum cum omni Christianorum cœtu commune, tamquam suum & proprium vendicaret; Ignatius tamen in sententiâ perstitit, omni asseueratione affirmans, se, quamuis Socij ad vnum omnes, aut quiuis alius cuius sequi consilium nulla peccati lex cogeret, dissentirent; numquam in eorum sententiam discessurum, nec aliquando commissurum, vt id nomen se superstite mutetur. Quibus autem Ignatij consuetudo ac modestia perspecta erat, ij sat sciebant, numquam illum in affirmandâ sententiâ fuisse tam suum, nec tales vmquam voces edere consueuisse, nisi cùm quæ assereret, superiore quadam luce perspiceret. neque immeritò sic Patres iudicabant. Quid enim? illa vaticinatio Ioachimi Abbatis his verbis vtentis, *ipsum Ordinem quem designat* IESVS; illa Archangelæ Panigarolæ, illa Raynoldæ Arnhemiensis prædictio, quibus hic Ordo nondum natus Societas IESV appellabatur, nónne conuincunt, hoc nomen à Deo magis quàm ab Ignatio profectum? Scimus, Ignatium quidem metaphoris à militiâ ductis delectatum, multa in hac sacrâ militiâ more quodam rituque militari statuisse, multa militaribus vocabulis sanxisse: vt cùm in Monte Serrato probaturus Deo nouæ rudimenta militiæ, saccum pro thorace induit, totamque noctem equitum more in nouis armis vigilauit ante Dei Genitricis imaginem; cùm in libello Exercitiorum inducit Christum Imperatorem mortales omnes sub vexillum suum inuitantem; cùm in formulâ Instituti ait, *Quicumque in Societate nostrâ, quam* IESV *nomine insigniri cupimus, vult sub crucis vexillo Deo militare*; cùm alibi frequentissimè eiusmodi loquendi formulis vtitur; cùm obedientiæ virtutem, summi in militiâ momenti, vult in Societate primam etiam ac principem esse. hinc tamen minimè conficitur, militare illud vocabulum, SOCIETAS, Ignatij fuisse inuentum, non Dei. attemperare enim solet se ingeniis humanis diuina prouidentia; & incitato illo meliora iam capessentium, viuidoque naturæ impetu, quo antè in deteriora ferebantur, postmodum ad virtutem vti. Quippe idem ac semper sibi similis est animus, eamdemque vim prodit, siue errori obsequatur, siue veritati. Ita ingentibus illis Pauli animis, quibus aliquando spirauerat minas & cædes, vsus est ad tot gentium salutem. Ita piscatores Apostolos, quibus labor suus etiam erat voluptati, ad aliud piscandi genus pertraxit, cùm iussit eos esse *piscatores hominum*. perinde ac si solùm illorum laborem esse vellet alium, non aliam voluptatem. Ita & Ignatio se Deus accommodauit, illique suggessit inter cetera etiam nomen militare, quo nuncuparet Ordinem suum; ita vt bellator ille animus Deo iam ad alia arma vocanti obsecutus, militiam crederet se non deseruisse, sed permutasse. Huc accedit Pontificum Pauli III. Iulij III. Pij IV. & illo Pontifice Concilij Tridentini, Pij V. Gregorij XIII. Sixti V. Clementis VIII. auctoritas, Ordinem nostrum

Orlan. lib. 2. num. 62.

Ioach. Abb. in Apoc. par. 1. cap. 3. fol. 83.

Ignatius à militiâ voces libenter mutuatus.

Societatis IESV *nomen Pontifices probarunt.*

ſtrum non alio nomine quàm Societatem IESV appellantium. Gregorius XIV. cùm quidam hoc nomen, quamuis à Sede Apoſtolicâ probatum, auſi eſſent carpere, decernit *nomen Societatis* IESV (verba eius ſunt) *quo laudabilis hic Ordo naſcens à Sede Apoſtolicâ nominatus eſt, & hactenus inſignitus, perpetuis futuris temporibus in eâ retinendum eſſe.* Atque hanc Gregorij Conſtitutionem Paulus V. luculentè confirmauit. Denique Vrbanus VIII. in Apoſtolicis litteris Canonizationis S. Ignatij, Religionem hanc etiam vocat Societatem IESV. Tot igitur Pontifices, quos Numen interpretes ſuos eſſe voluit, hoc nomen dum vſurpant, quodammodò conſecrant, nec minùs videntur ad originem humanâ maiorem referre, quàm Ordinem, cuius eſt nomen.

Quid efficiat nomen Societatis IESV.

Ad extremum ſpectauit in hoc nomine S.P.N. poſteritatis ſuæ ingentem quamdam vtilitatem: præuidebat enim haud dubiè quantam apud illos vim eſſet habiturum in omni rerum ſtatu ac tempore. ex eo quippe intelligunt qui huic militiæ dant nomen, non in cœtum Ignatij, neque ad ſolitudinem & vmbram, ſed in Filij Dei peculiarem quamdam ſocietatem ac militiam, ad ſolem, ad aciem, contra ſatanam ac vitia ſe vocari; atque ad vrgendum illud opus, quo nullum Deo acceptius, nullum homine dignius, propter quod IESVS ipſe vita omnium voluit mori. Sub auguſtiſſimis illis ſignis, nomine IESV & Cruce, militandum; illa omnibus inferenda Regnis, omnibus terris. Auſpice ac duce IESV nihil non pro gloriâ eius audendum, nihil detrectandum: ardua pro expeditis, acerba pro iucundis, dura pro mollibus ducenda: vincula pro libertate, pro deliciis tormenta, mortem pro vitâ eſſe habendam; illi pugnandum, vincendum, moriendum. Neque enim recuſandam militi pugnam, cuius maximam molem & pericula Dux in primâ acie fortiſſimè dimicans capite ſuo excepit, imò in quâ ſe vitamque ſuam deuouit, vt vitam militum ſeruaret. Talibus profectò exemplis ſegnes acerrimè ſtimulari, degeneres argui. Nimirum animos militum Dux habet in ſuo: cuius, ſi generoſus ſit, vel nomen audientibus militibus animi deeſſe non poſſunt: ipſa quoque ignauia ad eiuſmodi Ducis nomen ſeſe erigit, deque imbelli ac meticuloſâ fit audens, & laboris ac periculorum auida. Itaque hanc profeſſi militiam nominari non poſſunt, quin ſimul virtutis admoneantur: ſola enim nominis commemoratio ſemper obiicit animo illum à quo id habent, nec ab eius virtute patitur oculos dimoueri. Vrget, incitat perennibus ſtimulis, vt tam auguſto titulo reſpondeant; præſertim cùm quàm facilis pugnandi labor, tam certa ſit victoria vincere volentibus, teſte D. Hieronymo, qui expertus eſt, quàm ſit pronum huius Ducis auſpiciis hoſtem debellare.

S. Hieron. in Pſal. 76.

Nos, inquit, *filij ſub* IESV *Duce venimus. Nunc ipſe* IESVS *Dux noſter gladium tenet, & ſemper nos præcedit, & pugnat pro nobis, & vincit aduerſarios. Canimus ſacerdotalibus tubis, & circuimus Iericho, hoc eſt iſtum mundum, & cadunt muri eius, & victores exſiſtimus. Gratias ergo agamus Duci noſtro* IESV*: illo enim Duce, illo pugnante, nos vincimus.*

Hæc & multò plura præuidens S. Ignatius, ſimul intelligebat nullam iure metuendam arrogantiæ notam, cùm grati animi ac religioſi ſit, ſeu beneficia Dei ſingularia, ſeu profeſſionem peculiaris obſequij,

quij, quamuis communi nomine ſignificare. nec in aliorum iniuriam cedit, tametſi idem illis nomen conueniat. Cui enim aliorum Diſcipulorum fecit iniuriam Ioannes Apoſtolus, cùm Diſcipulum illum, quem diligebat IESVS, ſeſe nominauit? cui Paulus, cùm ſeſe Doctorem Gentium ac Magiſtrum? Quid? ipſum nomen Religionis, quod Chriſtianorum commune eſt omnium, nónne attributum iam eſt Ordinibus qui diuino ſe cultui dedicarunt adiectâ Religione votorum? Ita alij Cœtus, vel à Sanctiſſimâ TRINITATE, vel à Sancto SPIRITV, vel à CHRISTO, ſine vllâ inuidiâ nomen adſciuerunt. Ita S. Dominicus, ſine Epiſcoporum offenſione (ad quos propriè diuini verbi prædicatio pertinet) Ordini ſuo Prædicatorum nomen impoſuit. Ergo neque Societati, cùm eam ab æterno Patre Filius IESVS in fidem tutelamque receperit, & ipſa vitam Saluatoris in iuuandis ad ſalutem hominibus ſibi propoſuerit cum diuinâ gratiâ peculiari ſtudio ſequendam, verti vitio debet, ſi id quod ſuſcepit, nomine ipſo præ ſe ferat; ac ſimul felicem ſibi vltrò neceſſitatem imponat, præcipuâ curâ atque virtute Ducis ſui inſigne Crucem amplectendi, quaque ille præiuit, impigrè ſequendi; ſimul cunctis mortalibus præbeat anſam iuſtè redarguendi eos, ſi qui in nominis tanti dignitatem peccent: cuius lux & ſplendor nec minimos in illis næuos latere patitur; ſed eos, ſi qui ſint, illicò manifeſtat, omniumque oculis ingerit: ita vt Societatis huius alumnis ad omnem virtutem ſufficere poſſit & debeat, vel ſola nominis ſui recordatio. Quamobrem Ignatius, vt erat modeſtiſſimus, nolebat ſuos quidquam è ſanctiſſimo illo nomine niſi incitamentum virtutis aſſumere: ſolebatque hanc Societatem minimam appellare, vt oſtenderet, alios Religioſorum Cœtus non modò reipsâ eſſe, quamuis nomen haud vſurpent, Societates IESV; ſed etiam noſtros ita de ſe, deque aliis ſentire debere, vt ſeſe omnium minimos eſſe dicant ac ſentiant.

Nomen aliis commune, ſæpè vt proprium aſſumitur.

CAPVT QVINTVM.

Beata Virgo, nutrix, patrona, imò altera velut auctor Societatis.

AMantium inter ſe ſtudia non tendunt in diuerſum; vt idem protinus amet vterque, ſatis eſt amor alterius: rapit is ſecum amici animum & vota, quocumque fertur. Nec enim animos tantùm inter ſe iungit, ſed eoſdem facit; ita vt nec poſſint velle contraria, & tamen amare. Vt enim vnica voluntas à ſe diuelli non poteſt, nec poteſt non amare quod amat: ita nec verè inter ſe amantium affectus diſſidere poteſt, quia vnus, quia idem eſt. Et hic dulciſſimus amoris fructus eſt, imò ipſe amor, idem velle, idem amare. Quid verò mutuo amore coniunctius, quàm IESVS & MARIA? Ergo Societatem quam amat IESVS, amat MARIA. Cui IESVS eſt propitius, propitia eſt MARIA. Quam IESVS fouet, tuetur, ſuam vocat; fouet, tuetur, ſuam vocat MARIA. Certè cum IESV ſuo beneficiis in illam certat; & ita quidem, vt, quamuis ſuperare illum benefaciendo non poſſit, eius tamen

men beneficia vel impetrando, vel ad Societatem transmittendo, faciat sua.

MARIA Ignatium & Societatem Deo peperit.

Felix ergo Societas, in quam tam dulcis certaminis fructus redundat; cui vt benefaciant, certant IESVS & MARIA. Parum dixi, Societas IESV, quanta quanta est, beneficium est MARIAE, quia MARIAE debet Ignatium, & in Ignatio se totam. Nec enim est ambigendum, vt ait Platus noster, quin Ignatius Societatis Fundator, quantuscumque fuit, opus Virginis fuerit. Illum enim vitæ meliori misericors Mater peperit; viuere incipientem, cælesti solatiorum velut lacte fouit; crescentem, per dura & aduersa ad Christianam fortitudinem educauit; adultum denique, ad virilem, vt ita dicam, & robustam virtutis ac sanctitatis maturitatem perduxit; & in Societate, quam interim moliebatur, condendâ laborantem perpetuò iuuit. Animos suffecit vt aggrederetur, facultatem vt posset. Vitâ enim nouâ iam deliberatâ feruentior Ignatius, cùm toto animo, totoque corpore, ante Matris clementissimæ prostratus effigiem supplex oraret, vt aditum sibi faceret ad Filij obsequium & gratiam; repentè solum intremuit, totumque cubiculum ingenti motu concussum est. Exoratæ id Virginis signum fuisse, credibile est.

Platus l. 1. cap. 34.

B. Virgo apparet Ignatio.

Antequam enim è paternâ domo excessisset Ignatius, quadam nocte, dum vigilat, augustissimâ specie, multoque lumine circumfusa Virgo, puerum IESVM in vlnis gestans, spectandam se illi aliquamdiu præbuit. Qualis hæc erat scena? Adspiciebat Ignatius Virginem, Virgo Ignatium; & quamuis tacitis vtrimque vultibus, amor tamen hinc addicebat omnem curam, illinc omne promittebat obsequium. Non opus erat verbis, vbi amor tam facundus erat; qui non poterat esse mutus, quia erat mutuus. Sed nec otiosus erat. ex illis quippe oculis tela & faces vibrabat, quibus per omnem deinde vitam saucius iuit & arsit Ignatius. Quis enim tunc illius sensus fuit, quod gaudium, quæ felicitatis suæ admiratio, cùm vidit illos oculos in se coniectos, quibus Deus ipse adspici gaudet? cùm vidit illos oculos in se figi, quibus mortalem adspici est immortalem fieri, est perire non posse, est cælo Deoque donari? Itaque adspectus hic omnes illi vanitatis illecebras repentè in fastidium vertit, tantumque virgineæ puritatis amorem iniecit, vt omnes rerum fœdarum & caducarum imagines ex eius memoriâ penitus deterserit. Donum hoc tam eximium Ignatio cùm dedit, an non tam manifesto signo suam illi ostendit beneuolentiam, maternamque curam, quàm multâ priùs clarâque in luce ostenderat sese? Iam mora illa, quâ spectandam se dedit, quid significauit aliud, quàm se Ignatio quasi in proximo semper adstituram, pronam in dona & munificentiam? Neque enim Ignatius vmquam deinceps illam abesse sensit, nisi quòd oculis eam semper non viderit. Ceterùm tam eximio illo in Ducem nostrum beneficio clementissima Dei Mater tantò antè præmonere nos voluit, huius minimæ Societatis patronam apud Filium suum semper se fore; sibique, secundùm Deum, oportere admirabilem eius ortum secundosque progressus adscribi; nec aliunde cælestia nobis speranda præsidia, nisi ex ipsâ, cuius nos Deus tutelæ voluit esse commissos.

Porrò

Porrò nouus hic à Virgine iniectus ardor,paternarum ædium angustiis vltrà contineri non poterat; eluctabatur, erumpebat; iamque flammam suam per orbem terrarum effundere properabat. Diuâ ergo duce in iter se dedit Ignatius; ac principio Montem Serratum petiit, celeberrimum Virginis domicilium. Quò enim sponte iam pauper se conferret potiùs, quàm ad illam, cuius vnius fauore satis erat fortunatus ac felix? Ibat plenus animi, visæque nuper Virginis, ac magna secum voluens. Et quoniam amanti festinatio quoque tarda est, affectum, quo vicissim in MARIAM suam rapiebatur, non sustinuit differre, donec ad aram eius pertingeret: in ipsâ viâ voto se castitatis obstrinxit, idque Deiparæ obtulit, amoris mutui pignus æternum. Ratum habuit Virgo, nec noua in clientem beneficia distulit: eius enim castimoniam in omnem deinceps vitam ab omni labe seruauit intactam, & eâdem adhuc in viâ ingens ab eo discussit animi corporisque discrimen. Maurum, quia purissimæ Matris virginitati obtrectarat, statuerat confodere, vlturus pariter & facturus flagitium; nisi Diua ipsa (vt pronum est credere) iumentum, cui insidebat Ignatius, rectà iturum aliò flexisset. Ad sacrum montem peruectus, Deo ac Deiparâ religiosè salutatis militiam exorsurus nouam, pugionem & ensem ad Matris aram suspendit, velut profanæ militiæ spolia, quæ illi cælestis amor detraxit, & victrici Virgini trophæum fixit. Hîc traditis pauperi vestibus, rudemque saccum indutus, pridie eius diei quo salutatam ab Angelo Virginem colit Ecclesia, ante Virginis aram in precibus & lacrymis noctem totam peruigilauit; militiam sacram auspicatus eo ferè ritu, quo acceperat nobiles olim equites, cùm initiarentur profanæ militiæ, totam noctem in armis solitos excubare. Hîc Duci suæ solenne dixit sacramentum, eius auspiciis pugnaturus donec aut vita superesset, aut hostis.

Ignatius Montem Serratum inuisit.

Talibus orta principiis Ignatij in Deiparam pietas in dies creuit, quantum crescere potuit, quæ semper fuit summa. Nihil vmquam aggrediebatur, quod eius antè patrocinio non commendabat, adeoq; suis illud ad Deum precibus semper interponebat. At Virgo clientis sui pietatem ingentibus beneficiis pergebat vicissim remunerari, & quidem sæpè spectabilis: credo, vt non sciret tantùm, sed etiam videret Ignatius, cui perpetuam in omnibus negotiis opem, cui tantos fauores deberet. Vidit, agnouitque; & huius in ipsum ac Societatem fauoris pulcherrima nobis reliquit monumenta, libellum Exercitiorum & Constitutiones: opuscula mole quidem exigua, sed vtilitate ingentia, quædam cælestis philosophiæ quasi sacraria, quibus nulla laus, nulla par est admiratio. Scripsit illa quidem Ignatius, sed dictante MARIA. Cùm enim libellum Exercitiorum in Manresano illo secessu suo, hoc est in primo vitæ melioris tirocinio, conscripserit; vnde homo militaris & litterarum rudis nisi ab hac Magistrâ suâ tantam hausisset lucem, tantam Christianæ sapientiæ perfectionem? quam & auctoritas primæ Sedis approbauit; & quotquot legunt, suspiciunt & venerantur; quotquot vsurpant, quantum in eo cælestium remediorum lateat, sentire possunt, exprimere non possunt. Neque enim frustrà toto illo tempore

Exercitia spiritualia ope B. Virginis scripta.

pore frequentiſſimè illi ſpectandam ſe obtulit MARIA; ſed luce ſuâ animum eius magis quàm oculos impleuit. Ac ne vlla dubitandi ſuperſit cauſſa, vni cuidam hæc Exercitia iam aggredienti, cuius explorata ſanctitas omnem fidem meretur, ipſa Deipara ſignificauit, gratiſſimas ſibi eſſe has meditationes, vtpote quas & ipſa dum vixit, ſemper animo verſaſſet, ac deinde Ignatium docuiſſet, easque ſcribentem plurimùm iuuiſſet. Nec minùs Societatis Conſtitutiones ac leges opus ſunt vt humano maius, ita digniſſimum diuâ Virgine magiſtrâ. In his ſanctus Pater cùm ſe nobis, quamuis id non ageret, ſuo penicillo depingeret, in quodam commentariolo teſtatur ad ſe frequenter veniſſe Mediatores, quorum nomine IESVM deſignat & MARIAM; ne neſciat Societas parêre ſe legibus ab IESV & MARIA magis quàm ab Ignatio latis. Quidni ergo MARIA ſit nutrix, patrona & altera velut auctor Societatis, cùm qualem Societatem eſſe voluit, Ignatij manu ipſa quodammodò deſcripſerit? Et quoniam amantium obſequiis pretium facit amor, omnem occaſionem teſtificandi amoris ſui in Diuam auidè captabat Ignatius. Erumpebat hic & prodebat ſe in eius verbis, actionibus, ſcriptis, quia in pectore ſemper æſtuabat. Illum transfuſum volebat in ſuos. Quam enim Scholaſticis noſtris & Coadiutoribus præſcripſerat horam precandi, eam auſpiciis Virginis volebat inſtitui, & ſub eius tutelâ impendi, ſpem faciens, vt, eâ interueniente, citiùs votorum compotes redderentur. Sibi induſtriam illam toties feliciter ceſſiſſe, quoties vſurpaſſet: hac nihil non impetraſſe ſe, nihil non ſperare. Hac fiſus, Petro Ferro ad Medicorum deſperationem ægrotanti promiſit ſanitatem: fidem Ignatij cumulatè liberante dicam, an compenſante Virgine? nam ægro præter ſanitatem, etiam conſpectum ſui obtulit, ſolatium ipsâ ſanitate dulcius, & nullius non morbi pœnâ emendum, ſi tale præmium morbi eſſe poſſet. Denique cùm varia ex Ignatio quærerentur de Societatis inſtituto, rationum omnium ſummam ſolitus erat referre in ſeceſſum illum Manreſanum, quem ſub magiſterio Deiparæ traduxit.

Ludouic. de Ponte in Vitâ P. Aluar. c. 43. §. 1.

Conſtitutiones Societatis ope B. Virginis ſcriptæ.

P. de Palmâ lib. Exerc. die 8. c. pænult.

B. Virgo Petro Ferro apparens ſanitatem attulit.

Confecto Pariſiis Philoſophiæ curſu, vt ipſe primique eius Socij ſeſe Deo votis ritè nuncupatis conſecrarent, ac Societatis, quam Deipara per Ignatium moliebatur, fundamenta iacerent, & hanc animi ſui ſententiam atque religionem ſequentibus annis rurſus innouarent; non aliud placuit tempus, non alius locus, quàm dies & ædes Virgini ſacra, quaſi eo ritu nouella profiteretur Societas ſe in fide & clientelâ Virginis naſci velle, & creſcere, & perennare. Hoc ſpiritu quem ab Ignatio hauſerant Socij, affectuque in Deiparam pleni, cùm Romam Venetiis iterum proficiſcerentur, ad Lauretanam eius ædem triduum ſubſtitere. quo tempore pietati ſuæ indulgentes, coaleſcentem Societatem Diuæ impensè commendarunt. Quæ, mirum dictu, poſt anni luctam, ex voto omnium fuit conſtituta & approbata, non ſine certâ Patronæ ſuæ ope, quam per aſſiduas preces efflagitauerant. Porrò Ignatius iam Sacerdotio initiatus, pro ſuo in Deiparam amore, non alibi ſuſtinuit æterno Patri eius Filium primùm immolare, quàm in æde Matris. Societati deinde omnium ſuffragiis præpoſitus, rurſus ſacellum Virgini

Primi Patres vota nuncuparunt in æde & Feſto beatæ Virginis.

ſacrum

ſacrum ad diui Pauli elegit, in quo primus multis cum lacrymis, ceteris collacrymantibus, ſolennem edidit profeſſionem; quam ex eâdem formulâ reliqui mox quinque ritè ſunt ſubſecuti. Exinde Ignatius, quoties ſui vouerent, Diuosque promiſſorum adhiberent teſtes; ſtatuit vt cùm ceteros vniuerſim, MARIAM tamquam omnium Reginam expreſſo nomine implorarent, vtpote fidei, quam Deo darent, ſeruandæ potentiſſimam auxiliatricem. Quid? templum quod domui Profeſſorum, quæ cum ipsâ Societate nata eſt, ex voto ſancti Patris obtigit (quod deinde ex anguſto & inornato capaciſſimum fecit & auguſtiſſimum Alexander Cardinalis Farneſius) nónne fuit ſanctæ MARIAE? Memorabile iſtud eſt, quòd in templi huius primarium ſacellum, Deiparæ imaginem miraculis celebrem, quæ nunc ſummâ populi Romani pietate & concurſu celebratur, cum ipſo cui depicta inhærebat pariete, ſingularis artificum induſtria traduxerit. Neque illud leue indicium eſt Virginei in Societatem animi, quòd eo ipſo anno, quo confirmata eſt à Paulo III. Societas, templum iſtud impetratum ſit, vt hanc protinus natam quaſi vlnis & ſinu ſuo Virgo Mater, & tecto carentem in domum ſuam recepiſſe videatur. In hoc Virginis domicilio Societatis functiones primùm exercitæ; hîc ab ipſo Ignatio tradita catecheſis, & ardentes diuino ſpiritu conciones habitæ; hîc frequentandæ Confeſſionis & Euchariſtiæ mos poſt tot ſæcula renouatus; hîc, cùm iaceret virtus & pietas, beatiſſimæ Virginis Matris ope auſpiciiſque reſurrexit. Quare Cardinalis Baronius in publicâ concione templum hoc Anaſtaſiam nuncupare non dubitauit, alludens ad non abſimile Nazianzeni dictum, cùm in diuæ quoque Matris templo Conſtantinopoli fides orthodoxa reuixiſſet.

Prima ſolennis Patrum profeſſio in ſacello beatæ Virginis edita.

Primum domus Profeſſæ templum Deiparæ dicatum.

Cùm verò illud commune orbis terrarum perfugium, auguſtiſſimum religionis ſacrarium, ædes IESV ac MARIAE natalis, Lauretana domus, Ignatio adhuc ſuperſtite, Societati fuit commiſſa, potuítne MARIA manifeſtiùs in domum ſuam introducere & recipere Societatem? Viſa hîc circa noſtrorum illiſque confitentium capita cæleſtis flamma, quid aliud fuit, quàm flamma quædam amoris in hos & illos è Virgineo pectore erumpentis? Nec in vno Ignatio contineri potuit hoc amoris in Diuam incendium. Diffudit ſe in filiorum animos, vtque illorum erga optimam Matrem, ita optimæ Matris erga illos affectum & ſtudium accendit. Franciſco Xauerio ingentes illos animos, quibus India totuſque Oriens, imò terrarum orbis videbatur anguſtus, inſpirauit MARIA in æde ſuâ Lauretanâ. Vitam eius tot periculis obiectam, quot in Oceano erant ſyrtes & fluctus, quot in Indiis totoque Oriente dæmonis erant ſatellites, quot in barbarorum manibus arcus & tela, ſemper expediuit MARIA. Huius ope vixdum imploratâ, dæmonem aliquando ex humano corpore fruſtrà frementem frendentemque Xauerius eiecit; aduerſus illius furias & terrores MARIAE præſidio non modò ſatis armatus, ſed etiam ſecurus. Quoties enim importuniſſimus hoſtis inuictam hanc virtutem verberibus debilitare fruſtrà conatus eſt? quoties intentato mortis metu frangere? tum præcipuè cùm in Iaponiam nauigaret, cùm & ſortes, & nauarchi ira ob filiam quaſi

Ædes Lauretana Societati commiſſa.

Xauerij erga beatam Virginem affectus, & huius viciſſim.

culpâ Xauerij ſubmerſam impotenti dolore efferata, & mare ipſum à dæmonibus exaſperatum, in vnum Xauerium velut coniuraſſent. In Iaponiam nihilominùs ſoſpes eſt appulſus, & quidem die aſſumptæ in cælos Virgini ſacro: ſentire vt poſſet, cuius adſpirans fauor illi curſum tot inter pericula ſecundaſſet.

Maria multis auctor fuit Societatem ingrediendi.

Ipſa quoque B. Staniſlaum Koſtkam, B. Aloyſium Gonzagam, quale par iuuenum! in Societatem ingredi iuſſit: paruerunt iubenti, & obedientiæ fructum mox retulere publicâ religione & aris culti. Et Staniſlao quidem Filium ſuum pueruli ſpecie, tamquam æterni amoris certiſſimum pignus, in vlnas vltrò depoſuit. Aloyſium naſcentem, eiuſque ſimul matrem, è vitæ diſcrimine exemit, parturientis voto exorata; ne dubitaret Aloyſius MARIAM ſemper habere pro matre, à quâ vitam accepiſſet magis, quàm ab eâ quæ illum pepererat. Nec verò degener fuit filius: decennis enim ſeſe per votum caſtitatis tantæ Matris obſequio conſecrauit. Felices nimiùm iuuenes, quibus præſentem videre licuit MARIAM, eiuſque voces audire quæ Cælites ipſos mulcent atque oblectant. Ingens hic fauor fuit, eoque maior, quia non ſolis conceſſus. Illa Iacobo Ledeſma, Petro Analco, Sebaſtiano Barradas, aliiſque non paucis in Societatem ingrediendi auctor fuit, gaudium & felicitatem ſuam non capientibus, quòd talem ſalutis ſuæ ducem ſimul & obſidem nacti eſſent. Illa Patri Thomæ Sanchez ſuſtulit balbutiem; Societatis, quam omni expetebat voto, non minùs quàm linguæ impedimentum. Sed paucorúmne hæc eſt felicitas? plurimorum fuit, & fortaſſis omnium. Quotuſquiſque enim noſtrûm à MARIA ſe quoque ad Societatem non ſenſit impelli, etiamſi vultum adſtantis non viderit, vocem imperantis non audierit? Nec temerè dico omnes fortaſſis à MARIA vocari, cùm, quod huic propè geminum eſt, B. Borgia cenſuiſſe videatur. Is enim cùm deprehendiſſet aliquando tirones nonnullos, qui Deiparam non delegiſſent patronam, illis malè metuens, monuit Magiſtrum Nouitiorum, vt eorum ſaluti præcipuè inuigilaret. Plus quàm præſagium videtur hic ſancti viri ſenſus fuiſſe, illi ipſi defecerunt omnes, vtpote quorum aut inauſpicata erat vocatio, aut punienda ingratitudo beneficium Virginis non agnoſcentium: infelicitas verò eò miſerabilior, quòd ne moniti quidem Virginis fauorem ſibi demeriti fuerint. ad quem obtinendum propè ſatis eſt obtinere eum velle: minimis enim obſequiis capitur Virgo, multoque magis feſtinat beneficia conferre, quàm mortales aut petere aut accipere. Huius tam promptæ clementiæ præclarè conſcia Societas, ſimulque Ignatianæ pietatis heres, Matris Virginis pænè non minùs quàm IESV Filij obſequio ſeſe totam conſecrauit. Quocumque ipſa penetrat, Virginis eam cultus comitatur: omnibus hunc inculcat; hunc voce, calamo, exemplo inter Orthodoxos propagat, inter hæreticos propugnat, & immenſum vbique pietatis in hanc ardorem è flammis, quibus ipſa ardet, accendit. Quantoperè hoc igne flagraſſe exiſtimamus Gonſaluum Silueriam? qui Virginis imaginem rarò non habebat in manibus aut in oculis, ipſam in animo ſemper: quæ imago Regi Monomotapæ oſtenſa, illum, vt CHRISTO nomen daret, repentè permouit. Virginem ipſam,

Qui MARIAM patronam non elegerant, à Societate defecerunt.

Gonſaluus Silueria B. Virgini addictus.

ipſam, non tantùm eius imaginem barbaro viſam crederes. Ignatio Azebedio quatuor iam vulneribus letaliter ſaucio, nulla Caluiniſtarum hæreticorum vis, ne crudelitatis quidem adiuta furiis, extorquere potuit è manibus ſemimortuis imaginem Deiparæ: itaque cum eâ datus eſt præceps in Oceanum Sociorum ſanguine iam rubentem; cuius vndæ Caluiniſtis clementiores cadentem Azebedium reuerenter excepêre, nec haurire ſunt auſæ, quaſi Dominam ſuam ſtellam maris in eius manibus venerarentur, quam hæreticorum impietas in imagine violauerat. Quæ Diuam vis euellere potuiſſet è viuentis animo, è cuius morientis digitis ne imago quidem ab ipsâ violentiâ potuit extorqueri? Quanto verò incendio flagrabat Alphonſus Rodriguez? auſus eſt Deiparam in certamen amoris prouocare, ignoſcendâ temeritate, quia ſuaſit illam amor, non ſuaſurus niſi magnus eſſet; cui ſemper licuit impunè deſipere. Neque veniâ ei eſt opus, qui peccato ſuo laudem meretur. Alphonſus Salmeron, cùm per Quadrageſimam concionaretur, intermiſſo diebus ſabbatinis argumento, de Virgine Matre perorare ſolitus erat, amore, quo in illam rapiebatur, facundum ſemper faciente.

Ignatij Azebedij in Virgine affectus.

Alphonſi Rodriguez erga beatam Virginem deuotio.

Sed quid recenſeo eximios è Societate noſtrâ Virginis cultores, quaſi numerus eorum iniri poſſet? citiùs hominibus illa deſtituetur, quàm magnæ in Deiparam pietatis exemplis. Sed neque à propoſito deflecto, cùm hæc recenſeo, aut inter Virgineos in Societatem fauores refero. illam enim colere, illam amare, ipſius beneficium eſt; & maius ſæpè quàm ea quibus clientum obſequia ſolet remunerari. Et quo ſigno clariùs illa poteſt probare ſe Matrem noſtram, quàm cùm amoris ſui dulcedine pectora noſtra & animos implet? quem cùm dedit, humani voti modum exceſſit, quia pignus & ſecuritatem quamdam feliciſſimæ immortalitatis nobis dedit. Iam verò quotquot ſunt Feſti dies Deiparæ ſacri, totidem vel Virginei in Societatem fauoris, vel Societatis illam amantis ſunt argumenta. Immaculatam Conceptionem venerata eſt Societas, cùm Romæ primas Theſes Theologicas, viuente adhuc Ignatio, propoſuit; in quibus princeps quæſtio immaculatam Conceptionem aſſerebat. Deinde cùm legem tulit, ne quis ab hac vmquam ſententiâ diſcederet; cui tuendæ Societatem quoque inſtitutam ſe diuinitus cognouiſſe ſæpè teſtatus eſt Alphonſus Rodriguez, vir notæ ſanctitatis. Pro hac aſſerendâ per tres horas in Concilio Tridentino perorauit Iacobus Laynes, tantâ vi tantoque ſucceſſu, vt ſacra Synodus, quæ ab ore dicentis admirabunda pependerat, eo decreto, quo totam Adami progeniem natiuæ labis ream pronuntiat, puriſſimam Dei Matrem ſe non comprehendere auctoritate ſuâ ſcriptoque conſignatum reliquerit. Natalem Virginis celebriorem fecit in aulâ Regis Luſitaniæ Borgia, cùm Suffragia virtutibus Virginis inſcripta aulicis diſtribuit; quibus ita placuit pietatis ſollertia, vt in conſuetudinem deinde ſit verſa. Præſentationem de numero Feſtorum Deiparæ pænè ſublatam retinuit P. Franciſcus Turrianus, cùm voce & ſcriptis Pontificem ad eam retinendam permouit. Grata fuit Deiparæ viri pietas, cuius præmium ab illâ quoque accepit, cælo poſtmodum tranſſcriptus eo ipſo die, quem defenderat: cuius Feſti celebritatem & cultum Societas per Belgium

Varia ſigna amoris Societatis erga Deiparam.

hoc noſtrum mirum in modum illuſtrauit auxitque. Annuntiationis peruigilio arma ſua Deiparæ conſecrauit Ignatius, illâ luce Societatem IESV auſpicatus, quâ luce auguſtum IESV nomen è cælo primùm in terras delatum eſt ad Virginem Deo ſuo mox imprægnandam. Feſti Purificationis magna pars fuit Simeon IESVM vlnis ſuſtinens: IESVM quoque ſuum, vti olim Simeonis, ita Ignatij brachiis aliquando impoſuit MARIA. potuítne maius amoris pignus aut hæc dare, aut ille accipere? potuítne huius Feſti imago dulciùs repræſentari? Aſſumptionem primis votis ſuis celebrarunt primi Patres: quem diem Societatis Feſtum ſolebat appellare P. Bobadilla; omnes deinceps vt Societatis natalem colere: qui fuit etiam veluti natalis Societatis noſtræ ſimul & Religionis Chriſtianæ in Iaponiâ, quia Iaponiæ Xauerium dedit. Poſtremò, in quamcumque ſui partem ſe vertit Societas, eam MARIAE amore ſeptam videt. Hæc enim Ignatij, Ignatius MARIAE opus fuit. Et ne ceteros qui Societati vniuerſæ præfuerunt, itidem fuiſſe dubitemus, Lainius & Borgia in Feſto Deiparæ cognatam viſitantis ad ineundum hoc munus electi ſunt. diceres cum Patrum votis Virginis ſuffragium conſpiraſſe. Patrem Claudium huic muneri Virgo ipſa præfecit: quod cùm faceret, ſpectari voluit à Patribus Claudio Matthæo & Thomâ Albigero, tamquam curæ ſuæ teſtibus oculatis. Mutij adhuc ſuperſtitis modeſtia vetat, ne ſenſum noſtrum apertiùs exprimamus. Hoc tamen, illo vel audiente, fas eſt dicere, Societatem nunc æquè ac olim Virgini curæ eſſe, & à capite vigorem, virtutem, felicitatem in membra manare debere: de quo cùm ſolicita eſt Virgo, non minùs demonſtrat in fide & clientelâ ſuâ Societatem eſſe, quàm cùm ipſa Martino Guttierez oſtendit Societatem vniuerſam ſub ampliſſimo pallij ſui tegmine collectam. Quid ego nunc commemorem, quoties Societatem cum extremâ inopiâ, inuidiâ, calumniis, iniuriis luctantem iuuetit Virgo?

Abrumpenda eſt ſemel argumenti infiniti dulcedo, & beneficia grato animo votiſque recolenda, quæ commemoratione exhaurire non poſſumus. Tibi igitur, Virgo Mater, Societas tua, quia ſecundùm Deum totam ſe tibi debet, tibi, inquam, ſibique toto affectu gratulatur; & quia nihil ſe maius habet, totam ſe tibi æternùm deuouet. Patrocinio tuo, vt deſint cetera, ſatis felix: tu beneficium tuum ſerua, auge, abſolue, & in iubilea lætiora ſemper & lætiora per omnem poſteritatem tranſmitte.

CAPVT SEXTVM.

Poſt CHRISTVM *&* MARIAM *Societatis Auctor & Parens ſanctus Ignatius.*

MAgna moliturus in terris Deus, à ſapientiæ ſuæ conſiliis humanam ferè ſolet excludere; ne hæc, quæ plerumque plus habet cæcitatis quàm peritiæ, diuini operis partem ſibi vendicet; néve inconſulta mortalitas homini peruersè tribuat, quod debet Deo. Sic olim ad primam

mam illam ampliſſimamque Filij ſui Societatem conflandam, vſus eſt Deus hominibus in quibus nulla erat ſcientia, niſi piſcandi. Sic minimam hanc Societatem orbi daturus, adhibere voluit hominem qui nihil didicerat niſi arma tractare. Fuit is Ignatius de Loiola patriâ Cantaber, ſtirpe nobilis: de quâ quid attinet dicere, cùm minima ſit pars in Ignatij laude, quæ à maiorum ſtemmate ac virtute deriuatur? Ferdinandi Regia adoleſcentem educauit. Animus illi erat erectus & excelſus, & quodammodò igneus; gloriæque non minùs capax quàm auidus; ſed quam omnem à virtute militari fruſtrà petebat, donec didicit eam ab expugnatione vitiorum quàm vrbium, à victoriâ ſui quàm hoſtium, rectiùs peti. Pompeiopolim ceperat Gallus, eodem impetu arcem capturus, niſi obſtitiſſet Ignatius: quam dum conſilio, animis, manu ſtrenuè propugnat, tormenti ænei globo grauiter ſaucius cecidit, & cum eo omnium animi. ſed feliciùs cecidit, quàm ſi ſtans viciſſet, & hoſtium proſtratorum aceruos victor calcaſſet: cecidit enim, vt alius reſurgeret; & cum eo pariter Chriſtiani orbis pietas, iam pridem collapſa ac proſtrata, refloreſceret. Quippe vulnus quo læſus erat, animi vitiis, vulneribus vtique grauioribus, pro remedio fuit; & vt hoſtibus de arce, ita Ignatio de ſeipſo, de morum corruptelâ, de hæreſi, victoriæ pulchrioris initium. Itaque telum illud hæreſim, impietatem, ſimileſque orbis peſtes grauiùs perculit quàm Ignatium: credibile vt ſit benignâ Dei manu potiùs, quàm hoſtili libratum fuiſſe. Decumbentem ex vulnere, & humana remedia nequidquam adhibentem, recreauit Apoſtolorum Princeps, & in illo vno tot ſuorum millia. Dum vulnus tardè coaleſcit, vt falleret tædium, cœpit hiſtorias Diuorum lectitare, quia profanæ deerant. & hinc continuò Ignatius illorum quos legebat ſimilior, quàm ſui. CHRISTI ſupplicia & dolores optabat redimere ſuis. cum Deiparâ flebat, gaudebat, amabat. cum Petro & Andreâ ſalutabat crucem, & pari amore in eam rapiebatur. cum Ioanne oleo feruenti optabat immergi. cum Paulo ſubijciebat ceruicem ſecuri. cum Laurentio properabat ad prunas: cum Ignatio ſuo in rictus leonum, vt IESVM cordi quoque ſuo inſcriptum oſtenderet. cum Anachoretis abdebat ſe in ſiluas. cum Apoſtolis, IESV CHRISTI nomen per orbem circumferebat. cum omnibus idola calcabat & vitia, per ignem ferrumque viam ad Deum affectabat. Ita generoſus ille animus induebat animos omnium, & vnus omnium laboribus par ſibi videbatur. Nec mora. à Diuis, quibus iam ſimilis eſſe affectabat, confirmatus, non fortiùs cogitauit quàm fecit. domum, opes, conſanguineos, ſeipſum deſeruit. Montem Serratum petit. Sed quoniam fugiendo nemo ſe poteſt fugere; ne improbus ille ſui amor reditum ſperaret, vinculum illi perenne inijcit: caſtitatem vouet. In viâ Mauri in Deiparam iniuriam ferro vlturus, oſtendit quidem ſe ex militari ferociâ quiddam adhuc ſpirare indomitum; ſuum tamen in Virginem teſtatus eſt amorem, cui non virtus, ſed peritia virtutis deerat. In Monte Serrato gladium & pugionem, iam domini lacrymis ſpecioſiùs, quàm nuper hoſtili ſanguine ſtillantes, profani Martis exuuias, magnæ Matri dedicat. Inde primo diluculo, vt tenebris virtutem celaret, Manreſam contendit. Ibi quidquid nuper animo-

Ignatius qualis initio conuerſionis fuerit.

Lectione piorum librorum in alium virum mutatur.

Ignatij pietatis tirocinium.

animorum atque irarum in hostem gesserat, in se conuertit. præstantissimos quosque, quos legerat, æmulari ausus in macerando potissimùm affligendoque corpore. quæ prima virtutis facies, vt suâ illâ tristitiâ & horrore blanditur animis magnis, ita Ignatium ceperat. Neglectum capillitium barbamque sinit inhorrescere, excrescere vngues, vultum informi squallore deformari. humus erat cubile, ceruical lapis, in quo somnus perexiguus, cui non vacabat, sed succumbebat; & quamuis pænè nullus erat, adhuc tamen illum mediâ nocte interrumpebat orandi caussâ. Ter quotidie flagellis in se acriter sæuiebat: septenas horas in genua prouolutus, attentè & continenter orabat, præter id tempus quod singulis item diebus audiendo Sacro, Vespertinisque & Completoriis precibus dabat. Cibus illi erat panis emendicatus; modicum aquæ, potus. tam misero victu semel tantùm in die languentes vires reficiebat, si hoc erat vires reficere potiùs, quàm conficere; quem tamen diebus Dominicis, tamquam lautiùs epulaturus, bis adhibebat, si copia aderat. Quibus diebus ad Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta summâ religione accedebat. Si quid otij à precibus diuinoque cultu supererat, ministrabat ægris, stipem pauperibus mendicabat, omnes ad pietatem hortabatur, quàm aliis benignus tam corpori suo semper infestus, dæmone illi sæpè per ludibrium insidiante. Hausit interim diuinitus illam lucem, quâ libellum Exercitiorum conscripsit, in quo per suos gradus viam penitus aperit ad altissimum sanctitatis fastigium, quam illa æterni Patris Sapientia è cælo in terras secum detulit, factisque & voce Apostolos docuit. His meditationibus quotquot vacarunt, se sibi tam dissimiles subitò planeque alios mirati, facilè viderunt, humanam scientiam, quæ in Ignatio nulla tum adhuc erat, eò non posse assurgere. Sed quoniam non deerant qui malebant eas carpere quàm experiri, Pontificia auctoritas, quâ confirmatæ sunt, maiores inuidiâ fecit. Ex hoc fonte illa ingens humanæ salutis & inexplebilis auiditas, à quâ solâ videbat Deum ipsum è cælo in terras, in humanos artus, in labores incredibiles, in tormenta, in crucem, in acerbissimam mortem abreptum. Ex hoc fonte Sociorum adlectio, ipsius Societatis constitutio, & vniuersa descriptio promanauit. Miris interim illustrationibus & puris animi gaudiis Ignatius fruebatur. Sed quies hæc fuit, non securitas: Deo hæc solatia seq; mox subducente, & Ignatium sibi velut relinquente. tantis enim angoribus conscientiæ torqueri miserum & agitari permisit, vt illum quasi destituisse videretur. Quid faceret Ignatius, omnia iam remedia incassum expertus? Quod impetrare à Deo non potuerat, extorquere quodammodo aggressus est. Immani ausu animum obfirmauit omni cibo abstinere, donec pristina rediret animo tranquillitas; vnius è sanctis Patribus exemplum, quod habebat in memoriâ, feruentiùs æmulatus, quàm prudentiùs. Iamque adeò integrâ hebdomadâ continuauerat inediam, nec de solitâ precandi, corpus diuerberandi, ceterâque seueritate quidquam remiserat; vltrà progressurus, nisi Confessarij imperium vetuisset. Sed breuî rediit Deus, & cum illo animi lux & serenitas priore copiosior. sæpè illi CHRISTVS hîc visus, sæpè Mater Virgo. Inter ecstases vna præ ceteris memorabilis fuit, quæ ad octiduum durauit. mortuus

Ecstasis Ignatij.

tuus credebatur, & fuisset sepultus, nisi tenuis cordis palpitatio latentis vitæ reliquias prodidisset: è quâ velut è somno euigilans, IESV nomen cum suaui suspirio ingeminauit. Quo tempore totam Societatis formam, & quasi fabricam, Ignatio diuinitus ostensam creditum fuit. præsertim cùm, quæ de Societate diuinitus cognorat, in recessum illum Manresanum ferè soleret referre. Atque hæc initia fuere virtutis illius, quæ deinde in Ierosolymitanâ profectione terrâ marique omnem in partem se probauit, & alumnum suum orco formidabilem, vtilem toti terrarum orbi, cælo acceptum fecit. Nihil itaque mediocre moliens Ignatius, certusque id sequi, quo gloriam Dei maximè posset amplificare; sed magno ad id præsidio, quod litterarum erat, destitutus, consilio planè memorabili homo trium ac triginta annorum Grammaticam inter pueros cœpit discere. Non minùs interim alienæ salutis quàm litterarum studiosus, laboris sui stipendium Christianum retulit, immania Barcinone verbera, Compluti & Salmanticæ carcerem & catenas. quæ probra & pœnas ille maiore gaudio sustinens quàm alij horrore fugerent, omnia in materiam virtutis ita vertit, vt diceres illum ab ipsis iniuriis contra ipsas armari. Demum Parisiis, vbi pietatis eiusdem caussâ infamiam carceribus & catenis grauiorem pæne adiit, Socios sibi adiunxit nouem: quorum plerosque famâ virtutis primùm, deinde ipsâ virtute famam vincente sibi deuinxit; omnes ferè vt locis atque nationibus, ita & naturis ac linguis primisque consiliis dissimiles. Ex his proseminata est Societas vniuersa. tantâ siquidem inter se voluntatum consiliorumque similitudine sunt vincti, vt quæ in aliis solent esse dissensionum caussæ, in illis coniunctionem animorum & concordiam alere viderentur. ideoque mirandum magis, quòd Ignatius illis vix notus, egenus, vitæque genere & naturâ nulli similis, eos inter se & sibi tam citò coniunxerit, breuique tanto spiritu omnes imbuerit, vt ad quamdam Apostolorum imaginem viderentur accedere, nisi quòd numerum non æquassent. Hos omnes affabilitate mirâ sermonis, sed potissimùm virtute, quæ blandissima est animorum conciliatrix, ad obsequium diuinum permouit. Quorum is ardor fuit & constantia in sui despicientiâ & maceratione, in meditandi industriâ & pietate, in alienæ salutis curâ, vt magistrum Ignatium in discipulis facilè agnosceres. Nec feliciùs eos CHRISTO genuit, quàm educauit in spem tanti operis, quod, illis huius consilij ignaris, per ipsosmet tamen moliebatur; Deoque tandem vota eius secundante, felicissimè perfecit. Iam Societatis Instituta approbauerat Paulus III. Summus Pontifex; iam Ignatius & Socij videbantur summa votorum assecuti, cùm ecce tibi repentina discordia, sed ex humilitate profecta, de infimo vltimoque loco. Concors omnium sententia nouellis copiis præfecerat Ducem Ignatium, quia has ipse ad CHRISTI signa primus exciuerat, deinde instruxerat ac direxerat. sed qui omnium iudicio probabatur, non probabatur suo. itaque diu acerrimè restitit, ac tandem coëgit Patres in suffragia rursus ire. rursus electus, rursus detrectauit onus; donec tandem liberâ Lainij voce: Aut Deo hoc munus imponenti cederet, aut Societatem dirimeret; ac denique Confessarij imperio compulsus, admisit onus: quod deinde

Ignatius studiis animum applicat.

Ignatius nouem Socios elegit.

non minori humilitate gessit, quàm ne gereret laborauerat. Coactus ergo Societati præesse, quam secundùm Deum ipse suscitauerat, iure ac legibus illam stabilire est aggressus. Sed quanto studio, Deus bone! quot lacrymis, quot precibus, quot suspiriis cælo eas elicuit! maior Dei gloria norma erat & amussis, ad quam expendebat quidquid constitueret. Sed quoniam humani iudicij imbecillitas, aut affectu impedita, aut perspicacitatis inopiâ, discernere id semper non potest; Ignatius, omni affectu seposito, Deum ingenti contentione poscebat opem vimque perspiciendi quid potissimùm expediret: dein rationes in vtramque partem ponderabat secum, & suis quamque momentis expendebat. Quod constituerat, iterum ad Deum referebat; lucemque cum precibus & lacrymis implorabat. nec illud satis, vt haberet ratum quod sic statuerat: sed omnia iterum iterumque ad trutinam reuocabat impensiore quàm priùs studio; rursumque in lacrymas & preces effundebat sese, vt lucem pleniorem impetraret, nec quidquam non è maiore Dei gloriâ decerneret. Ad extremum, quidquid exarauerat in vtramque partem, imponebat aræ in quâ rem diuinam quotidie faciebat, vt scribenti deliberantique vberiùs illucesceret Dei voluntas maiorque gloria. Quadraginta dies ipsos continuos (vt coniectura de reliquis fiat) ardentissimè precando deliberandoque consumpsit, vt vnum illud tutò statueret: liceretne Professorum domibus, quas totas liberalis hominum misericordia sustentat, in templi saltem vsum sumptumque necessarium prouentus vel modicos possidere. Exstant etiamnum Commentarij quidam in arculâ post eius mortem reperti, in quibus per hos quadraginta dies habitum animæ suæ variosque sensus manu suâ perscripsit; diuino sanè instinctu, vt incredibilium propè donorum, quæ largissimè ex immenso diuinitatis fonte hauriebat, species ad posteros aliqua emanaret. In iis elucet ad viuum expressa viri sanctitas, admirabilitasque diuinæ liberalitatis in seruum suum; & quanti apud nos ponderis esse oporteat relictas ab eo Constitutiones ac Leges, in quibus sese nobis (quamuis id non ageret) suo quasi penicillo depinxit. Hîc luce clariùs apparet, quanta ei esset cum diuinâ Mente coniunctio, quanta communicatio in expendendis ac pertractandis fermè singulis Constitutionum locis, quanta vis lacrymarum, quantus imber, quàm affluens, quamque redundans diuinæ consolationis copia; quam cùm humani pectoris angustiæ non satis caperent, erumpebat frequenter in corpus, magno eius sæpè languore, magnoque labore: vt in ipsâ sacrificatione nonnumquam interclusâ voce, cùm facultas liberè respirandi non esset, proloqui omnino verbum ac pronuntiare non posset, quoad tanta illa diuinæ dulcedinis copia vbertasque remitteret. Fiebat interdum vt preces inter & sacrificia tantis ardoribus æstuaret, vt omnes partes corporis exardescerent, venæque omnes manifestâ cordis palpitatione micarent, interdum verò etiam pilus capitis inhorresceret. Sic beatus Pater Constitutiones suas elaborabat; neque aliis studiis aut præsidiis, cùm eas scriberet, vtebatur. nullus enim apud eum liber, præter Missarum volumen; studium eius precatio erat; bibliotheca, perennis cum diuinâ Mente congressus. Neque tamen tantâ diligentiâ, ipsiusque Societatis importunis precibus scri-

Ignatius Constitutiones scribit.

ſcriptas, voluit Societati eſſe pro lege; ſed eas grauiſſimorum Patrum iudicio ſubiecit. optabat enim tales eſſe, quæ tot nationum varietati, toto orbe, ſine exceptione vllâ congruerent; haud ignarus, exceptionibus legum leges ipſas eneruari. Itaque à totâ Societate ſeuerè expenſas, ſummoque conſenſu probatas, iterum tamen ad limam reuocauit, & anno demum CIↃ.IↃ.LIII. promulgauit. Ac ne tum quidem vim legis habere, niſi ab vniuerſâ Societate iterum recognitas, voluit; correcturus ſi quid deprehendiſſet vſus & actio, quod tam accurata deliberatio non præuidiſſet. Poſt eius tandem obitum ad Præpoſiti Generalis comitia conuocata Societas, eas iterum ſummâ conſenſione probauit, & quadam quaſi veneratione recepit. Per idem tempus Pontifex Paulus huius nominis quartus, eas ab quatuor Cardinalibus examinari iuſſas, & diu multumque diſcuſſas, tandem ſaluas atque integras quemadmodum acceperat, ne verbo quidem immutato, reſtituit. Quæ quidem Conſtitutiones cùm ad intimam huius Inſtituti rationem naturamque pertineant, ſintque nerui quodammodò & fundamenta huius quam ſequimur diſciplinæ; ipſumque adeò Societatis Inſtitutum alium quàm Ignatium ſecundùm Deum non habeat Auctorem; cùm ipſi Socij, prima naſcentis Societatis auxilia ac robora, ab Ignatio conſcripti fuerint & inſtructi, iure merito vniuerſa Societas Ignatium Auctorem Parentemque ſuum ſecundùm Deum agnoſcit & veneratur.

CAPVT SEPTIMVM.

Altera Societatis columna S. Franciſcus Xauerius.

SI fas eſt res tenues cum amplis auguſtiſque conferre, minimæ huius Societatis IESV primordia, naſcentis primùm Eccleſiæ adumbratio quædam fuere. Quod enim huic Petrus & Paulus, hoc fuere Societati Ignatius & Xauerius; niſi quòd illis Eccleſiæ agrum ſanguine ſuo rigare, his Societatis areolam ſudore tantùm & lacrymis perfundere licuerit. quamquam longum quoddam & peracerbum Ignatio & Xauerio martyrium fuit, martyrio carere: cui neuter defuit, ſed hoc vtrique: id enim alter in Syriâ, in Indiis alter fruſtrà quæſiuit. Ceterùm venia ſit comparationi; formam methodumque rerum & actionum, non dignitatem conferimus Diuorum, non ſanctitatem: quorum res geſtæ tam ſimiles fuerunt, quàm ſimile fuit vitæ inſtitutum, & quàm ſimilis hæc minima Societas iſti ampliſſimæ à Chriſto primùm inchoatæ. vtque primæua ſtetit Eccleſia, Petro & Paulo tamquam columnis ſecundùm Deum potiſſimùm nixa; ita Ignatio & Xauerio Societas naſcens: ſed Petro & Ignatio Romæ, Paulo & Xauerio inter Gentes; ita Deus voluit. latiùs hi quidem laborarunt, ſed non vtiliùs; imò nec latiùs, quia cura & directio vtriuſque capitis cum vtroque membro terrarum orbem pariter peragrauit: vtque ad exactum rotundæ figuræ ambitum non minùs iuuat interior circini pars, quæ videtur ceſſare, nec ceſſat, quàm quæ circumducitur, factura quod exterior, ſi tantùm vices locuſque mutentur; ita non minùs Romæ Petrus & Ignatius, quàm in-

Ignatius & Xauerius geminæ Societatis columnæ.

Ignatius & Xauerius ſimiles Petro & Paulo.

ter Gentes Paulus & Xauerius, illi Ecclesiam, hi Societatem stabiliuerunt, auxerunt, propagarunt: & fortassis ampliùs, quia virtus à capite manare debet in membra;& pares erant vtrimque mutuis curis & laboribus, si Deus tantùm voluisset functionum vices ac spatia permutare. Denique hi gubernarunt nauem, illi remiges validi fuere; vtrique ad felicem cursum æquè necessarij. Sed Petrum CHRISTVS caput Ecclesiæ dedit, Ignatium Societati; & vtrumque Romæ rerum summæ præesse voluit. vtrique enim crucem suam humeris gestans occurrit, illi Româ abeunti, huic Romam eunti: vtrique metum ademit,vtrique animos addidit, vtrique Romæ propitius fuit; virtutemque dedit, quâ & aduersarios vterque profligaret, & cum suis toto orbe laborantibus prouidendo, consulendo, imperando, toto pariter orbe laborarent.

Quàm verò similes moribus, expeditionibus, animis Paulus & Xauerius fuere! illum ideam,hunc ideæ imaginem credas. Paulum implacabile bellum CHRISTO inferentem, & Ecclesiæ nascentis membra lacerantem diuina vis tandem fregit, & in partes suas traxit: Xauerium Deo contumaciter resistentem, Ignatius expugnauit magis quàm flexit. Aperuit Deus Ananiæ Paulum sibi delectum,qui nomen eius per Gentes & Regna circumferret: significauit quoque Deus Xauerij sorori Xauerium se destinare Apostolum, à quo nomen eius in nouum Orbem vltimumque Orientem perferretur. Ambo iam auctorati CHRISTO, pares orbi terrarum animos attulere: quorum si labores contemplere, geminas Apostolorum turmas; si itinera, alatos putes. in quibus vterque ter naufragium passus, & cum illis tot gentium salus; nisi mare sentiens quos veheret,virtutem suis furiis potentiorem in littora effudisset incolumem. Nec minore periculo immanes vterque gentes instruxit, quàm adiit. In necem Pauli coniurauere Iudæi; in Xauerij caput, Bonzij. Paulus in corbe per muros dimissus, Franciscus in frondosis arborum ramis latens barbarorum impetum declinauit. Sudaria & semicinctia Pauli morbos corporibus exegerunt? idem fecere cruces & rosaria Xauerij. Cadauera Paulus animauit? Xauerius sepelienda iam corpora reddidit vitæ. Sed maiora his miracula erant ipsi, & in vtroque excelsus ille & inuictus animus, & magnitudinis Christianæ plenus, quæ non in ambiendis,sed spernendis honoribus & commodis consistit;quæ diuinæ gloriæ studio ardens, Deoque non sibi nixa, nihil supra vires suas putat; quam labores, vigiliæ, aëris atque hominum iniuriæ,fames, sitis, vitæ pericula, tormenta non debilitant,sed pascunt & augent, non secùs atque oleum flammas accendit. Hæc Christiani excelsitas pectoris, cum flagrantissimâ charitate coniuncta, angustum vtrique reddebat orbem terrarum.Hinc vterque tam meruit gloriosum Apostoli nomen, quàm expleuit munus.

Xauerius Ignatij mentem perfectè exsecutus est.

Postremò, vt Paulus in stabiliendâ instituendâque Ecclesiâ, eiusque finibus proferendis,velut dexterum Petri brachium fuit; ita Xauerius in formandâ propagandâque Societate, &, quod illa spectat, amplificando Religionis Christianæ cultu, plenissimè re perfecit, quidquid Ignatius aut faciebat, aut faciendum animo conceperat. Et quamuis ante confirmatam Societatem in Indias nauigaturus Româ discesserit Xauerius,

uerius, nec vmquam ſcriptas ab Ignatio Conſtitutiones viderit (quæ à morte Xauerij in Europâ primùm fuere promulgatæ) in Societatis tamen adminiſtratione tam admirabilis eius fuit cum Ignatij mente conſenſio, vt crederes nihil agere Xauerium in Indiâ niſi ductu Ignatij; aut nihil facere Ignatium in Europâ, niſi ex ſenſu Xauerij. Id paucis oſtendo, ex quibus fieri poteſt coniectura de omnibus. Ignatius non tamquam prælatum fratribus ſuis, ſed tamquam famulum ſe præbebat: Xauerius Paulo Collegij Goani Rectori in mandatis dedit, Chriſtianæ magis humilitatis quàm poteſtatis memor, nihil minùs in imperio quàm imperium cogitaret. Vterque de rerum ſucceſſu à laborantibus procul Sociis, voluit certis ad ſe temporibus ſcribi. Vterque voluit noſtros arcana cogitationum Præſidibus ſuis aperire. Vterque conſcientiæ examen, rerum cæleſtium meditationem, ſtudioſiſſimè ſuis inculcauit, tamquam neceſſaria virtutis & vitæ ſanctioris alimenta. Rudium & puerorum inſtitutio ita fuit ambobus cordi, vt ab eâ re pendêre cenſerent omnem propè Reipublicæ Chriſtianæ felicitatem & ſalutem. quod munus voce, ſcriptis, exemplo mandauerunt ſuis magis, quàm commendarunt. nec minore charitate voluerunt noſocomia carcereſque ad afflictorum ſolatium à ſuis frequentari. Quàm verò honores vterque auerſabatur, & à Societate excludebat, tam volebat Eccleſiarum Antiſtites à Societate obſeruari. Neuter vmquam aliquid admiſit, aut à ſuis admitti paſſus eſt, tamquam laboris Chriſtiani ſtipendium. Corporis macerationes neuter putauit æquales omnibus præſcribendas; ſed videndum cenſebant, quid cuiuſque conditio, vires, virtus ferrent. Cùm vterque magnam in noſtris doctrinam requireret; inutilem tamen illam, imò noxiam, iudicabat, ſi virtute deſtitueretur. Quare conſiderati etiam erant ambo & parci in adlegendis ad Societatem; multi in periclitandâ adlectorum indole ac virtute; nequaquam cunctabundi in dimittendis, quos minùs idoneos experimenta oſtendebant. Xauerius auctor erat Sociis, vt vota quotidie renouarent, tamquam acerrimum telum contra diabolum, & firmiſſimum conſtantiæ munimentum: Ignatius ob eamdem cauſſam votorum renouationem etiam lege ſanciuit. Vterque ex obedientiâ æſtimabat veram germanamque ſobolem Societatis. Itaque Xauerius obſequij exactor erat acer, quod ipſe Ignatio re, voluntate, iudicio ac ſententiâ mirè præſtabat: vtque Ignatius Xauerium, vel hoc nomine, præcipuo quodam ſenſu diligebat; ita Xauerius facillimus erat erga obſequentes ac morigeros, ſeuerus in contumacibus coërcendis; nullam perniciem dicens maiorem peruicacibus ingeniis poſſe contingere, quàm ſi timidè indulgenterque tractentur. Itaque Antonium Gomez, quamuis egregiis naturæ dotibus inſignem virum, quamuis Collegij Goani Rectorem, quia durum illum ac reſtitantem ſenſit, è Societate dimiſit; hoc ipſo tempore, quo Ignatius in Europâ, datis in omnes Prouincias litteris, ſeuero obedientiæ imperio cauit, ne quis Moderatorum contumacem quempiam ſuſtineret, ſed continuò dimitteret, præſertim ſi illi ipſi qui præeſſent, obedire negligerent. Vſque adeò vnus & idem ſpiritus tantis interuallis diſiunctas Ignatij & Xauerij mentes afflabat. Ita Xauerius optimus diſcipulus non

Conſtitut. Societ. Orlandinus in Hiſtor. Societ. Turſellinus de Vitâ S. Xauerij.

modò hauſerat omnem magiſtri doctrinam, ſed etiam mentem & animum quodammodò induerat; prorſus vt ſi Conſtitutiones ſancti Patris Ignatij numquam perlatæ fuiſſent in Indiam, ſtetiſſet tamen illic Societas, nec vllum ſui diſcrimen vel ipſa percepiſſet, cùm in Xauerio ſuum quoque haberet Ignatium.

CAPVT OCTAVVM.

Societatis Inſtitutum à Sede Apoſtolicâ confirmatur.

SOcietas quamuis adhuc erat exigua, & tantùm velut ſegetis ſpes in herbâ, vtpote à Pontifice nondum confirmata; maior tamen erat quàm vt inuidia eam ferre poſſet. Horribilem hæc illi impegit hæreſeos calumniam; ſed quæ tantum profuit, quantum nocere ſtuduerat: nec enim in auctorum capita dumtaxat retortum eſt, quidquid illi in innocentiam erant machinati; ſed etiam infamia ipſa, quam nouæ familiæ inurere conabantur, Societatis gloriam auxit: cauſſa enim fuit vt Romanus Iudex in Sociorum mores & vitam inquireret. in quibus cùm aliam calumniarum cauſſam non deprehenderet, quàm morum probitatem; publico innocentiæ teſtimonio virtutem paucis notam ante oculos poſuit vniuerſorum. Itaque fama breuî hinc aſſurgens, non Vrbem modò & Italiam, ſed Alpes tranſgreſſa, magnam Europæ partem nomine ſimul & deſiderio Societatis impleuit; ſimulque Patribus animos fecit, vt de Religione condendâ ſeriò deliberarent. Dum deliberant, fructus indies creſcens omnes facilè induxit, vt è re communi id fore decernerent, ne tanta orbis Chriſtiani vtilitas mox cum paucis hominibus concideret, ſi deeſſent qui in eorum locum laboreſque ſuccederent. Videbant quidem Patres arduum impetratu negotium fore; nihilominùs Ignatius Deo nixus, quem Romæ ſibi iam propitium ſenſerat, nec dubitabat deinceps fore, hanc curam ſibi à Sociis impoſitam ingenti animo complexus, Inſtituti formulam in certa capita quàm dilucidè ac breuiter tam accuratè digeſſit, in idoneam occaſionem imminens illud Pontifici ſimul & deſiderium ſuum proponendi. Commodùm Pontifex (is erat Paulus III.) negotiorum turbis ſeſe nonnihil ſubduxerat, & Tiburtini receſſus amœnitate ac ſolitudine animum & vires reparabat. Hanc nactus opportunitatem Ignatius, Inſtituti formulam per Contarenum Cardinalem illi ſuppliciter offert, oratque vt Apoſtolicâ eam auctoritate ſancire dignetur. Pontifex acceptam iubet à Thomâ Badiâ ſacri Palatij Magiſtro, qui deinde in Cardinalium cœtum adſcriptus fuit, cognoſci. Ab eo probatam, vbi legit accurateque perpendit ipſe Pontifex, ſiue admiratione rerum captus, ſiue diuino actus inſtinctu, *Spiritus Dei*, inquit, *eſt hîc.* Patrumque pia ſtudia & conſilium vehementer probauit: ſimul iſtud adiecit, ſeſe præſagire animo, piam illam Patrum induſtriam id temporis in publicum animarum bonum conſpirantem, afflictis Eccleſiæ rebus non leui præſidio atque ornamento fore. Hoc teſtimonium à CHRISTI Vicario Societati datum III. Nonas Sept. anno CIↃ.IↃ.XXXIX. velut prima quædam approbatio

Ignatius Inſtituti formulam Pontifici proponit.

tio fuit. Quam approbationem vt etiam diplomate ſanciret atque confirmaret, rogatus ab Ignatio Pontifex, vt erat prudentiſſimus, ne quid præcipiti conſilio tam deploratis Eccleſiæ temporibus ſtatuiſſe videretur, tribus Cardinalibus, apud quos nihil gratiæ foret loci, negotium totum commiſit. Erat in illis Bartholomæus Guidiccionius, vir quidem pius ac diuini humanique Iuris egregiè peritus, ceterùm à nouis Religionibus adeò alienus, vt nec æquo animo ferret earum, quæ tum erant, frequentiam, deque iis ad quatuor dumtaxat redigendis librum conſcripſiſſe diceretur. Atque hoc pacto Summus Antiſtes occurrebat inuidiæ, quæ omnis erat conſumenda in Guidiccionio, ſi ille nouam Religionem probaſſet, quem & nouis pariter & antiquarum numero infeſtum eſſe palàm conſtabat. Is igitur cùm præiudicium hoc ad cauſſam attuliſſet, aduerſarius magis quàm iudex, primò ne quidem adduci potuit vt legeret Inſtituti formam, dein Collegas in Ignatium parum propenſos haud difficulter in ſententiam ſuam adduxit. Itaque certam ac pænè confectam rem conſilio & auctoritate ſuâ repentè diſcuſſit, diuturniſque fruſtrationibus tantùm-non euertit; ſed non ſpem & animos Ignatij. Inſtabat is atque vrgebat, nec minùs litteræ à viris Principibus & ciuitatibus ad Pontificem & Cardinales, eâ de re grauiſſimæ. cumque fruſtrà eſſent omnia, æquè tamen ſperare pergebat Ignatius. Videbantur ipſæ repulſæ animos illi addere, & ſpes nulla ſpei maioris eſſe cauſſa. quippe quantò minus humani fauoris apparebat, tantò certiùs diuinum ſibi pollicebatur. Hunc ergo continenti ſupplicatione, ieiuniis ceteriſque corporis afflictationibus eblandiri inſtitit; vouitque inſuper diuinæ Maieſtati tria Sacrorum millia, ſi voluntates humanas flecteret ſuâ. Exoratam Numinis Maieſtatem declarauit euentus. rurſus ad eos qui cauſſæ præerant, & maximè oberant, plenus ſpei adiit Ignatius: rurſus permodeſtè illis poſtulati ſui rationem expoſuit. & ecce quàm repentina tam conſtans voluntatum mutatio, quas hactenus contumacia ipſa videbatur armaſſe. Inſpiciunt rurſus diligenter Societatis Inſtitutum, & penitus explorant: nec minore conſenſu illud probant, quàm antè obſtinatione reiecerant; tam nunc cauſſæ fauentes, quàm paulò antè infeſti. Itaque cenſent Societatem in Religionum numerum cooptandam; ita tamen, vt, dum dies aperiret quid maximè conduceret Eccleſiæ, ſexaginta Profeſſos non excederet. Tale decretum nemo ita mirabatur, ac ij qui fecerant. A ſententiâ enim ſuâ diſcedebant; quam non mutauerant, ne tum quidem cùm ab illâ diſcederent. Nimirum occulta vis Numinis obſtinatos animos ita perculit, vt crederent ſe iam repugnare Deo, niſi repugnarent ſibi. Fidem huius impulſus interioris fecit ipſe Guidiccionius, cùm Religionum quidem multitudini ſuffragari ſe negabat poſſe; huic tamen vltrà refragari inſtinctu quodam ſuperiore victum nec audere omnino, nec poſſe. Tam potentem ergo impulſum non niſi cæleſtem eſſe ſentiens, qui maximè Societatis ortui fuerat obluctatus, ita fauere cum Collegis iudicibus ſubitò cœpit, vt pro illâ apud Pontificem Maximum nemo vmquam ardentiùs egiſſe dicatur. Pontifex talem tam ancipitis deliberationis exitum admiratus, nec minùs gauiſus à Guidiccionio ſibi commendari cauſſam, quæ acrio-rem

Pontifex examinari curat Institutum Societatis.

Inſtitutum Societatis probant Cardinales.

Societas à Paulo III. confirmatur.

rem illo non habuerat aduersarium, prolixo animo & Societatem ipsam Religionem, & Societati inditum nomen, v. Kalendas Octob. anno quingentesimo quadragesimo supra millesimum, festo die Sanctorum Cosmæ & Damiani declarauit confirmauitque, Professorum numero ad sexaginta dumtaxat, vt Cardinales censuerant, coarctato.

Ceterùm quotquot in nascentem Societatem difficultates incurrerunt, totidem fuere in illam diuini fauoris argumenta. sic enim patuit omnibus, quanto & quàm non præcipiti consilio Sedes Apostolica Societatem Religionem esse iusserit. Deinde triennium illud, quo definitus Professorum stetit numerus, Societatis velut altera probatio fuit, quæ cessit in magnam eius laudem & commendationem. Fructus enim ex nostrorum laboribus indies crescens, & cum illo tantorum operum miratrix fama Pontificem breuî permouit, vt plenam augendi numeri potestatem Societati faceret, videntem tantum Ecclesiæ præsidij accedere, quantum hominum accederet ad Societatem. Tam prosper interim nuntius Socios per Europam sparsos laborantesque tantâ voluptate perfudit, quantum boni publici à Societatis iam victuræ posteris poterat exspectari, quod suæ fructibus industriæ metiebantur. Ipse verò Ignatius tanto diuinæ gloriæ incremento lætissimus, præter quam nihil spectabat aut cupiebat, mox voti fide se liberauit, cùm dedit operam vt tria illa Hostiarum millia, quamuis à paucis Sacerdotibus, Deo quamprimùm immolarentur.

Tanto patrocinio secura poterat videri Societas, & erat, nisi implacabile vitiis bellum indixisset: quæ tam grata sunt humano generi, quàm inuisa eidem res est virtus. Sed nocendo profuere aduersarij, non tantùm quia veram virtutem attollit quidquid infestat; sed etiam quia iniquitate suâ Pontifices Maximos prouocarunt, vt caussæ iustæ ex animo patrocinarentur, & fauores ac beneficia in Societatem multiplicarent, & auctoritate suâ maleuolentiam frangerent. Quamquam non sola æmulorum improbitas, sed etiam rei Catholicæ maius bonum caussa sæpè fuit, cur Societatem tot pænè quot ab eâ conditâ fuere Pontifices, immortalibus beneficiis ac priuilegiis ornarint. Ac Paulus quidem III. præterquam quòd Societatem, vti dictum est, primus in Religionum numerum reposuit; anno pòst tertio, qui erat sæculi CIↃ.IↃ.XLIII. pridie Idus Martij, ex augustissimâ illâ sanctitatis cathedrâ non modò Ignatio omnem Societatis amplificandæ, Professorum certo numero sublato, potestatem fecit; verùm etiam conscriptam iam illam declaratamque Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Religionem suâ iterum auctoritate confirmauit, publicisque litteris consignauit, tribusque nominatim Episcopis, Cæsennati, Albiganensi, ac Parentino, mandauit, vt obtrectatores Societatis, aut quocumque modo negotium ei facessentes, omni auctoritate pœnâque compescerent. Iulius deinde III. qui in Concilio Tridentino Sedis Apostolicæ Legatus Societati impensè fauerat, iam Pontifex, Societatis Institutum denuò ratum voluit anno CIↃ.IↃ.L. XII. Kal. Augusti: & quæ in Pauli decessoris sui litteris aut obscura esse poterant, aut ambiguam habitura interpretationem videbantur, ea ipse prolixo diplomate declarauit, & ad Ignatij mentem sensumque distinxit. Pius V. anno

Societatem varij deinde Pontifices confirmarunt.

Paulus III. anno 1543.

Iulius III. anno 1550.

anno CIↃ.IↃ.LXXI. die VII.Iul. declarauit Societatem esse Ordinem mendicantem, aliisq; mendicantium Ordinibus annumerauit, & priuilegiis æquauit. Gregorius XIII.cuius propensissimum in Societatem animum æstimare satis licet, tum ex plurimis priuilegiis, tum ex laudibus quibus eam mirificè ornauit, anno CIↃ. IↃ. LXXXII. Kal. Febr. Societatis IESV Institutum, priuilegia, Constitutiones denuò confirmauit; eosque qui peracto tirocinio emiserunt tria vota, quamuis tantùm simplicia, verè tamen & propriè Religiosos esse decreuit. alioque rursus diplomate, quod eodem anno dedit VIII. Kal. Iun. prolixè approbauit, quidquid priores Pontifices Societati concesserant, simulque eam denuò amplissimè confirmauit; atque omni auctoritate suâ prohibuit, ne quis Societatis Institutum impugnaret, grauissimasque pœnas in decreti huius violatores constituit. Quam confirmationem pœnasque iterum renouat, magisque explanat Gregorius XIV.anno CIↃ.IↃ.XCI IV. Kal.Iul. dato diplomate: in quo non dubitat asserere Societatis damnum ad commune Ecclesiæ damnum, integritatem ad eiusdem vtilitatem maximè pertinere; decernitque nomen Societatis IESV, quod hostiliter à quibusdam incessebatur, in eâ retinendum esse, multaque alia non mutanda, quæ labefactare ac conuellere frustrà nitebatur inuidia, quamuis specie laruâque recti personata. Ad extremum Paulus V. anno huius sæculi sexto die xxx. Augusti, Societatis Institutum & priuilegia iterum confirmauit: præsertim verò constitutiones Gregorij XIII. & XIV. approbauit, iterumque innouauit, easdemque quas alij pœnas in Societatis perturbatores decreuit.

Pius V. anno 1571.

Gregorius XIII. anno 1582.

Gregorius XIV. anno 1591.

Paulus V. anno 1606.

Hæc tot Pontificum tantâ animorum consensione in idem conspirans auctoritas Societatem ita stabiliuit, vt eam nulla iam maleuolorum inuidia conuellere possit aut labefactare; sed neque inuadere, nisi per Pontificiæ maiestatis atque adeò diuinæ humanæque contemptum. Quam qui conculcauerint,tam grauibus pœnis ac censuris esse coërcendos Apostolica Sedes decreuit, vt eos commiseratione potiùs Societas, quàm odio prosequatur.

CAPVT NONVM.

Quædam Societatis Instituto quodammodò peculiaria.

INstitutum istud tanto aduersariorum impetu toties oppugnatum, tot iniuriis fatigatum, perinde ac si in perniciem generis humani verteret, præscribit Sodalibus parem suæ & alienæ salutis curam; ita vt neque Religiosi Societatis, neque eorum Moderatores officio suo faciant satis, nisi vtramque pari contentione suscipiant. Sed quoniam, vt habet parœmia, nemo feliciter alteri monstrat viam,qui sibi non nouit semitam; ideò sanctus Pater in suorum vitam moresque efformandos toto animo incubuit, quorum virtutem toti volebat orbi prodesse. Quare si in Instituto illo suo quidpiam potuisset animaduertere, quod maiori Dei gloriæ vtcumque officeret,aut quidquam vltrà excogitare,quod eam augeret;hoc continuò fuisset adiecturus, illud sublaturus. Atque ne aberraret à scopo, quem petebat,oculos semper defixos tenebat in vitâ ac moribus IESV CHRISTI.

M Quid

Institutum Societatis conforme doctrinæ CHRISTI.

Quid enim CHRISTVS non populo tantùm & multitudini, sed etiam Discipulis suis & Apostolis ad maiorem Patris sui gloriam imperauit, præscripsit, suasit, quod S. Ignatius Instituto suo non studuit complecti? Volebat CHRISTVS Apostolorum animos & mores suis esse quàm simillimos. Vt tales essent, hoc est, vt summum sibi & aliis bonum omni studio procurarent, debebant excutere diuini obsequij importunissimas remoras, opes, voluptates, honores, easdemque pessimas humani generis pestes; quas ferè nemo sine iniuriâ vel suâ, vel aliorum, aut comparat, aut tuetur. Opes enim dum cupidos magis possident, quàm possidentur; animum ad excelsa, ad æterna natum, aureis catenis quasi captiuum tenent, neque assurgere illum sinunt ad cogitationes auro & argento pretiosiores. Deinde cùm cælestis illa viuendi ratio vigilias, fatigationes, sudorem, imò sanguinem & vitam sæpè exigat; quid tale sperari potest ab eo, qui voluptati inertissimæ dominæ seruit, ne dicam ancillatur? Ad extremum, animus humanus libertatem suam ferè perniciosam sibi facit, aut certè parum vtilem: in seipsum iniquissimus, dum sibi maximè indulget, quia placentia magis quàm salutaria plerumque sectatur; & profutura fugit tamquam noxia: multoque illi facilius est feliciter imperare populis & Regnis, quàm sibi. Ingressurus tam arduum iter, ducem habere debuit, ne cæco, temerario, stulto, hoc est sibi, obsequeretur; alieno imperio subijci, ne perderetur suo. Talibus præsidiis attollendus erat, vt res gereret se Deoque dignas; &, ne vmquam Sirenum illarum blanditiis incantatus reuocaretur, votorum religione constringendus. Sed quoniam ne sic quidem aduersus blandientes illas pestes satis tuta est mortalis imbecillitas, quæ sibi facilè obsequitur, putatque rationis id esse, quod ab animi vel eneruati segnitie, vel impotentis cupiditate proficiscitur; sanctus Pater Ignatius vt omnem corruptelæ aditum obstrueret, hæc vitæ sanctioris munimenta, hoc est vota ipsa, quantum potuit, stabiliuit. Vt enim erat acri & perspicaci animo, lucisque cælestis pleno, diligenter explorauit omnes accessus, per quos improbus sui amor in nonnullis Congregationibus ad ipsa hæc Religionis firmamenta penetrauerat; quæ, si non omnino conuellere, certè grauiter solet concutere, dum Religionis indulgentiâ aduersus ipsam vtitur. Huius tam cauti quàm blandi hostis diuerticula & aditus quantâ sagacitate deprehendit Ignatius, quàm tutis deinde præsidiis obsepsit? An poterat paupertatem, quam vocat Religionis murum, hosti magis inaccessam reddere, quàm cùm Professorum domibus non solùm non permittit census annuos, quibus alant suos ac sustentent; sed ne quidem vllum eiusmodi subsidium, quo siue ædium, siue templi, tempore (vt fit) & æuo fatiscentium, sarta tecta restaurent? aut etiam quo templi supellectilem, ceteraque ad sacros vsus necessaria comparent. sed neque, si cùm necessitate conflictentur, eas Collegiorum annuo censu iuuari permisit. Quid, quòd neque prouentus ex Capellaniis, vt vocant, neque ex Sacris anniuersariis, & id genus aliis functionibus, ne in sacrarij quidem impensas admittat? Neque magni refert, Collegiorum Societatis ac Seminariorum paupertatem non esse tam seueram: cùm enim Professi sint prima ac præcipua Societatis

Paupertas Societatis.

cietatis pars, præcipuè quoque in illis ſpectanda eſt voti huius & æſtimanda perfectio. Quare Pius V. non abſque ratione declarauit Societatem Ordinem eſſe mendicantem. Neque verò aliis minùs, quàm Profeſſis mendicandum, quandocumque aut Præſides id imperant, aut neceſſitas. Collegia quidem & Seminaria reditus ac fundos poſſident; ſed tamen preſſis admodum limitibus eorum quoque circumſcripta eſt paupertas. Quibuſcumque enim noſtris hæc incolentibus, non minùs quàm Profeſſis, neque ſacrificia, neque exequias, neque iuſta anniuerſaria celebrare propoſitâ mercede licet; quod tamen aliis ſua paupertas non interdicit. Neque fas eſt vllam pro Theologicæ profeſſionis, concionum, catecheſeon, ſolatiorum ægris captiuiſque impenſorum, aut Sacramentorum adminiſtratorum labore, mercedem accipere: vt & gratuita illa charitas populum inuitet ardentiùs ad ſalutis remedia, & pia Societatis in his adhibendis libertas, ac operoſa ſedulitas numquam in ſordidum quæſtum degeneret. Quâ in re ſanctus Pater æmulari nos voluit paupertatem diui Pauli: cui etſi de altari, vt ait, viuere ius & fas permitteret; placuit tamen, quæ iuſtè poterat, non admittere, vt conſtaret omnibus, nullum ab illo lucrum niſi animarum, tot ac tantis laboribus peti. Ceterùm rerum omnium, quarum communis eſt in Societate poſſeſſio, tam reſtrictus eſt vſus, vt ipſa paupertas arctiorem exigere non poſſe videatur. Neque timendum eſt ne ſeueritas hæc aliquando laxetur. Profeſſi enim omnes, quibus vniuerſæ cura Societatis ac moderatio incumbit, peculiari ſe voto obſtringunt, numquam paſſuros ſe, vt quidpiam in legibus paupertatis à Conſtitutionibus præſcriptæ innouetur aut mutetur: niſi fortaſſis illam iuſtis de cauſſis magis arctandam eſſe iudicarent. Atque ita paupertatem ex omni parte vallauit Ignatius.

Societas eſt Ordo mendicans

1. Corint. 9.

Caſtitati verò tantò plus aggerum, vt ita dicam, & vallorum circumdedit, quò magis iniuriæ eſt obnoxia, faciliuſque læditur. Ac ne vel leui negligentiæ ſit locus aut venia, vult eam Angelicæ puritatis eſſe æmulam. Sed quî poteſt ad tantum decus aſpirare mortalis fragilitas, cùm tanta puritas, teſte Sapiente, Dei ſit donum? Igitur obtineri poteſt & accipi, quia donum eſt. Quare præſcripſit ſuis Ignatius non frequentem modò orationem, ſed etiam illos docuit accuratiſſimam huius inſtituendæ methodum. Quid enim non impetrat frequens & rectè facta oratio? diuinum in primis amorem pariter & timorem animis ſibi deditis ingenerat. Amoris diuini flamma impuram aut ſopit, aut extinguit. Timor verò Dei quàm fortes reddit in hac pugnâ? non aliud telum certiùs profligat hoſtem, vt nemo niſi infamis ſui proditor cladem hîc accipiat, cùm timendo poſſit hoſtem debellare. Miraculi inſtar habebatur in Curiâ Philippi ſecundi, quòd Societatis Patres cum promiſcuo ſexu tam verſarentur innoxij. itaque vulgauerat rumor, illos herbam circumferre, quæ vim haberet interimendæ libidinis. miſit Philippus ipſe ad P. Araozium de hac herbâ ſciſcitatum. nec inficiatus eſt Araozius aliquid ſubeſſe rumori; ceterùm peroptare ſe hanc herbam Philippo omnibuſque eius Aulicis in vſu eſſe; eam timorem Domini vocari, cuius vis Societatis Patres vbique ſeruaret innoxios. Hæc

Caſtitatis præſidia in Societate.

oratio frequens.

timor Dei.

 reſpon-

responsio per omnem peruagata Curiam, secundissimis accepta est auribus; quia non verè minùs quàm festiuè docuit, ab ipso timore in his periculis securitatem & peti & dari. Orationis igitur, quæ timoris tam efficacis parens est & nutrix, summam gerit curam Societas. Ceterarum functionum suas cuique credit, huic speciatim & quotidie inuigilat, pro studio vel neglectu orationis cetera procedere non ignara. Plurimùm etiam conducit castitatis incolumitati moderatio victus: quam ita Societas temperat, vt neque assiduis docendi ac studendi laboribus non sufficiat, neque occasionem intemperantiæ copia subministret. Itaque sic vires suorum reficit, vt fomenta libidinis subtrahat; sic fomenta hæc subtrahit, vt vires non debilitet. Huic moderationi victus accedunt ieiunia, corporum diuerberationes, aliæque afflictationes in Societate admodum vsitatæ. & quamuis nihil certum in hoc genere omnibus præscriptum sit, singulis tamen pro iudicio Moderatorum hæc adhibenda sunt. Neque enim nostros ardori suo permittere voluit sanctus Pater, qui in plerisque freno magis quàm stimulo eget, dum aut viribus suscipit maiora, aut sibi inconsultè obsecutus modum non seruat.

victus frugalis,

otij fuga,

Iam otij damna quis nescit? quo qui diffluit, luxuriâ simul solet diffluere. Antè stagnans situque torpens vliginosæ paludis aqua, riuuli è perspicuo fonte labentis puritatem æquabit, quàm desidia simul & mundities animi consistant. vt vel hinc statuas, nihil agentem pessimè agere. Ergo tam capitalem pudicitiæ hostem è Societate sanctus Pater noster ita proscribit, vt lege latâ non alium velit in omnibus assidui laboris esse quàm valetudinis finem. Arctissimam quoque sensuum custodiam vrget: qui, nisi magnâ seueritate coërceantur, blandissimi hostis illecebris corrumpi se facilè sinunt; quàm incustoditi, tam certi plerumque castitatis proditores.

librorum obscœnorum proscriptio,

Ad hæc, obscœnos, quamuis aureæ ceteroquin ætatis ac venæ, & absque controuersiâ principes in suo genere scriptores, à suis non patitur attingi. Et meritò: quid enim prodest illa scire, quæ vtiliùs ignorantur? laudabilis est scientia, scire quid ignorandum sit: illa verò execrabilis, quæ, dum auget linguæ, inficit animæ puritatem. Quis venenum hauriat, licet ex auro propinetur aut gemmâ? Alia crimina solos auctores inficiunt; sola librorum impuritas est, quæ vnum facit & legentis & scribentis crimen. Hac de caussâ Mutius Vitellescus Societati Præpositus Generalis, adhuc superstes, Epistolâ de Oratione ad Societatem vniuersam datâ libros illos attingi seuerè vetat, ex quibus, inquit, numquam doctrinæ tantum accedet, quantum vt castimoniæ decedat, in procliui est. Plura in hanc sententiam grauissimè addit, quibus pestilentes illas chartas damnat, nostrisque penitus interdicit. Itaque in nullis vmquam bibliothecis Societatis exstant, sed aut relegantur in perpetuas tenebras, aut non aliâ quàm Vulcani luce donantur.

circumspecta cum altero sexu conuersatio.

Sed nullum æquè discrimen imminet castimoniæ atque ab altero sexu, qui sæpè, quamuis etiam id non agat, ipsam constantiam labefactat, ipsum robur infringit, virtutemque summam ex illo fastigio suo repentè deturbat in præceps. Quod vt veteres omnibus ob oculos clariùs proponerent, finxerunt Herculem, illum tyrannorum, odiorum cæle-

cælestium, totque monstrorum, adeoque & voluptatis ipsius omnibus monstris peioris victorem, modò ab hac, modò ab illâ muliere turpissimè victum turpissimam seruisse seruitutem, & maiore infamiâ iugum ab imbelli hoste tulisse, quàm gloriâ armatis illud hostibus ac tyrannis imposuerat. Nimirum nulla virtus ab hoc periculo satis est tuta. quod cùm deesse non possit tot inter animarum iuuandarum munera; sanctus Pater Ignatius seuerè edixit totâ Societate, non modò vt feminarum, quamuis nobilium, aut decumbentium, domos incomitatus nemo adiret; sed omnino ea esset in alloquendis obseruatio ac circumspectio, tametsi exomologesi danda esset opera, vt aures quidem comitis, sed oculi numquam excluderentur. Vtque legem hanc exemplo sanciret, cùm vnum è Sacerdotibus domesticis hominem senem & antiquæ bonitatis (quamuis per simplicitatem omni culpâ vacantem) huic decreto contrauenisse cognosset; tamen, ad ceterorum commonitionem, coram octo Sacerdotibus vnum in locum conuocatis, iussit reum flagello se cædere, quoad singuli singulos è Psalmis Dauidicis pronuntiarent: quorum primus Psalmus erat quinquagesimus. Porrò hæc lex ita viget in Societate, vt si quid contra hanc delictum sit, obligetur comes ad Præsides, quamuis non exposcentes, id statim referre, seuerè puniendus si negligat; adeoque periculum dimissionis aditurus, si secundò aut tertiò in re tanti momenti obligatam Societati fidem non præstet. Quòd si mulieres ad Collegium aut domum Societatis, vt quempiam alloquantur, accedant; nemini cum illis licet colloqui, nisi loco aperto, & omnium oculis patente. Quæ cautela Societatis adeò non est noua, vt ipsius Ecclesiæ antiquissimis quoque decretis maximè sit consentanea. Nam Clemens I. Epistolâ primâ seuerè præcipit, vt nullus Clericus vel Monachus solus ad feminas accedat, vel cum iis loquatur. His tot castimoniæ præsidiis accedit frequens Confessionis & Eucharistiæ vsus: quibus Sacramentis, de vnanimi sanctorum Patrum sententiâ, peculiaris quædam vis inest obscœnam illam flammam sedandi, & tam corporis quàm animi munditiem intactam illibatamque seruandi. Vinum enim illud est, ex quo germinant virgines; quodque, vt ait mellitus Doctor, minuit sensum in minimis, in grauioribus omnino tollit consensum.

Atque hæc sunt auxilia, per quæ Societas integritati suorum consulit. Quòd si tot frenis ac vinculis impedita & constricta cupiditas nihilominùs in delictum erumpat; hîc ferream, hîc adamantinam, hîc inexorabilem se præbet Societas, nec aliter manifesto vulneri medetur, quàm impurum à puro corpore membrum resecando: cuius pœnæ metus non infimum quoque munimentum huius est voti.

Porrò votum Obedientiæ S. Ignatius ipsâ Dei auctoritate ac maiestate, tamquam inexpugnabili loricâ, circumdedit: simulque voluntatem & iudicium proprium, pessimos obedientiæ hostes, procul à suorum cœtu proscripsit; quibus hostibus si quis manum porrexerit, eum ne quidem agnoscit in suis, vtpote sacrâ huius militiæ veluti tesserâ destitutum. Itaque facere quod imperatur, minimum hîc est: imò obedire non est, si is qui facit quod iniunctum est, seu voluntate seu iudi- *Obedientiam Societatis tesseram esse voluit sanctus Ignatius.*

cio ab imperante diſſentiat. cæcitatem quamdam hîc nobis imperat; ita vt in imperiis Præſidum nihil videre nos velit, niſi Deum imperantem, & naſcentem hinc inuiolabilem obediendi legem. Quod ipſe Mutius Vitelleſcus, quo Præſide adhuc fruitur Societas, ſatis apertè ſignificat in Epiſtolâ, quam de Oratione ſcripſit ad vniuerſam Societatem, cùm in illâ ſic ait: *Per obedientiam probatur germana ſoboles Societatis: quæ quos reponit in ſuis, hoc educat cibo, ad iuſtamque producit maturitatem.* Ita R.P. Mutius. Ex cuius verbis hoc deducas: Ergo non ſunt germana ſoboles Societatis, nec eos Societas reponit in ſuis, ſi qui hac obedientiæ integritate deſtituti ſint. Nec minùs grauiter Franciſcus Borgia obedientiam commendat: *Ad quam*, inquit, *omnia refert Societas, tamquam ad ſcopum & vexillum, quæque eius eſt turris præcipua.* Tam ſublimis Præſidum de hac virtute ſenſus, quem animis ſuorum ingenerant, ingens obedientiæ eſt præſidium. Sed quale quantumque eius eſt propugnaculum aurea illa Epiſtola ab ipſo S. Ignatio ad Societatem Luſitanicam ſcripta? quæ millies repetita, nouos ſemper aculeos iis, quibus prælegitur, relinquit infixos: quibus acriter incitantur ad tantam in obediendo accurationem, quantam ipſa exigit. Sed audire iuuat ipſum Ignatium ſub exordium Epiſtolæ huius animos ſuorum amicè inuadentem, eoſque primo quaſi aſſultu dulci quâdam violentiâ feliciſſimè expugnantem. *Ab aliis*, inquit, *Religioſis Ordinibus faciliùs patiamur ſuperari nos ieiuniis, vigiliis, & ceterâ victus cultuſque aſperitate, quam ſuo quique ritu ac diſciplinâ ſanctè ſuſcipiunt: verâ quidem ac perfectâ obedientiâ abdicationeque voluntatis atque iudicij maximè velim, Fratres chariſſimi, eſſe conſpicuos, quicumque in hac Societate Deo Domino noſtro deſeruiunt: eiuſdemque Societatis veram germanamque ſobolem hac quaſi notâ diſtingui, qui numquam intueantur perſonam ipſam cui obediunt, ſed in eâ* CHRISTVM *Dominum, cuius cauſſâ obediunt. Siquidem Superiori, nec ſi prudentiâ, bonitate, ceteríſve quibuſlibet diuinis donis ornatus inſtructuſque ſit, propterea obtemperandum eſt; ſed ob id ſolum, quòd vices gerat Dei, eiuſdemque auctoritate fungatur, qui dicit: Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit: nec contrà, ſiue conſilio aut prudentiâ minùs valeat, quidquam idcircò de obedientiâ remittendum, quatenus ille Superior eſt (quando illius perſonam refert, cuius ſapientia falli non poteſt, ſupplebitque ipſe quidquid miniſtro defuerit) ſiue probitate aliiſque ornamentis careat. ſiquidem diſertis verbis* CHRISTVS *Dominus cùm dixiſſet: Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi; protinus addidit: Omnia ergo, quæcumque dixerint vobis, ſeruate & facite; ſecundùm verò opera eorum nolite facere.* Hæc ſanctus Pater noſter: quæ deinde pari ſemper orationis vi perſequitur, tantoque rationum pondere vrget ac premit, vt vel deploratam contumaciam in obediendi ſtudium poſſit conuertere.

Mutius Vitelleſcus Epiſt. de Orat.

Borgia Epiſtolâ de Mediis conſeru. ſpirit.

S. P. Ignat. Epiſt. de Obedient.

Tribus hiſce votis quartum adiecit, & quidem ſolenne, quo Profeſſi deuouent ſe obſequio Romani Pontificis, vt, quocumque terrarum Euangelij cauſſâ iuſſerit illos proficiſci, ad eius nutum prompti ſemper ſint & expediti. Neque detrectare poſſunt hoc imperium, niſi ſimul voti ſui fidem violent, quamuis nullo inſtructi viatico, quamuis ad hæreticos, quamuis ad barbaros mittantur; quamuis ad eas regiones

Obedientiæ Pontificiæ votum.

vbi

vbi Societas nullum habet domicilium, aut habitura speratur. neque infessa latronibus itinera, neque maria tempestatibus simul & piratis infesta, neque scopuli & syrtes naufragiis infames, neque hæreticorum aut barbarorum secures Iesuitarum sanguine infectæ & adhuc madentes, neque adhuc fumantia nostrorum corporibus Iaponiæ busta, neque Brasilorum ingluuies humanæ carnis auida, vllam huic voto gratiam faciunt, aut idonea sunt caussa, cur vel tergiuersari liceat, quamuis inter hæc pericula senescendum sit, & ætas exigenda, nec vlla spes reditus tam coaceruatam malorum congeriem soletur. Cui vmquam nocenti tale exsilium sua culpa imperauit, quale hisce viris suâ sponte indicit pietas, & immensa gloriam diuinam propagandi cupido? Alij quidem Religiosi talibus periculis caput sæpè obiectarunt, neque desunt quorum animos Deo plenos illa ipsa inuitant, & adhuc exercent; nemo tamen eorum ex obedientiæ suæ voto à Pontifice cogi potest ad tam arduum munus, non magis quàm quilibet alius nullâ voti religione obstrictus, vt inter Theologos satis constat. Atque ita cautum est, ne spiritus ille Apostolicus in Societate vmquam sopiatur, aut euanescat. Sed hæc quoque Societatis virtus meruit inuidiam, certum magnitudinis suæ signum. Quid illa, quæso, commenta est? nihil aliud scilicet hoc votum esse quàm fœdam adulationem quâ Pontificis fauor putidè captatur. Itáne verò adulatio? ergo Xauerij, Criminales, Ouiedi, Campiani, Azebedij, Siluerij, totque alij, virtutum magis nomina quàm hominum, sudores suos, vitam & sanguinem adulationi vitio turpissimo immolarunt? Tot viri sapientiâ & virtute inclyti, quot habuit, habet, & porrò habitura est Societas, non tam Pontifici quàm ambitioni se deuouerent? Ideóne S. Ignatius tam acre sibi bellum intulit, ideò tantum laborum exhausit, vt suorum animas & suam infami vitio tamquam idolo offerret ac dedicaret? Vsqueadeóne inuidiæ nihil est nefas, vt & cælum inuadat, nec Diuis ipsis parcat? Quæ, obsecro, ex tali adulatione sperari posset vtilitas? (nemo enim gratis est nocens) quis turpissimi vitij fructus? Nam quotumquemque de tot millibus Pontifex nouit? vtque nosset omnes, quæ spes esse potest omnibus, vbi nemini licet vel oblatam dignitatem, adulationis nempe præmium, admittere? cùm in nullo Religioso cœtu aditus æquè sit obstructus honori, tamquam pesti & exitio huius Societatis? quæ spretis quàm admissis honoribus clarior, ita suos instituit, vt si fas esset, nec cederet in diuinæ gloriæ & animarum detrimentum, optent potiùs iniuriis, quàm titulis & dignitatibus affici. Quin audi, inuidia, & rumpere: ad ambitionem stirpitus excidendam, Societatis legibus institutisque cauetur, vt in hac ipsâ solenni quatuor votorum professione (cuius tu quartum adulationis insimulas) voto insuper alio quisque se Deo obliget, ne vel domesticos vel externos honores, non modò rectis studiis planoque cursu, sed ne transuersis quidem & obliquis itineribus aucupetur. Quòd si quem fortè talem in Societate deprehenderit, statim prodat, Præpositisque denuntiet. proditusque, si manifesto crimine teneatur, prò speratis honoribus perpetuâ mulctetur ignominiâ, omnisque suffragij iure in perpetuum spolietur. Delatos

Societas honores excludit.

latos autem & imperatos honores, nisi præcepti vis adigat, & Pontifex ipse compellat, eâdem voti religione recuset. Sic nempe adulatur Pontifici Societas, vt etiam voti sacramentum tali eius fauori opponat, qui vnus adulationis fructus esse posset. Quamquam non diffitetur Societas se Pontificum gratiam ac beneuolentiam omni voto expetere, sed quâ protegatur contra maleuolentiam, sed quâ iuuetur in omnium salute procurandâ, sed quâ munita latiùs prodesse & pluribus possit. quæ non est infamis & erubescenda honorum, sed laudabilis & sancta laborum ambitio. Nonnulli quidem è Societate aut honores Ecclesiasticos, aut delatas Infulas admisère; sed pro imperio coacti, sed è quibus nihil splendidi, præter titulum sacramque potestatem accepere; vtpote quorum stipatores fuere barbari exitio illorum imminentes, quorum aulæ antra aut tuguria, quorum deliciæ fames & sitis, quorum quies perennis labor, quorum stipendia gladij, tela, secures, venena. Sic ad Indos profectus est Xauerius Nuntius Apostolicus. Sic Salmeron & Broëtus Nuntij Apostolici à Pontifice destinati sunt in Hiberniam, tot vitæ periculis quot hæreticis, qui iam tum rerum illic potiebantur, obsessam. Sic Morales Episcopus in Iaponiam est missus. Sic Nunnez in Æthiopiæ Patriarcham consecratus; sic eius socij Andreas Ouiedo & Melchior Carnero Episcopi, Nunnio olim successuri, sed in discrimina & ærumnas veriùs quàm honores. Ac tametsi honores Societas postmodum illos est deprecata; curas tamen & pericula non recusauit, quorum solâ se feruere ferrique ambitione non negat. Lainius & Borgia sacram purpuram sanctâ quadam contumaciâ constantissimè reiecerunt; quam Toletus admisit coactus, Bellarminus omni contentione, quam ipse & Societas extremam adhibuerunt, excutere non potuit. Iaius Episcopatum Tergestinum, Canisius Viennensem, Claudius Aquauiua Archiepiscopatum Neapolitanum, Cottonus Arelatensem, inuictis animis repudiarunt; gloriam ingentem omnes consecuti, quia fugerunt. Sic Ignatius omnis corruptelæ radices ad fibras vsque persecutus, Societatis incolumitati omni ex parte consuluit. quibus cùm etiam acerrima humanæ prouidentiæ sagacitas nihil vltrà addere posse videatur, inuenit tamen Ignatius quæ adderet, nec leuioris quàm illa momenti.

CAPVT DECIMVM.

Tria præterea Societati peculiaria, quæ florem ac vigorem tribuunt.

ALta illa Ignatij mens, quæ nihil non perspexit, videbat etiam Religioni suæ diuturnitate periculum nasci posse. videbat in rebus humanis nihil magnum esse & durare, nihil tam firmum quod paulatim exedendo non perimerent tempus & vetustas. Neque enim opera solùm manu facta & ipsam naturam, sed etiam virtutem & animorum robur, ipsa dies paulatim carpit, & velut occultâ teredine sensum fallente eneruat tandem atque consumit. Itaque aduersus hanc quoque tempo-

temporis violentiam armauit ſuorum virtutem; vt, quamuis illud vincat omnia, hanc tamen expugnare non poſſet. Armatura hæc votorum eſt renouatio; quæ bis quotannis, ab iis qui certum in Societate gradum nondum habent, non leui operâ inſtituitur: triduum enim antè, ab omni curâ negotiiſque expediti, ſibi tantùm & Deo vacant. Quo tempore in ſe vitamque ſuam acriter inquirunt; & ſicubi deprehendant aliquid aut languore aut incuriâ labefactum, aut Religionis integritati minùs conſentaneum, id omni ope reſtaurare contendunt. Denique non minùs ad renouanda hæc vota comparant ſe, quàm ſi ea primùm eſſent nuncupaturi: quæ quarto demum die inſigni apparatu, nec alio ritu quàm quo primùm ea pronuntiarunt, omnes ordine vno in loco ante aram ſupplices inſtaurant. Hic ſaluberrimæ conſuetudinis ritus eſt. Sed cur tantam illa vim habere dicitur, vt virtutem etiam contra æui damna muniat? Inter vitæ ſanctioris peſtes haud ſcio an vlla ſit nocentior, & tamen occultior, quàm ſtatus & muneris ſui obliuio. Hæc enim velut profunda virtutis omnis ac pietatis eſt ſepultura, exitiumque animis ferè adfert, antequam ſentitur. nec enim ſe niſi ipſis quas facit cladibus prodit. Hanc tam capitalem Religionis hoſtem procul arcet renouata ſimul cum votis memoria dignitatis ac vitæ Religioſæ. Quæ memoria tanto molimine ac toties reſtaurata, deficere non poteſt; cumque viuida ſemper ſit ac recens, facilè gubernat frenatque animum, & diuerticula more ſuo circumſpicientem haud ægrè continet, ne deflectat à curſu: ſubiicit enim eius oculis primam illam ſui oblationem, & fidem Deo datam; quæ ſæpè non minorem vim habet tam viuâ ſpecie repræſentata, quàm primùm præſtita.

Votorum renouatio Societatem à vetuſtate defendit:

Alter huius renouationis fructus à ſancto Patre Ignatio ſpectatus, eſt deuotionis augmentum: cuius deuotionis nomine non intelligit dulcedinem quamdam & ſuauitatem ex rerum piarum exercitatione ſcaturientem; ſed promptam, ſed expeditam, ſed ardentem animi alacritatem, quæ inimica tarditati & negligentiæ, incitato quodam & pleno vigoris impetu, perrumpit quidquid naturæ ſegnities reformidat, & quidquid in diuino obſequio arduum occurrit. Nec temerè fructum hunc ſuis promittit Ignatius: ſentiunt enim hoc piæ alacritatis incrementum, quotquot ſeſe ad hæc vota Deo rurſus offerenda non oſcitanter aut perfunctoriè comparant. Neque obſcura eſt huius rei ratio. memoria enim per officij recordationem excitata, conſcientiam ſtimulat vellicatque ad fidem liberandam. Conſcientia his ipſis ſtimulis ſegnitiem ac tarditatem increpat, abigitque è pectore. Quibus impedimentis pulſis, nihil eſt quod pronum animi iam incitati curſum aut remoretur, aut ſiſtat.

deuotionem auget:

Tertia, nec ſuperioribus minor, vtilitas, quam adfert hæc pietatis induſtria, eſt animi conſtantia in ſuſcepto vitæ propoſito. Proprium ſiquidem humano ingenio vitium eſt inconſtantia. Omnes leuitate vexamur ac tædio; & alternis cupiditatibus iactati, modò damnamus quæ appetiuimus, modò in ea quæ damnauimus reuoluimur: nec quidquam in homine tam ſtabile, quàm perpetua inſtabilitas. Ab huius importunitate vitij tantò plus eſt periculi Religioſis, quò moleſtiora naturæ

conſtantiam parit,

N iam

Naturæ deprauatæ vitia. iam deprauatæ (quæ infestissima virtutis est hostis) consilia sunt amplexi. Redit enim illa, quantumuis fortiter pulsa; cui tam displicet labor, quàm voluptas est in votis; cui disciplina Religiosa, odiosus rigor est & vexatio; castitas, perpetua rixa & pugna; paupertas, angustiæ; obedientia, seruitus videtur; cui grauis est alienæ salutis cura negligenti iam suam; cui demum ingrata est virtus, labore vtique paranda ac sudore. Hostis igitur hæc intestina quamuis animum non expugnat, debilitat tamen, illecebrisque & blanditiis ita sæpè labefactat, vt de nefariâ sui proditione dubitare, & in benè cœptis nutare cogat. Sed hanc exarmari posse sperauit Ignatius solâ votorum, quasi sacramenti militaris, instauratione. Neque eum spes fefellit. Cùm enim noua hæc sponsio obligatam priùs fidem confirmet, animum quoque corroborat in voto nutantem; nouis viribus auget perseuerantem. Huius auxilij præsentem vim sensere primi Patres nostri: de quibus post vota iterum & *Maff. in Vitâ S. Ignatij l. 1. cap. 21.* sæpiùs Parisiis repetita, Maffeius noster, *Id ad confirmandas*, inquit, *in suscepto consilio mentes omnium mirificè valuit.* Senserunt posteri, quorum multi, qui defectionem iam meditabantur, aut dubij & incerti fluctuabant, hac renouationis ope subitò corroborati, in fide ac statione perstiterunt. Sentiunt demum omnes, tantum animorum, feruoris, virium hinc sibi accedere, vt Deo ac Religioni tum primùm initiari sibi videantur, nec vllum ferè à primâ sui oblatione discrimen, nisi temporis agnoscant. Atque hæc de votorum renouatione.

Alterum, quod sanctus Pater mirè vrget, & omnino necessarium statuit, ne primæuum illud Societatis robur vmquam elanguescat, est, intima animi sensa, motusque ac perturbationes, Moderatoribus suis penitus & *Ratio conscientiæ Superiori reddenda.* sine fuco aperire. Animum siquidem humanum, veluti ægritudinum omnium receptaculum, modò amor, modò odium, modò spes, modò timor, tamquam æstus febriles, alternâ iactatione infestant; interdum stolida sui admiratio, velut aqua intercus, vanissimè inflat; interdum ira corripit, quæ furor etsi breuis, tamen furor est; sæpè tristitia velut lethargus obruit; sæpè voluptas tamquam pestis veneno suo afflat; nunc inuidia ceu cancer exedit; nunc stultæ suspiciones, velut alta quædam caligo, excæcant: sed pessimè omnium vexat insanus amor sui, morborum omnium radix & caput; qui tamquam lenta quædam tabes animi robur sensim carpit atque depascit; tantò sibi infestior, quantò indulgentior. Harum omnium ęgritudinum quàm pestilens est vis, tam facilis est cura, si modò eas æger ei sub cuius est curâ, tamquam Medico, tempestiuè manifestet. Nec ægritudines modò, sed etiam vitiosas animi inclinationes eodem candore vult detegi sanctus Pater, dum tempus & caussa morbi, & nondum planè ęger, auxilium admittunt. Nec immeritò tam solicitus hîc fuit Ignatius. Nihil enim æquè amabat, atque suorum salutem; quæ hoc remedio destituta, non in discrimen modò, sed in certam sæpè perniciem rueret. Nemo enim sibi sufficit; nemo aliis aut sibi vmquam exitio fuit, nisi per occultam aliquam eiusmodi ægritudinem: *Morbos animi aperire, initium est salutis.* imò nulla clades humanum genus infestat, quæ originem hinc non ducat. Itaque, vt pars magna morbi est, ne dicam pernicies, morbum occultare: ita è contrario salutis initium est, periculum salutis, illi qui depellere

pellere id vult & poteſt, detexiſſe. imò, quidquid in animo latebat, in lucem proferre ſaluberrimum eſt conſilium. quia ſæpè morbus ſpecie ſanitatis blanditur; quem dum peritus Medicus ægro oſtendit, nullo negotio diſcutit: hic verò errorem haud grauatè deponit, quem agnoſcit; & periculum ſtudioſè cauet quod proſpicit. Quòd ſi remedium hoc omnibus Religioſis tam eſſet vſitatum, quàm eſt ſalutare; quis eorum vmquam ſalutem ſuam in diſcrimen adduceret? Sed inanis pauor, dum auxilium formidat, non abſque ingenti piaculo in exitium vertitur. Nec intelligunt miſeri hanc eſſe machinam, quam illis admouet humanæ ſalutis hoſtis, obſcœno & vili proco ſimillimus; qui dum honeſtam virginem molitur abducere, nihil æquè laborat, quàm vt illa improbum conſilium parentes ſuos celet: ſi enim illud prodat, non prædam modò, ſed ſpem quoque prædæ ſibi ereptum iri videt. Quoniam verò non poteſt non eſſe Deo acceptiſſima illa ſubmiſſio animi, quæ intimos ſuos motus ac ſenſus quantumuis erubeſcendos, alteri, nihil diſſimulando, detegit; non raròᵒ Deus hanc præſentiſſimo præmio remuneratur: vt plurimis, & plerumque, non citiùs voces excidant ore, quàm malum è viſceribus. Neque poteſt hic candor alicui eſſe fraudi. Nefas enim eſt Præſidibus vti illâ ſcientiâ, niſi ad auxilium & ſolatium eius qui illam dedit: quæ ſi deeſſet, ad eiuſmodi munia facilè adhiberetur, quæ damno illi forent fortaſſis & ruinæ. Quis autem illi nocere aut vellet aut poſſet, quem ſincero proſequitur affectu? Nihil ſiquidem Præſidum curam & amorem æquè prouocat, atque aperta illa & minimè fucata ſinceritas; vbi è contrario non poteſt non ſuſpectum & odioſum illis eſſe ſilentium, aut ſilentio peior oratio inuoluta & ambagibus perplexa, & qualiſcumque demum arcani diſſimulatio; cùm Veritatis teſtimonio conſtet, eum malè agere qui odit lucem. Neque reticenda ſunt quædam, quia leuia videntur & exigua: nihil enim leue & exiguum eſt, in quo res maximæ vertuntur, quæ minimis ferè cauſſis & ſtant & cadunt. Nec eſt quòd ſatis tibi in te præſidij repoſitum eſſe ducas ad perſananda animæ tuæ vulnera. Adhibebit enim Deus vim ſanandi remedio, quod præſcribet animæ Medicus: quam negabit eidem, cùm ipſe tibi præſcripſeris. Nimirum vult te non tibi debere ſanitatem, ſed ſibi; à quo ſolo ſperare eam potes, & accipere. Demum tantæ eſt virtutis hæc ſinceritas, vt quot iam inde ab ortu Societatis aperuit pericula, totidem diſcuſſerit damna.

Sinceritatis fructus.

Ioan. 3.

Tertium & fortaſſe maximum munimentum, quo incolumitatem ſuam tuetur Societas, eſt ſeu contumacium ſeu pernicioſorum hominum, ſeu miſſionem vrgentium & extorquentium dimiſſio, etiam poſtquam Religionis votis ritè ſe obſtrinxerunt. Quam dimiſſionem multi quidem calumniantur aut vellicant: ſed ignorantia ferè carpit, quod non capit; dumque rationem non videt, ſine ratione rem geri putat. Hæc enim quorumdam velut exauctoratio non tantùm Societati vehementer prodeſt, ſed ipſis etiam non raròᵒ qui ſic exauctorantur. Nam ſi contumaces ſunt, aut flagitioſi, quis non videt hoc eos in Religione eſſe, quod in corpore putre corruptumque membrum? amputandum, ne partes adhuc ſinceras vitiet. dementiæ genus eſt, perniciem, cùm potes, non

Dimiſſio à Societate.

amoliri; & contagionis omnes inuasuræ initio, infectos à sanis non secernere. Nemo à vitiis tutus erit, vbi illa tuta sunt. neque enim ibi sistunt vbi oriuntur. Habent hoc commune cum peste; contagionem suam longè lateque diffundunt. Potens nimirum est in vtramque partem exemplum; &, quod miseriæ nostræ genus est, valentiùs in peiorem. Ita fit, vt quod ab vno peccatum est, luant vniuersi, cùm inter multos nemo sibi tantùm peccet. Serpunt vitia, & proximum quemque inficiunt; dum quæ tolerantur, quasi iure fieri incipiunt. Sic paulatim maior pars vincit meliorem, & cœtus vniuersus incipit seruire corruptis hominibus & moribus, quibus imperare debuerat. Sed crudele, inquies, hoc remedium est; imò crudelis est benignitas vni parcere, per quem omnibus noceas. Nam vni sic indulgere, est multos sæpè perdere; nec ipsum, cui indulgetur, seruare. An crudelis est colonus, qui stirpes herbis vtilibus nocituras euellit? An sæuus Medicus, qui vitiatam corporis partem mauult tolli, quàm vitam? An immitis Iudex, qui non parcit malis, ne noceat bonis? Non opinor. Cur igitur Societas crudelis, si paucos tollendo, seruet omnes? Videtur quidem sibi illa partem viscerum suorum abrumpere, dum à se, quos tam caros habuit, separat: sed mauult rationem in consilium adhibere, quàm affectum; & sequi potiùs quod expedit, quàm quod iuuat; ne mox sibi dissimilis, inane tantùm Religionis simulacrum & vmbram se esse deploret, nec quidquam ferè sui præter nomen vestemque videat; quando citiùs integri à corruptis morbum, quàm ægri à valentibus sanitatem trahunt. Nec enim vllæ Religiones, quarum interiit splendor & virtus, nisi à suorum vitiis euersæ sunt: cùm nihil tam firmum sit, quod stare diu possit, si intestinos hostes foueat. Huic igitur malo Societas felicissimè occurrens, sauciat se ne lædatur, ipsâque membrorum suorum mutilatione integritatem suam conseruat. Itaque Reginæ Lusitaniæ admiranti aliquando perennem illum vegetumque Societatis florem, & caussam roganti, aptissimè respondit Collegij Rector hanc esse, quia venam sibi aliquando Societas incîdit. corruptus enim sanguis leui vulnere opportunè emissus, totius corporis est valetudo. Ioannes Clarius, nobilis in Academiâ Louaniensi quondam Theologiæ Doctor, cùm celeberrimus quidam Concionator esset dimissus, Iesuitæ, inquit, non solent aquam mundam effundere. Humbertus Ordinis PP. Prædicatorum quintus Generalis, *Oportet*, inquit, *vt Religio despumetur, ad hoc vt in suâ puritate seruetur. vbi nulla est despumatio, est impuritas multa.* Plura addit in hanc sententiam multò his fortiora. vtque vinum fæce turbidum, hanc eiiciendo se limpidum reddit & clarum; ita Religio se purgat eiectâ quorumdam fæce. Quod innuere ipse CHRISTVS est visus, dum Iudâ ex cœtu Apostolorum dimisso subiunxit: *Nunc clarificatus est Filius hominis.* Denique hanc vtilitatem satis asserit sententia & vsus SS. Ignatij & Xauerij; quorum de hac re iudicium nemo Pontificum improbauit, laudarunt & approbarunt hactenus omnes, ac præsertim Gregorius XIV. qui dum hanc dimittendi, & omnem votorum obligationem tollendi potestatem denuò confirmat, *Eam*, inquit, *ratam & intactam esse volumus, tamquam rem magni momenti ad Societatis puritatem &*

Dimissio est medicina Religionis.

Humbert. de Erud. Relig. l. 5. p. 2. c. 3.

Ioan. 13.

Greg. XIV. in Bullâ datà an. 1591. de confirm. Soc.

& conseruationem retinendam. Ita Summus Pontifex, qui paucis verbis ingentem huius remedij vim virtutemque complexus est. Neque fortasse aliud quidquam ad Societatis incolumitatem est efficacius. Carceres quidem & supplicia etsi improbos frequenter emendent; sæpè tamen compescunt tantùm corpora, non vitia; coguntque subinde tantùm dissimulare nequitiam, non deponere: cùm nocentes vultum tantùm & ora, non animos mutant; pœnam criminum horrentes, non crimina; fortasse peiùs peccaturi, vbi vincula euaserint. Vt nunc silentio prætercam, quoties perditissima viuendi licentia, quam hæresis huius sæculi inuexit, caussa sit, cur improbi Religiosi, qui non timent mereri, sed pati pœnam, ad hæreticos confugiant. à quibus blandè accipiuntur, gratulationibus, officiis, stipendiis demulcentur: in solatium impietatis Illuminati vocantur; quia nempe fidei perfidiam, Religiosæ castimoniæ sacrilegas libidines, virtuti & honestati voluptatem & turpitudinem prætulerunt, malueruntque Baccho & Veneri seruire, quàm CHRISTO. In quod impietatis baratrum fortasse non mergerentur, si à Religione possent discedere sine apostasiæ crimine, & votis soluti suo arbitratu vitam ducere. Quàm multos Religiosos vidimus, inquit Montholonius, aliorum Ordinum viros præclaros & sanctos grauiter ingemiscere, quòd hoc familias suas purgandi remedio destituti, cogerentur aut Religiosæ disciplinæ aut suorum dispendium facere? Quæ calamitas non ex sanctissimo illorum Instituto, sed ex infelicitate horum temporum nascitur, & hæreseos mendicitate, quæ ex sentinis nostris & quisquiliis suas facit gemmas & lumina; ex ruinis nostris suas fabricas; ex ouibus perditis suos Pastores; ex Apostatis suos Apostolos.

Malus oficij custos metus.

Montholon. p.2. oppos. 33.

Ad extremum, nobis necessaria est vita nostra, vt Augustinus ait, aliis fama nostra: vt non dubitet etiam vir tantus affirmare, eum qui famam suam custodit, in alios esse misericordem. Certè si vlli Ordini, Societati in primis sua fama est necessaria, quia totam se alienæ saluti ex Instituto suo impendit: quam ita procurare non posset, nec tam vtiliter se Ecclesiæ obsequiis consecrare, si integritate nominis esset destituta. Maximum quidem momentum ad docendam virtutem est ipsa virtus, sed per existimationem sui: quâ sublatâ, tamquam neruis suis ac lacertis, quibus animos erat expugnatura, destituitur. Integritatem verò nominis seruare Societas quî posset, si eos, per quos existimationis suæ dispendium patitur, seruare cogeretur? Hæc enim iudicij humani seu peruersitas est, seu infelicitas, vt quod vnus sacrorum Deo hominum peccauit, adscribat omnibus, & perpetrati ab vno criminis reos peragat vniuersos: nec omnium virtus inustam sibi ab vno ignominiæ notam abolere possit. vsque adeò vel vnius crimen suspectos facit omnes. Ex quibus satis constat, dimissionem contumacium & improborum Societati esse tam vtilem & necessariam, quàm illi aliisque vtilis est & necessaria sua incolumitas & salus.

Auguft. lib. de Bono viduit.

Famæ integritas Societati necessaria.

Iam illis qui importunè vrgent vt votis soluantur, subinde quoque cedit Societas; sed postquam omnem eos iuuandi industriam nequidquam fatigauit: eosque dimittit, vel ideò satis nocentes, quòd votis suis voluerint solui. Nam hoc ipsum graue est piaculum,

Dimissionem importunè petentibus etiam cedit Societas.

iam tum animo & voluntate à Religione defeciſſe. nam quæ poteſt eſſe iuſta tam horribilis cum Deo diuortij aut digna ſatis cauſſa? Cedendum tamen ſubinde importunitati putat Societas, tum ne ad triſtiora conſilia confugiant ſatis iam infelices, ſuamque geminent cladem; tum etiam quia fructus ab illis ſperari magnus non poteſt, qui iam meliore ſui parte, hoc eſt animo, Religioſi eſſe deſierunt. Cunctabunda tamen eſt Societas & difficilis in eiuſmodi hominibus dimittendis, etiam tunc, cùm vtile videtur ab illo qui defectionem vrget, liberari: tum quia hæc difficultas nonnullos ad ſaniorem mentem reducit, tum quia aduerſa huic facilitas multis eſſet pernicioſa. Sed non ideò cenſet exſpectandum, donec ſpes eſt reſipiſcendi. Quid enim iuuaret dimittendi poteſtas, cùm talis ſpei non alius ſit terminus quàm vitæ? Nulla enim eſt tam deplorata improbitas, cuius emendandæ ſpes quoque deplorata ſit, cùm via numquam ſera ſit ad bonos mores, aut obſtructa.

Porrò Sacerdotes qui dimittuntur, etſi non habeant quo alantur, de nemine tamen niſi de ſe queri poſſunt. vſa eſt enim Societas iure ſuo: quod ius cùm non ignorarent, aut Societatem ambire non debuerant, aut calamitati non dediſſe cauſſam. Neque Epiſcopos, qui ſacris illos initiarunt, vlla lex obligat eos alendi, vt perperàm à quibuſdam exiſtimatur. Iure enim ſuo tunc ceſſerunt, cùm voluntariæ paupertatis titulo ſacros Ordines ſuſcepere.

Dimiſſis nihil debet Societas.

Decretum Congreg. 7.

Sed neque Societas iis quidquam debet, præter communem, quam cuiuis hominum debet, charitatem. Quàm autem hoc æquum ſit, præclarè deducit Decretum tertium Congregationis ſeptimæ, quod vniuerſum, nec apice mutato, operæ eſt pretium hîc inſerere; ſic autem habet: Cùm ratione Sacerdotis cuiuſdam, qui importunis poſtulationibus dimiſſionem è Societate impetrauerat, Pontificique libellum ſupplicem ad alimenta à Societate impetranda obtulerat, propoſitum per Illuſtriſſimum Cardinalem Bellarminum à ſuâ Sanctitate fuiſſet, vt proſpiceret Societas, quid facto opus eſſet circa dimiſſos à Societate Sacerdotes, qui maiorum hereditate, quique Religionis omnique alio titulo carent:

Poſt ſeriam prolixamque huius rei diſcuſſionem, cenſuit Congregatio, omni animi ſubmiſſione rogandam eſſe ſuam Sanctitatem, dignaretur Societatis iura, receptamque iam inde ab initio ſui conſuetudinem tueri: maximè cùm grauiſſimæ cauſſæ ſint, quæ nihil in hac re mutandum ſuadeant.

Ac primò, pauciſſimos à Societate dimitti, qui alimentis ad vitam neceſſariis careant: ac vix in ſingulis Prouinciis vnum alterúmve reperiri poſſe qui egeat: imò in vniuerſâ Societate adeò eſſe paucos, vt ab omnibus totius Societatis Prouincialibus, qui Romæ nunc ſunt, vix decem eius generis homines deſignari poſſint.

Secundò, inter eos qui dimittuntur, vix quemquam reperiri, qui non iis naturæ donis, exercitatione ſtudioque in Societate confirmatis, præditus ſit, vt facili negotio conditionem conſequi poſſit, quâ ſe vitamque ſuam modeſtè & honeſtè tueatur, ſi modò viri boni officio fungi

fungi velit: ſin minùs, pergatque in delictis, ob quæ vt plurimùm dimittuntur, pœnis potiùs tales inſolentias frænandas eſſe, quàm præmio remunerandas.

Tertiò, accedit, Societatem maximos ſumptus, nullo ſuo emolumento, in alendis talibus Nouitiatus ac ſtudiorum tempore, atque in reliquo etiam quo in illâ vixerunt annorum decurſu tuliſſe, vt peracti ſumptus longè emolumenta ſuperent: vt meritò queri non poſſint; maximè cùm aut ob delicta non leuia, aut importunâ rogatione dimittantur.

Quartò, neque maior videtur ineſſe Societati obligatio, dimiſſos ob culpam alendi, quàm Iudici eos, quos ob manifeſtum delictum Beneficio aut Clericali titulo priuauit, damnauitque. Neque tamen quiſquam damnatorum talium Iudicem ſuper alimentis conuenire conſueuit.

Quintò, & ſanè duriſſimum foret, Societatem ad præſtanda alimenta teneri eorum, quos ob non leues culpas dimittit. Neque enim quiſquam aliorum Ordinum tenetur ad alendum eos, quos à Religione ſuâ ob delicta præſcindit: qui, ſi res propiùs conſiderentur, multò plures in ſingulis reperientur, quàm qui à Societate dimittuntur; maximè ſi componantur cum iis, qui à Societate dimiſſi, mediis viuendi carent: cùm tamen plerique eorum, qui à reliquis Religionibus præſcinduntur, non rarò pluribus egeant. neque tamen quiſquam hactenus cenſuit talibus alimenta à Religionibus ſuis præſtanda eſſe: neque quiſquam eâ inuerecundiâ & audaciâ, qui cùm ob manifeſtum crimen ab Ordine reiectus eſſet, ab eodem alimenta ſibi deberi iure contenderet, aut Sedem Apoſtolicam ſuper iis compellaret.


Sextò, aperiret deinde hæc alimentorum ſuppeditatio viam ad cogitationes de deſerendâ Religione ſuſcipiendas; maximè in iis qui minùs feruentes, commodorumque ſuorum ſtudioſiores, otiique amatores ſunt. Spes enim hæc alimenti non paucos fortè traheret, qui illâ deſtituti in Religione detinentur. Fieretque paulatim, vt, cùm emolumento hoc, ac quaſi deſertæ Religionis præmio, plures prouocati, vocatione relictâ, ſæculum repeterent; Collegia, quæ ægrè admodum operarios ſuos ſuſtentant, magnam neceſſariæ ſuæ dotis partem, in tales effunderent, non ſine graui Fundatorum ac Benefactorum ſuorum offenſione, qui dona ſua in tales nollent profundi; ac manum etiam retraherent, eleëmoſynaſque negarent, quas ad tales diuertendas eſſe meritò vereri poſſent.

Septimò, extat & Toloſani Parlamenti nobiliſſima deciſio, quâ P. Claudium Bernardum, Prouinciali P. Ioanne Gentilio à Societate egreſſum, petentem alimenta à Societate, iudicauit iniquum poſtulare.

Octauò, eſt denique & illud non leuis momenti in hoc negotio, quòd, cùm anno cIↄ. Iↄ. xcvii. Aprilis xxi. memoriale quoddam Clementi felicis recordationis VIII. porrectum fuiſſet de Sacerdotibus à Societate dimiſſis, paupertatis ac Religionis titulo ordinatis, cùm ad egeſtatem, adeoque & ad mendicitatem deuenire poſſint; Pontifexque

fexque Cardinali Matthæo ex Congregatione Concilij, memoriale diſpiciendum tranſmiſiſſet; iſque à P. Laurentio de Paulis Breue ſibi tradi petiſſet, quo Societas in ordinandis Sacerdotibus ſuis vtitur, quo Conſtitutioni Pij V. ſuper ordinandis derogatur; Summoque poſteà Pontifici, re priùs ſeriò & accuratè diſcuſſâ, retuliſſet Cardinalis, aliàs hoc negotium per Summos Pontifices & Congregationem ſancti Officij fuiſſe examinatum, & intactum demum relictum; Pontifex, iis auditis, eamdem etiam rem integram Societati reliquerit. Hactenus decretum. cum quo argumentum hoc finio, triſte quidem nomine, ſed re tam vtile Societati, vt maius à Sede Apoſtolicâ beneficium ne optare quidem poſſit. Nihil enim Societati æquè prodeſt, atque hæc iactura; nihil illam tam auget, quàm hæc reſectio; nihil æquè ſecuram facit, atque hoc omnium periculum. Quanta verò Ignatij quàm diuina ſapientia, quæ tam robuſtis præſidiis Societatem ſuam etiam aduerſus temporis iniurias armando, orbem docuit, non omnia temporis eſſe ſpolium, ſed virtutem & Religionem ita muniri poſſe, vt nec æuum quidem eam labefacturum eſſe videatur; &, quod rebus omnibus exoletam quamdam ſeu ſenectutem, ſeu interitum adferre dicitur, Societati polliceatur ætatem vegetam ſemper ac florentem, ſuæque iuuentuti parem; & annorum tantùm curſum, non damna ſenſuram.

Sed miſſam faciamus triſtem nonnullis atque inamœnam hanc dimiſſionis materiam. Nunc quoniam Naſcentem Societatem, eiuſque Inſtituti incunabula hoc primo velut actu repræſentauimus, reſtat, vt ſpectatoribus noſtris miſſilia quædam (niſi fortè natalitia munera dici mauultis) non tam pretio quàm affectu metienda diſpertiamur.



EXER-

EXERCITATIO ORATORIA.

ORATIO PRIMA.

De nomine IESV.

IESVS nomen ſalutis eſt.

Vocabis nomen eius IESVM*: ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Matth. I.



VOTIES immortalem infantem, quoties mortalem Deum, Auditores, tacitâ mecum mente perpendo; toties ſuſpenſus ambigo, quid magis amplectar, aut priùs admirer; blandam ſilentis Maieſtatis infantiam, an verendam vagientis infantiæ Maieſtatem. Hoc autem res illa hinc ſuauior eſt ad amorem, inde ſublimior ad ſtuporem, quòd exilitas iſta, & magnitudo illa, ita ſimul inter ſe pugnent, atque ita conueniant, vt illius demiſſa benignitas nihil de huius præcellenti dignitate imminuere videatur. Inuoluuntur illa quidem, ſed ſuis adeò fiunt lucida inuolucris, vt in caducâ infirmitate ſtabilis virtus, in obſcurâ ignobilitate clara ſublimitas, in iacente ſubmiſſione erecta magnitudo, in neglectâ humanitate adoranda diuinitas elucèſcat. Ac proinde, niſi hæc ita ſuis latebris immerſa eſſent; profectò neque amor crederetur eſſe tam vehemens, neque tam potens eſſe maieſtas. Nam Deus brachiis prehenſari, ſinu inuolui, oſculo contingi, ad aram ſiſti, cultro ſauciari non poſſet, niſi ſub carnis inuolucro lateret; & abdi non poſſet, niſi tanta eſſet eius potentia, quæ & optimo ſimul amoris obſecundaret imperio, & maximæ amantis non officeret dignitati. Igitur rem iſtam tam ſuauem, quàm miram, amor inuenit, poteſtas exſecuta eſt; vt, cùm alia pleraque, quæ Dei ſunt, eius præſentiam manifeſtè declarent; hoc dulce prodigium, illum ipſum à quo manauit, poſſit abſcondere. Vnde rei attonitus nouitate, cum Chryſologo iure mihi videor exclamare poſſe: *Quod natura non habet, vſus neſcit, ignorat ratio, mens non capit, pauet cælum, ſtupet terra, creatura miratur; quomodo ſermo enarrabit humanus? Quis attinget arcanum Dei, partum Virginis, rerum cauſſas, ſæculorum negotium, commercium diuinitatis & carnis, hominem Deumque, vnum Deum?* Quare de infante hoc Verbo quænam ego verba Orator infans pro dignitate proferre potero? Quamquam non eſt, quòd operoſiùs infantiam hîc purgem meam; ſiue quòd ſperem fore, vt is qui ſic amat abſcondi, dictionis meæ tenebras non reformidet: ſiue etiam quòd, quò minùs eloquens vobis videbor, eò meliùs recèns natum infantem ſim omnibus expreſſurus. Quare omne illud amoris potentiæque miraculum, ceteraque auguſtiſſimarum argumenta rerum prudens volensque prætereo; ac duo dumtaxat

Serm. 143.

Duo tractanda: Primò litteræ nominis, Secundò significatio.

de puero velut puer tractabo. Primùm solius CHRISTO impositi nominis elementa dinumerabo: deinde eiusdem significationem breuiter inuestigabo.

Apocal. 1. Alcasar & Glossa. Lib. 1. Oracul.

Enimuerò ne in litteris colligendis nimius sim, missum facio Latini nominis quinarium, *& in calculo nomen nouum scriptum* quinque vulnerum sculpturâ: omitto etiam cum Cumanâ Sibyllâ octo monadas, octo decadas, octo hecatontadas in Græco nomine obseruari. Solos enim Hebræos, quoniam puer Hebræus est, consulo; & cum illis in IESVAGH diuinitus indito nomine per Iod, Schin, Vau, Ghain fortunatum quaternarium numero. Neque verò in animum facilè inducam, sine mysterio quatuor litteris Deum-hominem nominari; quando intelligo celeberrimum Dei ipsius nomen, non tantùm Hebræis sacrarum rerum omnium promis-condis tetragrammaton esse, per Iod, He, Vau, He; verùm etiam audio à plerisque nationibus, non minùs diuino nutu, quàm occulto naturæ prodigio, Deum quatuor litteris pronuntiari. Ecce tibi octies quater nomina Deum sic exprimentia gentes inter diuersas: in quibus recensendis consultò alphabeti seriem teneo.

Cæl. Rhod. lib. 22. c. 9. Gyrald. Hist. Deor. Syntag. 1. Pontus Thyardæus l. de Vniuers. Io. Eckius Homil. 3. de nom. IESV.

Nomina Deum quatuor litteris exprimentia.

Arabibus est	*Alla.*	Assyriis	*Adad.*
Antarcticis	*Topa.*	Ægyptiis	*Toir.*
Æthiopibus	*Amlaü.*	Chaldæis	*Eloa.*
Croatiis	*Doeg.*	Dalmatis	*Bogt.*
Flandris	*Godt.*	Gallis	*Dieu.*
Germanis	*Gott.*	Græcis	Θεός.
Hebræis	*Iehouah*	ineffabile. *Adonaï* Dominus.	
Hetruscis	*Esar.*	Hibernis	*Dieh.*
Hispanis	*Dios.*	Italis	*Idio.*
Iaponibus	*Ixin.*	Indis	*Zimi.*
Ingenis	*Odel.*	Latinis	*Deus.*
Lusitanis	*Deos.*	Magis	*Orse.*
Persis	*Syre.*	Polonis	*Boog.*
Perüanis	*Iaie.*	Saracenis	*Abgd.*
Syris	*E'loa.*	Turcis	*Agdi.*
Tyrrhenis	*Eser.*	Wallachis	*Zeul.*

Vniuersa propè rerum natura quaternario constat.

Ecce omnia quatuor litterarum. Huc insuper accedit Deum omnia suo pondere, mensurâ numeroque molientem, non frustrà illud perfectissimum nomen quaternario complexum esse; cùm propemodum omnia, quæ ad vniuersam rerum conditarum naturam pertinent, quaternarius comprehendat. Nolo hîc meminisse cum Physicis omnem rerum caussam, cum Musicis omnem concentum, cum Arithmeticis omnem numerum, cum Geometris omne corpus, cum Architectis arcam Noë templumq; Salomonis, cum Astrologis Zodiacum & cæli plagas, cum Archistrategis metationem castrorum Israël, cum Politicis veterum Imperiorum Monarchias, cum Theologis virtutes cardinales, quaternario contineri. In hominem vniuersi Principem oculos conijcio, cuius in primis Parens primus, Augustino, Cypriano, Bedâ notantibus, nomine suo tetragrammato Græcis litteris exarato, Orientem, Occidentem, Aquilonem, Meridiem expressit. Intuere nomen, & numera: Ἀ'δάμ:

Augustin. Tract. 9. in Ioan. Cyprian. l. de Sion & Sinâ. Beda in Ioan. Tom. 5.

A, Ἀ'νατο-

Α, Ἀνατολή, Δ, Δύσις, Α, Ἄρκτος, Μ, Μεσημβρία. hoc ipſum canente Sibyllâ: Lib. 1. Orac.

—— *Qui nomine complet*
Ortumque, Occaſumque, Auſtrum, Boreamque rigentem.

Parum eſſet nomine, niſi reipsâ Adam ipſe, omnisque poſteritas, atque adeò omnis homo, quaternarium corpore animoque inuolueret. Siquidem vt humanus animus, Pythagorâ docente, rerum omnium quaternarium exhibet, per illud quòd eſt, quòd viuit, quòd ſentit, quòd intelligit: ita hominis corpus quatuor ingentia mundi membra, ignem pulmone, aërem carne, aquam cerebro, terram oſſibus; ita quatuor principes qualitates, cholerâ, ſanguine, phlegmate, atrâ bile; ita quaternas anni vices, quatuor ætatibus; ita quatuor mundi latera, quatuor ſuis, Orientem dextero, Occidentem læuo, Meridiem vertice, Aquilonem calce, Philoſopho teſte, complectitur. Adde, eiuſdem hominis quatuor eſſe nouiſſima; eiusque æternitatem cubo, ſiue quadro, ſignari. Quem quidem Microcoſmum dum iſto numero refertum auditis, ſimul eodem quaternario Megalocoſmum plenum eſſe conſpicitis. Quid deinde? Eia Societas IESV, quæ quadrilittero iſto nomine inſignita es, quæque annum quadrageſimum ſæculo recurrente iam colis; omnibus beneuolè annuentibus, tetragrammato iſti nomini per quaternarios triumphum adorna. Sed quia tuus iſte triumphator in Iſraël, modò pauper eſt; age quadrigam Ezechielis illi emendica. Proſiliat itaque in arenam cum ſuo curru Cherubinus iſte, cui nomen eſt quadruplex, & cuius ſingula animalia quadriformia. Subſtratâ ardenti purpurâ inſiſtat mediæ quadrigæ Verbum infans, ſalutis teſſeram prætendens crucem; in cuius quadro latere, nomen ſalutis Iod, Schin, Vau, Ghain gemmâ fulgurante ſculpatur. Quadrigam præeant quatuor Angeli, qui congregaturi electos à quatuor ventis: lateri dextero aſſiſtant quatuor Euangeliſtæ; læuo quatuor celeberrimi Doctores: ſubſequantur quatuor notiſſimi Religioſorum Ordines. tuque his te adiunge quadrimembris Societas, cuius Socij ſinguli, ac præſertim quatuor vota Profeſſi, illud tetragrammaton nomen expediti ferre per vniuerſi quatuor latera: ponè ſubeant præfatæ illæ nuper gentes quaternæ & quaternæ. Agite nunc Angeli, & quatuor argenteis tubis ter quater intonate: *In nomine* IESV *omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium & infernorum.* Igitur flexo in primis poplite, quatuor inferorum loca ſeſe incuruent: tuque deinde cum quatuor tuis partibus, quatuor elementis, quatuor anni temporibus, quatuor ventis, quatuor rerum ſubſtantiis, vniuerſa terra ſubſide: tu denique inclinare ſuperna ciuitas in quadro poſita, ter quaternis nixa fundamentis, totidemque portis ad quatuor cæli climata patefactis. Prouoluantur iſthic in genua è vigintiquatuor ſedilibus, vigintiquatuor ſeniores inter quatuor animalia conſtituti: & ex illis centum quadragintaquatuor millibus ſignatorum, ex ter quaternis tribubus filiorum Iſraël triginta ſex millia quaternariorum venerentur hoc nomen, & alternis inclament: *Dignus eſt Agnus* (& cum diuiniſſimo nomine) *dignus eſt* IESVS, *accipere virtutem, & diuinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.*

Triumphus per quaternarios adornatus,

ישוע

Philip. 2.

Apoc. 5.

Nomina certas ob caussas olim data

Vt autem puer esse pergam, qui felicia puero impositi nominis elementa sum nactus, modò eiusdem significationem perquiro. Olim solenne fuit Romanis, Græcis, Hebræis (vt alios complures omittam) non fortuitò, sed consultò, pro cuiusque vel publicâ dignitate, vel priuatâ integritate, aliâque de caussâ nomen rebus accommodatum imponere. *Romanis,* Ac primùm quidem Romani à victis gentibus domitisque Prouinciis, ab Achaiâ, Africâ, Asiâ superatis; ab Allobrogibus, Balearibus, Callaicis subactis; à Getuliâ, Germaniâ, Macedoniâ subiugatis; Cæsares suos atque Victores Achaicos, Africanos, Asiaticos, Allobrogicos, Balearicos, Callaicos, Getulicos, Germanicos, Macedonicos nuncuparunt. *Græcis,* Quòd si Græcorum lubet recordari; apud hos Artaxerxes à memoriâ Mnemon, Demetrius ab vrbium expugnatione Poliorcetes, Damippus ab audaciâ Ceraunus, Dion Prusieus ab eloquentiâ Chrysostomus, Pyrrhi proauus à robore Alcetes, Pyrrhus à belli nouitate Neoptolemus, Ptolemæus à beneficentiâ Euergetes, Phocion à probitate Chrestus, Seleucus à victoriâ Nicanor, plures denique ob alias rationes *Hebræis.* atque alias, sua nomina sunt auspicati. Quid iam de Hebræis? quid de sacris paginis? vbi quot nomina, tot vitæ argumenta; quot verba, tot propemodum notanda mysteria. Quid apud hos Adam? idem qui ex terrâ. quid Abraham? pater multitudinis. quid Isaac? risus. quid Iacob? supplantator. quid Esau? operans. quid Ioseph? augmentum. quid Beniamin? filius dexteræ. Sic Aaron, docens; Moyses, assumptus; Iosue, saluator; Saul, postulatus; Dauid, dilectus; ceterique innumeri, illud quod vitâ vel prodigio intus occultabant, nominis significatione foris prodiderunt. Ceterùm vt ex Latino, Græco, Hebræo fonte non temerè nomina dimanarunt; ita contendo, sacratissimum Seruatoris nomen, non nisi ab arcano consilio, atque altissimâ ratione suum omen inuenisse.

Tu igitur age in primis Matthæe, tot sæculis exspectatum, tot prodigiis præsignatum, tot imaginibus adumbratum, tot vaticiniis prædictum, tot votis expetitum, tot suspiriis exoptatum, tot denique lacry- Matth. 1. mis quæsitum nomen edissere. *Vocabis,* inquit, *nomen eius* IESVM. Quid ita? amabo te. Interpretationem nominis assecutus: *Ipse enim,* ait, *saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Vnde planè illis assentior, qui existimant hoc nomen ab Hebraico illo *Iesuagh*, id est à salute, deduci, vt qui salus exstitit omnium, etiam nomen ipsum salutis obtineat. Multò sanè illud ante CHRISTI tempora à Rabbi Haccados, ætate Consulum Romanorum est assertum, qui Antonium Consulem his Refert Galatinus l. 3. Arcan. c. 18. verbis affatur: *Quia Messias homines saluabit, vocabitur* IESVAGH: *gentes autem alterius nationis, quæ fidem eius sectabuntur, vocabunt eum* IESVM. *Propterea inuenies hoc nomen* IESVS *designatum in textu Genesis* 49. *v.* 10. *Veniat qui mittendus est & ipse. Si enim accipias in Hebræo primas litteras harum dictionum, conficies nomen* IESV. Hæc Rabbi Haccados, quem Iudæi Magistrum nostrum sanctum soliti sunt appellare. Eodem artificio vsa est Sibylla Erythræa, quæ circa annos Ezechiæ Regis floruit: illa enim de CHRISTO quædam carmina Græca contexuit, quorum (quod mirabile est) primæ litteræ vnde inchoantur, in normam acrostichidis

chidis conficiunt eiusmodi sententiam: Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς σωτὴρ, id est, IESVS CHRISTVS *Dei Filius Saluator.* Vbi ingeniosè insuper suo more Augustinus aduertit, ex prioribus litteris eorumdem verborum exsurgere verbum ἰχθύς, id est piscis. At enim quis ille piscis? Non alius sanè quàm qui procelloso mundi huius naufragantis Oceano natans, submerso humano generi, velut alteri Ionæ, fida statio & salus extitit. aut ille, qui amarissimo dolorum suorum felle, sub vnius Tobiæ typo, oculos omnium reclusit. aut ille denique, qui in craticulâ crucis tostus ac torridus, perdito orbi non tantùm pabulum, sed salutem vitamque suffecit. Maneat itaque fixum ratumque singulari mysterio, IESVM, IESVAGH, hoc est *salutem*, nominari. Sed quantæ, obsecro, aut admirationis, aut venerationis esset IESVM salutem nominari, nisi veritatem significationis istius profuso cruore firmasset? Perge igitur, & fusi cruoris elementa iam cense; & etymologiam indaga. Verùm ego ad solum istius aspectum sanguinis erubesco & attonitus hæreo: *A, a, a, Domine Deus: ecce nescio loqui, quia puer ego sum.* nihil horum capio, nihil intelligo. Neque enim professus sum de atrocissimo isto spectaculo me loqui aut velle, aut posse; sed dumtaxat pueri instar, litterulas voluere, & quid sibi velit IESV nomen, inquirere. Abundè mihi est, vt acquiescam, hoc nomen inane non esse: *Vocabis nomen eius* IESVM: *ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Totum hoc nomen, totus IESVS est noster. Accede eia mecum, quisquis es, & eminus vestigia illius venerare, Numen est: pedes osculare, Pontifex est: manus prehensa, Dominus est: collo incumbe, frater est: os dissuauia, sponsus est. Totus enim IESVS, ac totum nomen illius, nostrum est. Quid trepidas? Age postula, vt donum tibi offeretur: admitte, vt depositum tibi credetur: exige, tibi soluetur vt debitum: tolle, tibi cedet vt pignus: immola, tibi parebit vt victima. Ne morare, ne dubita; cæleste hoc donum, immortale depositum, liberale debitum, securum pignus, nobilem victimam, fidens postula, fidelis admitte, constans exige, securus tolle, felix immola. Pergat intereà vnusquisque nostrûm, ingentibus animis, imitatione CHRISTI; Christiani nominis partes omnes ac numeros, pro suo quisque vitæ genere, probis moribus, atque omni exercitatione virtutis implere. Vos verò præ reliquis, Patres religiosi, quibus illud IESV nomen multò religiosissimum est, pergite non tantùm priuato animarum vestrarum emolumento salutique consulere; sed tetragrammaton illud nomen, eiusdemque vim, per terras & maria, per quatuor orbis plagas feliciter propagare. Nihil enim animi vestri vigor, diuinitusque concessa dona habent maius, quàm vt possint; nihil ardens voluntas, & incensa virtus habet melius, quàm vt velit prodesse quàm plurimis. Dixi.

Lib. 18. de Ciuit. c. 23.

Ierem. 1.

Matth. 1.

ORATIO SECVNDA.

De nomine IESV *in solennitate* CIRCVMCISIONIS, *quæ præcipua est Societatis* IESV.

IESVS nomen cruentum est.

Vocabis nomen eius IESVM: *ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Matth. 1.

QVoniam hodiernâ die ipsum Verbum, adeoque ipsa eloquentia conticescit, atque opere solo, & quidem cruento, loquitur; non videtur alienum fore à ratione, si hodie taceat omnis Orator, & pro exordio, solius voces operis audiantur. Vnde cùm spectandi, non loquendi, sese offerat argumentum; nemo mirabitur me spectaculum exhibentem, non vti pristino more dicendi. Spectatores igitur adesse nunc iubeo, non Auditores: cum marito virgine, Virginem spectatricem, spectatores Angelos, spectatores vos vniuersos. Ecce tragœdiam inchoat prologus infans; Deus sine veste personatus, actor sine voce, choros exhibente vagitu, loquentibus lacrymis, nouo tragœdiæ ritu, primâ scenâ catastrophen exhibet. Spectate: ecce pallent labra corallina; ecce marcent roseæ genæ; vbertim stillant geminæ ocellorum gemmulæ; crebrò gemit os formosum; alternis singultit lacteum pectus. Spectate: miserè tremunt frigidulæ manus; vndique titubat mollicella caro; tenerè palpitant paruula cum corculo viscera; toti trepidant infantiles artus. Spectate: ad asperas tangentium manus tenella membra suspirant; culpam damnati, sine culpâ reus pauet; ad ictum & vulnus puer formidat; delicatulus infans ad cultrum petrinum perhorrescit. Intereà rigidam dextram tenerrimus experitur; insons tormento plectitur; infantulusque, quem vixdum habet, sanguinem profundit. Ita *vocabis nomen eius* IESVM. Actum est. Cælum & terra, quid hoc est? Verène conspicor fortitudinem illam infirmari? fiduciam pauere? lætitiam tristari? sanitatem ægrotare? castitatem circumcidi? Euoluendum nobis hoc mysterium, retegendæ latebræ, inuestiganda ratio tam inusitati spectaculi, nominisque tam cruenti. Enimuerò existimo quot circumcisionis, tot imponendi nominis fuisse rationes. Vos autem quotquot adhibui spectatores, nunc Oratores esse desidero; vt ego, qui in exordio tacitus omnia suspexi, reliquâ etiam oratione attonitus obmutescam; dumque ab omnibus tam noui, & hactenus inauditi facinoris caussam quæro, me nouum præstem omnibus Auditorem. Atque in primis dic age, cum marito virgine Virgo-mater, quæ potuit esse ratio circumcidendi talis infantis ac tanti? vnde infantulus aut hoc potuit meruisse, aut voluit tolerasse? meruítne qui peccare non potuit? voluítne qui fari nequiuit? velle potuit lapis lydius approbari? fons limpidissimus expurgari? nix candidissima emendari? sol splendidissimus illustrari? templum sacratissimum expiari? Quo nouo vel veteri more atque

[Margin notes: Matth. 1. — *Tractandæ caussæ circumcisionis, ac nominis.* — *Quæritur ratio à Virgine & S. Iosepho,*]

que instituto hoc purissimum aurum correctum? erat sine scoriâ. serenissimum hoc speculum detersum? erat sine maculâ. læuissimum hoc marmor expolitum? erat sine scabritie. sincerissimum hoc frumentum euentilatum? erat sine paleis. integerrima hæc vitis putata? erat sine superuacuis sarmentis. Homo, inquam, omnium hominum innocentissimus circumcisus? erat sine crimine. Quid igitur caussæ est? quid ad hæc Virgo-mater? Illa nihil ore, sed adspectu flebilis adstat spectaculo, tam saucia corde, quàm Filius carne; seruatque omnia hæc in corde suo. Tacet vicissim (quid enim aliud agat?) modestissimus Ioseph, & depresso collo tragœdiæ huius spectator ingemiscit. Vos ego compello, vos testor, eiusdem tragœdiæ spectatores ac testes Angeli, quid tandem caussæ est, cur infans, & insons quidem, hæc patitur? cur vim omnem non repulistis? At, inquiunt, homo cùm sit, humana passus est. Ego verò contrà: Non homo tantùm, sed & hominis opifex est; si Patrem habuit, at ille feminam nesciit: si matrem vidit, at illa virgo viri nescia permansit: Virgo quidem concepit infantem, at eumdem ætate grauem virum circumdedit: expletis illum mensibus genuit, sed diu ante se genitum: natum vocauit, sed eumdem patrem agnouit. Agite ergo iterum (dabitis enim scio hanc mihi veniam, benignissimi Cælites, si in tam suaui argumento vobiscum pergam argutari) nuper arcano matris latebat in vtero? sed eumdem etiam tunc nullum mentis nostræ vestræque latebat arcanum. iacebat in solo? at idem fulgurabat in cælo. sugebat vbera? at idem regebat sidera. vagiebat in stramine? at tonabat in æthere. præsepi claudebatur? at vniuersa complectebatur. Quæ cùm ita sint, non tantùm insons, sed & Deus est: quî potuit ergo circumcidi, cuius origo, æternitas; cuius libertas, peccandi impotentia; cuius natura, bonitas; voluntas, integritas; opus, innocentia? Quid igitur caussæ fingi aut concipi potest? Stant attonitæ Angelicæ mentes, tantumque spectaculum silentio ac stupore venerantur. Itaque pace vestrâ, immortales Animæ, ad mortales me conuerto; ad vos, inquam, Auditores, aut potiùs Oratores mei: vos enim, vt liberè quod sentio eloquar, hodie plus quodammodò iuris habetis quàm ipsæ beatæ mentes, cùm de mortali Deo ratiocinandum est, qui nusquam Angelos, sed semen Abrahæ apprehendit. Loquimini vos itaque, audiente me, quæ sit caussa tam indignæ tragœdiæ: atque in primis, vt gradatim procedam, vos honestissimarum disciplinarum ornatissimi cultores Philosophi quid censetis? quid ex ipsis naturæ principiis, quid super hac re adfertis? Placuit, inquiunt, hoc manifesto signo ostendere, se germanam, veram, naturalem carnem, non ex vicino aëre emendicatam, cælóve decisam induisse. Ita est; & sic Manichæum, Valentinum, Apollinarem euertitis, vestræque sententiæ Epiphanium assertorem habetis. Quid vos Astrologi? Prognosticon hoc esse censetis, rei venturæ certumque præsagium? scio vobis manè cælum rutilans pluuiam portendere vespertinam; primamque illam purpuram sæpè serotinâ excipi tempestate. Quid præterea? Desuper, inquiunt, cælo micans sanguineus cometes, frequenter assolet Principis alicuius aut Regis interitum præsagire. Vt vt est; illud sanè omnibus exploratum est, hunc

quæritur ab Angelis,

Hebr. 2.

quæritur ab hominibus.

A Philosophis redditur prima ratio:

Hæresi 30.

ab Astrologis secunda & tertia:

à Medicis quarta & quinta:

hunc primum imbrem, maximum nimbum; sanguinemque hunc, Regis Regum cruentam mortem fuisse consecutam. Vos autem, Expertissimi Domini, quid de hoc experimento pronuntiatis? Quia exuberantem in nos amoris calorem (vos febrim vocate) diutiùs in se ferre non poterat, an ei vena fuit incidenda? Bonum factum. Sed quid deinde? Anne vt humano generi iam senio confecto, propinato sanguinis infantilis haustu, vires, vitam, iuuentutem instauraret? Contendit enim multis argutisque rationibus Marsilius Ficinus, senem, si pueri sanguinem sugat, in nouam restitui iuuentutem. Penes vos hoc esto iudicium: sed & cura. Vos autem Iuris-periti, quid censetis? quod est vestrum suffragium? Ideóne fortassis hoc egit, vt iam spontaneus omnium Fideiussor effectus, nondum cesso publicæ solutionis die, anticipatâ (vt loquimini) solutione, vel potiùs liberali donatione, aut refunderet creditori, aut donatario largiretur? Rectè habet. Quæ porrò vestra sententia est, Eximij Domini, ac Magistri Nostri? Dicitis Primò: Ratio à priori est, quia sic voluit. Dicitis Secundò: Ratio à posteriori est, vt hoc signo sese ex celeberrimâ vetustissimaque familiâ magni Abrahæ esse, illiusque legitimum semen ostenderet. Ita sentit vobiscum vester Doctor Angelicus. Vos autem Togatæ Nobilitatis Amplissimi Consiliarij, vosque Nobilissimi Magistratus, quid in hoc actu Filio Dei propositum fuisse censetis? An vt, quam olim Legislator legem omnibus tulerat, hodie confirmaret, atque opere suo ipse subscriberet? Certè hoc Apostolus innuit, dum ait: *Misit Deus Filium suum, factum sub lege.* vobisque consentit scitum illud vetus: *Patere legem, quam ipse tuleris.* An potiùs idcircò, vt legem hanc patiendo, eamdem prudenter abrogaret, & iuberet nouam? Certè vobis hac in parte adstipulabitur Epiphanius. Sed cùm de cruore hîc agatur, quid iudicatis vos fortissimi belli Duces, vosque sago Nobiles? Anne sanguinem hunc fudit generosissimus pugil, vt ostenderet sanguinolenta præludia maioris certaminis, ingentesque animos, quibus iam tum hostes nostros opprimeret, spolia detraheret, & de iisdem hoc stratagemate domitis triumpharet? Verùm hîc ego vobiscum demiror nouum pugnæ modum, vbi Imperator inermis periculosè duellat: cui sagum, panniculi; balteus, fasciæ; tympana, gemitus; tuba, vagitus; clamor, lacrymæ; tela, suspiria: cui Campus Martius, stabulum; currus falcatus, præsepe; sonipedes, asellus & bucula: cui certare, est vinci; cui stare, iacere est; cui denique triumphare, est sanguinem fundere. Victoriæ interim applaudimus tali, tantæque: quæ vt dolore ipsi stetit immenso, sic maximam nobis omnibus attulit voluptatem. Neque par est, vt vos ego præteream, qui Religiosam, & præ reliquis sanctiorem vitæ rationem professi estis; vosque Hierarchici Ordinis Viri Ecclesiastici: nisi placeat (quâ præditi omnes estis benignitate) hunc modò mihi fauorem impertiri, vt pro vobis Societatem IESV, cui hodierna solennitas in paucis celeberrima est, singulatim interrogem. Dicite igitur, Patres religiosi, cur IESVS parens salutis, ac vitæ Princeps vestræ, fuerit circumcisus? An, vt obtemperandi exactam legem suâ admirabili obedientiâ stabiliret? Sic censet Epiphanius; vosque ita censetis, quibus eadem virtus præ ceteris potissimùm cordi est. An

Lib. de Sanit. tuendâ cap. 11.

à Iurisperitis, sexta:

à Theologis, septima & octaua:

3. par. q 37. art. 1.

à Togatâ Nobilitate, nona & decima:

Galat. 4.

Hæresi 30.

à Sagatâ Nobilitate, vndecima:

à Religiosis & Ecclesiasticis,

à Societate IESV, duodecima:

Ibidem.

An verò vt importunam carnis molestiam compescendam, & castimoniam rigidè colendam esse suaderet? Ita vobis suffragatur Ambrosius. Ea videlicet virtus est, quam sanctus Pater noster in omnibus optauit Angelicam; sed quam CHRISTVS modò desiderat esse diuinam. An fortè ne quemquam ex Iudæis offenderet; si,quod sanctè ac more Maiorum quisque vsurpabat, ipse solus abnueret? Rectè,vt & nos pariter caueamus, qui publico bono nascimur, ne vel vllis priuatis vmquam offendiculo simus. An eam ob rem infami hoc stigmate peccati voluit inuri, vt altissimæ in se demissionis omnibus præberet exemplum? sic Bernardus: sic minimæ Societatis Religiosi,ab hominibus minimi fieri, ab eisque despici æquo animo fortique toleremus. An propterea in sanctissimo corpore circumcisus est, illudque dignissimum IESV nomen accepit, vt nos qui diuino quodam consilio in huius nominis consortium vocati sumus, eiusmodi præclarum factum, non tantùm circumcisione quadam internorum animæ sensuum, verùm etiam exteriorum corporis æmulemur? Cum Apostolo nempe *semper mortificationem* IESV *in corpore nostro circumferentes:* vt non modò nomen, sed *vt & vita* IESV *manifestetur in corporibus nostris*; & quamdiu sanctissimi nominis, tamdiu circumcisionis illiusmodi recordemur. An ideò denique violentâ manu cruentum nomen assumpsit, vt vnusquisque nostrûm sibi peculiariter inculcatum existimet, quod olim de eodem dictum Apostolo: *Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati?* Ita se res habet, vt scilicet pro salute mortalium acceptum illud diuinissimum nomen paratissimi simus, quæcumque vis vrgeat, effuso cruore vitâque oppignoratâ profiteri.

decima-tertia: Lib. 1. de Abraham cap. 17. *decima-quarta:* *decima-quinta:* Sermone de Circumc. *decima-sexta:* 2. Corinth. 4. *decima-septima:* Act. 9.

Tandem dicite vos vniuersi, quænam ratio circumcidendi? Numquid non propter hoc ipsum circumcisus, propter quod natus, propter quod passus? Ita cum vniuersis Bernardus. Vna omnium, vna singulorum est ratio, salus omnium,salus singulorum: & quemadmodum tota circumcisio salus est; ita totum nomen est salus: *vt saluum faciat populum suum à peccatis eorum.* Equidem ideò non ementitum, sed verum corpus indutus est: ideò legitimus filius Abrahæ fuit: ideò hoc cælum manè rubuit: ideò cruentus Cometa visus est: ideò hic Fideiussor solutionem præoccupauit: ideò huic æstuanti incisa vena: ideò hanc Legislator legem passus est: ideò Bellator sanguinolento Marte certauit: ideò denique obedientiam, castimoniam, animi demissionem, sensuum refrenationem, fortitudinem opere & cruento nomine docuit, *vt saluum faceret populum suum à peccatis eorum*, vt singulorum IESVS esset, & omnium. Eia ad salutem, ad IESVM vestrum currite singuli, currite vniuersi: ille omnes animi maculas eluet; ille vulnus omne sanabit; ille vniuersos reos absoluet & singulos; ille *saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Nunc quando hactenus vos ego audiui potiùs, quàm dicentem me vos audieritis; liceat, oro, ad extremum, nomine omnium & singulorum, mihi tria verba depromere. Age itaque anima mea, cui maculæ multæ, cui vulnera multa, quæ sæpenumerò rea, ad salutem istam ocyùs propera. Ecce Bethlehemiticæ rupis scaturit primus fons; fontis noui primus riuus; noui riui primum lauacrum: hoc laua me,

decima-octaua. Serm. 2. de Circumc. Matth. 1.

Zach. 13. IESV, & ampliùs laua, vt ſua vaticinio conſtet veritas: *In die illâ erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ieruſalem, in ablutionem peccatoris & menſtruatæ.* Ecce apertæ terræ prima vitis; ſectæ vitis prima vua; vuæ nouæ primum vinum: ô mi IESV, mi *Samaritane*, vulneri meo infunde vel guttam! Ecce tribus Iudæ electus hortus; vernantis horti oliua prima; recentis oliuæ oleum primum. *Oleum effuſum nomen tuum*, mi
Cant. 1. IESV: applica vim nominis huius animæ meæ, eritque vulneribus perſanandis perfecta medicina. Quid denique? Ecce tribunal, ſed Iudicis rei; ſed Domini ſerui; ſed Dei *ſanguinum ſponſi.* Parce, ô Iudex, qui pro me reus es; parce, ô Domine, qui pro me ſeruus es; parce, ô Deus, qui mihi *ſanguinum ſponſus* es! O mi Iudex, ſed ſimul miſericordiarum pater! ô mi Domine, ſed pariter dilecte frater! ô mi Deus, ſed idem blandiens infans! Dicam ego, ſpe erectus ac plenus: Non verebor hoc forum, vbi Patris eſt iudicare; vbi Fratris eſt patrocinari; vbi Infantis eſt ſententiam dicere. Dixi.

ORATIO TERTIA.

De nomine IESV.

Vocabitur nomen eius Admirabilis. *Iſaiæ* 9.

IESVM *in condendâ Societate admirabilem fuiſſe.*

QVæ precatus eſt olim à Deo immortali Societatis noſtræ conditor Ignatius, illo die quo Romanus Pontifex illam auguſtiſſimo IESV nomine inſigniri voluit, vt ea res ſibi Sociiſque ſuis ac Reipublicæ Chriſtianæ benè atque feliciter eueniret; eadem nos ſingulari Dei beneficio, longo temporum ac laborum iam confecto curſu, plenè cumulateque conſecutos eſſe, meritò publicâ celebritate gratulamur. Quòd ſi enim illa ſolennis appellatio, Pontificis auctoritate conſecrata, tantam habuit in ſe lætitiam, quantam nominis illius dignitas poſtulat: profectò cùm iam peracti ſæculi exordia progreſſuſque cogitando repetimus, tantò maiori nos voluptate perfundi neceſſe eſt, quantò illuſtrioribus argumentis omnes diuini illius nominis in condendâ Societate numeros expletos intuemur. De quibus ſingulatim ſi loqui vellem, quis tandem eſſet orationi meæ modus? vnde principium caperem? aut vbi exitum inuenirem? Ego igitur, vt certos mihi fines terminoſque conſtituam, iſtud breuiter nitar oſtendere, IESVM in erigendâ propagandâque Societate, ſui nominis admirabilitatem velut inſigni poſito monumento, orbi prodidiſſe. Verùm cùm benè prudenterque admirandi vim ac naturam tenere, cauſſæ meæ non mediocriter interſit, priùs intelligere neceſſe eſt, in quo vera admirationis ſita ſit ratio. Habent id quidem magnarum & inuolutarum rerum ſucceſſus proſperi & inopinati, vt clamores & obſtupeſcentium animorum varios & celeres motus in hominibus efficiant: verùm hoc euenit ſæpiùs, vt plerique ſe iudicio multitudinis, quod in his rebus diſcernendis grauiſſimum

mum esse non solet, circumueniri vrgerique patiantur. Quid enim? armorum strepitu & tubarum sono populos latè percellere, valere celeritate consilij, iter quocumque libuerit hostium internecione sibi patefacere, disiunctissimas terras cursibus suis ac victoriis illustrare, an ego illud admiratione dignum appellem? Propiùs accedo. Nego ista esse admiranda, Respublicas iacentes erigere, dissipatas componere, exanimatas recreare. Intrabo etiam magis. Nego eam satis iustam videri admirandi materiam, dæmones miserorum corporibus immersos diuinâ vi expellere, cæcis ac surdis videndi audiendique reddere facultatem, mortuos ad vitam euocare, si in his rebus diuinæ gloriæ studium desideretur. Admirabilis est ille, qui æterna statuit virtutum suarum monumenta, posteris etiam ad exemplum salutemque profutura: illum omnes meritò intuentur atque suspiciunt, qui cælestium armorum præsidio non Imperij, sed Religionis fines amplificat; qui non interfectorum millia numerat, sed seruatorum; qui nullum molitur excidium, nisi impietatis; nullos triumphos, nisi in cælum inuehendos. Si illo consilio salutis nostræ parens IESVS hoc superiore sæculo Societatem nostram, velut generosam & ad quæuis certamina expeditam legionem, non militari tantùm cingulo, sed etiam nomine suo donari ornarique voluit; si illam eduxit in solem ac puluerem præliorum; si illius laboribus dæmonum tyrannidem & flagitiosum illum triumuiratum, è voluptatibus, auaritiâ, superbiâque concretum, grauissimè contudit; si furorem atque amentiam eorum hominum fregit, qui ex illo ganearum suarum nidore atque fumo prorumpentes, bellum omni scelere & odio imbutum contra aras & sacra omnia comparauerant; si Romanæ Religionis intulit signa ad sola terrarum vltimarum; numquid est caussæ, quin IESVM in illa condendâ Societate, quæ res tantas eius auspiciis egit, admirabilem nominemus? Atque hæc admirandi ratio magnas profectò ex eo capite vires accipit, quòd ad illum rerum grauissimarum cursum conficiendum Ignatium Loiolam elegerit. Cùm hominem nomino, satis mihi videor dicere. Eius enim vitæ rationem si inspexeris, in armis erat enutritus; si ingenij culturam, non humanis, non diuinis disciplinis instructus; si ætatis progressum, ad Latini sermonis ponenda rudimenta vix idoneus esse videbatur. Itaque post multa iam militiæ confecta stipendia, Grammaticæ studium aggreditur. Tunc denique? verumtamen aggreditur. Quo successu? dum primùm per compendia vagatur, tantum abest vt progressus faciat, vt post diuturnos labores, illi ætati vix tolerabiles, in ipsis adhuc principiis consistat. Opinor, cùm decursa illi propemodum erit ætas, cùm exhaustæ vires, cùm sibi inutilis, tum de refutandâ hæreticorum insaniâ, de perditis ad frugem reuocandis, de impietate exterarum gentium abolendâ nequidquam cogitabit. Nam quis ex his tam obscuris desperatisque principiis non intelligat illas tam arduas ab Ignatio de Religioso cœtu fundando conceptas spes infirmis & labantibus fundamentis nixas fuisse? Et tamen (ô rem admiratione dignissimam! ô arcana ac suspicienda æternæ Mentis consilia!) dum omnibus humanis præsidiis destituitur, dum voluntaria rerum omnium inopia meditatos

Admirabilis IESVS in condendâ Societate, quòd ab eâ tantum boni:

quòd à milite inchoata,

qui studia serò est aggressus,

retardat conatus, dum victum oſtiatim quotidie quæritat, dum inter pueros ſedet auditor, dum ingenij ſui experitur tarditatem; Antuerpiæ, vbi paupertati ſuæ ſubſidium quærebat, Hiſpanienſem mercatorem, virum in primis opulentum, monere audet, grates vt agat Deo, à quo ſcilicet lectus ſit, vt olim ſuâ in patriâ Societati IESV Collegium condat. Lubet hîc mihi pluſculum ingenio meo concedere: lubet animum, lubet admirationem paſcere. Quæro ex vobis, grauiſſimi ſanctiſſimique Patres, Baſili, Auguſtine, Hieronyme, & prudentiſſimi tractandorum animorum artifices: Homo quiſpiam, ſcientiarum omnium rudis, & non niſi inter caſtrorum clamores lituorumque cantus ad bellicam virtutem inanemque gloriam educatus, militaribus ſtudiis alto quodam animo nuntium remittit: à rebus humanis ad diuinas ſe transferre ſeriò cogitat: neque in ſuam vnius tantùm, ſed in aliorum ſalutem toto pectore incumbere vehementer deſiderat, paratus non valetudini, non labori, non vitæ parcere. Quid agat? quid moliatur? quid eſt, quod hac tandem de re vobis poſſit videri? Profectò ſi rectè veſtram integritatem atque prudentiam cognoui, non multùm me fallit, ſi conſulamini, quid ſitis reſponſuri. Primùm vitæ anteactæ commiſſa expiare: deinde ad declinandas illecebras vitiorum in aliquo ſpecu latitare: illic, ſi quidem tanto alienæ ſalutis deſiderio teneatur, hac de cauſſâ ieiuniis & aliis aſperitatum formis corpus atterere, in ſacris precationibus horas complures quotidie ponere: aut certè, ſi hoc robore animi atque hac indole virtutis & continentiæ ſit, vt ſine contagione vllius turpitudinis ac ſceleris in publicum egredi ſe poſſe confidat, facem omnibus ad omnem honeſtatem præferre. Dubitari vix poteſt, quin ſi audiatis hominem id ætatis ad ſpinoſas Grammaticorum præceptiunculas hauriendas ſeſe conuertere, illicò iudicaturi ſitis, hæc ab illo ſtudia conatu quidem magno, fructu verò minimo ſuſceptum iri. Sed quid ego ita graues perſonas induxi? nimirum vt, ſi ſanctiſſimi illi Patres hîc iudices ſedeant, ego non perorando, ſed rem ſimplici ac nudâ oratione proponendo conuincam, IESVM in moliendâ Societate prorſus admirabilem exſtitiſſe. Quid enim? potuerúntne vnius militis ſtudia tam ſerò ſuſcepta laceratas ac diſtractas pietatis atque doctrinæ reliquias colligere & inſtaurare? potuerunt incurſiones illæ hæreticorum atque impetus tam furentes ac violenti, vt omnes Reipublicæ Chriſtianæ partes labefactandæ viderentur, eâ quam modò dixi imbecillitate ſuſtineri? Enimuerò, ſi quis ex altâ ſpeculâ abhinc annos centum contemplatus fuiſſet, quanta flagitiorum ac deprauatarum opinionum labes totâ Europâ ſeſe panderet, quàm impunè peſtilentiſſimorum hominum colluuies florentiſſimas vaſtiſſimaſque regiones peruagaretur, quàm exiguæ ac propemodum nullæ agerentur aduerſus illos perduelles multis in locis excubiæ: deinde ſi cogitationibus (quoniam agiles ac liberæ ſunt) in Africam, in Aſiam, in Americam ſe conuertiſſet, obſeruaſſetque, quàm illic miſerandum in modum proſtratæ Religioni victrix impietas inſultaret: poſtremùm, ſi ad ſcholam illam retorſiſſet oculos, in quâ ſub ludimagiſtro repueraſcebat Ignatius, homo trium ac triginta annorum ætatis: hæc, inquam, omnia ſi ob oculos

& prudentium iudicio fruſtrà;

los habuisset, vmquámne existimasset fore, vt post adeò tristia & ab omni rectè viuendi ordine ac ratione aliena tempora repentè sæculum hoc cælis gloriosum, terris optabile, hæreticis ac sceleratis formidandum, barbaris inopinatum, posteris stupendum, nobis ob recentem eius memoriam multò iucundissimum oriretur? Atqui tam sublimium rerum spem suâ agendi ratione intercludere potiùs, quàm orbi inferre videbatur Ignatius. Cùm enim hîc & illic, vagabundi in morem, manum ad stipem porrigit,& subinde in aliorum salute procurandâ insigni quidem charitate, sed quæ viris etiam grauissimis inconsulta videbatur, operam gnauiter locat, ab vrbium Præfectis in custodiam datur, quæstiones de eo habentur. Quid ad hæc Ignatius? gaudet hos pietatis suæ fructus sese carpere. Non, inquit, id defugio, neque in eo laboro: innocentiæ meæ tot in locis inijciuntur vincula; inijciantur sanè: volens illa complector. Quid igitur cogitas? an id cum animi tui decretis adeò præcelsis pugnare non vides? Quid? in neruo ac vinculis haberi, rapi ad tribunalia, in illo paupertatis squallore & nosocomiorum sordibus assiduè versari, sermonem aliis dare, odiosum omnibus fieri, hæc quò pertinent? Vt sanctioris vitæ & propositi socios tibi concilies? at, si id velles, auctoritatem tibi potiùs quodam splendore vitæ & commendatione famæ comparares. Vt CHRISTI caussâ nullo sis apud homines loco? at cuius nomen contemnitur, eius quoque monita haud magni putantur. Vt ægrotantibus consolationem aliquam adferas? at morborum contagia te priùs conficient, quàm orbi tantoperè laboranti adesse possis. Multa, mihi crede, sunt eiusmodi, vt, etiamsi in homine priuato negligenda sint; tamen in eo qui se rebus gerendis admouere desiderat, omni ope declinanda videantur. Quæritur enim in priuatâ iniuriâ, patientiæ laus; in publicâ, existimationis. Sed non dilatabo orationem meam: etenim posset esse infinita, si mihi libeat explicare, quàm præter sapientissimorum hominum spes atque iudicia Societatem suam IESVS è tenebris in apertum lucemque produxerit. Neque verò, quod admirandi caussas incredibiliter exaggerat, illa circum incunabula sua magno nisu complures annos extraxit: quemadmodum olim Romanos accepimus per annos ferè trecentos circum ipsam matrem suam cum finitimis fuisse luctatos. Vixdum orta diem viderat, cùm ad Dei gloriam salutemque terrarum labores suos non angustioribus quàm totius orbis regionibus definiuit. Quippe ab Oriente penetrauit trans Indum & Gangem ad Sinas & Iapones: ab Occidente cursum instituit trans immensam illam Oceani interfusi vastitatem, quâ nouus Orbis à nostro dirimitur: omnes sinus, promontoria, littora, insulas, vrbes nouâ & illustri Christianæ Religionis famâ compleuit: in aciem & dimicationem cum hostibus venit: vicit: victos legem iussit accipere: maximaque victoriæ merces fuit, templa Deorum simulacris exinanire, æterno Numini aras erigere, cæli municipia & colonias fundare. Non fuit profectò, quòd fortissimum illum Hebræorum Ducem Iosue imitatus Ignatius, solem iuberet ad conficiendam victoriam stare. Quà sol surgebat, & quà labebatur, parem ferè ac perpetuum nobilissimarum victoriarum cursum

quique se abiectum apud omnes reddebat:

denique quòd ea breui tempore fuerit toto orbe propagata.

intendebat. Ita nimirum poſtquam ſe ipſe vicerat, ſperare victoriam orbis potuit. Bucephalum, equum illum ob ferociam toruitatemque vultus & naturæ durum atque intractabilem, ad frena ſeſſoremque patiendum adegerat Alexander. Reſtitit ad id Philippus rei nouitate recreatus, eumque ex equo deſilientem paternè complexus; Macte, inquit, fili, hac fortitudinis gloriâ, & Regnum, quod iſtud animi tui inuictum robur æquare poſſit, armis quære: nam Macedonia mea te non capit. Itáne eſt? Equum inſolentem Alexander domuit: continuóne cauſſa fuit, cur à parente audiret, vt ad nouas prouincias, quaſi eximium præmium fortitudini debitum, conuolaret? Non opinor. At ex quo indomitas deprauatæ naturæ cupiditates tantâ animi præſtantiâ Ignatius refrenauit, meritò IESVS illum his identidem vocibus ad res omnium maximas incitaſſe creditur: Roma, Ignati, & Italia tota tuo minor eſt animo: Europa ipſa te non capit: noua Regna, nouus Orbis quærendus, vbi Religionis trophæa ſtatuantur. Tibi Hiſpanorum, tibi Luſitanorum Regum numeroſiſſimæ claſſes nuperrimè ſeruierunt, vt ampliſſima tuæ tuorumque virtuti explicandæ ſpatia aperirent. Quas IESV Optimi Maximique Regis voces cùm audimus, & iam tam inopinatis rerum maximarum ſucceſſibus cumulatas videmus; quid agimus? quid ſentimus? poſſumus admirationem ipſi noſtram continere? poſſumus res tantas ſermone velle complecti, in quibus diſertiſſimi Oratores omnes vires, neruos, opes, ornamenta, lumina, ſuauitates, flores, illecebras orationis ſuæ abſorberi fateantur? Equidem verendum mihi non eſt, ne non videar ad illuſtrandam IESV gloriam appoſitè peroraſſe, ſi (quod in diuinis rebus fieri ſolet) indicto mihi ſilentio tantarum rerum magnitudinem fuero veneratus.

Orationibus de auguſtiſſimo IESV *Nomine viſum eſt Inſcriptionem ſubiungere, non tam æri quàm poſterorum memoriæ imprimendam.*

REGI

REGI REGVM
DOMINO DOMINANTIVM
PRINCIPI REGVM TERRÆ

IESV CHRISTO:

SVB CVIVS AVGVSTISSIMI NOMINIS TRIVMPHALI SIGNO
NATA, CONFIRMATA,
IN CAMPVM EDVCTA
CONTRA TETERRIMOS RELIGIONIS HOSTES
SOCIETAS
ANNVM IAM CENTESIMVM
IGNATIO DVCE
VITAM PRO DIVINI CVLTVS INCREMENTO PACISCENS,
INQVE ROMANI PONTIFICIS VERBA IVRANS, Greg. XV. in Resp. ad relation.
AD TVENDAM SALVTEM MORTALIVM
DEO ET ECCLESIÆ
TERRA ET MARI
NON SINE SVDORE ET SANGVINE
SOLO MAIORIS DEI GLORIÆ STIPENDIO
MILITAVIT.
CVIVS
SAPIENTIÆ CONDITAM
BONITATI PRODVCTAM
POTENTIÆ CONSERVATAM
SOCIETATEM
REFERRE NOS VOLENTES LVBENTESQVE PROFITEMVR.

QVO

QVO

ETIAMNVM ROMÆ ET VBIQVE PROPITIO,
INTER OBLOQVENTIVM CALVMNIAS,
INTER INSIDIAS HOSTIVM,
INTER TORMENTA CARNIFICVM,
RVINAS INTER PVBLICAS
ERECTI STAMVS.

CVIVS

NOMINI DEBEMVS, VIRTVTI TRIBVIMVS,
GLORIÆ CONSECRAMVS,
QVOD IN OMNIBVS
*PREMIMVR, SED NON OPPRIMIMVR;
PERSECVTIONEM PATIMVR, SED NON DERELINQVIMVR;
DEIICIMVR, SED NON PERIMVS,
SEMPER MORTIFICATIONEM IESV IN CORPORE NOSTRO
CIRCVMFERENTES.

* 2.Cor.4. secundùm lectionem Ambrosij, Theoph. Caiet. &c.

ILLI NOMINI, ILLI NVMINI,

CVIVS

AD VERITATEM SPLENDOR ILLVMINAT,
AD VIRTVTEM RVBOR INFLAMMAT,
PATERNIS IGNATII LEGIBVS
DEVOTA ET CONSECRATA SOCIETAS
FVLGOREM NON AFFECTAT ALIENVM,
IESV SVI RADIIS SAT ILLVSTRIS;
NEC PALLESCIT AD SVSPICIONEM MORTIS ET VVLNERVM,
MEMOR ETIAM HVNC VICISSE POST SANGVINEM.

ORA-

ORATIO QVARTA.

De IESV CHRISTO *Duce nostro sequendo, & quid in nobis efficere debeat recordatio nominis nostri Societatis* IESV.

QVâ Dei prouidentiâ contigisse dicam, Ignati, vt Societatis à te conditæ sanctissimam appellationem vniuersæ ceteroqui Reipublicæ Christianæ salutarem ac communem, vni tibi tuisque allectatoribus propriam esse volueris atque militarem? neque enim te virum cùm in omni tuâ actione prudentem & circumspectum, tum diuinâ luce præ multis illustratum, fas est existimare, in re tanti momenti quidquam sine ratione, consilio, auctoritate statuere voluisse; præsertim cùm & suauissimum Pacificatoris IESV nomen, & militiæ interim, quam sub eodem læti alacresque profitemur, Religio, tam apta inter se ac colligata, tamque firmo ac reciprocante nexu coniuncta copulataque exsistant, vt, quoniam Imperatoris sui nomine insignita est, nec Societatem IESV sine eius Duce concipere, nec Ducem eius IESVM sine Societatis inscriptione recordari facilè possimus. Quid enim? an non, cùm primùm IESV nomen Assertori salutis nostræ fuit impositum, aurea sæculorum omnium pax, nobiliore fœderis arcu, in carne eius sancita & cum Deo confirmata est? an non, cùm vagè dispersa, in eamdem cum Iudæis Ecclesiam coalescere cœpit Gentilitas, non iam ampliùs Synagoga, sed Societas IESV Filij Dei cœpta est nuncupari? Quo igitur vel auctore tranquillissimum pacis nomen ad militaris sagi tumultus transferre, vel assertore eminentissimæ dignitatis titulum vni à te instituto Ordini ausus es vindicare? Equidem sic arbitror, Auditores, id nonnisi magnæ illius Prouidentiæ cuncta moderantis ductu iudicioque factum esse (eo præsertim Ecclesiæ statu ac tempore, quo latebris suis Orcique tenebris emersa recèns hæresis, sacrilegas perfidiæ faces toto Septemtrione longè lateque circumferebat) vt & signum illud belli, pacificum aliàs ac lene, contra perduelles ad infringendam illorum audaciam Ductor nouus extolleret; & legiones suas aduersus immanem illam furiam teterrimamque pestem, quæ iam palàm & armata volitabat, in campum aciemque prodituras, non suo Ignatij, aut cuiuspiam è mortalium genere Imperatoris, sed Societatis IESV titulo condecoraret. Nisi enim ex obiectâ diuinitus CHRISTI crucem humero gestantis specie (cui iam tum ab æterno Patre, quam designauerat animo, militia commendabatur) certò didicisset, ita fixum nimirum ratumque diuinâ lege esse, vt istiusmodi auspiciis noua castra metaretur; neutiquam sanè, quâ erat modestiâ & submissione, augustissimam communis Ecclesiæ nuncupationem aut sibi suisque vindicasset, aut ad erecti à se vexilli religionem sacramentumq; traduxisset. Tum enimuerò non moueri se, sed impelli; non excitari, sed inflammari; non duci, sed cogi quodammodò occultâ vi imperioque sensit, ad perpetuum atque implacabile bellum vno hoc copiarum suarum Duce atque auctore nefariis diuinæ gloriæ proditoribus inferendum: vt iam minimè

mirum videri vobis debeat, Auditores, si hodierna die studium omne meum cogitationemque ad hoc argumentum paulò latiùs explicandum conuertero, quo perspectum vobis penitus probatumque sit, omnem vitæ nostræ rationem in hoc sitam esse oportere, vt præclarissimorum facinorum imitatione fortissimi Ducis nostri IESV CHRISTI, à cuius Societate nomenclaturam accepimus, vestigiis presse insistere firmiterque possimus.

Dux IESVS *sequendus ab omnibus:*

Fuit quidem hactenus semper, atque etiamnum est, æterni Dei firma immobilisque voluntas, ex abdito rationis increatæ consilio profecta, vt quotquot imaginem Filij sui nobilissimæ Mentis à se procreatæ similitudine repræsentarent, eumdem & veritatis testem, & militiæ ducem, & disciplinarum omnium magistrum sequerentur. Quorsum enim spectat illa vaticinantis Isaiæ vox: *Ecce testem populis dedi eum, ducem & præceptorem Gentibus?* Inter tot opinionum, quæ mentibus nostris de rebus diuinis obijciebantur, varietates fluctuabamus incerti cui potissimùm sententiæ præberemus assensum. quis consilio adesset dubitantibus? quis mobiles nutantesque firmaret? quis de obscurâ veritate certos, de perplexis quæstionibus expeditos, de mysteriis supra sensum omnem cogitationemque positis redderet securos? Tenebamur profundissimâ quâdam ignoratione rerum omnium, quæ quidem ad consequendam salutem vtiles ac necessariæ sunt. quis rudes atque imperitos vitæ melioris præceptis imbueret? quis ignaros religionis excoleret? quis tot inter commentitias Deorum Gentilium formas veræ diuinitatis naturam, cultum, cærimonias edoceret? Post oblatum principio naturæ nostræ vitium ac corruptelam, grauissimis eramus erroribus irretiti. quis labyrinthos explicaret? quis expediret anfractus? quis sinus euolueret? quis viarum itinerumque, quæ ad æternam salutem tendunt, ignaros per angustas & perplexas vitæ semitas duceret? Rempublicam habebamus iam inde à primis incunabulis veriore fato quàm Cadmea olim progenies, mundi militiæ deuotam. quis haberet delectus? quis armis instrueret? quis ad pugnam exerceret? quis è castris in aciem educeret? quis signa præcederet? quem Imperatorem milites sequeremur? *Homo*, ait ille, *sequendus non erat, qui videri poterat; Deus sequendus erat, qui videri non poterat.* Quid istuc rei est, Auditores? numquid perturbati animo? numquid perculsi? numquid conterriti estis? O miseros nos hac lege, planeque perditos, nisi consilium à Misericordiâ supra fidem omnem rationemque humanam diuina Bonitas ac Sapientia excogitarit? Bellum nobis cum infestissimo hoste gerendum est; tirones cum veteranis, imbelles cum fortibus, rudes atque ignari cum vafris exercitatisque committendi sumus. Habent illi, quem sequantur, antesignanum Luciferum, tam viribus potentem quàm victoriis clarum; nos contrà nudi atque inermes, ratione, consilio, præsidiis omnibus destituti, quem iniuriarum depulsorem? quem defensorem vitæ? quem salutis vindicem? quem militiæ nostræ principem auctoremque instituemus? Hominémne quempiam ex Adami stirpe procreatum? at omnes illi iam victi prostratique iugum illius crudelissimum ignominiosissimumque patiebantur. An aliquem ex cælestibus

Isa. 55. 4.

S. August. Serm. de Nat. Dom. citat. à sancto Thomâ 3. part. q. 1. art. 2.

non hominum aliquis aut Angelorũ:

bus ſpiritibus? hi verò etſi & naturæ viribus pares, & gratiæ præſidio fortiores, & aſſiduitate vincendi ac gloriâ celebriores eſſent; quo modo, cùm humanis obtutibus corporum expertes obijci non poſſent, ſigna noſtra anteirent? quo modo in hoſtem ducerent? quo modo laborum, periculorum, vulnerum, mortis denique contemnendæ exemplo timidos nos ſegnesque excitarent ipſi naturæ ſublimioris atque immortalis beneficio ſecuri? Deúmne ipſum ſapientiâ & poteſtate infinitum? ita quidem oracula diuina pronuntiabant: *Dominum Deum veſtrum ſequimini, & audite vocem eius.* Deut. 13.4. Enimuerò cùm haud minùs ipſe quàm Angeli à corporum naturæque humanæ concretione longè eſſet remotiſſimus, quâ ſe ratione ſpectandum oculis noſtris offerret? quo modo æſtum, frigus, inediam, egeſtatem rerum omnium, ærumnasque militaris inſtituti proprias, nullius ipſe egens toleraret? Hîc nimirum miſericordiâ nobis & commiſeratione opus eſt, ne funditus intereamus. Inuenit medium ſuprema Bonitas, quo ſociatâ vtriuſque naturæ communione, atque in vnam perſonam coagmentatâ, ante oculos atque ora noſtra mortalem carnem conditionemque indutus verſaretur Deus. *idcircò enim incarnatus:* Quid igitur? *Vt exhiberetur homini, & qui videretur ab homine, & quem homo ſequeretur, Deus factus eſt homo.* Auguſt. ſup. Præclarè profectò atque ſapienter! nam ſi rem ipſam attentiùs inſpicere, ſuisque, vt quidem fieri par eſt, momentis expendere velimus, nónne hic (quod ſecundùm Auguſtinum Angelicus quoque Doctor annotauit) eminentiſſimus inter alios finis eſt, ob quem Dei Filius humanæ naturæ copulatus eſt? nempe vt earumdem, quibus obnoxia illa eſt, miſeriarum communicatione, tantò efficaciore ad ſequendum ſe ſtimulo perurgeret, quantò conſtaret ipſo vſu experientiâque certiùs, nullius ærumnæ periculique præterquam vnius peccati immunem eſſe voluiſſe? Nónne idcircò & inediâ vexari, & ſiti confici, & exhauriri laboribus, & violari contumeliâ, & cruciari vulneribus, & morte denique acerbiſſimâ extingui voluit, vt ad eamdem belli periculorumque ſocietatem vocatos eſſe nos recordaremur?

Sed nimirum certandi hæc pro ſalute noſtrâ atque Eccleſiæ incolumitate Ducis exemplo atque imitatione neceſſitas, communis bonis omnibus, neſcio quonam pacto Ordini noſtro propria, maius aliquod ſtudium à nobis maioremque contentionem in hoc laudis genere requirit. *maximè Societatis Religioſis.* tametſi enim dignitas nominis, quo inſigniti ſumus, æqualiter conceſſa ſit omnibus; ipſa tamen appellatio, poſtquam diuini inſtinctu Numinis ſigillatim adhibita nobis eſt, anguſtioribus terminis cœpta definiri, itaque circumſcribi viſa eſt, vt, cùm eius ratio ad omnes, vſus tamen officiumque pro Eccleſiâ dimicandi ad Religioſos Societatis noſtræ viros, præcipuo ac peculiari quodam Romani Pontificis indulto, pertinere videatur. *Primò, propter appellationem nominis* IESV; Ignorare certè poteſt nemo, quod nos experiri etiam quotidiano ſenſu gloriamur, neminem ferè grauiſſimis hiſce temporibus Fidei Religionique bellum indixiſſe, qui non vnà inimicitias nobiſcum immortales ſibi duxerit eſſe ſuſcipiendas. *quam oppugnant hæretici.* Non minùs de Societate quàm de Paulo dictum arbitrere: *Ego enim oſtendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Act. 9. Deus bone! quot impetiti calum-

 niis?

niis? quot lacessiti iniuriis? quot libellis vexati? quot lacerati linguis? quot stylis confixi sumus? in conuiuiis rodunt, in circulis vellicant; ludificantur domi, calumniantur foris; palàm inuido, clàm maledico dente carpunt; prosperis rebus nostris dolent, aduersis lætantur, ruinis exultant. Quidquid vspiam deprauatarum doctrinarum in lucem typis extruditur, quidquid in rebus fidei peruersum iuxtà ac controuersum disputatur in scholis, quidquid voce publicâ declamatur in suggestis; id omne contumeliis & conuitiis aduersus Societatem conspersum est; velut aut inficetum futurum sit omne mendacium, quod non hoc sale fuerit condîtum, aut sine ratione ac fundamento assertum, quod ab his contra nos obtrectationibus pondus assensionemque suam non acceperit. Omnium certè inimicorum fidei tela sic in nos contorquentur, quasi sanctitatis ac Religionis Catholicæ integritas in nostrâ vnius Ordinis incolumitate sita sit: quo velut robore quodam publicæ salutis conuulso atque labefactato (vt illi quidem ratiocinantur) mox ipsa fides, pietas, cærimoniæ, cultusque pristinus, euelli penitus atque exstirpari nullo negotio posse videantur. Sed hoc quidem beneficium interpretamur, cùm, vt dixi, in laude ponamus, improbis displicuisse. Interim alienatione istâ vestrâ vtimur, hæretici, contra impias & nefarias molitiones quibus veritatem impugnatis; tantoque maiore impetu assurgimus in defensionem omnium, quantò magis vni impetimur: ad maledicta & probra, quæ ore spurco in nos ingeritis, tardi, imò segnes; ad iniurias verò ab Ecclesiâ propulsandas prompti, alacres, expediti. Quo in certamine, vti & in rationibus vitæ nostræ Institutique vniuersis, id & præ oculis habemus, & præ nobis ferimus, ne quid diuersum, nedum pugnans aut alienum ab exemplo Ducis nostri fecisse videamur. Siquidem vnum hoc certum nobis persuasumque est, vt à Deo ad *Societatem filij eius* vocati, huic dumtaxat mereamus, huius tantummodò signa prosequamur, hunc vnum in otio ac puluere, domi militiæque, certissimum omnis virtutis & sanctitatis exemplar imitemur. Hæc & vocationis nostræ finis, & appellationis caussa, & perfectionis denique summa est: cui quemadmodum à maioribus nostris satisfactum sit, si honorificentissimo Pij IV. testimonio comprobare voluero, nescio profectò, ampliorésne inuidiæ inimicitias timere ab obtrectatoribus, quàm imitationis fructum à nobis ipsis sperare debeamus. Augebat ille minimam hanc Societatem cùm fauore suo, tum ornamentis atque immunitatibus innumeris: quæ ne temerè aut fortuitò in indignos, sed benè de Republicâ Christianâ meritos, congessisse videretur, beneuolentiæ rationem suæ orbi Catholico verbis hisce testatam esse voluit: *Qui sicut nomen Sociorum* IESV *assumpserunt; ita opere, doctrinâ & exemplis Dominum nostrum* IESVM CHRISTVM *imitari & eius vestigia sequi nituntur.* Quidquámne dici potuit aut ad explicandam nomenclationis nostræ intelligentiam manifestius? aut ad retundendam hostium calumniam potentius? aut ad Ordinis nostri laudem splendoremque amplificandum gloriosius? aut ad æmulationem imitationemque CHRISTI in animis nostris excitandam vehementius? Vellem equidem, maledici isti calumniatores, cùm publicis declamationibus

1.Corint.1.

Bullarium Societat. pag.74.

Vellicant maledici:

tionibus & ſcriptis, famámne dicam an popularem auram, ex nominis noſtri vellicatione aucupantur, dimiſſâ tantiſper calumniandi libidine, aſſumptâque ratione tam hoc ad ſe referant, ſibique dictum exiſtiment, quàm & audiunt & intelligunt, ſummo Dei in terris Vicario placuiſſe. *Probat Pontifex.* Quid enim? licuit per Apoſtolicam Sedem Franciſcis duobus eximiâ ſanctitate viris, vni Minorum, Minimorum alteri, nomen, ad imprimendam altiùs affectatorum ſuorum animis ſubmiſſionis virtutem, velut proprium vſurpare, quò firmiùs ſibi perſuaderent, tantò ipſos modeſtiores in omni vitâ eſſe oportere, quantò ſuâ ipſi compellatione conuinci poſſent manifeſtiùs moribus ſuis officioque defuiſſe, niſi ſe minores, minimoſque omnium exhibuiſſent. Licuit præcellentibus Magnæ Matris cultoribus, eiuſdem Pontificis auctoritate, Seruitis vocari; vt niſi vocabulum externamque mentiri ſpeciem aliud agendo vellent, Marianæ ſeruitutis tam nobilis, tamque liberæ, numquam immemores eſſent. Licuit eodem iure Sanctimonialibus quibuſdam, non Matrum aut Sororum, quo ferè reliquæ notantur, ſed Angelicarum titulum ſibi vindicare; vt beatarum mentium nitorem atque caſtimoniam æmulandam ſibi eſſe repetitis identidem appellationibus commonerentur: Ignatio Sociiſque eius vitio vertetur, ſi ex nomine diuinitus Ordini ſuo conceſſo arctiore quodam vinculo obligari ſe fateantur, ad Ducis ſui IESV, cuius eſſe ſe ſocios numquam non volunt meminiſſe, veſtigia preſſiùs conſtantiuſque proſequenda? At Societatis IESV nomen commune eſt Chriſtianis omnibus. Rectè equidem. Et ſociis IESV vocari licet cunctis qui *in nomine Domini* IESV ſalutaribus aquis abluti ſumus. *Act. 19.* Bellè profectò. Et eiuſdem Societatis dignatione ad ſequendum IESVM prouocari nos excitarique manifeſtum eſt. Enimuerò ſapienter. Verùm & Minorum & Minimorum & Seruitarum & Angelicarum nomen, reſque ipſa communis eſt Chriſtianis vel omnibus, vel certè optimis; num igitur inſolentiæ idcircò, temeritatis, arrogantiæ arguendi ſunt homines ſanctiſſimi, qui inſtincti diuinitus, Pontificis Summi ſi non iuſſu fortaſſis aut conſilio, auctoritate certè atque approbatione, quod publici iuris fuit, peculiaris cuiuſdam officij præcipuique obſequij profeſſione, velut accepti beneficij ſuſceptæque vltrò obligationis memoriâ, ad ſe tranſtulerunt? Vocentur ſanè Societates IESV quotquot orbe toto cœtus exſiſtunt bonorum; non inficiamur, neque inuidemus. Excitentur etiam huius nominis recordatione ad inſtituendam vitam Saluatoris quàm ſimillimam; gratulabimur profectò, atque etiam laudabimus. nemo ſit qui præclariſſima heroicarum eius virtutum exempla non ad ſe quoque pertinere exiſtimet; optimè me hercule ac diuinè. Vtinam quidem omnes ita ſentiant, planeque id ſibi non perſuadeant modò, ſed etiam agant atque efficiant! At ſi & Dei voluntate, & Apoſtolicæ Sedis gratiâ, Ignatius ſibi ſuiſque præcipuam quamdam ex hac notione imponendam eſſe neceſſitatem iudicauit hoc propiùs militiam IESV virtuteſque eius in omni vitâ ſequendi, quò cum nomine ipſo, quod gerimus, connexa indiſſolubiliùs atque coniuncta perpetuam quamdam animis obiiciunt ſpeciem memoriamque muneris noſtri ſempiternam; quid, amabo, excogitauit arroganter?

 ganter?

ganter? quid insolenter, superbè, contumaciter inuenit? quid à Religiosâ summissione alienum? imò, quid non cum ratione, consilio, prudentiâ, pietatis perfectionisque studio coniunctissimum vsurpauit? Societatis IESV vocabulo nuncupamur: magna, excellens, & supra meritum omne appellatio. fatemur equidem ingenuè. At, per Deum immortalem, quid hoc tandem aliud est quàm Imperatoris IESV socios, contubernales, commilitones esse nos oportere? quid nisi ad labores ærumnasque generosè perpetiendas, ad fortiter aduersa omnia superanda, ad crucem animosè IESV duce atque auspice ferendam vocari? quid nisi sub imperiis IESV pro salute proximorum stipendia facere? sub signis IESV contra vitiorum ac inferorum phalanges militare? sub IESV auspiciis sanguinem vitamque diuinæ gloriæ deuouere? Quis sub hoc Duce timidus aut ignauus audeat comparere? Etenim si, vti in ceteris ferè rebus omnibus, ita in bello nihil æquè milites excitare solet ad res præclarè fortiterque gerendas, ac claritas Ducis, exemplique propositi cum spe laudis & præmij amplitudo; quo animi robore, quâ constantiâ, quâ magnitudine præditos esse conuenit, qui Duce gloriamur omnium, quotquot anteactis retrò sæculis exstiterunt, aut futuris porrò exstituri sunt, prudentissimo, fortissimo, præstantissimo? cuius in re militari maior laus esse potest atque dignitas? cuius in bello contra tartareos hostes suscipiendo par sapientia atque consilium? cuius in administrando præstantior virtus ac fortitudo? quis præliis exercitatior? victoriis clarior? triumphis celebrior? Non adolescentiam ille suam aut iuuentutem, quod de Alexandro & Pompeio litteræ prodiderunt; non virilis ætatis robur, vt plerique felicissimi Imperatores; sed infantiam à pugnis victoriisque auspicatus est. veterrimum teterrimumque Orci serpentem non fabulosus in cunis Hercules adulterâ satus, sed verior Dei soboles Virgine-matre progenitus, primo sui ortu nascendique initio elisit, afflixit, protriuit. Vixdum lucem hanc mortalibus communem adspexerat, cùm æterni Patris imperium, olim ad se propheticâ voce delatum, *Velociter spolia detrahe, citò prædare*; occupandum vincendi celeritate ratus, vnà cum nominis à se suscepti appellatione bellum orsus est, mox exitio hostibus, nobis saluti præsidioque futurum. *Voca nomen eius, Accelera spolia detrahere: Festina prædari. Quia antequam sciat puer vocare patrem suum & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ, coram rege Assyriorum.* Obluctabatur vaferrimus callidissimusque draco consuetis fallendi artibus: opposuit fallaciæ præstigiisque eius diuinæ sapientiæ consilium, cui proprium ac solenne est *apprehendere sapientes in astutiâ eorum.* Contendebat robore ac potestate, qui sibi *factus* videbatur *vt neminem timeret*: infregit in ipsâ carnis nostræ imbecillitate vires illius, & *detraxit fortem in fortitudine suâ* tenellus infans: cuius *si fortitudo quæritur, robustissimus est.* Exultabat manubiis, spoliis, tropæis cùm plurimis, tum nobilissimis, tantò ad interitum generis nostri ferocior, quantò successu ipso bellorum euentuque elatior; *exiuit* obuiàm *vincens vt vinceret*: stitit audaciam furentis, superbiamque vitæ deuotione compressit, omni Codro Deciisque gloriosior. Insolescebat triumphis, nec iam annis aut lustris prædo-

tuetur fines; *qui est fortiter certare* *sub IESV* *Duce fortissimo:* *qui nascens vicit* *dæmonem;* Isa. 8.1. Ibidem 3. Iob 5.13. Iob 41.24. Iob 24.22. Iob 9.19. Apoc. 6.2. *moriens*

prædo laureatus, ſed diebus, imò horis ſingulis pompas ſuas palmaris latro numerabat: momento compeſcuit iactantiam, *& exſpolians principatus & poteſtates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in ſemetipſo.* Quid, quòd cum morte ipſâ inferiſque, quæ duo à nemine violari vmquam, nedum vinci potuere, congreſſus, vtraque feliciſſimè expugnauit, expugnata diripuit, direpta in ordinem poteſtatemque ſuam, maximâ hominum lætitiâ, Angelorum gratulatione, dæmonum luctâ, terrore, admiratione, redegit? *Ero mors tua, ô mors, morſus tuus ero inferne.* Incredibilia quidem iſta ſunt noſtris ſenſibus, ſupraque naturam; excitant tamen neſcio quo modo in nobis commemoratione ipſâ prouocantque non tantùm diuinorum eius operum, quæ imitari non poſſumus, admirationem ac venerationem, verùm etiam virtutum illius, quas aſſequi vtcumque nitendo fas eſt, deſiderium atque æmulationem. Etenim ſi æſtimatio auctoritaſque Ducis militum animos incitare ſolet ad ſalutem ſuam in diſcrimen pro vitâ atque incolumitate illius offerendam; ſi conſilium atque in rebus difficillimis ſapientia, ſi vſus peritiaque rei militaris, ſi animi magnitudo, ſi præliorum fortiter feliciterque geſtorum gloria, ſi triumphorum numerus ac ſplendor legiones ipſas excitare ſolent ad quæuis pericula pro tuendâ communi ſalute, priuatâque Imperatoris vitâ ac libertate, contemnenda; quis noſtrûm tam officij nominiſque ſui immemor erit, qui tanti Ducis tamque auguſti, in quo hæc omnia ſumma nacti ſumus, non dico ignominiosè ſigna deſerere, ſed degeneris animi turpitudine gloriam audeat inquinare? quis, niſi Duci ſuo perduellis, non animum colliget? non vires acuet? non vim omnem potentiamque explicabit, ad præclariſſima eius veſtigia *per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam*, per cruciatus, vulnera mortemque ipſam acerbiſſimam conſectanda? Pudeat profectò nominis, quem imitationis piget: neque enim ſocium militémve IESV fas eſt appellari eum, qui ſub Imperatore tam forti tamque magnanimo putauerit ignauo ſibi atque otioſo eſſe licere. Veniat in mentem, oro, vox illa Ducis noſtri inter poſtremas eius nobiliſſima, quâ ſe non vnius dumtaxat ſubmiſſionis, ſed omnium pulcherrimarum virtutum exemplum militibus ſuis, ad excitandam in eorum animis æmulationem, propoſuit: *Exemplum dedi vobis, vt, quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Condere teſtamentum animus erat poſtridie morituro. quas tabulas ſcriberet? quid quibus hereditatis diſtribueret? quid omnium præterquam paupertatis indigus legaret? Annæum Senecam ruptis mox venis interiturum, cùm prohibitus à tyranno eſſet tabulas inſtituere, conuerſum ad amicos, quibuſcum iucundè vixerat, dixiſſe ferunt, quando per Cæſaris imperium aliud iam agi nec liceret, neque quod legaret ſuppeteret, imaginem ſe iis vitæ ſuæ, quam nullus ingrati diſcipuli furor & crudelitas ereptura eſſent, hereditatis loco relinquere. Non fuit hæc profectò, ſi rectè dictum expendimus, niſi inanis quædam Philoſophi illius oſtentatio, arrogantiæ quàm virtutis, quâ ſe præditum videri optabat, ſimilior. Verior omnino germaniorque honeſtatis ſpecies illa, quam ſanctiore iure ad nos deuolutam, vltimâ Ducis noſtri inſtitutione velut hereditarium quod-

Coloſ. 2. 15.

mortem & infernum.

Oſee 13. 14.

Hic nobis ſequendus.

ſi IESV milites dicimur.

2. Cor. 6. 8.

id enim voluit,

Ioan. 13. 15.

Tacitus l. 15. Annal.

imaginem vitæ ſuæ legans:

quoddam pignus à CHRISTO accepimus, imaginem nempe virtutum eius, memoriamque vitæ sempiternam. Hæc intuenda nobis atque amplectenda semper; hæc tamquam militare symbolum circumferenda est; hac ad iniuriarum perpeſsionem, manſuetudinem, benignitatem, reliquarumque virtutum exercitationem exſtimulandi ſumus; hac ad tuendæ Veritatis Fideique Catholicæ propagandæ ſtudium excitandi; hac ad exemplum militiæ eius æmulationemque accendendi; hac ad implacabile cum vitiis odium, perpetuumque cum hoſtibus diuinæ gloriæ bellum ſuſcipiendum inflammandi. Hæc nimirum illa eſt, quam
quam expreſſit Apoſtolus; Gentium Apoſtolus & in ſeipſo expreſsit, & imitandam omnibus qui IESV caſtra ſequuntur, commendauit. Deum immortalem! quot ille quibúſve ſententiis id agit, vt Imperatori noſtro quàm ſimillimi efficiamur? nunc Corinthiis inculcat ſemel iterúmve: *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego* CHRISTI. modò Galatis ſenſu affectuque charitatis tenerrimo: *Filioli mei, quos iterùm parturio, donec formetur* CHRISTVS *in vobis.* tum Epheſiis: *Eſtote ergo imitatores Dei, ſicut filij chariſſimi.* Iam verò illud ad Romanos quo pondere & efficientiâ diuinæ rationis: *Nam quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis Filij ſui?* quàm elegante appoſitâque ſimilitudine: *Sicut in die honeſtè ambulemus, non in comeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione: ſed induimini Dominum* IESVM CHRISTVM? Nam quid hoc tandem aliud eſt CHRISTVM indui, quàm virtute, moribus vitæque eius exemplo ita penitus circumueſtiri ac tegi, vt non iam animo ſpirituque noſtro vegetari ac viuere, ſed mente ac ratione quâdam ſublimiore, ad exprimendam immortalem diuinitatis in mortali corpore ſimilitudinem videamur. An non, vt Chryſoſtomus olim dixit, *homo indutus id eſſe videtur, quod indutus eſt?* Stolâ muliebri virum indue, feminam putes; hanc virili togâ ſi veſtiueris, marem arbitrabere: ruſticum in purpurâ, regem; hunc in lacernâ, ruſticum interpretabimur. quo quis cultu atque amictu inceſſerit, hoc vel eſſe vel videri velle profitebitur. Mundi oblectamenta ſi quidem mente induimus, quid niſi mundus? ſi carnis illecebras turpeſque voluptates, quid niſi caro? ſi ſpeciem virtutis & honeſtatis, quid niſi virtus honeſtaſque? ſi denique CHRISTI Imperatoris noſtri mores ac vitam, quid niſi CHRISTVS ipſe quâdam viuendi ſimilitudine efficiemur? An fortè iniuriâ temereque Paulus, poſtquam CHRISTVM induerat, gloriatus eſt? CHRISTO *confixus ſum cruci: viuo autem, iam non ego, viuit verò in me* CHRISTVS. Magnum profectò quid à nobis, atque admiratione dignum, exigit iſta comparatio: quam quidem ſi eodem ſenſu atque animo perciperemus, quo percepiſſe aliàs magnum illud Africæ lumen Auguſtinum
æmulatus eſt S. Auguſtinus; accepimus; quanta, Superi! mox in omni vitæ genere mutatio? quanta conuerſio animorum? quanta morum emendatio per vniuerſam Remp. Chriſtianam? quantum in nobis ipſis perfectionis ſanctitatiſque ſtudium exſiſteret? Oblatum fortuitò ſacrarum Litterarum volumen cùm ignotæ vocis admonitu explicuiſſet, primoque obtutu Apoſtoli CHRISTVM indui cohortantis verba legiſſet, *Nec vltrà*, inquit, *volui legere, nec opus erat.* Quid enim? an quia libitum hactenus fuit improbo certamine

1. Cor. 4. 16. & 11. 1.

Gal. 4. 19.

Epheſ. 5. 1.

Rom. 8. 29.

Rom. 13. 13.

Hom. 25. in Epiſt. D. Pauli.

Gal. 2. 19. 20.

Lib. 8. Conf. cap. vlt.

tamine cum Deo Opt. Max. contra rationem per ſummum ſcelus dimicare, licebit etiam in poſterum? Iuuit hactenus ſtudia vulgi mouere & retinere, odiis iniuſtâque contentione efferueſcere, genio in popinis indulgere, diffluere deliciis, mimos ſaltationeſque impudicas ſpectare in theatris, pernoctare in fornicibus, pergræcari in luſtris; corpus libidinibus, animum ſceleribus, terram flagitiis contaminare; numq; & placere eadem poſthac poterunt? Video Imperatorem meum IESVM indutum ignominiâ & contemptu; numquid honores auræque popularis ventos captabo? cerno ſanctimoniæ modeſtiæque velo circumdatum; numquid proculcatâ pudicitiâ vitæ turpitudinem adamabo? animaduerto pacis togâ, charitatis purpurâ, paupertatis pallio, toto denique virtutum pulcherrimarum & præſtantiſsimarum amictu veſtitum & condecoratum; numquid odia, diſcordias, inimicitias, furorem, amentiam, auaritiam, ſcelus omne flagitiumque tam exemplis eius contraria, tam aduerſantia moribus, tam gloriæ nominique iniuria, tam conſiliis rationique infeſta, tam ſaluti noſtræ perniciosa conſectabor? Ducem ſobrium, vigilantem, laborioſum, miles otio, ſomno, vino deditus ſepultuſque comitabor? Apage hanc à militiâ CHRISTI IESV ignominiam: procul illa macula, peſtis ac pernicies, iiſdem armis, iiſdem belli inſignibus, eodem quo Dux meus militiæ cultu præeuntem ſequar ad certamen, contendam ad victoriam, ad triumphum adſpirabo. Vellem equidem, Auditores, hæreret animis, atque etiam mentibus infixa noſtris ſederet, iſta tam illuſtris tamque diuina cùm Pauli CHRISTVM indui iubentis comparatio, tum Auguſtini eumdem induere ſatagentis commentatio: quamquam hoc ambigendi quis locus reliquus eſſe poteſt apud eos dicenti, quibus cùm propenſione ſuâ, tum legibus inſtitutoque maiorum, vita omnis in diuino amore, qui ſemper parens atque auctor ſimilitudinis exſtitit, conſumenda eſt? Inſidebit enimuerò atque inſculpta etiam permanebit non ad memoriam tantùm præteriti temporis, ſed ad exemplum poſteritatis ſempiternum. Cùm enim experientiâ vſuque ipſo conſtet, tum demum milites virorum fortium in acie officio fungi, cùm ad corporum in periculis ſocietatem animorum quoque cum Imperatore conſenſio acceſſerit; quid tam vtile, tam neceſſarium, tam glorioſum rebus Ordinique noſtro vniuerſo? quid ad excitandum in nobis æmulandi ſtudium efficacius fingi animo poteſt, quàm IESV amor atque dilectio? Dubitanti olim de affectu Sulamitidis ſuæ, viſum fuit teſtandæ veritati vnicum hoc ſignum requirere, vitæ imitationem. *Pone me*, inquit Sponſus, *vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum: quia fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio.* Agedum fidem tuam, Sponſa, tuum, inquam, erga me affectum atque amorem. quâ ratione me abs te diligi teſtabere? quibus docebis argumentis? quibus exemplis comprobabis? Actionum mearum cum tuis, Sponſe mi, ſimilitudine; quantum te diligo, tantum ſcilicet effingam atque imitabor. Bellè hercule: nam illa quidem morum meorum effigies, vitæque ſpecies, ita vultui animoque tuo imprimenda eſt, vt cerni foris internoſcique ab omnibus manifeſtò poſſit. Igitur *imprimere mihi*, ô ſponſa,

nos imitari debemus.

Secundò, propter amorem illi debitum,

qui imitando probatur:

Cant. 8. 6.

R *quaſi*

Guilielmus Paruus apud Delrium in Cant. *quaſi ſignaculo, per amorem mihi fortiter adhærendo, vt à me quaſi ſignaculo formam accipias, & meam ſubtili expreſſione ſimilitudinem trahas. Quanta fuerit impreſſio amoris, tanta erit & expreſſio ſimilitudinis; quantò mihi fortiùs per amorem inhæſeris, tantò mihi per iuſtitiam & puritatem ſimilior eris; quantò te mihi impreſſeris fortiùs, tantò ego* CHRISTVS *in te formabor expreſſiùs.* Nimirum inuicem reſpondent, paribuſque vel minuuntur detrimentis, vel incrementis augentur, vt annuli impreſſa, ſigniique expreſſa in cerâ effigies, ita CHRISTI amor atque imitatio: ſi remiſerit ille, hanc quoque debilitari ac langueſcere; ſi vires ceperit, iſtum corroborari atque confirmari pariter neceſſe eſt. Et ſanè ſi magnitudinem diuini erga nos amoris, naturæ noſtræ, cui copulatus eſt, ſocietate metimur, Phil. 2. 7. quâ *in ſimilitudinem hominum factus* eſt, *& habitu inuentus vt homo*; quo officij genere, quâ voluntatis ſignificatione certiùs manifeſtiuſque dilectionem teſtificabimur, quàm mutuâ viciſſim & accuratâ lineamentorum vitæ eius morumque in animis noſtris expreſſâ imagine? Iam *vt liquet exemplis;* verò, ſi & plerique mortalium, vel naturæ inſtinctu, vel certâ ratione atque conſilio, vel etiam turpi quadam minimeque honeſtâ leuis animi aſſentatione, vtrumque hoc amandi & imitandi ſtudium tantâ inter ſe cohæſione colligaſſe intelleximus, vt corporum etiam deformitates vitiaque animorum (nè quâ parte amoribus ſuis diſſimiles eſſent) imitanda duxerint; quâ nos alacritate & contentione ferri par eſt ad abſolutiſſimum numeris omnibus Imperatoris noſtri exemplar imitandum? Alexandri Proceres ſtipatoreſque inflexam eius in humeros ceruicem expreſſere: putida illa quidem, attamen ex affectu erga Regem ſuum, quem ea inclinatio deformabat, ſuſcepta æmulatio. Perſarum Satrapæ aquilinum olim naſum exoptarunt; eoque, ſi cui obtigiſſet, velut magno quodam Deorum immortalium beneficio ſibi gratulari ſoliti ſunt, etſi ridiculo voto & gratulatione, certiſſimo tamen amoris erga Cyrum Principem ſuum, qui eodem notatus erat, argumento. Quid, quòd Ariſtotelis gibbum æmulatores diſcipuli, incuruatione dorſi, vt poterant, expreſſerunt? quòd Hercules, Sardanapalus, aliique complures mulierum amoribus impliciti, vt quàm proximè ad illarum ſexum accederent, muliebrem omnem mundum cultumque vſque ad ſtolam, theriſtrum, acum & colum ad lanificium aſſumpſerunt? quòd Ægyptij lippitudinem, claudicationem, totius corporis nutationem atque inconſtantiam (quibus quid eſſe poteſt in hominum corporibus ineptius?) Regum quos deperibant exemplo imitati ſunt? Sed, vt ridicula ſunt iſta, ita illud profectò vel ob ſummum animi candorem cum laude coniun- Chron. Min. l. 1. cap. 29. ctum, quod Annales Minorum de Ioanne quodam columbinæ ſimplicitatis viro memoriæ prodiderunt: quòd Franciſci parentis ſui ſanctiſſimi, quem tenerrimo amore complexus erat, non tantùm actiones omnes geſtuſque, ſed inflexiones etiam ac nutus oculorum in pretio haberet, cum ſedente conſidere, cum ſtante conſiſtere, cum deambulante progredi, cum iacente decumbere, cum dormiente quieſcere, cum orante ſupplicare, cum laborante defatigari; quin & cum tuſſiente, ſternutante, ſpuente, eaſdem exonerantis ſe naturæ ſiue conuulſiones ſiue deſtillationes, quàm proximè poſſet exprimere conſueuiſſe. Tanti ſemper amaſſe

amasseuit, vt quæ ames imitere, & ex alterutrius præsentiâ alterum etiam extitisse certò affirmari conuincique possit. Nos igitur, quibus *& nobis à* peculiari quodam Religionis Nominisque auctoramento, quo insigni- *fortiore* ti sumus, maior quædam, quàm quæ inesse vulgo solet, incumbit ne- *incumbit,* cessitas IESVM Ducem nostrum amandi, vitâque & moribus exprimendi; quo studio ac contentione, quod in omni eius vitâ præstantissimum est, imitabimur? quibus animis laborum omnium periculorumque societatem expetemus? quâ fide atque integritate per omnes humanæ vitæ varietates, per secunda atque aduersa, *per arma iustitiæ*, vt 2. Cor. 6. 7. ait Apostolus, *à dextris & à sinistris*, præeuntem sequemur? quâ fortitudine ac constantiâ salutem nostram pro gloriâ eius atque animarum incolumitate asserendâ in discrimen offeremus? vllàne corporum incommoda retardabunt? animorum tædia fatigabunt? inuidorum labefactabunt calumniæ? hostium minæ commouebunt? labores prosternent? pericula profligabunt? Recordamini, obsecro, præclaram illam omnique sæculorum memoriâ dignissimam sanctissimi Antistitis Malachiæ sententiam: quem cùm intentum operi, periculoso quidem, sed ad promouendam Dei gloriam mirè accommodato, mortis infamiæque proposito metu deterrere sui à suscepto munere niterentur; *Sinite, fratres*, inquit, *sinite me imitari Magistrum meum: sine caußâ sum* S. Bernar. in *Christianus, si* CHRISTVM *non sequor*. Dicam hoc, Auditores, quantâ Vitâ S. Malachiæ. possum vocis laterumque contentione, vt ab omnibus exaudiar: *Sine qui Iesuitæ caußâ Iesuitæ sumus, si* IESVM *non sequimur*. Meritò desertæ militiæ *dicimur:* virtutisque arguimur, si tanti nominis professioni non respondemus, si huic Duci facta consiliaque nostra non probamus. Subeunda se offert pro IESV nomine ignominia: contumeliæ, calumniæ, maledicta longo examine proponuntur: inimicitiæ, labores, pericula cingunt vndique & circumuallant: versantur ob oculos carceres, compedes, supplicia, mors ipsa, cum acerbissimâ immanitate dirissimisque cruciatibus coniuncta. Expertis loquor: quotidianæ sunt istæ nobis pro diuinâ gloriâ suscipiendæ dimicationes, assidua pro animarum salute cum infidelium scelere atque atrocitate certamina amplectenda. Quid agimus, commilitones? an referemus à conflictu pedem? an terga vertemus? an arma proiiciemus ignaui? an cedemus difficultatibus? vincemur tædiis? succumbemus iniuriis? fidem socij, signa auctorati, milites Ducem deseremus? *Sinite nos, sinite*, inquam, *Imperatorem nostrum imitari: sine caußâ Iesuitæ sumus, si* IESVM *non sequimur*. Quæ verò vel timiditatis in hoc genere excusatio, vel socordiæ desidiæve defensio nobis relicta est, *ad hoc vo-* si à præceptis institutisque maiorum degeneres, tam excelso præclaro- *cati, vt* que Duci nostro, Nominique eius, turpitudinem aliquam inuramus? IESVM *sequamur.* cùm præsertim in hoc, teste Apostolorum Principe, *vocati simus, quia &* 1. Pet. 2. 21. CHRISTVS *passus est pro nobis*, nobis *relinquens exemplum vt* sequamur *vestigia eius*? Quid tandem existimabimus? dissimilem nobis ab ipsius vestigiis semitam, diuersamque vitæ conditionem obuenisse? vt ille in sole, nos in vmbrâ; ille in puluere, nos in otio; ille in rebus asperis, nos in oblectamentis vitam transigamus? Nolite, per Deum immortalem, cogitationes vestras ad tantam indignitatem abiicere: aliâ prorsus lege

auctorati, alio ſacramento obſtricti, aliis præceptis imbuti atque inſtituti ſumus: per aduerſa, per incommoda, per aſpera, per moleſta ſenſibus, per naturæ noſtræ contraria ſtudia, per veſtigia denique (vt cuncta verbo complectar) CHRISTI IESV Ducis noſtri incedendum nobis eſt. At difficiles iſtæ viæ ſunt, duraque imperia. Quidquámne igitur amantibus poteſt eſſe difficile? quidquámne durum militibus, quod exemplo priùs perfecerit Imperator, quàm verbo iuſſerit? Wenceſlaum Bohemiæ Regem, illuſtri ſanctitatis famâ conſpicuum, monumenta teſtantur, cùm pro more intempeſtâ nocte perfrigidâque hyeme colendi Numinis cauſſâ templa obiret, è Proceribus Podininum quempiam ſupplicationis comitem adſciuiſſe: præibat ipſe per ſaxa gelu horrida, per humum niuibus brumâque obſitam, per cæli inclementiam ventis ac frigoribus infeſtam, capite pedibuſque nudis, vix tenui præcinctus tunicâ, lacernâque coopertus; hic verò Scythicis pellibus totoque tegmine Sarmatarum aduerſus frigora munitus. producuntur preces, extrahitur ambitus atque ſupplicatio; algere ſenſim, tum tremere, mox rigere, demum manus pedeſque ad ciendum calorem ſupplodere Podininus. Id verò cum è ſtrepitu percepiſſet Wenceſlaüs, moræ frigoriſque impatientem blandè compellare, cohortarique vt perſeueraret. Ille contrà, neque precari ſe diutiùs, neque pedibus inſiſtere, nedum inambulare poſſe. Igitur vt animum vireſque ſubiiceret deficienti, Quæ à præeunte me, inquit Rex, imprimuntur veſtigia, tu identidem preme atque inſiſte Podinine, & ſine dubio perſtabis. quod cùm ille non ſegniter præſtitiſſet, ſuoque pede præcedentis veſtigia tereret, confeſtim frigus abſcedere, remittere tremor, corpus vniuerſum non incaleſcere ſolùm, ſed inflammari cœpit; vt non iam tardo difficilique inceſſu Regem ponè ſequi, ſed expedito atque incitato greſſu præuertere ſe poſſe confideret. Itáne verò? hos animos roburque Podinino dedêre Wenceſlai veſtigia, vt itinere frigidiſſimo caleret? hunc vigorem membris, has animo faces ſubiecere, vt Regem non tam æquis paſſibus ſubſequi quàm anteuertere videretur? Nos autem quo tandem animo erimus, quibus tantò celſiora ſanctioraque propoſita ſunt IESV Ducis noſtri ſectanda veſtigia? num ad ingentes illos diuinæ charitatis ignes, quibus ſuccenſa ſunt atque inflammata, torpentes ac ſtupentes obrigebimus? num ſegnes, ignaui, queribundi, difficultates itinerum perhorreſcemus? num ſi qua tempora periculoſa inciderint, ſi laborioſa ſe obtulerint certamina, ſi cum frigore, inediâ, aliiſque humanæ vitæ miſeriis & calamitatibus, ſi cum animi noſtri cupiditatibus ac perturbationibus, ſi cum ceteris depugnandum fuerit, num, inquam, imperia Ducis aſpernabimur? pauidi conſiſtemus? aut in fugam latebraſque nos coniiciemus? ante tubas victi? ante aciem fuſi? ante prælium dimicationemque proſtrati? Quæ, malum! hæc inertia ſocordiaque? quod dedecus? quod probrum? quæ labes? quis hoc æquis oculis aſpicere, quis ferre patienti ac remiſſo animo queat à IESV Sociis? in caſtris IESV? ſub Duce ſigniſque IESV? Quapropter vt extremum aliquid reperiat oratio, vos etiam atque etiam obteſtor, Auditores, per religionem vitæque ſanctimoniam, ad quam olim ſingulari Dei beneficio vocati, per ſacram mili-

Dubrauius in Hiſt. Bohemiæ.

militiam cui adſcripti, per ſacramenti fidem, quâ obſtricti Deoque deuoti ſumus, vt Imperatorem ac Ducem veſtrum, in quamcumque partem ſigna conuerterit, erecto excelſoque animo ſequamini. Nulla conterreat aduerſariorum vis atque poteſtas, nullæ frangant inuidorum criminationes, nulla deijciant vitæ incommoda, nulla mortis pericula cruciatusque diſturbent. Nolite, obſecro, maiorum veſtrorum laudes tanto labore & virtute partas otio ignauiâque veſtrâ obterere; nolite tot illuſtrium animarum, quas Deo procreatori ſuo aſſeruerunt, fructum atque tropæa inertiâ veſtrâ prodigere: nolite tot tamque illuſtres victorias, vbiuis gentium tam copioſo ſudore ſanguineque emptas, degeneris animi probro contaminare. Excitare profectò vos debet atque incendere tum Ignatij Ducis veſtri ſumma virtus atque religio, tum primorum Patrum, in promouendâ diuinâ gloriâ ſtudium atque contentio. Quot illi labores, quot incommoda, quot pericula, pro Deo animarumque ſalute ſuſceperunt, exhauſerunt, exantlarunt? quàm forti minimeque perturbato animo Ducem IESVM ſecuti, omnem eius vitæ rationem exercitationemque virtutum imitati ſunt? quàm veram germanamque Sociorum IESV effigiem in ſe ipſis expreſſam nobis reliquerunt? Horum veſtigiis inſiſtendum omnino vobis eſt, Auditores: horum exemplo ad procurandam animorum ſalutem nitendum: horum imitatione ſequendus effingenduſque per omnem vitam Dux noſter & Imperator IESVS. Id à vobis iure ſuo poſtulat fides veſtra quam aſtrinxiſtis, id militia cui nomen dediſtis, id ſacramentum quo ſpopondiſtis non defuturos vos Chriſtianæ Reipublicæ, id Ordinis Nominiſque veſtri præclara & ad inuidiam excellens compellatio, id Dux veſter cui meretis, quem colitis, quem amatis; id Deus ter Optimus Maximus, *per quem vocati eſtis in Societatem Filij eius* IESV CHRISTI *Domini noſtri.* 1. Cor. 1. 9.

ORATIO QVINTA.

De patrocinio D. Virginis, & felicitate Societatis, quòd ſub eius ſingulari ſit tutelâ.

DVos eſſe, quos inter cælorum terrarumque imperium dominatu licet impare, diuiſum eſt, qui illâ tum bonitatis amplitudine polleant, tum poteſtatis excellant magnitudine, vt nihil eis deſit, nec facultatis vt poſſint, nec bonitatis vt velint, homines omnes diuinis opibus cumulare, Dei videlicet Filium & Matrem; non tantùm diuina oracula proclamant; verùm etiam exquiſita illa, quibus totum genus humanum complexi ſunt beneficia, omni pæne ſæculorum memoriâ, vbique terrarum promulgarunt. Quapropter ſi quis hos duos, quorum nutu publica generis humani ſalus nititur, poſſit obſequiis adeò ſibi demereri, vt alterum habeat in bonis comparandis fautorem, alteram in malis propulſandis adiutricem; enimuerò tot eum tantiſque præſidiis muniri neceſſe eſt, vt nihil ſperare poſſit, vel ad animi tranquillitatem præſentius, vel ad felicitatem optabilius, vel denique ad

IESVS & MARIA certiſſima ſalutis præſidia.

æter-

æternam ſalutem conſequendam ſecurius. Non hoc obſcurum fuit Ignatio, vbi è densâ veteris vitæ caligine & cæcâ nocte productus ad diuinæ gratiæ lucem diemque, oculos aperuit. Vt enim erat altâ quâdam mente præditus, cùm exauctoratus iam profano bello, ſub CHRISTO Imperatore, prælia noua præliaturus, cœpit merere, cumque animum induxiſſet, non arcis vnius Pampilonenſis angulo, vel vrbis mœnibus, vel prouinciæ limitibus, mentis ſuæ amplitudinem circumſcribere; ſed in omnium nationum ac populorum commercium ſeſe effundere, illudque capaciſſimum rerum excelſarum pectus in totius humani generis ſalutem longè lateque explicare; nihil illi potius fuit, quàm duo hæc ſubſidia, fini ſuo conſequendo perneceſſaria, omni tum corporis tum animi contentione comparare.

Atque vt omittam de illius in CHRISTVM ſingulari affectu dicendo commemorare, eum, ſecundùm Dei Filium, Dei Matrem ſingulari ſemper amore complexum fuiſſe, hunc eius amorem filios eius à parente non degeneres in ſe transfuſum habuiſſe; Deiparam quoque viciſſim, & Ignatium, & illius filios in ſuam fidem ac clientelam ſuſcepiſſe, atque adeò Ignatij familiam non IESV tantùm Societatem, verùm & MARIAE Sodalitatem, & eſſe & dici debere; conſilium eſt hac oratione, quâ potero breuitate, demonſtrare. Hoc tamen, priusquam dicendi curriculum ingrediar, vobis perſuadeatis velim, hac in cauſſâ, pietatis potiùs quàm eloquentiæ, hiſtoriæ quàm orationis, amoris denique quàm ingenij partes à me eſſe ſuſceptas. Itaque ſi aut humiliùs, aut preſſiùs, aut ſuccinctiùs egero, quàm vel materiæ grauitas, vel cauſſæ dignitas, vel perſonæ amplitudo poſtulat; peto à vobis, vt tantum orationi meæ concedatis, quantum & modeſtæ pietati, & conciſæ hiſtoriæ, & vehementi amori concedendum exiſtimabitis.

Ignatij affectus erga B. Virginem.

Vt autem idem ipſe ſit mihi principium dicendi, qui fuit Auctor huius Ordinis inſtituendi, Ignatius, vbi primùm cæleſti claſſico ad ſacram CHRISTI militiam aduocatus fuit; iam inde inclytus ille bellator tanto in Virginem-matrem ferri amore cœpit, tantam rerum ſuarum ſpem atque tutelam in hac veluti arce collocare, tam ſingulares eiuſdem Matris inter plurimas ærumnas atque miſerias (ſi vltrò pro CHRISTO ſuſcepta incommoda his nominibus appellare fas eſt) expertus eſt fauores, vt non aliam ob cauſſam natum fuiſſe putes Ignatium, quàm vt Deus immortalis, quantum heroica in MARIAM fiducia coniuncta cum nobili in CHRISTVM amore poſſit, toti terrarum orbi, velut in ampliſſimo theatro, ſpectandum proponeret. Enimuerò cùm iam deliberatum fuiſſet Ignatio, ſuperioris ætatis errores nouâ inſtituendæ vitæ ratione corrigere, totumque penitus ſe reducere; non peto quid priùs, ſed quid aliud fecit, quàm Deiparam, in rebus dubiis vt conſilium, in arduis vt robur, in aduerſis vt conſtantiam, in deſperatis vt opem præberet, ſupplicibus precibus implorare? Vix enim illuſtrium in Eccleſiâ Dei Heroum celeberrima facinora lectitauerat, vix ſubierat animum, præſtantiſſimos quoſque, ex iis quos legerat, æmulari; cùm accenſus precandi ſtudio, intempeſtâ nocte deſilit è lecto, totoque animo corporeque proſtratus ante auguſtiſſimam Deiparæ effigiem, feruen-

feruentes & humili mixtas fiduciâ preces effundit: exoratique Numinis augurium mox agnoſcit. Etenim Ignatio ſermones plenos magni ponderis atque momenti in illo ſuo arcano receſſu cum Dei Matre conferente,ecce tibi ingenti motu concutitur terræ ſolum, tota domus derepentè contremiſcit, vaſtique ſtrepitus tumultu feneſtra fracta diſſilit. Ecquod omen, cuius rei præſagium fuiſſe, quid portendiſſe illam trepidantium ædium concuſſionem autumatis? Credo equidem non dubiâ coniecturâ rem conſecuturum, qui dixerit illo nutantis domus inſolito motu, ac ruentis feneſtræ tremore, Deiparam tacito quaſi vaticinio prædicere voluiſſe; hunc ſuum, quem ſibi decuriauerat, Filij ſui armigerum, quàm primùm ſuos in aciem educturus eſſet, ſignumque ad pugnam daturus, hoſtes omnes iuratos Dei, Eccleſiæ inimicos, ac nefandæ perduellionis ſigniferos ingenti terrore concuſſurum, ruitura inanium Deorum ſimulacra, confringendas profanas aras, collapſura barbarorum fana, dæmonum caſtella expugnanda; denique, quocumque victricibus plantis inceſſurus eſſet, illic ſub eius pedibus totam inferorum regionem ab imis ſedibus tremore conquaſſandam. adeò hoſtibus ſuis iam tum, priuſquam ſolenni ſacramento, ſupremo Imperatori auctoratus eſſet, formidandum fecerat illa mulier, quæ terribilis eſt vt caſtrorum acies ordinata. Sed videte, quemadmodum hunc, quem elegerat vt eſſet Chriſtiani exercitus contra milites à principe tenebrarum lectos primipilus, armarit. Credo vos non ignorare, quod Plutarchus de Sullâ litterarum monumentis conſignauit. Huic paulò antè, quàm tumultuoſa illa ciuilis pugnæ procella per totam Italiam detonuit, dormienti de nocte Bellona paludata & ferox, ſæuam in capite iubam quatiens apparuit, eique terrificum ac ferale fulmen porrexit, nominatim recenſens ſingulos illius hoſtes, iubens eo fulmine illos ferire: quo & illi velut icti, cadere videbantur. Hac ſpe fultus, in hoſtes ſe expediuit; & vno veluti æſtu fortunæ,ac torrente victoriarum, totam Italiam inundauit. Portentum non abſimile Imperatori noſtro, priuſquam ſagatus fortia Domini bella in ferocientes Eccleſiæ hoſtes ſub Virginis auſpiciis geſturus in campum prodiret, euenit. Vt enim Sullæ de nocte Bellona, ita Ignatio in ipsâ peruigilatione nocturnâ inuicta illa bellatrix MARIA, auguſto ac ſacro quodam horrore conſpicua, ſpectabilem ſeſe exhibuit; eique præbuit, non fulmen, ſed ipſum fulminum fabricatorem Filium ſuum, infantili ſpecie amabilem, ſed metuendâ maieſtate hoſtibus terribilem: de quo magnificè in ſuis metris coronatus Vates: *Tu terribilis es, & quis reſiſtet tibi?* & tu Ignati hoc fulmine armatus terribilis es, quis reſiſtet tibi? Videor mihi Lutherum intueri,turbinem illum ac tempeſtatem Eccleſiæ, furentem audaciâ, peſtem Germaniæ nefariè molientem, Chriſtianis omnibus ferrum flammaſque minitantem, ad conſpectum noſtri Imperatoris diuinis armis muniti, abiectâ turpiter parmâ, fugientem. Cerno animo Ignatium bellatrices ſuas copias in arenâ explicantem, inuicto ſuorum exercitu, velut quadrato agmine, vbique gradientem, per medios hoſtium cuneos glorioſè penetrantem, & victoriis ſuis terrarum vltima complectentem. Verſatur mihi ante oculos fulminatrix illa Ignatij legio; quæ, Virgi-

Ignatio B. Virginem orante domus tremuit.

Ignatius hæreticis oppoſitus.

Pſalm. 75.

Virginis ductu ac beneficio, per calcatas dæmonum ceruices, per omnium sectariorum turmas generoso Marte concisas, per illa nefanda tartarorum monstra atque portenta, Lutheros, Caluinos, Suinglios, Bezas, Melanchthones, aliosque sexcentos, victrix vehitur ac fertur triumphatrix. Quis ergo resistet illi sic armato? *Exibit vt fulgur iaculum eius*, inquit sacer Vates: ita ex Ignatianâ dextrâ, velut ex intento arcu missile telum, velut ex contentâ balistâ ingens saxum, velut è collisis nubibus excussum fulmen; ita, inquam, hoc rutilum ac flammeum IESV nomen in debacchantes impunè hostes, euibrabitur. Vt autem ad illud reuertar, quod vnum mihi in hac omni oratione est propositum; quid aliud tam eximio in Ducem nostrum beneficio Deipara significare voluit, quàm tantò antè eius milites præmonere, huius deuotæ Filio suo legionis fore se semper Patronam, sibique secundùm Deum victorias, manubias, adoreas, laureas atque triumphos adscribi debere; nec aliunde cælestia nobis speranda præsidia, nisi ab ipsâ, cuius nos Deus tutelæ voluit esse commissos? Prodibat iam ex suo arcano conclaui, magnifico excelsoque animo totum se ad Dei gloriam ac hominum salutem explicaturus Ignatius; & non gradu, sed cursu festinans ad sacræ militiæ tirocinium, iter in Montem Serratum intendit, apud eamdem Virginem pugnæ positurus rudimenta, à quâ pugnandi consilia ceperat. Ad montem illum summâ atque antiquissimâ religione celebrem sese conferebat Ignatius, in quo est sacra Deiparæ ædes, in æde statua plurimis beneficiis in calamitosos deriuatis, ac illustribus supra naturam prodigiis nobilitata. Ne autem ad Parthenicum illud fanum profanus ipse veniret, vtque Virginis sacrarium castus intraret; hoc eodem in itinere voto se (quod Deiparæ pro suo in eam peculiari studio nominatim obtulit) perpetuæ castitatis obstrinxit: & quasi Virginem nouo sibi obligasset beneficio, illa vicissim, ne in illius esset ære, deuoto sibi clienti ex illâ die, ad vltimum vsque spiritum, excellentis pudicitiæ, intaminatæque mentis & corporis donum cælesti benignitate concessit. Ita in hoc mutuo benè merendi certamine MARIA semper triumphabat, cùm ad ipsam victoriæ laus, ad Ignatium fructus rediret. Nec obscurâ clementissimæ Præsidis (vt fas est interpretari) tutelâ, subinde capitis animique discrimen euasit. Adiunxerat eunti se comitem Maurus homo (nondum enim illa sentina è Tarraconensi Hispaniâ omnino eiecta erat) qui cùm, illato sermone de intaminatâ Dei Matre, diu impiè pernegasset eam à partu Virginem, mox subditis equo calcaribus in pagum proximum deflexit, ac Ignatium indignatione plenum reliquit. Exarsêre scilicet in magnanimo statim Ignatij pectore excelsæ indolis igniculi, sopiti magis quàm extincti. humanarum itaque rationum momentis diuina examinanti, certum fuit iniuriam ferro protinus abolere. Tunc ipse hæc pro Virgine, hæc in Maurum, hæc contra se: Vah! quid audiuimus? dubito, magísne execranda sit lingua quæ Virginem læsit, an aures quæ lædentem perceperunt. Quid agis, Ignati? pænè impius factus es audiendo, quid dicam, æquo animo perferendo? ergóne MARIA impura audiet? audiet, inquam, MARIA impura, & quidem audiente Ignatio? hoc atrox scelus tam lentè vindicasse, est Dei vindictam in

Zachar. 9.

Ignatius B. Virginis honorem ferro tueri meditatur.

in ſe prouocaſſe. quid? plúſne poterit os impudens Mauri ad Virginis honorem violandum, quàm Ignatij dextera ad propugnandum? an fortè exauctorata bello manus vt imbellis contemnitur? itáne verò? ſciet, ſciet Maurus arma Ignatium non deſerüiſſe, ſed mutaſſe, dum macula, Virgini incontaminatæ adſperſa, eluetur ſanguine, vel hoſtili, vel meo. Age, Ignati, hoc ferro piaculum tolles, vel feliciter Virginem defendendo, vel fortiter pro Virgine moriendo. Perinde eſt; vbi & vinci victoria, & vincere triumphus eſt. aggredere: tua interim vel iuſtitia, ô Virgo, cauſſam bonam reſpiciet, vel clementia faciet. Dixit. nec mora: homo ad defendendam Dei Matrem fortiter audax, & piè iracundus, cùm iam illi pro ratione impetus eſſet, conſilium ab euentu mutuatur anceps, ac, niſi Virginis id cauſsâ feciſſet, pænè temerarium; in ambiguo curarum tumultu, eo capto conſilio, vt, ſi mula, cui inſidebat, ſemitam, quam tenuerat Maurus, iniret, intelligeret ſacrilegum illum haud dubiè pugione confodiendum. Mox igitur laxatis habenis iumentum curſui ſuo permittit, atque ita dubiam ac lubricam veluti ſortis aleam ſuſpenſus exſpectat, & conſilio certo incertum euentum. Vbi ad viæ diuortium ventum eſt; extemplò iumentum, licet in conſpectu pagus, magisque tritus inuitaret callis; tamen in alteram ſe partem, quæ ad Montem Serratum flectebat, immiſit. Sic Mauro cædes adempta, cædis cura Ignatio. Morarer lubenter in hoc tramite, figeremque trophæum huic Marianæ iniuriæ vltori, ad poſteritatis memoriam illuſtre; niſi Ignatius, qui huic vni rei maximè intentus erat, vt primum hoc in Deiparam ſtudium nouo ſemper amoris vinceret argumento, religioſi curſus celeritate meam in dicendo tarditatem anteuerteret, cogeretque me feſtinare, vt quod ipſe citiſſimis paſſibus ferè ſuperauit montis iugum, idem oratione meâ properè conſcendam. Ignatius, ſuperato montis vertice, nobile illud Deiparæ domicilium, religione auguſtum, ſacro plenus horrore, ac ſubmiſsâ animi reuerentiâ ingreſſus; eâ ipsâ nocte, cui feſtus Angelicæ Salutationis dies illuxerat, peruigil ante aram Virginis excubias egit. Nunc, ſi verum eſt illud Pythagoræ pronuntiatum, alium animum fieri intrantibus templum, Deorumque ſimulacra è vicino cernentibus; quem animum fuiſſe putatis Ignatio, ſtanti ad publicam illam felicitatis aram, cernenti è vicino illud plenum amabili maieſtate ac religione Virginis ſimulacrum, quæ tot peſtes exſtinxit, tela intenta proborum ceruicibus repulit, mucrones ab innocentium iugulis reiecit, tot mortuos à funere excitauit; tot cæcis lumen, ſurdis aures, rationem amentibus, mutis orationem reddidit? Hîc Ignatium cæleſtis potentia, in venas ac medullas intimas delapſa, agitare: hîc ipſe, ſub alterius pugnaturus aquilis, ſeſe exarmare, & ad Virginis aram è tholo anathêma gladium ac pugionem, emeritæ militiæ ſymbola, quibus mundo meruerat, nouæ militiæ candidatus, ſuſpendere. Sed quid agis, Ignati? tu iam arma proijcis, cùm paſſim Dei hoſtes in Eccleſiam communem matrem impiè armantur? Illi ſago induti ſigna explicant, aquilas attollunt, trophæa figunt, triumphos meditantur: tu imbellis ex arenâ fugis, & in conclaue te abdis? tu in vmbrâ, illi in ſole; tu in ſacrâ æde, illi in Martio puluere; tu precibus, illi

Ignatius Montem Serratum inuiſit, ſeque Deiparæ conſecrat.

prӕliis vacant. Sed ne metuas, Ignati: fortior eſt inermis virtus, quàm armata impietas. numquam magis fuiſti occupatus, quàm cùm hîc otioſus. Ita eſt: in arcano illo noctis otio, publicum mundi agebat negotium: in priuato illo & anguſto lare, magnus & excelſus Ignatij animus, quaquauerſum terminos porrigit orbis terrarum, vagabatur. vnâ illâ quâ apud Virginem excubuit nocte, multorum dierum, annorum ac ſæculorum opus moliebatur. Attendite nunc pauliſper ad ea quæ ſubijcio; & hoc ſecretum cum Dei Genitrice, in illius æde, eâ nocte habitum colloquium, quaſi gradum atque aditum ad celſiſſimum illud Chriſtianæ perfectionis, in quo poſteà eminuit, faſtigium, factum intelligetis. Etenim hîc in Deiparam amor altiſſimè inſitus Ignatij viſceribus, inde in primos eius filios manauit, tum in alios diſſeminatus, tandem in poſteros omnes, ad hæc vſque tempora, ſeſe diffudit. Vix enim in illo pio Montis Serrati ſeceſſu, Dei Genitrix cælo pepererat Ignatium, cùm repentè in Ignatio genuit Societatem. Sed quo loco, quo tempore eam natam exiſtimatis? Certè ſi lucem eius natalem tum loci dignitate æſtimare, tum temporis celebritate metiri velimus, ea duo in primis ad laudem Ignatianæ familiæ magnifica, ad ſplendorem eius illuſtria, ad decus eximia, ad commendationem præclara, & ad Ignatij in Deiparam cultum, amorem ac ſtudium arguendum longè efficaciſſima reperiemus. Locus eſt, Lutetiæ adiacens, paulò editior, ac miti clementique aſcenſu, dictus Mons Martyrum. in cuius vertice delubrum Deiparæ ſacrum, non potentiæ magis quàm miſericordiæ ſplendore ex illâ Virgine, quæ electa eſt vt ſol, euibrato conſpicuum, ab exteris omnibus oppidò celebratur. In hac Parthenicâ æde, ipſo die aſſumptæ in cælum Deiparæ ſacro, Ignatius, vnà cum Xauerio, aliiſque octo ſociis, decem omnino numero, faciente P. Fabro, omnes voto perpetuæ paupertatis, elatâ voce, conceptâque verborum formâ ſeſe Deo obſtringunt; rerumque humanarum curis omnibus à ſe prorſus abiectis, ſoli Deo, hominumque ſaluti vacare conſtituunt: ac ſubinde ſinguli, Fabri manu, cæleſti epulo reficiuntur. Ab illo die celeberrimo omnes Deiparam ſibi Patronam apud Deum præcipuam adoptarunt; & poſt Societatem conditam eumdem diem quaſi primum eius natalem ſingulari religione ac veneratione coluerunt: fuitq; idem Societatis IESV principium naſcendi terris, quod Matri IESV fuit initium viuendi in cælis. Quare ſi locum ſpectes; prima ferè Societatis cunabula in Monte Martyrum, inter inuictorum Chriſti pugilum exuuias, cruenta trophæa, ac ſplendida triumphorum monumenta, locata ſunt; vt vel hinc daretur intelligi, Ignatij Socios, qui in eius, quæ Regina Martyrum eſt, ſunt editi ſacrario ac monte, debere eſſe firmâ fide, ſtabili pietate, inconcuſsâ religione.

Societas in Monte Serrato concepta.

Societas ad aram Deiparæ in Monte Martyrũ nata.

B. Virgo in Patronam Societatis electa.

Hæc fuêre rudimenta, hæc tirocinia, hæc prima non planè collucentis, ſed micantis velut in aurorâ, Societatis crepuſcula: quæ inde conſecutis temporibus Italiæ terminos quaſi cunabula prætergreſſa, grandiora cœpit ſignare veſtigia, Alpesque tranſſcendens, multas Prouincias occupauit; plurimisque terrarum ſpatiis diſiuncta, quaſi quædam fecunda propago, ſeſe longè lateque explicauit, ac tandem iiſdem, quibus ſol, gradibus peruaſit orbem vniuerſum. Sed non minoribus quàm Socie-

tas,

tás, etiam Societatis in Virginem-matrem amor auctus est incrementis: & si vnquam aliàs, certè in amplissimo orbis terrarum consessu, velut in illustri theatro, in Concilio nimirum Tridentino, palàm se videndum præbuit. Ad illum augustissimum ac eruditissimum cœtum, plurimi ex omnibus terrarum regionibus purpurati Ecclesiæ Proceres ac Patricij, sacri Senatus Patres conscripti, Antistites, diuinarum legum Interpretes, & Iudicis magni Vicarij, non secùs atque ad forum & curiam supremi Iudicis, gymnasium cælestis sapientiæ, scholam Spiritus sancti, velut ad arcanum Indigetum Concilium, maiestate venerandum, pompâ conspicuum, opibus splendidum, prudentiâ suspiciendum, ipso Senatus principe propè diuinum, confluxerant. Illic cùm de primæuo disceptaretur originis peccato, & immunitate sanctissimæ Matris, ab eodem rogatus sententiam P. Iacobus Lainius (qui posteà primus à sancto Ignatio totius Societatis præfecturam gessit) primùm infirmæ valetudinis vsus excusatione (quòd grauissimè quartanâ laboraret) cùm exposuisset, non posse se sicuti maximè optaret, & argumenti dignitas exposceret, perorare; tamen pro eo quo in Deiparam ferebatur amore, suggestum conscendit, indeque, Virgine imbecillo corpori sufficiente vires, tres ipsas dixit horas, pro asserendâ Virginis immaculatâ conceptione: tot productis sanctorum Patrum testimoniis, tot rationum exquisitarum momentis, eâ sententiarum copiâ & grauitate; vt augustissima illa sacrorum Procerum corona, quæ aureum eloquentiæ flumen, quod ex facundo ore, velut è torrente, fundebatur, auidissimis auribus imbibebat, putaret non hominem aliquem è pulpito verba proferre, sed Vatem cælo delapsum è tripode oracula fundere, mysteria eloqui, decreta pronuntiare. Quare grauissimarum rationum pondere ita sacrosanctum illum cœtum commouit, conuicit, accendit, vt vnanimi consensu, ad illud Sessionis quintæ de originis peccato decretum, disertis verbis adiecerit: Non esse suæ intentionis, eo decreto beatam & immaculatam Dei Genitricem comprehendere, sed seruandas esse Sixti IV. constitutiones. O benè impensam eloquentiam dicam, an sapientiam è cælo haustam! quæ intemeratæ Virgini, Virgini dico? virginitati potiùs dixerim, vel maculam multorum opinione inustam deleuit, vel certè inurendam (quod par est beneficium) impediuit. Ita hucusque mansit Deipara, Societate patrocinante, decernente augustissimo illo Senatu orbis Christiani, in possessione suæ intemeratæ integritatis; è quâ pænè quorumdam calculis fuerat exturbata; cùm illam, non tantùm nullius culpæ vmquam auctorem (quod Catholicus nemo inficiatur) sed (quod quidam asserunt) nec heredem quidem aliquando fuisse, Societas vniuersa propugnauit. Exinde enim, quasi ex illo publico suggestu signo dato, confestim omnes Ignatij Socij ad arma concurrere, calamis domi, foris linguâ, in templo precibus, in scholâ argumentis, in exedrâ concionibus, contra omnes qui vel aperto Marte illius integritati aduersantur, vel occultis cuniculis ei insidiantur, decertare; immaculatæ Virginis intactam illibatamque conceptionem cum omni deinceps omnium sæculorum secuturâ posteritate constantissimè defensuri.

Lainius in Concilio Trid. immaculatã B. Virginis conceptionem defendit.

Societas Sodalitates B. Virginis administrat.

Verùm enimuerò festinanti mihi vnum propè exciderat, quod tamen summum potest adferre pondus ad illud, quod mihi propositum est maximè, confirmandum: quo vno ostendit Dei Mater, non tantùm Societatem suam esse, sed se Societatis: nimirum quòd tot tamque illustres sub suâ tutelâ erectas Congregationes, suoque præsidio tectas ac patrocinio munitas, nostrorum hominum curæ, fidei & administrationi voluerit esse commissas. Quas Sodalitates si omnium ferè Religiosorum Ordinum seminaria, si lectissima Parthenicorum clientium ephebia, si disciplinarum emporia, si morum palæstras, si denique virtutum omnium officinas appellauerit quis; næ ille, aptissimis titulis easdem condecorabit. Hîc tenelli Virginis-matris filij, eius gremio recepti, ex vberibus illis beatissimis quasi cum Virginis lacte, succum & sanguinem pietatis imbibunt, & medullam ipsam virtutis exsugunt, quam deinde iam adulti in alios deriuent. Nunc autem quid sunt aliud innocentes illi in Sodalitate Parthenicâ pueri, nisi magnæ Matris, quos fouet, Beniamini? quid deinde adolescentes iam prouectiores, nisi eius, quos instruit, ephebi, & pueri honorarij? quid tum iuuenes, nisi eius, quos defendit, clientes? quid viri, nisi eius, quos armat, milites? quid alij denique Sacerdotio initiati, nisi eius, quos consecrat, Antistites? Certè is feruet in illis Congregationibus in Dei Genitricem amor & studium, tot illic impenduntur ei obsequia, tantus vbique terrarum ad eas fit concursus, vt non tam ad cœtum Virgini sacrum, quàm ad Virginem ipsam confluere videantur. Quid nunc dicam, quâ vi vocis, quo verborum pondere, quo animi ardore, quanta in vniuersam Societatem IESV, MARIAE sit semperque fuerit ad eam amandam propensio, ad promouendam cura, ad defendendam solicitudo, studium denique ad eamdem totâ Europâ illustrandam? Ampliora sunt illa dignitate, maiora nobilitate, plura multitudine, quàm vt possim vel pro magnitudine grauiter, vel pro splendore magnificè, vel pro merito dignè satis explicare. Vnum igitur, quod multorum est instar, Deiparæ in Filij sui Societatem, & suam Sodalitatem, amorem, curam, voluntatem satis disertè eloquetur, quod, teste Hieronymo Plato, Sacerdoti cuidam nostro insignis religionis ac sanctimoniæ viro (cui Martino Guttero nomen) diuinitus monstrauit. Is, cùm alia multa, præsertim de Beatâ Virgine, cælesti illustratione accepit, tum illud, quod ad rei quam tractamus argumentum inprimis pertinet. Vidit is aliquando illam eximiâ admodum specie ac maiestate fulgentem, veste in augustam latitudinem explicatâ, ac sub eâ Societatem nostram vniuersam collectam contineri; quam illa materno affectu complectetur, eoque quasi charitatis tegumento confoueret. O propugnaculum securissimum, quo totius Societatis salus atque incolumitas continetur! ô munimentum ita solidum, vt moueri; ita stabile, vt quati; ita firmum, vt euerti omnium hostium machinis, balistis, vineis, arietibus non possit! Olim cùm Persarum quispiam de suorum militum multitudine gloriatus, his verbis se iactaret, *Cras solem obscurabimus sagittis*; festiuè Græcus quidam, *Gaudeo*, inquit: *sic enim in vmbrâ melius præliabimur.* hoc meritò dixerit Societas, magnificentissimo Parthenicæ togæ conopeo

MARIA *Societatem sub pallio fouet.*
L. 1. de Bono stat. Relig. cap. 34.

peo obumbrata: securè sine periculo, fortiter sine metu, feliciter sine clade, gloriosè sine dedecore, denique laudabiliter cum triumpho, pugnas Domini pugnabit, sub vmbrâ Marianæ tutelæ. Hoc Virgineo paludamento circumsepta Societas, stat, stabitque contra omnes inferorum furias, tyrannorum minas, hostium omnium machinationes & insultus, velut Capitolij immobile saxum. Quemadmodum enim olim Deus exuberanti Oceano terminos circumscribens, plenâ imperij voce præcepit, *Vsque huc venies, & non procedes amplius, & hîc confringes tumentes fluctus tuos*; sic imperasse videtur Dei Mater: *Vsque huc*, ad togam meam videlicet, *venies*. quasi dicat: Cùm ad togam meam, id est, ad patrocinium, quo clientes meos protego, deuentum fuerit; hîc nimirum detumescent illi in Societatem decumani fluctus, velut in scopulum impacti; hîc immanes vndarum moles in spumas abibunt, velut ad rupem allisæ; hîc profligatorum hominum conatus retardabitur; hîc omnis collecta vis improborum retundetur; hîc infrementes procellæ, velut ad saxum, confringentur. denique Societas hac Virginis tutelâ protecta, in bello victoriam, in periculo salutem, in mœrore solatium, in fluctibus portum, in morte vitam, feliciter consequetur. Quid plura? MARIAE vnius præsidio, eam nacti sumus potentiam, vt mala omnia, aut vincamus fortiter, aut finiamus feliciter.

Societas in tutelâ B. Virginis.

Iob. 38. 11.

Perspicitis, vt opinor, Societatem IESV in MARIAE gremio natam, auctam, educatam: illius tum parentem Ignatium, tum posteros eius omnes, singulos, vniuersos, vt solent clientes Patronam, famuli Dominam, subditi Reginam, filij Matrem, propensissimâ voluntate, studio, amore semper, iam inde à primis eius incunabulis, fuisse prosecutos. Hinc si quid profluxerit, vel splendoris ad gloriam, vel gloriæ ad laudem, vel laudis ad commendationem; hoc totum in Ignatium, vt in fontem, redundat. Tu quidem, Ignati, illo tuo tam singulari in Dei Matrem amore effecisti, vt ex te posteritas ea proseminaretur, quæ plurimos Deiparæ stipendio milites, studio clientes, officio famulos, amore filios procrearet: qui omnes eiusdem Virginis, cui mancipati sunt, partim clementiâ nixi, partim subsidio fulti, partim freti potentiâ, tot & tanta pro eius & Filij gloriâ, non sine suæ gloriæ cumulo, præstitêre facinora, quot & quanta à militibus tam potentis Imperatricis, à clientibus tam nobilis Patronæ, à famulis tam inclytæ Reginæ, à filiis denique tantæ Matris vel sperari possint, vel optari debeant, vel soleant exspectari. Nobis interim cùm in summâ rerum inopiâ, nihil supersit nisi gratus animus, hoc quod à te accepimus patrimonium amoris in Matrem Dei, & cultum, sic æstimabimus, vt profiteamur; ita profitebimur, vt exerceamus; ita exercebimus, vt exemplo persuadeamus, auctoritate defendamus. Tu autem, ô Virgo iuxtà ac Mater, cuius potestas cùm proximè ad Dei immortalis Numen accedat, tanta est, vt ei non desit neque facultas ad succurrendum, neque clementia ad miserendum, nec ad propugnandum fortitudo; hanc tibi addictissimam Sodalitatem ita tuâ ope defende, patrocinio tuere, auctoritate protege; vt quæ vnâ te parente nata, nutrice aucta est, eâdem patronâ salua, & aduocatâ incolumis, ad multorum salutem plurimis ætatibus conseruetur:

atque ita tota secutura posteritas cognoscat, hanc, cui ita studes & amplecteris, Ignatij familiam, non tantùm & esse & dici debere Societatem IESV, sed etiam Sodalitatem MARIAE. Dixi.

Alteram alteri Parenti nostræ Inscriptionem lubet ponere, quæ & ipsa ære perennior gratis animis inhæreat.

ALTERI POST IESVM ECCLESIÆ PRÆSIDI

ALTERI POST IESVM SOCIETATIS PARENTI

VIRGINI-MATRI

CÆLI ET TERRÆ DOMINÆ

MARIÆ.

QVÆ

IN MINIMÆ SOCIETATIS AMICO NOMINE

PARVVLVM SVVM IESVM

GRATANTER AGNOSCENS,

SVAM TAM BENIGNO TITVLO SOCIETATEM

COMMVNI PRÆSIDIO TEXIT,

PATROCINIO GVBERNAVIT.

CVIVS

POTENTISSIMÆ IN HOSTEM TARTAREVM BELLATRICIS

AVSPICIIS

IN NOVVM CHRISTI MILITEM

IPSAS AD ARAS DEDICATVS

IGNATIVS,

QVIBVS PRÆSERTIM ARMIS MVNDVM VINCERET,

SVI IN SE VICTOR AGNOVIT.

A QVA,
CVM LEGES IPSE SIBI SCRIBERET AC SVIS,
PRÆCIPIENTE ET APPROBANTE DIDICIT,
QVO PROCEDENDVM ESSE MAIORIBVS,
QVO SEQVENDVM MINORIBVS
INDICARET.
CVIVS
A VIRGINEO LACTE CANDIDI
IDEM QVI A IESV SANGVINE RVBICVNDI,
HINC MARTYRES, INDE VIRGINES,
VTROBIQVE FELICES SVNT
SOCII,
QVOD GEMINO MATRIS ET FILII NOMINE CONSECRATI.
ILLI ERGO DOMINÆ, ILLI MATRI,
IN QVA VELVT ARCE TVTISSIMA
QVI RERVM SVARVM SPEM ET TVTELAM COLLOCAT
PERIRE NON POTEST,
REPETITO SÆPIVS SACRAMENTO
ET SODALES ET SOCII
ET CVM VTRISQVE SOCIETAS
MATERNIS AFFVSA GENIBVS
NON VNO DEVINCTAM SE NOMINE
NON VNO DEVOTAM NVMINE
CONFITETVR.

ORA-

ORATIO SEXTA.

De Regimine Societatis.

PErſæpè à ſapientibus viris, qui initia, progreſſus, & præſentem ſtatum Societatis IESV cùm animis reputarent ſuis, quæſitum fuiſſe intelligo, quid potiſſimùm fuerit, poſt diuini Numinis opem ac nutum, quod hanc Congregationem in eam amplitudinem prouexerit, quam nunc cæleſti beneficio obtinet. Atque in diuerſas planè ſententias itum fuit. Nonnulli, interiorum ignari, ſenſerunt, multiplice eruditionis omnis præſtantiâ, ac ſublimitate doctrinæ, Societatem vires erexiſſe, litteris famam, famâ gloriam, gloriâ magnitudinem pariente. Aliis viſum fuit, miniſteria quotidiana ac laborioſa, proximorum ſaluti cum eximiæ ſignificatione charitatis impenſa, tum eorum, quibus proderant, cepiſſe animos, tum reliquorum approbationem conciliaſſe; atque ita, promeritâ beneuolentiâ publicâ, firmitatem & incrementa, velut eiuſdem beneuolentiæ fructus, retuliſſe. Quidam dimicationibus, aduerſis, calamitatibus, Societatem creuiſſe autumant, & poſt haſce nebulas clariùs reſplenduiſſe; more adamantis, cuius nitorem ac pretium aſperrimæ cotis attritus vehementer accendit. *Neſcio,* inquit L. Quinctius Cincinnatus, *quo fato magis bellantes, quàm pacati, propitios habemus Deos.* Faciliorem quoque dexteram ad periclitantes veri Numinis fauor extendit. Iam precandi ſtudium, interioris hominis cultura aſſidua, exercitatio virtutum, religionis amor, cum Superis Deoque coniunctio, & (ſi fas eſt ſperare) neceſſitudo, à multis conſiderata, hoc apud eos effecerunt, vt crederent hac vnâ animâ corpus iſtud ſubſiſtere, ali, vigere, propagari, attolli. Pars exiſtimat, hunc ſanitatis tenorem, vel maturâ inutilium aut exitioſorum membrorum præciſione, vel arctiſſimâ valentium coniunctione & charitate contineri. Denique Conſtitutiones, Decreta, Leges ex illapſu diuino, optimorumque Legiſlatorum tabulariis petitæ, neque multitudine graues, & quadam lenitatis moderatione temperatæ, creduntur à multis tam boni ſtatus vnicæ conſeruatrices. At mihi longè eſt diuerſa ſententia. Sic enim exiſtimo, Rectam Societatis gubernationem, vnicam eſſe, & cauſſarum omnium principem, cui omnis eiuſdem vigor, flos, conſeruatio, decus adſcribenda ſint; ac ſine eâ, neque litteris opinionem bonam, neque miniſteriis beneuolentiam, nec aduerſis robur, nec ſalutaribus curis integritatem, neque concordiâ aut corruptelæ ſeiunctione valetudinem, neque legibus obſequium, cui diuturnitas adeſſet, conciliari vmquam potuiſſe. Gubernatio enim recta ſola efficit, vt & floreant litteræ, & officij genus omne frequentetur, & ærumnæ cum fructu tolerentur, & pietas in Deum ferueat, & animi concordiâ coaleſcant, & pernicies arceatur omnis, & maiorum leges atque conſulta accuratè ſeruentur. Sic nauium proſper curſus non à firmitate compagum, non à claſſiariorum viribus, non ab anchoræ, veli, rudentum, remorum præſtantiâ, ordine, numero, non ab aurâ fauente, & ſecundiſſimâ tempeſtate dependet,

Societas conſeruatur non tam doctrinâ, miniſteriis, aduerſis,

Liu. Dec. 1. lib. 3.

orandi ſtudio, dimiſſione inutilium, concordiâ, legibus; quàm bonâ gubernatione:

pendet, atque dirigitur in portum: sed ab vnâ gubernatoris industriâ, vigilantiâ, curâ, quamuis difficillimæ nauigationis incommoda lætos exitus habent, & felice tandem cursu absoluuntur. Cuiusmodi autem fuerit hæc gubernatio iam inde ab incunabulis Societatis in hanc vsque diem, dicam nostrarum rerum curiosis; & dicam breuiùs, quàm res tanta dici possit.

Ignatius, vir non minùs prudentiâ quàm sanctitate illustris, cùm hunc Ordinem conderet, duobus adiumentis vsus est, diuinâ ope, & prudentiâ, quæ humanâ maior videbatur: illam precibus & lacrymis à Deo; hanc ab rerum vsu, & in primis à quotidianâ in actiones suas inspectione, obtinuit. His adminiculis fretus, regiminis formam partui suo talem induit. Vnius imperio sciebat nihil tutius, nihil tranquillius, nihil diuturnius. Rerum vniuersitati præesse vnicum Principem Deum, Ecclesiæ Pontificem, ditioni ferè cuilibet Regem. Si gentem dumtaxat suam, in quâ militiam secutus ordines duxerat, intueretur, ante oculos erat Regni Hispaniarum eo sæculo felicitas magnam orbis partem complexa. Regna plurima atque clarissima immensis naturæ diuortiis seiuncta, in vnum nisi ab vno redigi non potuisse. Quòd si tot nationes sermone, moribus vultibusque pugnantes, reuerentia Maiestatis Hispaniæ componeret; non aberrauit Ignatius, & ipse ex terrarum omnium gentibus vnam familiam collecturus, si vnius eam regimini traderet. Penes itaque vnum Generalem Præpositum summa hæc potestas. *Ea est* enim (vt apud Tacitum Sallustius) *imperandi conditio, vt non aliter ratio constet, quàm si vni reddatur.* Hunc esse virum oportet, vnum accommodatum ad tantam morum, regionum, ingeniorum ac voluntatum, quibus hic Ordo miscetur, varietatem, voluntario, non coacto; hilari, non seruili obsequio continendam. Hunc toti Societati præfectum tota Societas creat, è prouinciâ qualibet suffragatoribus ad comitia missis. Magistratus idem est qui vitæ finis. cuius diuturnitatis caussas minimè leues hunc in modum Ignatius ipse posteris tradidit: *Propterea quòd experientia, & in gubernando exercitatio, & hominum particularium notitia, & erga eosdem auctoritas confert magnoperè, vt benè hoc munus obeat; ad vitam, & non ad tempus aliquod præscriptum, erit eligendus. Accedit autem ad cetera hoc commodi ex eo, vt Societas in rebus magni momenti ad Dei gloriam satis ferè semper occupata, vniuersalibus his conuentibus minus laboris & distractionis patiatur. Longiùs* quoque *recedet omnis cogitatio & occasio ambitionis, quæ huiusmodi officiorum pestis est, quàm si certis temporibus esset eligendus.* Quid? *quòd facilius est vnum idoneum, quàm plures, ad hoc munus inueniri.* Omitto ceteras. Ad huius diuturnitatem imperij accedit potestatis amplitudo: cuius tamen termini sunt tum leges, tum vniuersæ Societatis auctoritas, vna, secundùm Pontificem Maximum, Præposito Generali maior, vna potentior. Comitiis enim, quæ neque certis temporibus, neque crebrò haberi expedit, arbitrium in ipsum Generalem permittitur; & sic monarchico regimini salubre aristocratiæ temperamentum adhibetur. Et quamuis nullus adhuc fuerit Societati corruptelæ metus; expediuit nihilominùs remedia iam tum sanctus Ignatius, infirmitatibus, si quas longa dies inueheret,

quam firmat Præpositi Generalis potestas,

Tacit. 1. Annal.

ad vitam,

Const. p. 9. cap. 1.

sed aristocratia temperata,

comitiisque inferior.

 præ-

præuertendis. Quò minùs autem fatiget ſarcina multorum humeris ſubleuata, Generali adiuncti ſunt Aſſiſtentes, altiore prudentiâ viri: vt vnius imperium conſilio plurium fulciatur. Itaque nihil admodum, niſi inſtitutâ deliberatione geritur. Quæ in concilio agitantur, auditis Patrum ſententiis, ſolus Præpoſitus decîdit. Id quod etiam Prouinciarum & Collegiorum Moderatoribus ſolemne eſt; ſummâ rerum ſemper ad imperantis arbitrium redeunte. Inde naſcitur membrorum & capitis arctiſſimum vinculum; quale patrem liberoſque adſtringit. Inde pax & quies, quam alioqui conſulentis & conſiliarij par in decernendo facultas facilè diuidit. Raro namque diſcors libertas arcem occupat, quando vni paretur. Ad Præpoſiti proinde Generalis voluntatem nutumque ceteri omnes intenti ſunt. Illius eſt legitimum imperium; horum promptum fidumque obſequium. Quod amanter iubetur, libenter capeſſitur: & Superiore patrem, ſubdito filium induente, non minor laus eſt exſequentis mandata, quàm præſcribentis; præſertim, quando toti eſt Ordini cognitum, ipſi omnium, quibus præſit, ſalutem, famam, labores, ſtudia, vtilitates eſſe cariſſimas. In quo CHRISTVM Regem Optimum Maximumque refert, ita teſtantem: *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Ab hoc Capite poteſtas omnis iuriſque dictio in Præſides inferiores propagatur: qui & ipſi ſiue in Prouinciis, ſiue in Collegiis, ſummo cum imperio & poteſtate verſantur. Non maior tamen eſt cuiuſque ditio, quàm ille fecerit; ſpatiis, ſi rectà incedant, ſufficientibus; ſin ſecùs, ac per ambages, anguſtis. Generalis ſolus, de cuiuſque facultate à peritis exiſtimatoribus edoctus, Præfectos reliquos omnes creat, extra Sociorum ſuffragia; periculo factionum excluſo, quas vel gratia, vel partium ſtudia frequenter accendunt. Triennio vt plurimùm tam Prouinciales quàm Rectores ſuum munus exercent: prorogari tamen, aut contrahi id temporis poteſt, quando ad maiorem Dei gloriam fore videtur. Atque ita magnum quantæcumque potentiæ temperamentum additur, ſemper exauctorari poſſe. Ambitioni porrò nullus aditus: non domi, non foris. Quippe voti ſponſione, (quâ nihil ſanctius) ſe Deo Societas obligat, à contactu honorum ac dignitatum caſtam, ac diræ labis, ambitionis inquam, expertem fore. Quamobrem ne conſcios quidem tantæ noxæ minor, quàm compertos pœna manet. Ceterùm quot ſunt Prouinciales Præpoſiti ac Rectores, tot adminiſtros habet atque adiutores Generalis Præpoſitus; quorum laboribus ac ſtudiis ad res plurimas maximaſque gerendas, quibus vacare debet, vti poſſit. Solus enim nemo, ne priuatis quidem rebus peragendis, aut vnius laris miniſterio accurando, ſufficit. Quanta autem eſt in vnoquoque fides, quanta induſtria, tantum cuique committitur. Cum his tametſi Generalis diuidit curas, præcipuam nihilominùs molem ipſe ſuſtinet, ac diutiùs vigilat, quàm excubitores à ſe conſtituti. Habet igitur plurimos adminiſtrationis ſuæ participes; ſed voluntarios, ſed fidos, ſed amicos. Quod Socrates etiam laudabat, eam Reip. conſtitutionem felicem iudicans, in quâ Præfecti ſocietate coniunguntur. Quas enim à tellure fruges exigas, niſi ſol ætheri, æther agro, ager ſemini, ſemen cauli, foliis, flori calorem fertilitatis impertiat? Quem à Societa-

Aſſiſtentes.

Superiorum auctoritas monarchica,

Ioan. 10.

Generali ſubdita,

triennio durat.

Ambitio excluſa.

Prouinciales & Rectores Generalis adminiſtri.

Apud Stob.

Societate prouentum ſperes, niſi à Capite in reliquos Gubernatores, ceu membra, vitalis vigor inſinuetur? Si autem oculi, & aures, & lingua, & manus hominum maximi fiunt, non ſolùm propter voluptatem, ſed etiam neceſſitatem vitæ; his profectò etiam vtiliores ſunt amici, quibus pars gubernationis incumbit. Oculis enim vix ea videre licet, quæ ſunt ante pedes: at per Prouinciales & Rectores Præpoſitus Generalis intuetur Orientis Indias, luſtrat Americam, Septemtriones inſpicit; perinde quaſi in perſpiciendo terrarum orbe, oculo cernentis omnia Solis vteretur. Aurium verò tam anguſtus eſt vſus, vt niſi proxima quæque non exploret: per illos autem regiminis ſocios vbique gentium cuiuſuis neceſſariæ rei auditum habet. Et linguâ quidem præſentes tantùm alloquimur, & manibus, qui eſt robuſtiſſimus, duorum virorum vix perficiat opus: per illos autem cum toto humano genere ſermones miſcere poteſt, & cuicumque libuerit operi admouere manus. Ita fit, vt vno in corpore videatur habere plures animas, quarum adminiculo de multis ſimul poteſt vno tempore conſilia capere, multa cernere, multa diſcere, de multis cogitare, & de membrorum etiam longiſſimè diſtantium ſalute ſolicitus eſſe. Cuius autem eſt Reip. ſecurior atque felicior ſtatus, quàm quem Præfecti omnes tueri, conſeruare, augere coniunctis viribus atque laboribus ſtudent? cuiuſque principatum per collegas induſtrios ſic vnus gerit, vt neque eius ſolitudinem operarum fidelium adiumenta deſtituant, & adiuuantium multitudo ab omni confuſione quàm longiſſimè abſit? Quod ergo Romanus artifex, apertum oculum clauo inſculpens, ſignificare voluit, id ad Societatis gubernacula congruenter videtur transferri poſſe. Clauus enim huius Reip. oculatus eſt; non modò Præpoſiti Generalis vigilantiâ, ſed inferiorum quoque adminiſtrorum prouidentiâ & curâ: quorum omnium eſt, dies nocteſque excubare, vt conſulant omnibus Societatis membris, vt medeantur eorum incommodis, vt prouideant ſaluti, vt ſuis vigiliis quietem ſubditorum procurent. Hîc equidem velim, vt nauim mihi cogites, & in eâ cum vectoribus nauclerum, ad eum ferè modum, quo perdiſertus orator Dion Chryſoſtomus tum Superioris, tum ſubditi ſortem exponit: *Licet in naui vectoribus abſque curâ agere, & ne aſpicere quidem mare, quin etiam neque ſcire vbinam terrarum ſint: & multi hoc modo nauigant in ſerenitatibus, & hi quidem talis ludunt, alij autem canunt, alij continuantur totâ die. quando autem eos apprehenderit tempeſtas, inuoluti exſpectant euentum. Nonnulli autem & ſomno oppreſsi non antè ſurrexerunt, quàm iam eſſent in portu. Nauclero autem neceſſe eſt inſpicere in mare, neceſſe ſuſpicere ad cælum, neceſſe proſpicere ad terram; quin & ea quæ ſunt in profundo non licet ei ignorare, niſi velit in ſaxa aut arenas incidere. Illi ſoli noctu quidem minùs licet obdormire, quàm natatori alicui. interdiu autem ſicubi breuem ſomnum ſuffuratur, hunc tamen ſuſpenſum habet ac dubium, vt ſæpè exclamet, aut velum contrahi, aut clauum ſiſti, aut aliud aliquid rerum nauticarum; vtique dormiens ille magis gerat curam nauis, quàm alij valdè vigilantes.* Hæc eſt imago quædam gubernationis noſtræ, in quâ Præſidum vigilantia actuoſam ſubiectorum tranquillitatem cuſtodit, & nihil non boni vniuerſæ Societati pollicetur. Namque ex terrâ ſingulis quidem annis,

Societatis regimen oculatum.

Dion Chryſoſt. de Regno Or. 3.

nauigij guberna-tioni ſimile:

ſed ex hac gubernandi prudentiâ ſingulis momentis vberrimi gratiſſimique fructus proueniunt; quos aliunde ſperare vix liceat. Si enim à Societatis hominibus elementa fidei, aut litteraturæ, imperitis traduntur; ſi concionibus frequens auditor inſtruitur; ſi obeuntur valetudinaria; ſi precationi, ſi ſtudiis doctrinarum incumbitur; ſi animorum eluuntur labes; ſi reuocantur ad ſalutem perditi, ad veritatem errantes, ad concordiam inimici, ad pietatem militia, ad religionem impietas; ſi infinita pænè volumina ad omnem ingeniorum culturam conſcribuntur; quibuſnam hæc auſpiciis inchoata, quo impulſu excitata, & prouecta ſunt? Gubernantium non tam imperio, quàm ratione ac ductu. Iidem Societatis homines peragrant maria citra tempeſtatum & naufragiorum horrorem; terras inuias virtute aperiunt, quaſi dulcedinem patriæ nullam vmquam deguſtaſſent; cum voluptate ad ſqualorem carcerum ac ſitum aduolant; reorum animos ad conſtantiam & æquitatem componunt; martyria tamquam ſolatia, ignominias tamquam decora, cruces tamquam trophæa conſectantur; vno verbo, omnibus omnia fieri ſatagunt. Quis illis incentor? quis auctor? Rectorum dextera & nutus, vbique præſens, vbique peruigil, vbique quot iuſſorum, tot bonorum ferax.

ciuus efficta,

& nodus, charitas Præpoſitorum.

Quòd ſiquis ex me nunc ſciſcitetur, quid præcipuè ſit in hoc Societatis regimine, vnde tanta fructuum, quos carpimus & admiramur, exſiſtat vbertas; non inficiabor, id me ſemper eximiæ regentium charitati & paternæ beneuolentiæ tribuiſſe. Et Athenas quidem ferunt ſempiternam in arce oleam tenere potuiſſe: in Societatis autem arce, quæ eſt eiuſdem gubernatio, ſempiterna mihi videtur olea non florere tantùm, ſed exundante quâdam mitiſſimi liquoris dulcedine ſcaturire. Hoc oleum eſt *illa in Prælatione benignitas ac manſuetudo*, illa *charitas Chriſti*, illa *Petri Paulique formula*, cuius memoriam Iulius III. Pontifex Maximus ſummo Societatis Arbitro, ceteriſque Præſidibus voluit eſſe perpetuam. Hoc oleum ex venerando Aaronis vertice in membra eius defluens, & in extremas veſtimenti eius oras deſcendens, imperio reuerentiam, auctoritati amorem, obedientiæ promptitudinem, laboribus perſeuerantiam, leuitatem oneribus, toti denique gubernationi efficaciam cum ſuauitate coniunctam, cuius vigore adhuc Societas floruit, impertitur.

Iulius III.

ORATIO SEPTIMA.

De votis Societatis, & eorum renouatione.

In funiculis Adam traham illos, in vinculis charitatis. Oſee 11.

EST hoc non tantùm ratione præditis, ſed etiam brutis animantibus naturæ lege dictatum, RR. Patres, Fratreſq; chariſſimi, vt omnem ſemper vim, ſeruitutem, vincula, quacumque ope poſſunt, à corpore, à capite, à vitâ ſuâ propulſent. Prouidit enim, quod in ſe fuit, illa rerum omnium parens, ne quis alieni fieret mancipij, quem liberum ipſa genuiſſet. Hinc ille multorum in perdomandis feris irritus plerumque labor: hinc illæ Romanæ plebis olim ſeceſſiones in Montem Sacrum: hinc denique apud Athenienſes eorum, qui tyrannos è medio

Libertatis amor omnibus à natura inſitus.

dio

dio ſuſtulerunt, ſtatuæ propè ad diuinitatem immortali poſterorum memoriæ conſecratæ. Suaue nimirum eſt ipſum etiam libertatis nomen: vincula autem, catenæ, carceres, & ſi qua ſunt eiuſmodi, malè ominata, & feris etiam excutienda & procul arcenda cenſentur. Sed intereſt inter veram falſamque libertatem: & eſt in ipſis fortaſſe vinculis, quod conceptis etiam votis cupias paciſci. Ac veram quidem libertatem video procul à vulgi ſenſu & opinione ſemotam. Quis enim ſanioris animi, libertatem in feſtucâ, pileo, vindictâ conſtituat? Quis hunc liberum arbitretur, quem è Cappadocum grege exemptum vnica circumductio Quiritem facit, vt momento turbinis exſiliat Marcus Dama, qui ſe Bruto liberiorem eſſe confirmet, cùm ſibi facta ſit poteſtas, quidquid libido ſuaſerit, exſequendi? Quanto rectiùs Periander, cui nihil aliud vera ac germana libertas, quàm inculpatæ conſcientiæ teſtimonium? Niſi fortè mancipijs de lapide emptis nobiliores, aut magis ingenuos exiſtimamus eos, qui deliciis eneruati, libidinibus æſtuantes, auaritiæ curis exſangues, toties in Circæis cataſtis degeneri ceruice herile iugum ſubierunt, quot ſe vitiis ac flagitiis venales obtulerunt. Hæ ſunt cataſtæ, hæc malè ominata vincula, quæ veram ingenuitatem libertatemque peſſumdant. Sunt tamen alia quædam vincula, ſunt alij funiculi, qui non modò libertati nihil officiunt; ſed eidem, vt ſuis numeris abſoluta ſit, non rarò momentum aliquod adijciunt. Quis enim ſe cum ipſis Chriſtianæ Reip. ornamentis ac luminibus quàm arctiſſimo neceſſitudinis aut familiaritatis vinculo nolit eſſe conſtrictum? Et verò nec beneficiorum laqueos plerique declinant: nec deſunt *queis vincla iugalia curæ.* Quæ tamen ſiquis ſuis momentis expenſa ſolidum libertatis pondus obtinere non poſſe contenderit; non ego illi magnopere aduerſabor. hoc tantùm dicam; vtcumque ſe res habeat in pactis & conuentis humanis, ſi hæc ipſa homini cum Deo intercesſerint, tum verò exſiſtere illud neſcio quid ſingulare ac propè diuinum, ad quod votis omnibus adſpirare debemus. Hi ſunt igitur funiculi Adam, hæc vincula charitatis, quibus Deus animam noſtram velut ſponſam ſpiritualem poſt ſe rapit in odorem vnguentorum ſuorum: hæc eſt, vt cum Theologis loquar, ſuauis illa præuenientium & concomitantium gratiarum velut catenata ſeries, quibus ita congruè voluntatem circumligat, ſic affectibus noſtris dominatur, tantùm vt non fatali quâdam neceſſitate conſtringi videantur. Hæc denique ſunt vincula illa coniugalia æterni coniugij pronuba, vota, inquam, Religionis à pleriſque veſtrûm pronuntiata. quæ cùm animus ſtupore defixus hodiernâ die ſuſpexiſſet, & in his diuinum illum Sponſum cæleſtibus hiſce nuptiis indulgentem; eructauit nimirum cor meum verbum bonum, vixque exæſtuantis ardorem pectoris tantiſper ſuppreſſi, dum frequentiore coronâ circumſeptus, qualicumque hoc acroamate cæleſtibus hiſce thalamis accinerem. Tandem igitur æs alienum, quo me Sponſi noſtri benignitas hoc tempore obærauit, quoad potero, omne diſſoluam, & ſpiritualibus hiſce nuptiis applauſor accedam. Laudabo connubialia hæc vincula, vincula charitatis, Sponſum commendabo ac ſponſas: & quoniam id quoque votorum formulâ contineri video, illas, antiquo ritu in domo Sponſi vt perpetuò degant, exhortabor. Sed quia nimiæ laudes faſcino putantur obnoxiæ, non deerunt hîc mihi feſcennini

Vera libertas quæ.

Vincula quædam optanda.

Amoris fœdere Deo obſtringi honorificum.

ſcennini aculei,quos interdum præſiſcinè adhibebo. Atque vt à Sponſi laudibus exordiar, quem non Christianorum casto amore ſibi per baptiſmum ille deſponſauit? quem non ſponſalibus ornamentis velut arrhis quibuſdam cohoneſtauit? Malo id ex Ezechiele,quàm ex me diſcatis: vos eius ſententias ſuo pondere penditote. *Transiui*, inquit Sponſus noſter, *per te, & vidi te: & ecce tempus tuum, tempus amantium: & expandi amictum meum ſuper te, & operui ignominiam tuam* (quam, obſecro, niſi originalis contagionis?) *Et iuraui tibi, & ingreſſus ſum pactum tecum (ait Dominus Deus) & facta es mihi.* O felicem, quam adhuc deſpectam, & in fæcibus ſuis iacentem,obliquo amantium adſpectu cæleſtis ille Sponſus dignatus eſt! Nec tantùm: ſed *laui te aquâ*, inquit, *& emundaui ſanguinem tuum ex te; & vnxi te oleo*: an non hæc eſt ipſiſſima baptiſmi ſciographia? Sed vbi ſunt, inquies, ornamenta gratiæ? *Et veſtiui te*, inquit, *diſcoloribus, & calceaui te ianthino: & cinxi te byſſo, & indui te ſubtilibus. Et dedi inaurem ſuper os tuum, & circulos auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo. Et egreſſum eſt nomen tuum in Gentes propter ſpeciem tuam.* Quis noſtrûm hoc cæleſtis Sponſi beneficium in ſe non agnoſcit? Prodi itaque,prodi, ſponſa CHRISTI: committe formam tuam oculorum arbitrio: neque enim, vt ait ille,

Desponſatio ſpiritualis.

Ezech. 16.

Ibid.

Ibid.

Catull.

Auruncleia periculum eſt,
Nequa femina pulchrior
Clarum ab Oceano diem
Viderit venientem.

Ezech. 16.

Sed adeſte feſcennini. Tu verò *habens fiduciam* (proſequitur Ezechiel) *in pulchritudine tuâ, fornicata es in nomine tuo: & expoſuiſti fornicationem tuam omni tranſeunti, vt eius fieres. Ad omne caput viæ ædificaſti ſignum proſtitutionis tuæ: & abominabilem feciſti decorem tuum.* Eſtne quiſquam, qui hæc probra, quæ tenentur, poſſit inficiari? Referte vos in annos retrò lapſos, quoad vſque mens veſtra longiſſimè poterit inſpicere ſpatium præteriti temporis: euoluite cum Regio Prophetâ, euoluite in amaritudine animæ veſtræ lubricæ ætatis ſtudia. Quis eſt ex hoc omni numero, qui non aliquando vaniſſimæ ſpei,ne dicam pernicioſiſſimæ, vela fecerit? cui non ſpiritualis adulterij notam rerum creatarum immoderatus amor,& appetitus vehementiùs contra rationem incitati inuſſerint? quis eſt, qui popularis auræ mercatum, totaque fortunæ comitia generoſo contemptu, & impolluto pede calcauerit? cùm viros etiam ſanctiſſimos, ante ſuſceptum vitæ melioris inſtitutum, illa tempeſtuoſi huius & naufragi maris procella iactarit. Sanctiſſimum Societatis noſtræ Parentem contemplamini: an non illum, priuſquam contracta per baptiſmum ſponſalia votorum nexibus inſtauraſſet, maleſani Martis ineſcauit adorea,

Adulterium ſpirituale.

Virgil.

—— *pulchrumq; mori ſuccurrit in armis?*

Intuemini Xauerium, vas illud electionis: quamdiu talem ac tantum virum Lutetiæ vanis mundi præſtigiis faſcinauit ambitio? Sed quid attinet eorum næuos commemorare, quorum occaſione (Deo piis eorum conatibus adſpirante) gloriæ ſuæ ſplendorem infinitis acceſſionibus cumularunt? Nos ipſos potiùs excutiamus, & illud culpis fecundum pectus. Noſtra, inquam, noſtra vulnera pertractemus, quibus vix longâ

tan-

tandem pœnitudine cicatrices obduximus. Quinam, obſecro, fuimus, priuſquam potentiſſimus ſimul & amiciſſimus ille Monarcha de terrâ ſuſcitaret inopes, & de ſtercore erigeret pauperes, vt collocaret nos cum principibus, cum principibus populi ſui? Quæ noſtra tam præclara tunc in Deum merita exſtiterunt? imò quæ non potiùs offenſionis materia? Et tamen, ô ſtupenda Dei conſilia! quid aliud ſcelerum noſtrorum tempeſtates ac procellæ, quàm diuini amoris incendio fomitem ac materiam præbuerunt? Deus immortalis! Liceat mihi tantiſper amorem illum tuum incompoſito ſtupore venerari. Volutabatur aliquis noſtrûm in cœno turpitudinis; & tamen amicè inuitabas iam non ſponſam, ſed adulteram. Eneruabatur alius deliciis, fractiſque temperantiæ repagulis, abdomini ſe deuouebat; tu tamen in præceps ruenti ſubinde peramanter aurem vellicabas: nec repulſam paſſus, hoc ſegniùs inſtabas. Pars multò maxima, te contempto, fumos honorum ſectabatur; & vt in fabulis Ixion pro Iunone nubem, aut vmbram pro Creüsâ Æneas, ſic illi pro verâ felicitate auras inanes amplectebantur: nec tamen, cùm te fumo poſthaberi cerneres, tam nefarium amoris tui contemptum meritiſſimo contemptu vindicabas. Sed quid ego vindictam loquor? ſit hæc inter homines amoris contempti merces: at longè aliud æſtuat in illo Sponſi cæleſtis pectore amoris incendium; & quos ad redamandum nullis prouocatus meritis potuit inuitare, eorumdem faſtidioſa repudia poterit abſque amoris diſpendio concoquere. Fallor? an etiam poſt fidem violatam & conculcata ſua vota, blandientem audio? *Vulgò*, inquit, *dicitur: Si dimiſerit vir vxorem ſuam, & recedens ab eo duxerit virum alium, numquid reuertetur ad eum vltrà? Numquid non polluta & contaminata erit mulier illa? tu autem fornicata es cum amatoribus multis; tamen reuertere ad me, dicit Dominus, & ego ſuſcipiam te. Leua oculos tuos in directum, & vide vbi non proſtrata ſis. Ergo ſaltem amodò voca me: Pater meus, dux virginitatis meæ tu es.* His ſimilibuſque amantium illecebris delinita quid faceret anima Chriſtiana?

——placitóne etiam pugnaret amori?

ac non potiùs votis nuncupatis promptiſſimè cæleſtes iniret nuptias? & tam blando reconciliatæ gratiæ pignore accepto, in optatos conuolaret amplexus? Hi ſunt itaque funiculi Adam, hæc vincula ſpiritualis coniugij. Quæ quàm firma quamque inſolubilia eſſe conueniat, antiqui hoc ſymbolo non obſcurè ſignificarunt, dum nupturæ cingulum Herculeo nodo conſtringi voluerunt. qui nodus eámne formam habuerit, quam circa Mercurij caduceum implexi angues, vt Macrobio placet; an aliam, quam philologi quidam pertendunt, nec huius loci eſt, & per ſe minutum diſquirere: hoc certè conſtat, eum ita fuiſſe perplexum, vt ab Alexandro non niſi acinace diffringi potuerit. Neque verò alium in ſcopum Beatiſſimus Fundator noſter, huiuſque coniugij paranymphus, ſemeſtrem hanc votorum renouationem direxit, quàm vt noui ſemper nexus acceſſione fidem cęleſti Sponſo datam corroboraret, & hoc pignore toties iterato magis nos illi magiſque animo & affectu coniungeret.

Porrò ſi perſonæ dignitas, ſi forma, ſi maieſtas pactis conuentis aliquid firmitatis adijcere poſſunt; certè hæc in CHRISTO ſumma omnia reperiuntur. Si ergo rebus fluxis & caducis, imò puerilibus, vt ſic dicam, cre-

Pſ. 126.

Deus immerentes ad amorem trahit.

Dei patientia erga peccantes.

Ierem. 3.

Vota Deo facta ſint firma.

crepundiis, nullo noſtro emolumento, cæleſtium autem bonorum etiam diſpendio ſingulari, aliquando potuit amor noſter adhæreſcere; poterítne ſupremi rerum omnium Monarchæ iugum, nullo diſpendij metu, præmio verò infinito propoſito, rebellis excutere? præſertim, Patres Fratresque chariſſimi, cùm ſuaue ſit iugum Domini, & amica vincula, quibus nos amor illaqueat. Quod vſque adeò verum eſt, vt interdum deteſtanda quælibet & intolerabilia, ſuauitate quadam condîta reddat acceptiſſima. An non Ioles iugum, Heroi illi tantopere pudendum, ſuaue tamen eſt viſum? quid mirum? amor induerat. An non Dalilæ illius vincula delicias ſuas etiam cum manifeſto vitæ diſcrimine Samſon frequentauit? quid mirum? erant amoris vincula. Et verò ſi vmbris interdum ſolem metimur, & ex fabulis de Deo coniecturam facimus; an non Amor tela Dieſpitris intentata vnico verſu eludens introducitur?

Quid ſi iterum poſito fulmine cygnus eris?

Quòd ſi hæc adeò pudenda, adeò deteſtanda, nihilo tamen ſegniùs fuere deſiderata; poterúntne ſanctiſſima hæc vota, caſtiſſimi amoris vincula, quæ Deus ipſe rata habet, diſſoluenda cuiquam mortalium videri? Non veniat vmquam Religioſo huic cœtui tam funeſta dies, quâ vel vnus aliquis ex hoc numero fidem hodiernis votis Deo datam fallat. Auertat hoc ab vnoquoque noſtrûm diuina bonitas, vt ne quis ſui Deique oblitus, à cæleſti coniugio ad profanos amores, à ſpiritualibus deliciis ad porcorum ſiliquas relabatur. quod ego malorum omnium extremum eſſe iudico. *Quæ enim anima* (vt rectè philoſophatur Bernardus) *ſemel à Domino didicit intrare ad ſeipſam, & in intimis ſuis Dei præſentiam ſuſpirare; neſcio an vel ipſam gehennam ad tempus experiri horribilius pœnaliúſve ducat, quàm poſt ſpiritualis ſtudij huius guſtatam ſemel ſuauitatem exire denuò ad illecebras; vel potiùs moleſtias carnis, ſenſuúmque inexplebilem repetere curioſitatem.*

Fidem Deo datam fallere funeſtum.

Serm. 15. in Cant.

Maneat igitur, hæc vincula connubialia non tantùm ferrea, ſed etiam adamantina, vt ſic dicam, eſſe oportere. Nunc cetera breuiter expediamus. Video enim hac votorum noſtrorum formulâ, non minùs quàm apud antiquos, nuptiarum auſpices adhiberi. Eſt enim & nobis noſtra Gamelia, non illa Cinxia Iuno (ſic dicta à diſſoluendo virginitatis cingulo) ſed puriſſima Virgo MARIA, omnis virginitatis & mater & cuſtos: non vmbratilis illius Tonantis & ſoror & coniux, ſed veri Tonantis & ſoror & mater, imò & mater & filia. Coram hac velut pronubâ contrahere nos profitemur, cùm dicimus: *Voueo coram ſacratiſſimâ Virgine* MARIA. Rurſus non coram Picumnis aut Pilumnis, vt Romani; non coram Eucliæ ſtatuâ, vt Locrenſes & Bœotij, ſed *coram Curiâ cæleſti vniuersâ.* Hi ſunt nobis auſpices, hi præſtites, hi fideiuſſores, qui explendis connubialibus pactis non præeſſe magis gaudent, quàm prodeſſe deſiderant. Sed quid, inquiet aliquis, à me requirunt hæc pacta connubialia? nimirum vt id quod in profano contractu nuptiarum valet, valeat idem in ſpirituali, cùm in hoc idem pondus obtineat verbum Voueo, quod in pactis connubialibus verbum Volo. Si ergo de illis pronuntiatum eſt, *Quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ: & erunt duo in carne vnâ;* cui dubium eſſe poteſt, quin id æquè pertineat ad ſpirituales haſce nuptias? Atque haud ſcio an non multò etiam conueniat magis; cùm longè perfectior ſit animorum, quàm

Vota Religioſa quid à nobis requirant.

Gen. 2.

Dei amor amorem coniugalem ſuperat.

quàm corporum coniunctio. Commendet igitur qui volet affectum coniugalem, eumque à primâ ſui origine, notâque illâ primi coniugij neceſſitudine arceſſat, *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne meâ;* Gen. 2. dabo non inferiora in hoc ſpirituali coniugio. Cùm enim cæleſtis Pater animam noſtram Filio ſuo deſponſare percuperet (quid non commentus eſt ingenioſus amor?) imitatione quâdam prioris illius inuenti immiſit ſoporem in alterum hunc Adamum, dum illum noſtri cauſſâ in crucem actum æterno conſilio decretâ morte conſopiuit: & ſic intimis cordis penetralibus lanceâ patefactis ex oſtro illo pretioſi ſanguinis deſtinatam Filio ſuo ſponſam nobiliore vitâ reformauit. O verè fortis vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio! Potuítne Deus immemor Filij ſui, & ſuæ Maieſtatis quaſi immemor fieri, tantùm vt ne immemor eſſet amoris? Sed præſtat hoc amoris myſterium ſilentio venerari, quàm parum pro dignitate explicare. Iam verò leuia præ his ſummis & futilia videbuntur, quę de Catharinâ Senenſi grauiſſimi auctores memorię prodiderunt, licet ſint ipſa per ſe maxima. Quid enim admiratione dignius, quàm CHRISTVM ter Optimum Maximum cor proprio pectori exemptum cum virginis illius corde permutaſſe? Atqui ludus hic amori diuino quotidie luditur, ſi non vt oculis, certè vt interiori conſolatione deprehendi poſſit. An non ergo luce meridianâ clarius, omnem coniunctionem, quantacumque ſit, ab his Religionis vinculis, diuinoque animorum nexu, longo diſcriminis interuallo præteriri? Quod ſi interdum non deſultoriâ cogitatione, ſed accurato mentis examine penſitaremus, eſſétne aliquis tam demens, qui tam exoptatum amoris fœdus infectum vellet? eſſétne qui ſacris illis paupertatis, caſtitatis & obedientiæ vinculis expediri deſideraret? eſſétne quem conditionis ſuæ puderet aut pœniteret? eſſétne tandem (quod in his nuptiis feſcenninâ licentiâ dictum ſit) qui votiuæ paupertatis immemor, materna ſcruta aut fortaſſe ſulfurata ramenta ſpecioſo mercaturæ titulo cohoneſtaret, tantùm ne audiret pauperum ſanguis? qui rus paternum hyperbolico vallo cingeret, porticuque ac turribus exornaret? qui emendicaret fumoſa per atria ceras & ignota ſtemmata, ne ad merum rus, incultamque ſtiuam, pertinere videretur? Certè Sponſum noſtrum nec abiectæ conditionis, nec fabrilium ſegmentorum puduit. Rurſus, ſi vota Deo virginitas mentibus noſtris obuerſaretur, eſſétne qui palabundus extra Religioſæ modeſtiæ ſepta tanto ſuo periculo frenum oculis indulgeret? præſertim cùm noſtri ſit Inſtituti, libidinoſorum oculos, illos, inquam, qui florem omnis pudicitiæ in vultu delibant, in gyrum rationis & continentiæ tum verbo tum exemplo reuocare. Denique ſi perfectæ obedientiæ deſiderio teneremur; Deus immortalis, quantas quoties occaſiones, quàm præclaras habuimus?

Vota præſtanda ſunt.

Hæc igitur ſunt, quæ hodierna pacta conuenta à nobis exigunt, ſi ſanctam hanc Societatem ingredi, ad vitam in eâ perpetuò degendam velimus: ad quod extremo loco vos vt exhortarer, tum votorum formula, tum inſtituti mei ratio poſtulabat. Fuit igitur hoc olim in more poſitum, vt in Bœotiâ currus illius, quo vecta erat ad ædes mariti noua nupta, præ foribus axem comburerent, ne per diuortium vllo vnquam tempore penatibus illis valediceret: idque vt vtrique coniugi benè verteret, pia vota nuncupabant. Et ne ſolis hoc Bœotis exiſtimemus boni ominis

Amor Dei debet eſſe conſtans.

 fuiſſe,

Aug.l.6.de Ciuit.c.9. fuiſſe, teſtis eſt D. Auguſtinus à Romanis quoque & Domiducum qui ſponſam domum deduceret, & Domitium vt domi eſſet, & Manturnum vt domi maneret, adhibitos fuiſſe. Ego verò ſic ſtatuo, nihil à me quidquam ad hoc inſtitutum accommodatius afferri poſſe, quàm ſi vobis in ædes Sponſi oratione meâ iam deductis auctor fuero, vt vnuſquiſque veſtrûm ſeriò attenteque perpendat cum D. Bernardo, vnde ſit erutus, & vbi ſit conſtitutus. *Mundi pericula.* Et quidem vnde eruti ſimus (videlicet è periculoſis huius mundi fluctibus, cæciſque nubibus ac procellis) negotij nihil eſt cognoſcere. Quod enim fretum, quem Euripum tot motus, tantas habere credimus agitationes, quot fluctus, & quantas perturbationes habet hoc mare magnum tot bonorum naufragiis infame? quod eò ſanè periculoſius eſt, quò blandiorem vultum ac malaciam ſæuiſſimis ſuis tempeſtatibus prætendit. Prorſus vt non immeritò, tamquam naufragio Hier.Ep.1. in littus eiectus, exclamet D. Hieronymus: *Etiamſi in morem ſtagni rideat effuſum mare, etiamſi vix extrema Zephyris terga criſpentur ſali; nolite credere, nolite eſſe ſecuri: magnos hic campus montes habet: expedite rudentes, vela ſuſpendite, crux antennæ figatur in frontibus; tranquillitas illa, tempeſtas eſt.* Quid enim aliud eſt quàm multiplex tempeſtas, dum hinc æſtu ſuo Charybdis luxuriæ ſalutem vorat, inde ore virgineo ad pudicitiæ perpetranda naufragia Scylla ceu renidens libido blanditur, hinc barbarum littus, illinc archipirata diabolus? Quis vel tot inſidiis non expugnetur, Leo Serm.11 de Quadrag. vel blanditiis non acquieſcat? *Magni enim laboris eſt* (liceat id mihi cum D. Leone aſſerere) *cùm vndique innumeræ voluptatum illecebræ blandiantur, ad nulla contagia vigorem animi relaxare. Quis picem tangit, & non inquinatur ab eâ? quis non infirmatur in carne? quis non ſordeſcit in puluere? quis tantæ eſt puritatis, vt iis non polluatur, ſine quibus vita non ducitur?* En itaque malorum diluuium, vnde erepti ſumus: vbi verò ſimus conſtituti, paucis ex ipſo Bern.Serm. de quærente margaritas. Bernardo diſcamus: *Nónne hæc eſt*, inquit, *Religio ſancta, pura, immaculata, in quâ homo viuit puriùs, cadit rariùs, ſurgit velociùs, irroratur frequentiùs, quieſcit ſecuriùs, moritur confidentiùs, remuneratur copioſiùs?* *Vitæ Religioſæ ſecuritas.* Satíſne, Fratres chariſſimi, aut ad dignitatem ſplendidè, aut ad emolumentum fructuosè?

Quid ſi igitur ad cumulum tot tantorumque bonorum voluptatis acceſſerit illecebra? erítne cauſſa, cur non tantùm libenti, ſed etiam alacri animo in domo Sponſi vitam perpetuò degamus? Scio pleriſque hominum aliter eſſe perſuaſum de diuino obſequio. Intuentur ſcilicet in viris Religioſis longas rerum diuinarum commentationes, vltronea ſupplicia, lacrymas pœnitudinis, vitam ad alienum arbitrium adaptatam, ceteraque generis eiuſdem, in quibus vulgus hominum (cùm nullum veræ virtutis guſtum habeat) nihil non acerbum eſſe arbitratur ac moleſtum. Sed neſcimus, inquit Seneca, res æſtimare; de quibus non cum famâ, ſed *Religioſæ vitæ ſuauitas.* cum rerum naturâ deliberandum eſt. Siquis igitur ita ſit animo comparatus, vt nihil lætum, nihil ſuaue, nihil in vitâ mortalibus expetendum putet, niſi quod aut ſenſus moueat, aut lumbos ſcalpat, aut abdomen expleat; cum hoc nihil mihi negotij eſt: ſin hoc nemo veſtrûm ita ſentit, illud breuiter venit expendendum, quænam ſint illæ Religioſæ vitæ deliciæ, in quibus animus omni curâ ſolutus conquieſcit. Hæ ſunt, vt compendio eloquar, diuinarum conſolationum prælibatio, ſtudium orationis, zelus animarum, inculpatæ conſcientiæ tranquillitas, ſanctiſ-

ſimæ

ſimæ Euchariſtiæ cæleſte conuiuium: addo & corporis & paſſionum compreſſionem: denique quod & Moyſes theſauris Ægyptiorum, B. Aloyſius Hiſpanicæ aulæ deliciis prætulit, improperium CHRISTI. Paradoxa ſunt hæc, fateor, profanis illis mundi aſſeclis: ſed nos ſanctioris vitæ præceptis inſtituti, eliciamus ex his pauliſper recondita animorum ſenſa, & latentem ſub duro cortice affectuum teneritudinem enucleemus. Dic mihi, obſecro, parúmne cæleſti conſolatione perfuſus videtur D. Franciſcus, cùm, accepto diuinitus futuræ beatitatis ſuæ pignore, per multos dies illud identidem decantat: *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi: In domum Domini ibimus*? Quid? cùm exundante diuini amoris æſtu exclamat alius, Satis eſt, Domine, ſatis eſt; nulláne voluptate videtur delibutus? Rurſus, cùm idem ſcribit inter horrida Mauricæ vepreta, & inter ſicariorum mucrones, tantis ſe incedere lætitiis, vt horridam illam ſolitudinem paradiſum deliciarum potiùs appellandam iudicet; nullâne cæleſti dulcedine recreatus eſt? Denique cùm Sanctiſſimus Parens noſter Ignatius, inardeſcente diuini amoris ſole, totus inſtar niuis in lacrymas identidem colliqueſcit; omni vitę ſolatio videtur deſtitutus? Quid ſimile huius Babylonis, licet aureum propinet calicem? cuius omnes voluptates euanidæ ſunt & exiles, fœdæ, momentaneæ, caducæ, &, quod caput eſt, non rarò cum graui ſalutis periculo coniunctæ. Longus nunc ſum, & fortaſſis poſt has delicias etiam moleſtus, ſi cetera, quæ nos in domo Sponſi, id eſt in Societate noſtrâ, aut admiratione defixos, aut voluptate perfuſos detinere poſſunt, exſequi voluero: ſi nimirum ſuauiſſimum ſodalium conuictum, ſi conſenſionem animorum, ſi exercitiorum varietatem, ſi ornamenta doctrinæ, ſi hierarchicam ſubordinationem, ſi denique totius Societatis ſplendorem ac dignitatem oculis veſtris ſubiecero. Quare vela contraho, & cùm hæc omnia cæleſtis Salomonis, dilectiſſimi, inquam, ſponſi noſtri, gloriæ ſubſeruire conſidero; totus in ſtuporem abreptus, & vixdum felicitatem omnium noſtrûm capiens, hoc vnicum ſapientiſſimæ Reginæ epiphonema ſubiicio: *Beati viri tui, & beati ſerui tui*, Domine, *qui ſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam.* Agite ergo RR. Patres, Fratreſque chariſſimi, videtis huius ſpiritualis coniugij dignitatem, videtis hæc amoris vincula quauis libertate magis expetenda, videtis auguſtiſſimam cæleſtis Sponſi Maieſtatem, in cuius fidem ac familiam legitimâ pactione tranſlati eſtis. quid reſtat, niſi vt horter vos atque obteſter, ne huius beneficij fructum ſolâ delectatione metiri velitis. Etenim ſi apiculæ floribus inſidentes, in quibus ceteri nihil niſi pulchritudinem & amœnitatem admirantur, ſuauiſſimum ex illis mel eliciunt, quantò id vobis cæleſti lumine perfuſis faciendum eſt magis? Noſtis quid Inſtituti ratio à vobis exigat, noſtis quantam virtutis ac perfectionis ſegetem ac materiam ſubminiſtret. Nolite tam propenſæ cæleſtis Sponſi beneuolentiæ deeſſe: nolite tam quæſtuoſum diuini amoris commercium repudiare. date dilectum pro dilecto (non poteſt vlla compendioſior verſura cogitari) eius decretis acquieſcite, eius nutus obſeruate, eius deſideria præuenite. Denique totius vitæ rationes ſic inſtituite, vt illi vos probetis, cuius vel amori vel obſequio vos conſecraſtis. Dixi.

Pſ. 121.

In Societate viuere beatum.

3. Reg. 10.

EXERCITATIO POETICA.

ENCOMIASTICON AVGVSTISSIMI AC SVAVISSIMI NOMINIS IESV.


OMEN *nobile, dulce, delicatum,*
Quod lectum viridi mel ex Hymetto,
Hyblæique sapit fauos susurri;
Felices Brasilûm quod officinas,
Cannarum liquidam sapit medullam;
Aut quod Isacidûm parata mensis
Primo fercula depluunt Eoo.
Nomen thurilegos olens Sabæos,
Et quod Arabiæ feracis arua,
Et quod Niliacis tepente siluis
Spirant balsama lacrymatione.
Nomen Assyrio fluens oliuo,
Tinctum Achæmenio, Indicoque nardo,
Diffundens amaranthinos liquores.
Nomen nobile, dulce, delicatum,
Quo nil gratius est amœniusque,
Quo nil suauius elegantiusque est:
Non post lurida regna noctis atræ
Formosus roseo dies in ortu;
Riphæasque hiemes fugans ad Arcton
Verni rorifluus tepor sereni;
Non tersi facies amœna cæli;
Non menses referente Sole siccos
Blandi sibilus acrior Fauonî,
Aut per pascua murmurantis vndæ
Illimi tenerum gelu profundo.
Nomen nobile, dulce, delicatum,
Quod Ganges rutilo figurat auro,
Fingit conspicuis Erythra gemmis,
Plenis India cui laborat aruis,
Fuluis India nobilis metallis,
Phœnix Sidonium recondit ostrum,
Pectunt vellera delicata Seres.
Quod si fortè tuas iit per aures;
Sonat, quod Libycos queat leones,
Et queat rabidas domare tigres,
Possit sistere fluminumque cursus;

Et

Et possit volucres vagas morari:
At tibi populante corda flammâ
In sacros animam resoluet ignes.
Nomen nobile, dulce, delicatum;
Quod cùm sidereâ canunt in aulâ,
Cælorum vigiles mouentur ignes,
Surgunt ætheris incolæ beati,
Surgunt, succiduo genuque nixi
Nomen nobile, dulce consalutant:
Ter fastigia montium supino
Nutant vertice, Pindus, Æmus, Othrys;
Ter lætæ resonant ad astra valles;
Cedunt nubila, conciduntque venti,
Ponunt æquora, ridet alma tellus:
At latè Stygiis timetur vmbris;
It toto tremor insolens Auerno,
Quassata horribili fragore ab imis
Tristis concutitur domus cauernis.
Nomen nobile, dulce, delicatum,
Quod Pater proprium dat esse IESV,
Et nobis proprium dat esse IESVS.

LVDVS POETICVS
DE NOMINE IESV.

ELEGIA PRIMA.

CImmeriis scelerum tenebris nox obsidet orbem,
Nec sinit optatâ sæcula luce frui.
Quocumque adspicias, dolor vndique, & horror, & vmbræ,
Et facies, Stygiis quam rear esse plagis.
Altera si Phariæ redierunt tempora noctis,
Ah! referat lætum clara columna iubar.
Æthera suspexi, Diuûmque volubile templum:
Inde meæ, dixi, spes noua lucis erit.
Ecce tibi medio pandit sese aurea cælo
Ara, nouum terris ara datura diem.
Hanc Liber insistit, facies cui cærula, cælo
Concolor; huic Libro pagina bina patet.
Hîc IESV *&* MARIAE *geminum, duo sidera, nomen:*
Sol IESVM, MARIAM *Luna perennis obit.*
Astra gemella vides, Numen queîs temperat orbem:
Luce diem IESVS, *nocte* MARIA *regit.*
Ille prior radio tetigit vix principe terras,
Mox tremefacta nouum nox fugit atra iubar.

Vidit vt hoc Pietas cæleſtem præſes ad aram,
Huc, ait, huc celerem conglomerate gradum,
Æolidæ, Zephyri, Boreæque, Eurique, Notique;
Ferte triumphales ad mea plectra tubas.
Dixerat, & tremulis mox quiſque pependit in alis,
Exſpectans ſacræ iuſſa verenda Deæ.
Tum viridem Zephyrus lituum, cui plurima florum
Sparſa ſeges, vernas expedit inter aues.
Quid Boreas? puris ſibi buccina cana pruinis
Aptat, ab argento fuſile vocis iter.
Cærula ſigna leui celer explicat Auſter in imbre,
Euro purpuream lux dat Eoa tubam.
Eia quatergemino ſtantes in limite mundi
Æolidæ feſtos ingeminate modos.
Omnibus auguſtum cantetur nomen IESV:
Materies cantus hæc modò ſola venit.
Tum Zephyrus tenui, mediâ ſonet Auſter in aurâ,
Et Boreas densâ; vox minor Eurus eat.
Nec dubium, ſupero Chorus aliger aduena Regno
Geſtiet argutas applicuiſſe lyras.

ELEGIA SECVNDA.

F*Allor, an ætheriâ ſuper arce tubiſque lyriſque*
Æolidæ ſuperis accinuere choris?
Audio, clangor io ſonat omnibus vnus IESVS,
Nomen in hoc omnis muſica rite cadit:
Nomen, in auriferâ Ganges quod lambat arenâ,
Spumantique redux quod mare adoret aquâ.
Nomen, pampineis foliis quod adumbret Iacchus,
Vnde ſuis lacrymis gaudia vitis alat.
Nomen, quod tiliæ ſub cortice ſculpat Amyntas;
Hinc ſuus vt creſcat, creſcit vt arbor, honos.
Nomen, in attonsâ quod præbeat area buxo,
Ac ſolers docili germine pingat humus:
Quod cedri folio laurîve comante coronâ
Formet, & expaſſis ruſtica nympha roſis:
Si rapit id volucri fors Æolis ala flabello;
Aduehat Eois, aduehat Heſperiis.
Nomen, quod memori referat nemus omne ſuſurro,
Sibila dum tremulis inſtrepit aura comis.
Nomen, amica cauo quod imago remittat ab antro,
Vocalique canant ſaxa diſerta ſpecu.
Nomen, quod vitreo bibat Iris & imbuat imbri,
Noacæque redux omina pacis agat.
Nomen, quod roſeis pingant pia poma figuris,
Inda vel albenti condat arundo fauo.

Nomen,

Nomen, quod viridi sculpat fabra cura smaragdo;
Vnde oculos hilaris pascat, vt herba, color.
Nomen, ebur sibi Mygdonio quod adoptet in ostro,
Et trahat in varias ars operosa notas.
Nomen, Apelleo succo quod viuat & auro,
Phidiacóve legat sculptile fama stylo.
Nomen, inaurato quod epistola quæque sigillo
Imprimat; vt cunctis grata sit inde salus:
Quodque suis clypeis inscribat Cæsar & hastis;
Qui quas Marte parit, pace tuetur opes.
Denique diuus Amor iaculis insculpat & arcu;
Vulnus vt vnde, fluat vulneris inde salus.

ELEGIA TERTIA.

Talia sidereo genij super axe canebant
Æolidæ lituis, cæligenæque lyris.
Obstupuit tantis recreatus plausibus orbis;
Obstupuit gratos Tethys & ipsa sonos.
Obstupuit, celeresque stupens sol pressit habenas;
Nec minùs attonitos luna retentat equos.
Et quem non subeat magni sacer horror IESV?
Nomen ad hoc Lethes pallida regna tremunt.
Et quis adhuc alio quærat sub nomine Numen,
Terreat vt Stygias nominis vmbra canes?
I nunc & magico duc concita licia rhombo,
Sideráque inuito detrahe, Colchi, polo:
Sanguineumque trahat rubicunda Diana pudorem,
Et legat in speculo probra cruenta suo:
Barbaráque horrendis immugi murmura fossis,
Queîs manes piceo nox ciet atra lacu:
Cuique celer prono fluit & fugit agmine riuus,
In caput inuitas nympha reducat aquas.
Nil agis, Ææis licet artibus impia Circe
Exulules diris fanda, nefanda, modis.
Vnius ad IESV *nomen, quod territat Orcum,*
Barbara mox surdâ nomina morte silent.
Sic siluisse parum est; ipsas expugnat & vmbras,
Fulmineóque atras discutit igne feras.
Quid, quòd & inuictis flammam Phlegethontida flammis
Fulminat, ab IESV *quod micat ore iubar?*
Sed quid fulminibus funesto nomen IESV?
Iam fluat è miti nomine blanda salus.
Quid nisi pax & pacis amor pius ignis IESV?
Quid nisi vena sacri lactea fontis erit?
Quisquis es, incertis cui mens labat anxia rebus,
Id si nomen amas, spes rata vota dabit.

Quisquis

Quisquis es, ingentem qui fors molire laborem,
Illa tibi pietas grande leuamen erit.
Præcipuè Ignati, tu suscipe nomen IESV,
Et IESVS *sociam Dux tibi iunget opem.*
Illius auspicio pulchros grassare per ausus:
Nobilius nullo sub Duce surget opus.
Si qua per incertos tentanda pericula casus;
Certa sub incertis spes tibi rebus erit.
Si tibi sit quouis fundanda colonia Regno;
Hic illam stabili qui pede fundet, erit.
Æternum est quodcumque suis æternus IESVS
Illustrat titulis, ac decus omne tenet.
Confer huic vni titulos ac nomina Regum:
Scilicet in Regum dedecus illa cadent.
Stulte, quid est titulus, vanæ nisi vocis imago,
Splendidáque augustum quæ parit vmbra nihil?
Vin' magna euoluam priscis cognomina fastis,
Queîs stetit in sceptris gloria rara suis?
Quære Tyri Reges, Cedaritas quære tyrannos,
Quique Arabum lætis sceptra tulere plagis.
Adspice Belidas Beli de nomine Reges,
Quos canit Assyriis fama superba tubis.
Niliacis memora celebres Pharaonas in oris,
Grande per antiquos queîs genus iuit auos.
Cecropidásve refer magnis breue nomen Athenis,
Quosque Duces Sicyon, cultáque Sparta dedit.
Laomedontiadas Troiæ sepelire ruinis
Scripta iubent vatum, si modò Troia fuit.
Siluius Albanâ non est quòd prodeat vrnâ,
Quem tegit obscuro silua vetusta specu.
Ecquid Achæmenidas referam, sobolisque tiaras
Siue Seleuce tuæ, seu Ptolemæe tuæ?
Cæsareos æquet Diuis vrbs Romula fastus,
Adde Palæologos, Austriadasque Duces.
Ecquid ad hoc IESV *nomen tot nomina Regum?*
Vmbra quod ad solem, gutta quod vna mari est.
Nil mihi fallaci magni cum nominis vmbrâ est:
Dum mihi sol IESVS, *nulla sat vmbra placet.*

BEATIS-

BEATISSIMA VIRGO MARIA

IGNATIVM eiusque Socios in filios adſciſcit, & viciſſim IGNATIVS cum ſuis eam in Matrem ſumit.

Fortè in remotis carmina montibus
Ieſſæa pangens non ſine lacrymis
Planctuque, Loiolæ occinebat
Mœſta ſuos Metanœa luctus:
Cùm naſcituro Sole ſerenior
Regina mundi de penetralibus
Adeſſe Diuorum, & dolentem
Viſa fuit ſubiiſſe rupem,
Gratamque lucem ſpargere: & altiùs
Heu! ingementi præbet amabilem
Cum voce vultum, quo minantem
Dira ſalo mala, dira terris
Mulcet Tonantem. Deſine triſtium
Tandem querelarum, & lacrymis modum,
Loiola, pone: quem peracti
Suppuduit ſceleris, nocentem
Ne crede poſthac. Quin magè priſtinos
Aſſume vultus, qualis in arduæ
Iugis Nauarræ bellicoſos
Viſus es exagitaſſe Celtas.
Olim decoro puluere nobilem
Ventura ſacræ militiæ Ducem
Te fata ſignant: quid moraris?
Ipſa vias initura certas
Fata ominatis auſpiciis regam.
Te ſed, relictis Heſperiæ plagis,
Magiſtra morum Gallicanam
Muſa priùs vocat ad palæſtram.
Hîc in virentis margine Sequanæ
Fecunda ſparges ſemina, ſemina
Datura poſt denas ariſtas
Mox ſegetem numeroſiorem.
Prô quanta meſſis! Iam video inclytam
Xauerianæ gentis adoream
Franciſcum ad Indos Iaponaſque
Impauido penetraſſe greſſu.
Quin & decoris iam Faber impigrè
Inſudat armis: feta ſcientiæ
Iam tela cudit Salmeronus,
Tela Stygi metuenda victæ.

At te Laïni quid memorem? vndique
Audire plausus iam videor graues,
Cùm te Tridentino in theatro
Fulmineo pede detonantem
Pro me Senatus conspicuus Patrum
Ritè auspicatis vocibus excipit:
Sic macte, & aude! nulla labes
Virgineos temerauit ortus.
Non Bobadillæ vel Rodericij,
Non gesta pandam clara Broëtij,
Non concatenatos Coduri, aut
Iaie tuos referam labores.
Spectabis ipse & plura reconditis
Quæ clausa celat diphthera nexibus
Ventura, in adspectumque mundi
Auspiciis redigenda cæli.
At tu æstuantes ignibus & nouo
Ardore pugnæ, magnanimos veta
Tentare vires, dum cruore
Purpureum Dionysiano
Collem reuisas. Hîc ego Numini
Nostras ad aras irreuocabile
Dici sacramentum, tuamque
Nate volo generose pubem
Non vsitatis stringere amoribus
Addicta mater. Vos ego consecro
Dei phalangem fulminantis,
Vos comites sociosque IESV.
Sic elocutam protinus aurei
Diuam coronant Aligerùm globi,
Suetoque Reginam triumpho
Ad superos reuehunt penates.
Ast insolenti pectora vulnere,
Sparsisque cælo saucius ignibus
Ignatius; Prô Virgo, prô Re-
gina, Deique parens, quis, inquit,
Loiola, quisnam est, vt tibi Filius
Viuat deinceps? totque celebrium
Ductor virorum læta mundi
Signa plagis vtriusque figat?
Ibo, ibo, mater: fallere nesciunt
Effata tantæ Principis: ocyùs
Deprœliaturas ad arma
Diua vocat præitura turmas.

SAN-

SANCTVS IGNATIVS

à profanâ militiâ conuerſus, ſpiritualem aggreditur; & iam tum (quod per totam vitam ei ſolenne fuit) cælorum adſpectu mirificè delectatus, in ſeptem dierum ecſtaſim rapitur: in quâ ei diuinus Amor venturam Societatis progeniem exhibet.

POſt varios belli caſus, exhauſtaque latè
Prælia, Mauortis tandem pertæſus amorem
Ignatius, galeamque, enſemque, & neſcia vinci
Arma diu, magnæ Matris ſuſpendit ad aras.
Iam ſatis Auſtriadumque aquilis, Martique profano,
Sat ſtirpi patriæque datum eſt. Vos ferrea Iberûm
Agmina, & Aragonum clarum genus, inclyta pubes,
O quoties multo ære grauem ſpectaſtis, & illis
Bellatorem armis, quoties tela inter & ignes
Attollentem animos, in apertaque fata ruentem!
Vſque adeò prædulce decus, laudumque cupido
Impulerant: at nunc arma altera & altera bella
Mente agitat, maiorque Deus præcordia pulſat.
Ergo metum factura Erebo, & pallentibus vmbris
Arma viroſque canam: audentem rege maxime vatem
Diue tuum, felixque piis allabere cœptis.
Sit mihi fas tecum mortales linquere curas,
Et celſas tolli nubes ſuper: hîc vbi ſacra
Cæli adyta, & magni intrantem penetrale Tonantis,
Arcanos liceat fatorum ediſcere curſus,
Venturoſque olim Heroës proferre ſub auras.
Magnum opus, & rerum non enarrabilis ordo!
Tempus erat, primâ quo nox complectitur vmbrâ
Diſſita terrarum, & ſurgentes ordine flammæ
Incipiunt toto latè efferueſcere cælo:
Extemplò Ignatius (nec enim dare lumina ſomno
Vſque vigil permittit amor) faſtigia ſummæ
Aſcenſu ſuperat turris, procul arduus vnde
Deſpectet circùm terras campoſque iacentes;
Hîc vbi ſublimis tecti ſupera alta tenebat,
Iamque adeò immenſi latè data copia cæli,
Palanteſque polo ſtellas Titaniaque aſtra
Hauſit amans oculis; tum verò arſere medullis
Noti ignes, animoque ingentem amplectitur axem.
Iamque ſuper volat aſtra poli, totumque pererrat
Luminibus cælum tacitis, & ab æthere pendet.
Hinc ſubit aſtrorum rutilum qui Lucifer agmen
Primus agit, primuſque iterum ſtatione recedit.

Parte aliâ aduersâ plenus rapit orbe reducto
Latonæ globus; hinc fuluo micat horridus auro
Colla leo, obnixusque incuruat brachia Cancer.
Tum pluuias Hyadas, sidusque Erymanthidos Vrsæ,
Armatumque auro iubar adspicit Orionis.
Vritur Ignatius, fibrisque exæstuat imis,
Quin (explere miser veluti si possit amorem)
Nunc iterum occasus, nunc se conuertit ad ortus,
Humentesque oculos, perfusaque fletibus ora
Defixo tenet obtutu, atque immobilis hæret,
Impatiens donec, nec iam quibus æstuat ignes
Corde premens, tales dat anhelo pectore questus:
Immensi cælorum orbes & amabilis æthræ
Tectum augustum, ingens; vosque huius conscia amoris
Sidera, vos testor: nam quis crudeliùs vmquam,
(Scitis enim longoque æuo meministis) amauit?
Vris amore tui pulchri domus ætheris, vris,
Et miserum formosa pio depasceris igne:
Perge age, corporeos artus & inutile pondus
Secerne in cinerem, ire suo sine cetera cælo.
O anime, ô qui istis deducis semina flammis,
Sidereusque lates mortali in corpore sensus,
Hæc tibi, si nescis, patria est: heu, quò mihi vitam
Demorer, inuisaque iuuet consistere terrâ!
Felices animæ, iam nunc quibus aurea pacis
Sæcla fluunt: nobis quantum est quod amantibus obstat!
Sed tamen est aliquid; liceat, quod adire negatur,
Adspicere: idem oculos pascit qui sauciat æther.
Iam iam terrigenùmque domos, humanaque rursum
Prouehimur supra: en montes tenuantur & altæ
Decrescunt oculis turres: iam maximus orbis,
Iam tota in paruum vanescit machina punctum.
O vbi sum! quò Loiolam, quò tollitis astra?
Quò terræ oblitum, cælo defertis amantem?
Ludimur, Ignati: heu! quæ non tibi gaudia fingis
Credule amor: nam quid me animo super alta ferebas,
Quem moles ignaua solo defigit inerti?
Ergo ire in lacrymas iterum & suspiria cogor?
Vsque adeòne & amare graue est? ah, cui benè tantis
Par animus flammis! toto de corpore vires
Egit amor, sensi, tenebris hebetantur obortis
Iam iam oculi, totusque pio immorior tormento.
Dixerat: & prono collapsum corpore tellus
Excipit, exanimi similem. iacet inclytus heros,
Quem non instantes acies ferrataque quondam
Agmina, collati quem non furor iraque Martis
Fregerunt, victori animum submittit amori.

Fortis

Fortis amor, quid non mentes, afflataque cogis
Corda potens, semel vt tacito sub vulnere magnæ
Insedisti animæ, sacroque hanc numine tangis?
Iamque viri exsangues pallor complectitur artus,
Decurruntque oculis lacrymæ, perque ora cadentes,
Perque sinum, nimios solantur pectoris ignes.
Ter grauidos tollens oculos, ter rursus anhelans
Deficit, & paruo suspirans murmure, IESVM
Ingeminat, donec tandem vix languida vitam
Vena notat, victusque animus se deserit ipse.
Assyriis veluti cùm flos emarcidus aruis
Languescit sitiens, vbi siccos Sirius ardens
Vrit agros, tenerisque humorem subtrahit herbis:
Ille iacet, languensque suo sub pondere, fessum
Demittit caput, & moriens tellure recumbit.
Viderat hoc, tantos solitus lenire dolores,
Diuus Amor; dudumque polo miseratus amantem,
Hic, ô! hic nostris certè dignissimus armis
Miles, ait. Tantum effatus, cæli atria linquit,
Æternique sinum Patris, dulcesque recessus:
Mox habilem fert ecce arcum, castamque pharetram
Subnectit lateri, niueum testata pudorem
Defluit ex humeris vestis, perque alba volutas
Colla comas dat commotis diffundere ventis.
Iamque volat, tenuesque leui pede diuidit auras:
Candenti similis cygno, Mæandria longè
Qui vada prospiciens vel amati stagna Caïci,
Toto in suppositum defertur corpore flumen:
Nec mora, nec requies, visas contingere donec
Detur aquas, notoque humeros inspergere rore.
Non aliter sacer ætherei puer ales amoris
Fertur agens, rapidisque celer legit ardua pennis
Culmina Pyrenes, Manresæque adstitit oris.
Hîc vbi Loiolam prostratum & multa gementem
Conspiciens, placido subrisit leniter ore;
Mox sacros retegens vultus, Numenque professus
Augustum, æthereum, dictis ita cœpit amicis:
Macte animis, Ignati, humili sic te eripe terræ,
O natum cælo pectus: sic gaudia vulgi
Curasque auersans animus, tardantia vitæ
Præuertit fata, & superis se sedibus infert.
Pone metum, Loiola, manent te debita cæli
Atria, sublimemque feret super æthera virtus.
Antè tamen (duris sed enim sibi gloria rebus
Sternit iter cælo, superasque euadit ad arces)
Multa manet fortuna tibi superanda ferendo.
Hesperidum illustres terras antiquaque linquens

 Tecta

Tecta patrum, Venetas primùm sisteris ad oras.
Inde per Ionium magnum Samaritida solus
Attinges terram, & Syriæ potieris arenâ.
Hîc colles, hîc arua sacro decorata cruore,
Et Solymæ decus antiquum spectare iuuabit.
Hîc vbi Bethlemij latitans sub stramine tecti
Paruulus in stipulâ iacuit Deus: omnia sacro
Perfundes gemitu, lacrymasque ad singula mittes:
Donec te tandem, post tot discrimina, post tot
Exhaustosque mari vasto terrâque labores,
Ausonia excipiet sacræ intra mœnia Romæ.
Hic locus, hæc sedes, magnarum exordia rerum
Hæc primùm adspiciet, primùm mirabitur ausus.
Hîc (ô cælo optata diu terræque voluptas!)
Orta tuis tandem auspiciis illa inclyta surget
Loiolæa manus, mundi melioris origo.
Quæ rem Christiadûm, quæ Relligionis honorem
Excipiat labentem humeris: hæc aurea reddet
Sæcula, & innocuos primæui temporis annos.
Nunc age magnanimos ausus & clara tuorum
Facta recensebo, pulchram longo ordine gentem,
Loiolidasque tuos, venturaque sæcula pandam.
Salue animis inuicta phalanx, magnique parentis
Illustris soboles, salue, rerumque virûmque
Magna altrix, geminum factis quæ compleat orbem.
Adspicis vt primas acies, prima agmina ducant
Heroës bis quinque, polo capita alta ferentes,
Magnanimum genus? his populos, his vltima latè
Terrarum, duce te, cælo parêre videbis.
Hîc, cui diffusis volucer pulcherrimus alis
Signat iter, primus cœptis se grandibus addet
Allobrogum de gente Faber: quem deinde secuti
Codurius, Iaiusque potens, fortisque Broëtus,
Quique tuos olim ante oculos cæli aurea victor
Sidera, & æthereas primus petet Hosius arces.
Qui quantos tollant animos, quæ robora paruis
Promittant olim auspiciis, spes, aspice, quantas.
Ille, vides? nigrantem humeris qui sustinet altis
Æthiopem, perque Eoas subuectat arenas
Arduus, innumeram ducens longo agmine turbam,
Xauerius, magnum nomen, similisque parenti
Progenies, inuictum & inexsaturabile pectus.
Hic ille est, primus Ditis qui compede vinctos
Auroræ soluat populos, noctique profundæ
Eripiat: Iapones super, & Trauancoris oras,
Æthiopumque domos nigras, finesque Meluccos,
Christiadûm pia signa feret, delubraque ponet.

Diuo-

Diuorum oraclis iam nunc Gangetica tellus
Expauit venturum, imis Styx horruit vndis:
Ecce venit, venit ecce, Afras obeuntia terras
Peruadit victor maria, ambagesque viarum.
I felix, Francisce, animi, pete Regna per vndas
Barbara, surgentemque diem coniunge cadenti.
Virtutis meta illa tuæ est; angusta videri
Cui poterunt, gemino quæ sol despectat Olympo.
Perge celer; cerne vt flexo tibi poplite supplex
Illinc Iaponia, hinc vinctas ferat India palmas:
Vtraque crudeles tenebras, duram vtraque noctem
Auersata, nouæ inclamat primordia lucis.
Hunc tu olim, Ignati, spoliis Orientis onustum
Adspicies, tecumque inter decora alta repostus
Diuorum, paribus tecum celebrabitur aris.
Proximus ille, animi felix Laïnius alti,
Eloquiique potens, doctæ qui flumine linguæ
Purpureos inter Patres cœtusque verendos
Primæuæ innocuam labis, scelerisque paterni
Puram animam, puros Matris tutabitur ortus.
Crescentem hic primus sobolem, primusque tuorum
Imperium excipiet: magnus cui deinde subibit
Borgia, progenies Regum de sanguine, & altis
Diues auis: viden' vt capitis regale decorum,
Abiectosque Ducum titulos, proauitaque sceptra
Sub pedibus premat, atque animo super altior exstet?
Heu! tantis solùm ex opibus sibi dextra reseruat
Infelix leti simulacrum, atque omnibus æquos
Augustæ magnæ cineres & tristia spectra.
Quantos illa viro gemitus lacrymasque ciebunt!
Quin & quos olim mittet tibi Belgica tellus,
Mentis Euerardum celsæ, patiensque laborum
Adspice Barzæi pectus; soli ille secundus
Xauerio, fines Arabum, scelerisque capacem
Armusiam, Ditis sedem, sub legibus æqui
Mittet, & irato rursum componet Olympo:
Donec summa dies, tantarumque vltima rerum
Mors stantem inueniat pugilem, residesque monentem
Voce viros, acie ex mediâ cæli inferat astris.
Te quoque, magne Pater, quem iam noua limina mundi
Exspectant frustrà, te magne Anchieta canemus,
O decus Americæ: rerum namque inclytus ille es,
Ingentumque potens operum, quem subdita quondam
Miretur natura, tuoque elementa resignet
Imperio, iussisque lubens parére laboret.
Littore te positis genibus iamque æthera multâ
Lassantem prece, marmoreis velut æquora muris

Pende-

Pendebunt circum, & superincumbentis aquæ mons
Immoto hinc atque hinc stabit ponto, otia mentis
Rumpere securæ metuens: sic littore rubro
Ductori Isacidûm sacro, turbæque sequaci,
Dissiliente freto elatis maria alta stetêre
Fluctibus, & circum grauis vnda pependit euntes.
Quis procul inde oculis sese mirantibus infert
Egregius specie iuuenis, cui lilia palmæ
Prætendunt, niueusque humeris dependet amictus?
Virgineos nosco vultus, nosco ora, piique
Innocuam Gonzagæ animam: quas ille suorum,
Quas matris cernet lacrymas? quæ bella mouebit
Heu durus nato genitor? sed fortior altis
Aude animis, generose puer; voto annuet vltrò
Ferreus, & cæli vincet rectique cupido.
Tum verò optatâ cùm te in statione locaris,
Exutus curas humiles & splendida vincla,
Angelicam includes intra sua gaudia mentem.
Huic sese comitem, patriæ noua gloria gentis
Iunget amans Kostka, ille almi flos integer æui,
Extendens virtute annos & tempora factis.
O dilecte Deo iuuenis, amor ætheris alti,
Quid tibi mentis erit, cælo cùm lapsa supremo
Dulce tibi pignus, parui pia viscera Nati,
Virgo-parens geminas vltrò deponet in vlnas?
Adspice vt innocuos affligat dulciter artus
Victor amor, nimioque gemat rude pectus ab igne.
Heu miserande puer! gelidi date fluminis vndas,
Lenimenque mali, & sacris solatia flammis.
Fortunati ambo! pariter pietate vel æuo
Consimiles animæ, ite piæ duo Matris alumni,
Æthereamque pari Reginam cingite cœtu.
Cernis vt inde aliud signis fulgentibus agmen
Ductor agat felix Antonius? adspice summa
Ora virûm, densosque humeros: heu prodiga vitæ
Pectora! quis pulchros obitus, quis barbara Regum
Tormenta, aut tantos exæquet fando labores?
Quis pœnæ genus omne? en vt sua quisque recenset
Supplicij decora, & subeundæ insignia mortis.
Læti omnes, omnes præcincti tempora lauro,
Tendentesque manu palmas, victricia signa:
Omnibus vnus amor venienti occurrere fato.
Antonî ante alios, cælo quem suspicis alto
Attollentem oculos, primùm latus hauriet ensis
Barbarus, inuictoque ibit de pectore sanguis,
Qui fortes in bella animos, deuotaque pulchræ
Agmina militiæ, in tantos audere triumphos

Impa-

Impauidoque neci doceat ſuccumbere vultu.
Adſpice vt ingentem ſuſtentet pectore ſiluam
Rudolphus, meritumque oculis ſuſpiret olympum:
Cui comes Alphonſus ſub ferri pendulus ictu
Canitiem inclinat venerandam, & ſanguine multo
Fœdatos vultus fuluâ demittit arenâ.
Te quoque, Riberi, lacerum crudeliter ora
Oppetere adſpiciet multo decoranda cruore
India, materies ſacri fecunda laboris.
Quas non illa virûm cædes, quæ funera cernet!
Hîc patulum Soſæ pectus, denſiſque rigentem
Corream telis; cerne hîc multo igne micantem
Abrami truncum. At tantis patet ampla triumphis
Terra parum, reſtant pulchræ quoque conſcia laudis
Æquora: nonne vides vt qui te nomine reddet
Magnus Aſebedus, medium inter cædis aceruum,
Bellantumque ſuorum acies cæloque cadentum
Agmina, dux ipſe ætheræ ſimulacra Parentis
Inuictâ tendat dextrâ? pigra corpore multo
Stant maria, & medio natat omnis ſanguine claſsis.
Nec minùs hinc Italæ malè diſcors Anglia Romæ
Sæuiet, in propriam exacuens odia aſpera prolem.
En & Garnettos geminos, laqueoque decorum
Edmundum, terras inter cælumque nefandâ
De trabe ſublimem: ſubit hinc tanto excitus auſû
VValpolus, longâ ſequitur quem morte necandus
Fortis Ogilbæus: quoties tibi dira reuinctos
Extendent artus immanis pondera ferri!
Eripient quoties ſomnumque & barbara noctem
Tormenta ex oculis! O Anglia, & inclyta quondam
Regna Britannorum! prô quæ tam dira libido
Innocuas animas crudeli abſumere ferro?
Infelix quæ te nocti manus eximat atræ!
Tu ne pone animos proles pia, perge per ipſas
Clara neces patriam cælo tranſſcribere gentem.
Sit fera, ſit quamuis ingrata Britannia mater,
Et cæptis inimica tuis; aſt mitior illam
Reſpiciet quondam Deus, & fera pectora flectet.
Non ego te, ô inuicte Heros, atque inclyte ſanguis
Tranſierim, Gonzale: tibi Caſraria nigra
Et vaſtis ſuperanda manet Monomotapa terris.
Hic vbi colliſas fauces, poſitasque beati
Corporis exuuias alto ſub gurgite Nilus
Excipiet, tantumque diu ſeruabit honorem.
Illi autem gemino quos tollit ad æthera trunco
Crux alta, adductoque rigent colla ardua ferro,
Eoum decus hoc primum, Iaponia pubes.

Adspice vt immani præfixa hastilia ferro
Excipiant latere inuicto, vndantique cruore
Hinc atque hinc, lato per apertas vulnere costas
Magnam animam cælo fundant plaudentibus astris.
Huc geminas huc flecte acies: hos adspicis ignes,
Pascentemque suis glomerata incendia membris
Victorem Spinolam? flammæ vndique & vndique fumi
Voluitur in cælum nubes, & sidera lambit.
Ipse ignis rapidi cinctus lucente coronâ
(Tormentum!) totos hinc atque hinc liquitur artus.
Iamque adeò exsuperant flammæ, iamque intima rodit
Pestis edax, stridunt nerui, crepitantiaque ossa:
Stat Carolus, non vultum Heros, non ora retorquet;
Sed grauidos multo igne oculos, & morte natantes,
Immotos tenet, & cælo defigit anhelus.
Victor io, bellator io: sic nubila supra
Jam purus, iam terræ expers, iam simplicis auræ
Fertur ouans animus, cognataque sidera scandit,
Quò concreta negat carnis se tollere moles.
Nec pudeat seros tantâ de stirpe nepotes
Aut humiles meditari ausus, aut cedere duris?
Nunc age, Canisios magnos, animamque Roberti
Sublimem, multoque afflatam numine mentem
Adspice Suarezî, circum quem plurimus ambit
Scriptorumque ordo, seriesque immensa laboris.
Parte aliâ Molina potens, & Vasquius acer,
Gregoriusque, & sancti assertor Lessius æqui,
Doctæ impallescunt chartæ; vulgoque relicto,
Naturæque Deique ardent euoluere leges.
Vis etiam Alphonsi curas, vis docta capacis
Otia Corneli, ingentemque videre Toletum?
An diues Palmî eloquium, & vibrantia Stradæ
Fulmina, terrasque populosque arsura per omnes?
Heu fetæ rerum mentes, pulchræque quieti
Instantes animæ, arcani quibus aurea veri
Copia, diuinique fluent de pectore rores!
Queîs latè hæreseos noctes, exosaque cælo
Somnia, diuinæ retegant in imagine lucis.
Quæ tunc quæ studiis auidæ feruere iuuentæ
Atria conspicies? quæ non alto ore sonabunt
Limina, quæ regio docti non plena laboris?
Quis te Barrete indictum, aut te Ouiede, relinquat,
Æthiopum sidus geminum, semperque madentes
Imbre pio Roderici oculos, lacrymasque perennes?
Quis placidam Realini animam, aut te maxime Claudi?
Gaudebunt alij doctis insistere curis:
Ferrum alij, durumque aduerso pectore fatum

Exci-

Excipient, alij cælo ſub vtroque iacentes
Luſtrabunt terras, & vix loca cognita Phœbo.
Haud equidem inuideas; ſed enim penes vna tuendi
Imperij te cura manet: tu laudis auitæ
Heredes firmare animos, Aquauiua, memento.
Hic qui ponè ſubit Claudî latus, ordine magni
Proximus imperij, cui iam veſtigia & ægrum
Scipio prætentat greſſum, cui plurima circum
Tempora canities, longo venerabilis æuo
Mutius; hic auctum tot nunc labentibus annis,
Et rerum ſerie immenſâ numeróque virorum,
Iam grauidum excipiet cœtum, molemque ſubibit.
Sic age, magne ſenex, plures longæuus in annos
Commiſſam rege progeniem: mens alta ſenectæ
Nil debet, vires addet tuus ille labori
Par animus, feſſóque æuo prudentia maior.
Ne dubita, veniet luſtris fugientibus ætas
Poſt emenſa poli centenis curſibus aſtra,
Cùm primùm natæ repetens exordia prolis,
Optati dudum ſæcli celebrabis honorem.
Tum verò, æthereis quà circumuoluitur aſtris,
Applaudet rerum tantis progreſſibus orbis,
Exiguæque manus mirabitur incrementum.
Ante alios tibi Roma parens ſua gaudia plenis
Effundet ſtudiis, vultúque fauebit amico.
Nónne vides vt Purpurei ſacer ordo Senatus,
Vrbanusque Pater de collibus annuat altis,
Quóque laborantis molem ſuffulſerat orbis
Numine, nunc ſacros animet prior ipſe triumphos?
Quæ tibi tunc, Muti, perfundent gaudia pectus,
Cùm totum adſpicies miſceri plauſibus orbem?
Sic olim Ignatî tellusque & maximus æther
Prouehet in maius ſobolem, fruſtráque fremente
Inuidiâ, procul illa poli caput inſeret aſtris,
Fortunæque vices, annosque & tempora ſupra.
Aſt tu qui ſummo niueus procul agmine fulges,
Quò feſſum, Berchmanne, rapis? decus addite magnæ
Belgarum genti, quantæ virtutis imago
Virgineo ſedet in vultu? quis candor, & ille
Frontis honos, vt terrâ humiles deiectus ocellos!
Quàm benè quæ iunctis ſeruat tria pignora palmis,
Diuiſumque animum & ternos teſtantur amores?
Fortunate puer! nam te terræ inuidet æther,
Et rapit ante diem virtus maturior annis,
I Superûm miſcere choris. date lilia plenis
Belgiadæ calathis, tumulóque inſpergite flores.
His Amor Ignatî demulcet pectora dictis;

Sic claram factis sobolem, sic fata recenset,
Et vastas series, & res & tempora rerum:
Edicens super hæc cælo quas auspice ponat
Imperio leges, vitæ quæ iura regendis
Det Sociis, quibus vsque decus tutentur auitum.
Quæ postquam Ignatio diuus puer ordine longo
Expediit, perque ambages perque omnia duxit;
Protinus opposito connitens poplite neruum
Erigit, & geminis adducit cornibus arcum.
Iamque adeò pharetrâ depromit amabile telum
Acre micans, radiisque aureis atque igne coruscum.
Nec mora, multo illud nisu neruoque sonante
Impellens, Tantâ tantus flammâ ardeat, inquit.
Dixerat; ignauamque cito per inane volatu
Spernit humum, tenuesque volat leuis ales in auras.
At verò Ignatius percussus arundinis ictu
Pectora, diuinoque animum succensus ab æstu;
Euigilat tandem, somnoque solutus amoris
Dulcè gemit, tollensque oculos suspirat IESVM.
Nec iam se capit ipse, & flammis saucia corda
Expleri nequit: inde iterum secum omnia versans
Hæret, magnarum defixus imagine rerum,
Ardescitque animum totus, gaudetque tuendo;
Et prolis iam nunc flagrat venientis amore.



Vita


Vita Societatis mixta.



——Hic fas per limen vtrumque *Claudianus.*
Solus habet, geminoque facit commercia mundo.

ATlantis facunde nepos, summique Tonantis
Nate, cui mundi limen vtrumque patet;
Certè ego prætulerim cunctis tua numina diuis,
Queîs polus aut pelagus maxima Regna dedit.
Fortunati omnes, dominos quos pontus adorat,
Quique aliquod cæli cum Ioue munus habent.
Sed tua quis numeret præconia maxime diuûm,
Patre minor tantùm, primaque cura patris?
Qui modò Cælicolûm latè dominaris in aulâ,
Et modò quà pelagus totaque terra patet.
Iupiter humanæ vestitus imagine formæ,
Sorte tuâ voluit muneribusque frui.
Tecum deserto visit mortalia cælo,
Gestiit inque humiles Baucidis ire casas.
Est hæc vera tuæ laus, ô Loiola, cohortis,
In cuius laudes terra polusque patent.
Quæ nunc vi mentis peragit commercia cæli,
Terrarum meritis nunc sola cuncta replet.
Tunc quoque, cùm siluas fertur per & inuia saxa,
Mente Hyadum calcat Pleïadumque domos.
Nec cælo affixam terrarum incommoda turbant,
Nec terræ immemorem detinet ipse polus.

Regula Societatis abſque obligatione peccati.



Vis maxima, ſed ſine vinclo.

ADſpice, quodcumque hoc ſchema eſt: natura quòd artem,
Quodque ars naturam vincere poſſit, habes.
Naturæ ſuperatur opus, dum ſurgit in altum
Protinus ex imo fluminis vnda vado.
Antlia cogit aquam ſurſum: vis maxima: vinclis
Compedibusque carens antlia cogit aquam.
Non, ſi mille etiam foret hæc adſtricta catenis,
Promptiùs aſſueto cederet vnda loco.
Sic quoque quæ noſtros informat Regula mores,
(Sed cuius nullum læſio crimen habet)
Non vinclis animos ſubigit: vis maxima amori eſt:
Quod ſurſum traherent vincula, tollit amor.
Ille etiam proprio quæ ſpectant pondere terram
Attrahit, & vilem ſpernere cogit humum.
Fac terrore animos percellat Regula culpæ,
Forſitan accipiet roboris inde minus.
Fortiùs impellit, multoque potentiùs vrget,
Cùm ſemel in docili pectore regnat amor.

Pauper-

Paupertas ſapiens.



Ne perimant, pereant.

ADſpicis? incubuit nigro nox horrida ponto:
Abſtulit aduerſus carbaſa tenſa Notus.
Heu! quid agam? tonitru diſruptus inhorruit æther,
Fulminaque irato lumine crebra micant.
Imminet ante oculos leti crudelis imago:
Me miſerum! multo preſſa carina mari eſt.
Quid iuuat Eois redeo quòd diues ab oris,
Si tamen hîc auidis piſcibus eſca nato?
Hæc mea, quæ reueho argentique aurique talenta,
(In domini cædem nata talenta ſui)
Omnia ſunt ponti iam præda futura rapacis:
Ite tamen potiùs quàm perimatis opes.
Ite, ait: Oceanoque patri & pia munera Nereo:
Ni fallor, placant munera ſæpè deos.
Dixerat; & mœrens congeſtum abiecerat aurum:
Ecce redit pulsâ candida nube dies.
Et benè habet: dubiæ ſpes empta eſt certâ ſalutis:
Hoc ſatis, amiſſæ ſi tribuiſtis opes.
Interdum lucro eſt perpeſſum in tempore damnum:
Sic benè, ne perimant, proiiciuntur opes.

Pau-

Paupertas expedita.



Liber ab exuuiis.

QVi cupis excelſi ſuperare cacumina montis,
Abiice per colles quod malè fertur onus.
Sit licet exiguum, quod tecum ferre laboras,
In iuga nitentem res quoque parua grauat.
Magnum iter, hinc altas Superûm conſcendere ſedes:
In cælum facili non datur ire viâ.
Quid tamen eſt? adeò cæcus nos faſcinat error,
Congerimus cupidi quo teneamur onus.
Atria marmoreis molimur nixa columnis,
Et pulchro claudi carcere quemque iuuat.
Murice Sidonio quæ tincta eſt veſtis, & aurum,
Quod meliùs tegeret barbara terra, placet.
Dic mihi, quid refert ferro ſtringaris an auro?
Num magis auratis ferrea vincla grauant?
Liber ab exuuiis Elias ſidera ſcandit:
Cuncta, ſequi ſi vis, abiicienda tibi.
Quando è ſublimi turres decreſcere cernes,
Totaque non magno Regna minora globo,
Diuitias alias aliâ regione petendas
Dices, & paruum, quidquid hic orbis habet.

Pauper-

Paupertas quæstuosa.



Οὕτως ἀπολεῖν κέρδος αὖ ἐστιν.

Sic perdere lucrum est.

Εἰδύλλιον. Ἁλιεύς.

ΜΗ` φύγε τὰν πενίαν, ὅτι πλουτίσδουσά τις ἐντί.
Πάνθ', ὅσ' ἔχεις, ἴθι, πώλασον, καὶ δαῖε πένησιν·
Ὡς ἀπολεῖν, μέγα κέρδος. Ὅλον γ' ὀλίγῳ Σοφὸς ἴσκει.
Πτωχὸς, ὑπ' ἐκ καλάμων καλύβας δομάτεσσιν, ἰαύων
Κεῖτο, βρύῳ ἐπ' αὔῳ, φραγμοῖσι παρ' εἰνοσιφύλλοις,
Τὶς γριπέων· παρὰ τοὶ κάλαμοι καὶ τοὶ καλαθίσκοι,
Ὁρμειαί τε, βρόχοι τε, κωδάς τε, τὰ φυκιόεντα
Λῆδά τε, καὶ τἄγκιστρα, καὶ ἐκ σχοίνων λαβύρινθοι.
Μεσσο-δὲ-νύκτιον, ἄνδρ' ἐκ κοίτας βρασμὸς ἐγειρέν
Δῶμα περιβρεμέων, καὶ εἰς θ' ἕα σέλματα ἤλασε,
Τοῖ' ὅτε τοῖς ἑτάροισι λέγει. Ὑψηλὸς ἐφάνθην
Ἐν πέτρᾳ μεμαὼς δι' ὄναρ, θοάων δὲ δόκευον
Ὄμματι ναχομένως, ἔπαγόν τε μαδούματι, θυύνως.
Καί τις ὀρεξάμενος φῦ, καὶ ῥέεν αἷμα, σιδάρῳ.
Αὐτὰρ ὁ ξεινῷ μεγάλῳ παλαίουσαν ὑφ' ὕδασιν ἄχθει
Ἀγκύλος εἶχ' ἄγραν κάλαμος. τόκα, θαῦμά τ' ἰδέσθαι,
Χρυσῷ παχνωθέντα τὰ ῥάμφεα, νῶτά τε χρύσεον,
Ἥτε Ποσειδάωνος αὖ, ἢ Θέτιδος φίλον, ἰχθὺν
Τῶν γκίστρων ἀπέλυσά τ', Ἄνακτί τε δῶρον ἔπεμψα.
Εἶδε· καὶ οὐδέποθ' οὗτος, ἔφα, ἔτι ἐλλοπιεύσει,
Ἀλλὰ δὲ τᾷ μὲν μοῦ ἄρξει μάκαρ αἰὲν ἐν ὤλᾳ.

Z Pauper-

Paupertas sibi sufficiens.



Hoc sat opum est.

Beatus ille, qui mali Cupidinis
Lucrique turpis inscius,
Agit remotus improbis negotiis,
Sacro quietus otio.
Quid institor tumultuans secat mare
Opum expetitor inquies?
Nec Indiæ feracis ima viscera,
Midæve virga diuitis
Hiantium leuabit improbam sitim,
Cupidinemque noxium.
At ô quid infrementibus ruis fretis,
Et intonante Nereo,
Cohors IESV? *an Indicum vehes ebur?*
Micantibus coralliis
Ratisque diues aureis monilibus
Redibit orâ ab Indicâ?
Egena tentat inuium & ferox solum,
Futura præda Barbaris.
Redit caterua seruitute libera
Dei redempta sanguine.
Sat his superque scipio atque mantica
Opum benigna porrigit.

Pauper-

Paupertas omni curâ ſoluta.




Aliunde paſcitur.

QVæ clathris incluſa ſuis tibi cernitur ales
Garrula, non meſſem, non alimenta parat.
Quóque oblita ſui magis eſt, ſecuráque paſtus,
Ingeminat querulo gutture dulce melos;
Hoc paſtum dominus ſtudio propiore miniſtrat,
Cui placet argutis vox tenuata ſonis.
Quid malè ſoliciti curis gens ſtulta grauamur?
Pauperiemque pati grande putamus onus?
Libera ſi gaudet, nullisque obnoxia curis
Mens fuerit, vanæ cur ſitiantur opes?
Quid dabit argenti congeſtum pondus & auri,
Cumque ferace ſolo millia multa boum?
Et quæ gemmifero naſcuntur in æquore conchæ,
Diuitiisque comes qui ſolet eſſe timor?
Illa, nec inuideo, teneat, qui ferre labores,
Et miſer in mediis ſuſtinet eſſe bonis:
Multaque poſſideat fecundæ iugera terræ,
Cui placet in curas area lata ſuas.
Hæc cupiat quicumque volet, mihi viuere paruo,
Et Superis tantùm poſſe placere ſat eſt.
Id modò contingat, ſpernam pluuiasque Notosque,
Quæque fauent ſegeti ſidera, quæque nocent.
Dum benè teſte polo viuam nullius egenus,
Nil mihi, qui paſcit cuncta, deeſſe ſinet.

 Pauper-

Paupertatis ſplendor.



Deme ſuperflua, creſcet.

ADſpice, vt obſcuro voluatur in aëre fumus:
Fœdæ neſcio quid lumina noctis habent.
Crede mihi, ſplendor, modò deme ſuperflua, creſcet:
Vtile nonnumquam damna tuliſſe, fuit.
Fruſtrà diues opes multo ſibi congerit auro,
Cultaque centenis iugera bobus arat.
Ah, malè vita mari, ſæuis malè creditur Euris:
Quid geris infeſtâ triſtia bella manu?
Nempe per & pelagus, durique pericula Martis,
Infelix miſeras quærit egenus opes.
Omnia ferre iuuat, modò ſic vitetur egeſtas:
Scilicet hæc omnis cauſſa caputque mali.
Falleris: id multi ſerò voluêre, quod horres,
Stramineâ ignoti delituiſſe casâ.
Non ſemper vilis, non ſemper turpis egeſtas:
Pauperibus certè laus ſua ſæpè manet.
Non auro meriti decus immortale Poëtæ,
Non opibus partum nomen Homerus habet.
Ecquid opes? fuluæ niſi pondus inutile terræ:
Abijce; ſpernentem gloria certa manet.
Sic tibi maior erit contempto ſplendor ab auro,
Creſcere quem magnæ non patiuntur opes.

Caſtitas Religioſa voto adſtricta.



Canitis ſurdis, canitiſque ligatis.

QVem ſequeris fucata dolis, maleſuada voluptas,
Affixum puppi certa tenere latus?
Quæ tibi ſollertem fiducia fallere Vlyſſem,
Sæua licet moueas æquora carminibus?
Fruſtrà equidem canitur ſurdo, caniturque ligato:
Durior hic ſcopulis, ſurdior æquoribus.
Et raucis minùs audit aquis, cui virgine cerâ
Sunt obſeptæ aures, quem ſua vincla tenent.
Scylla ferox Nereusque fremant, fremat atra Charybdis,
Quæ dubias rabido turbine verſat aquas:
Inter & irati metuenda pericula ponti,
Inter & æquorei murmura vana Dei,
Sit fragilis, ſit firma parum caro noſtra, phaſelus
Quâ dubium vitæ ſollicitamus iter;
Per Syrtes medias, per inhoſpita ſaxa Maleæ,
Inueniam tutas per fera monſtra vias.
Vincula vota mihi, crux malus, Tiphys IESVS:
Pro pelago lacrymæ, pro ſtatione Deus:
Anchora ſpes, cor acus, velum ſuſpiria, clauus
Firma fides, ventus gratia, remus amor.

Caſtitas integra.



Rubus ardens incombuſtus.

AMramides quondam ſacri ſub vertice Sinæ
Duxit paſtor oues fugitiuus:
Hîc ſiluam, vt fama eſt, dictu mirabile! flammis
Illæſam crepitantibus vri
Vidit, & obſtupuit, cupidusque repentè cucurrit
Cernere non notum priùs ignem.
An minus eſt primâ iuuenes ardere iuuentâ,
Intactosque Cupidinis igni
Nec Veneris ſentire faces, licitósve Hymenæos,
Captos virginitatis amore?
Sic pueri formâ egregij & florentibus annis,
Clari nobile ſemen Iudæ,
(Fertur vbi Babylona ſuperba Semiramis olim
Coctilibus ſuper aëra muris
Et lento excelſas ſtruxiſſe bitumine turres)
Auſi ſpernere iuſſa tyranni,
In viſu horribiles coniecti protinus ignes
Illuſtres animas poſituri;
Illæſi patrio cecinerunt carmina ritu,
Ceu platani tegerentur ab vmbrâ.

Cor

Cor caſtum Dei ſpeculum.



נֶפֶשׁ טְהוֹרָה נִמְשְׁלָה עִם אֱלֹהִים

אִם לְבָבִי טָהוֹר וְכָל־קְרָבַי זָכִיתִי
מַה יָּפָה תֹּאֲרִי כִּי לְעֶלְיוֹן דָּמִיתִי
כְּשֶׁמֶשׁ יִפְעָתוֹ מוֹפִיעַ צָהֳרַיִם
וַהֲדָרַת מְאוֹרוֹ שֶׁלָּךְ בְּמַעְיַן מַיִם
רְאִית צוּרָתוֹ וְדִמְיוֹן כְּבוֹדוֹ
צָבוּעַ בְּלִי צֶבַע וַיִּצַר אֶצְבָּעוֹ
כֵּן כִּי יִתֵּן צַלְמוֹ עֶלְיוֹן וְאֵל הַחַיִּים
וְאֶהְיֶה יְדִידוֹ וּכְאִישׁוֹן בַּת עֵינַיִם

Aſſimilat mens caſta Deum.

Dum rutilus nitidas ſol fontis conſpicit vndas,
Solis in illimi forma relucet aquâ;
Oppoſitamque refert oculi pupilla videntis
Effigiem; & ſpeculis oris imago micat.
Sic mens pura, Deo pupillâ charior ipsâ
Eſt oculi; ſimilem nam videt ipſe ſibi:
Agnoſcensque ſuos in caſto pectore vultus,
Mox amat; & dio mens fit amore Deus.

Caſtitas

Caſtitas minimè ſterilis.



Fecunda mater gaudiorum. *Aug.lib.8.Conf.c.11.*

IAm ſol immodicos refert calores:
Pendent vndiq; læta ſerta templis:
Et quæ ſemina tradidit colonus
Telluris gremio ſiticuloſæ,
Triſtes Pleïadas timenſque Coros,
Magno fœnore reddidit colono;
Sat quamuis grauibus ſubacta raſtris
Auſtri ſenſerit impotentis imbres,
Et cæli furias, & incitatos
Nimborum ſonitus tonitruumque,
Mater ſedula ſeminumque nutrix.
Verùm nec Geminos, amica nautis
Viſit ſidera, nec feri Leonis,
Nec Cancri ſubit æſtuantis ignes
Sol cæli decus arbiterque frugum,
Purum at Virginis emicat per aſtrum.
I nunc qui ſteriles laceſſis annos,
Quos virgo benè tranſigit pudica:
Quamuis aſpera moribusque triſtis
Odit delicias, manuque neſcit
Spumantis pateram tenere Iacchi.
Si non eſt Veneris leuis ſacerdos;
Non inter Charites Cupidineſque
Arguto pede ſubſilire nouit;
Non ignes Iouis aut faceta Martis
Inceſtos didicit referre amores;
Eſt magni tamen hoſpes vna Solis,
Qui terræ decus, arbiterque cæli.
Hinc meſſem legit illa gaudiorum,
Quam non à Libyæ Indiæve campis
Aut molles Arabes, leuéſve Seres,
Aut gnari Tyrij ſecare pontum
Extremo cupidè aduehunt Eoo.
Non hæc gaudia nouit impudica
Hoſtis virginei cohors pudoris:
Sed caſti genij alites amores,
Et quos ambroſiæque nectariſque
Molles ducere Cælitum liquores
Sinit Virgine natus è Parente
Et cæli Dominus ſolique IESVS:
Et quos ſyrmate candido decoros,
Pulſantes citharas loquace plectro,
Et caſtâ modulos chely ſonantes,
Inter lilia vallium roſaſque,
Et pulchra Eliſij vireta campi
Ducit virginei chori Sacerdos,
Et cæli Dominus ſolique IESVS.

Caſtitas

Castitas otio inimica.



Otia si tollas, periêre Cupidinis arcus. *Ouidius.*

FOrtè senem iuuenis findentem viderat arcum,
Inque humeris Veneris quæ gerit arma Puer:
Parce, ait, ah! teneri ne frange Cupidinis arma:
Ipse sui læsus numinis vltor erit.
Insanum ô quoties cupies reuocare furorem,
Cùm miser haud vanas experiêre minas?
Se volucrem in pectus mittet Puer ipse sagittam;
Hîc medio victor prælia corde geret:
Hîc magnum duris versabit in ossibus ignem:
Tunc nimiùm sæuam, stulte, querêre manum.
Mobilis est quamuis, non semper commouet alas;
Et quamuis puer est, quo timeatur, habet.
Testis erit, sit serua licet Brisëis, Achilli;
Hæsit in indomito pectore certus amor.
Quid? quòd & Alcides, domuit quâ monstra, subactus
Hac tenuit dominæ mollia pensa manu.
Ridet ad hæc, geminatque senex violentiùs ictum,
Et pharetram Pueri frangit inertis onus.
Tum, Cur numen, ait, læsi metuamus Amoris?
Non nisi quod tribuunt otia robur habet.
Otia si vitas, periisse fatebitur arma,
Et vinci facilis cedet inermis Amor.

Caſtitas tenera.



Si tangas, frangas.

FOrtè minùs caſti confuſo flumine cœni
In conchâ fæcem miſcuerant pueri:
Preſſa inflabatur teneris & arundo labellis,
Effectrix operis Dædala arundo noui.
Ecce tibi, calami genialis flamine bulla
Exiguo, cælum iuſſa ſubire, micat.
Paruula, ſed liquido gemmantibus vndique ſtellis
Concludens gyro, quidquid in orbe nitet.
Hei mihi quàm tenero mundi omnipotentis imago,
Quàm latet anguſto machina tanta ſinu!
Picta ſuperficies diſtinguit mille colores,
Vixque decus tantum, cùm nitet Iris, habet.
Denique tam placidè cernens per inane volantem,
Pænè aliquid, dixi, numinis inſtar habet.
Eia ergo, mea bulla! ô formoſiſſima bulla!
Exſilio, manibus luminibuſque ſequor.
Percita vix primùm flatu digitóve propinquo,
In lacrymas cupidis it reſoluta oculis.
O benè diuinum mens virgo imitata nitorem,
Complectens paruo numina tanta ſinu!
O pulchra! ô tenera! attactu dum frangeris vno,
Fis labes, fletu non reparanda tuo.

Caſti-

Caſtitas ſit intaminata.



Vapor rapit omne decus.

NVper amor nitidum cùm ſe cenſore notaret
Cryſtallo, Scythicis quæ glaciata iugis,
Miraturq́ue comam fuluo quæ pulchrior auro,
Miratur primis æmula labra roſis:
Dum ſe ridentem ridet, dum ſingula laudat,
Vrentesq́ue oculos, purpureasque genas;
Flammeus oris honos, & lactea colla pruinis,
Et frons ſideribus ſplendidiora placent:
Dumq́ue ſuo ſimilis Narciſſo arridet imago,
Ingemit, & gemitu vitrea plana replet.
Ilicet omne decus vapor eripit, atraq́ue nubes
Ora ſuperfuſis occulit in tenebris.
Vicinæ cautus Veneris contagia vitet
Suadeo, qui caſtæ lilia mentis amat:
Si purâ vt ſpeculo Numen tibi mente renidet,
Ah, caue; vel labes vna fugare poteſt.
Inficit afflatu, licet oſcula blanda propinet:
Aura maligna roſæ, Cypridis vmbra nocet.
Vidi ego ſideribus certantia lumina, quæ nunc
Aut fumo, aut turpi putria tabe fluunt.
Alciden memorant, niuis inſtar ſole fluentis
Vicinâ tactum ſic periiſſe lue.

Caſtitas pœnitentiâ armetur.



Odi profanum vulgus, & arceo. *Horatius.*

HIſtrix, vt perhibent, olim deprenſa per agrum,
Viderat inſtantes in ſua terga ſues:
Extimuit, ſaltumque petit, notaſque latebras;
Hîc coluber tumido ſibilus ore micat:
Agglomerant hircique canesque in bella parati:
Quid faciat? ſpes eſt nulla relicta fugæ.
Ore canis, linguâ coluber, ſed cornibus hircus
Inſtat, fulmineo dente timendus aper.
Vix miſera in tantos hiſtrix patet vnica morſus:
Et tamen aduerſâ prælia fronte parat.
Profuit interdum deſperauiſſe ſalutem:
Gloria multiplici maior ab hoſte venit.
Hoſtes miſſilibus (quæ ſub cute condita) telis
Arcet ab attactu corporis illa ſui.
Sic tandem victique fatigatique recedunt:
Illa domum nullo vulnere læſa redit.
Vicit, ïo, ingeminantque feræ, texuntque coronam:
Inſonuit læto murmure ſaltus, ïo!
Iuſtius intactum ſeruabit virgo pudorem,
Si tamen arcendis hoſtibus arma geret.
Arma; quibus, ſibi ſe dum ſubiicit, omnia vincit,
Et vires auget debilitando ſuas.

Caſti-

Caſtitas fugiendo vincat.



Fuga laurigeros parit illa triumphos.

QVi cupis æternis Agni comes ire triumphis,
Calcat vbi niueo gemmea prata pede;
Et proprium plectro modulari carmen eburno
Inter virgineis lilia mixta roſis;
Noſti quâ vincas hoſtem ratione? timendo,
Et celeri, ſuadet quam timor ipſe, fugâ.
Nec modò congreſſum, primamque auertere pugnam
Idaliæ curſu præcipitante ſat eſt:
Eminus adſpectum, ſeu Phorcidos ora Meduſæ,
Degenerem quamuis increpet, vſque fuge:
Impiger vt viſis è montibus eminus vrſis,
Hinnuleus matrem per nemora alta petit:
Vt tenera immani pauet agmine cincta luporum,
Spem vitæ à trepidis agna petens genibus.
Nec pudeat; fuga laurigeros parit illa triumphos:
Hac crebrò Parthus victor ab hoſte redit.
Pollicitus quamquam dona immortalia Daphnæ
Phœbus erat, fugiens plus tamen illa tulit.

 Obe-

Obedientia facilis.



Quolibet impellas digito.

SPhæra manu artificis læuem tornata per orbem
Cùm parte ex omni ſtet benè nixa pede,
Quolibet impulſu digiti properatque manetque,
In partesque omnes præcipitata ruit.
Loiolæa ſequi ſignis fulgentia IESV
Caſtra, nec indecori puluere, quiſquis amat;
Teſſera prima illi, fingi ac pendere iubentis
A digito, vt celeri voluitur orbe globus.
Nec maneat, tuba dum claro ſonet ænea iuſſu,
Incumbatque graui pondere ſuada potens.
I ſatis, vt totum velut orbis obambulet orbem:
Vnica, quodcumque eſt, littera planat iter.
Quàm citò, quàm latè, mentis diſcurrit acumen
Quâ regitur; nubes præuolat atque Notos:
Peruuiam, Æthiopasque petit, fluidasque Moluccas,
Aut ſola, quæ medius torret aduſta dies.
Nec mare, nec tellus, nec mortis imago moratur,
Tartareamque vibrans ſæua Megæra facem.
Nil opus eſt igitur digito, dum littera vitæ
Atque ſui immemorem ſola ſat eſſe facit.
Hæc dabit vna viam; per aperta, per inuia ducet:
Penna ſolo fiet, puppis & vnda ſalo.

Obe-

Obedientia nutum intuetur.




Intenti ſignum exſpectant.

SI quem ſanctus Amor docuit parêre Tonanti,
Iſque hominum credit voce iubere Deum;
Emicat, imperij ſi quæ modò ſigna notarit,
Vel nutus ſtimuli pondus & inſtar habet.
Sic quos Roma vetus vidit contendere curſu,
Ad ſignum poſitâ proſiluere morâ.
Stabant nudi humeros, plantaſque & pectora nudi,
Falleret implicitos ne toga longa pedes:
Intenti ſtabant oculis Prætoris in ora,
Donec erat pandâ mappa remiſſa manu.
Tum verò mora nulla; velut per cærula puppes
Quas celer Eurus agit, corripuere gradum.
Continuò totis plaudebat Roma theatris,
Viſaque currentes ore manuque ſequi.
Non minùs exſpectat ſignum nutumque iubentis,
Et leuis, abiecto quod remoratur, adeſt,
Quiſquis ad obſequij ſatagens pertingere metam,
Sperat agonothetæ præmia ferre Dei.
Huic fauet Indigetum plauſuſque dat omne theatrum:
Et ponit meritis laurea ſerta comis.

Obe-

Obedientia prompta.



Præuenit imperium.
Echo.

Væ mea dicta refert vixdum vocitata? citata.
Cur de rupe cauá prompta reclamat? amat.
Vix pleno prolata sono præceptá, recepta.
Præuenit imperium nescio quis, scio quis.
Ergo meo nutu tu velles viuere? verè.
Sed mea iussa forent num tibi grata? rata.
Littera an vna tibi satis, i, dum dicitur? itur.
Ergo etiam hîc aliquis ardua quærit? erit.
Ad Garamantas iter placet vt moueamus? eamus.
Num quis & ad Cafrûm littora vadit? adit.
His veniet messis fecunda laboris, ab oris.
His aliquis fidei dogma propaget! aget.
An tormenta feres tot acuta, tot aspera? spera.
An tibi flagra, cruces, dulcia sputa? puta.
Talia dius amor quid agit dum parturit? vrit.
Ergo graues nullæ res in amore? moræ.
An loca senta situ tua cura parabit? arabit.
Euge nouá surget fruge nouale. vale.

Obedientia velox.



Necdum lingua, ſuum dextra peregit opus. *Martial.*

AD nutum vocis ſi quid benè ſcribere certas,
Crede, aliquid vocis debet habere manus.
Si neſcis, rapidæ ſimilis fluit illa ſagittæ,
Anteuolat Zephyros, anteuolatque Notos.
Si neſcis, verbo mentis ſecreta loquenti
Imminet, & quamuis vix benè iuſſa notat:
Sæpè etiam officioſa nimis præcurrit, & ante
Imperium vocis dextera carpit iter.
At tu, cui ſtudium ſubſtrata per æquora chartæ
Arbitrio vocis præcipitare ſtylum,
Sis memor, articulos agitare citatiùs Euro,
Cùm ſua criſpatis murmura ſcribit aquis.
Illa quidem lento quæ pingit ſingula ductu
Puncta manus, ſtudij nomen & artis habet:
Illa tamen quia ſæpè ſuo ſe pigra labore
Impedit, ad laudem prima venire nequit.
Tu properare memor, calamo præcurrere voci
Si potes; & palmam præripuiſſe potes.
Sic Loiola ſuos docuit parêre Sodales,
Mandatum celeri præueniente manu.
Sic meritis prima eſſe poteſt, quæ turba laboris
Obſequium cælo pendere prima poteſt.


Quartum Societatis votum, obedientia Summo Pontifici.



Reſpicit aſtrorum Regem.

VErſat amor florem, tractumque cupidine vultus
Nequidquam Boreæ ſæuior aura quatit.
Seu primo Phœbus colluſtret lumine terras,
Prima videt Clytie proſequiturque diem:
Seu medius cælo, occiduis ſeu proximus vndis,
Impigra Phœbeas itque reditque vias.
Impatiens flecti, fert libera colla Cupido,
Et niſi quæ fecit, vincula neſcit amor.
Vincula diuus amor Sociis aptauit IESV,
Atque humeris pennas in ſua iuſſa dedit.
Pontificis gaudens hic iuſſa capeſſere cœtus,
Currit ad Eoos, currit ad Heſperios.
Arctoos placuiſſe putet; velocior Auſtris,
Tutus ab Arctoo frigore carpet iter.
Ad nutum ſequitur, medioſque per ætheris ignes,
Et ſi quæ nondum cognita Regna latent.
Munera nulla petit: placuiſſe eſt munus amanti,
Cetera dedidicit quærere nudus amor.

Votum repudiandi honores.



Grauis est odor.

Sis licet irriguo florum studiosus in horto,
Flos tamen hic quare despiciatur, habet.
Sat nitet Augustæ decus Imperiale coronæ,
Sed facit ingratum perniciosus odor.
Scilicet augustis nil quidquam rebus inesse,
Et fictâ specie magna placere reor.
Ne nimis externo fidendum crede decori;
Sæpè sub hoc aliquid, quo capiare, latet.
Plus honor abscondit, quàm quidquid amabile præfert,
Nec quo displiceat sustinet esse palàm.
Este procul vanæ, speciosa pericula, laudes;
Pompa coronati verticis esto procul.
Quæ grauis est gemmis, est & grauis Infula curis;
Quodque tegit, tutum vix sinit esse caput.
Esto, sit eximium sublimes scandere sedes:
Securum est humili delituisse loco.
Nimirum celsas conuellunt fulmina turres;
Et quod conspicuum est, in sua damna patet.
Vix datur in summo cuiquam diu stare: cadensque
Læditur hoc grauiùs, quo magis altus erat.
Quamuis emineas Romano clarior ostro;
Ostro si careas, tutior esse potes.

Societas honore contempto illuſtrior.



In tenebris clariùs aſtra micant.

Cynthia ſi cælo bigas properantior vrget,
Dum nondum occiduos Phœbus inaurat agros;
Et fratri comes ire parat, curruſque ſuperbos
Iungit, & in mediam prouocat aſtra diem;
Lampade Phœbeâ vultus extincta nitentes,
Cum grege nocturno Cynthia tecta latet.
Aſt vbi ſol currus deuexo margine ponti
Soluit, & Occiduis lumina merſit aquis;
Heſperus, & toto Phœbe pulcherrima cælo
Fulget, & in tenebris clariùs aſtra micant.
Dum tenebras quærit, mundoque ingloria, cælo
Loiolæ ſoboles viuere teste parat;
Dum refugit titulos & inutile nomen honores
Reſpuit, & quidquid vulgus inane ſtupet;
(Teſtis liuor erit) totum diffuſa per orbem
Impleuit famâ ſolis vtramque domum.
Certus honor ſequitur fugientem, idemque ſequentem
Ludit, & è tenebris lux inopina venit.

Ambitio


Ambitio periculosa.



Si tumeas, timeas.

ET tamen est ventis qui vitam credat & undis,
Quamuis tot perdat ventus & unda rates.
Exitij caussam malè sospes præbuit Argo,
Cùm tetigit portus Thessala terra tuos.
Scilicet iratis erat hæc mergenda procellis,
Quæ docuit vetitas currere prima vias.
Vtilis exemplo paucorum pœna fuisset:
Post hos æquoreas nemo bibisset aquas.
Successu primo multis fiducia creuit,
Qui tamquam domitum non timuere fretum:
Aut si non domitos, ponti sibi quisque benignos
Insanâ finxit credulitate Deos.
Iamque, Caphareis qui pænè natauerat vndis,
Audet ad Euboïcas tendere rursus aquas,
Inque mari medio plenis decurrere velis,
Fata nihil digitis quinque remota timens;
Dum tandem rumpant turgentia lintea venti,
Et bibat infestum quassa carina salum.
Qui sapis, exitium non dispar crede timendum,
Quando tibi vano pectus honore tumet.

Votum non laxandæ paupertatis.



Laxari impatiens.

NEc citra certos ſtare inuiolata, nec vltra
Religioſa poteſt rectè conſiſtere fines
Paupertas. Illam nuper docturus alumnos
Inſignis contemptor opum, morumque Magiſter:
Vos quibus, inquit, opes hîc aſpernando paternas
Amplior æthereis accreſcit cenſus in aruis,
Anguſtam, iuuenes, præ laxâ diſcite amare
Pauperiem: ſordet laxata, anguſta niteſcit:
Hæc animum ditat, depauperat illa; nec audit
Sancta, ſuum nomen tituloſque anguſta tuetur:
Deque ſcypho vitreo coni referente figuram
Deſumens exempla, Ex hoc cognoſcite, dixit,
Virtutem; vitro nam tota relucet in iſto:
Ars ſemel à primo poſtquam ſecreuit aceruo
Materiam calicis, flatuque manuque figuram
Indidit; antè ſuos fractâ compage recurret
In cineres, laxam quàm ſe patiatur abire
In formam: ſic, cùm ſemel in ſua membra redegit
Pauperiem manus & diuini Spiritus oris,
Diſſilit in partes, ſi laxas; pulchraque virtus
In vitij ſordes & arenæ tranſit amorem.
Hoc cauet, & fragilem voto mens prouida munit.

Reno-

Renouatio votorum.



Nexus non ſufficit vnus.

NVlla quies in amore datur: quis comprimat ignem?
Feruida flamma moras, otia neſcit amor.
Siqua poteſt ceſſaſſe, poteſt periiſſe fauilla;
Deſes ab extincto proximus ardor erit.
Pectus amans, triplici quamuis adamante reuinxit,
Hæc magè, dum renouat vincula, ſtringit amor.
Vulnus alit, flammasque nouas, noua ſpicula vibrat,
Amplexuque nouo vincula multiplicat.
Et quoties ſacros, ſua vota, retractat amores,
Et quoties renouat gaudia, vincla facit.
Sic hederæ, iunctâ quamuis radice ligantur,
Et trunco teneras applicuere comas;
Aſſurgunt, ramosque nouis complexibus vrgent,
Quaque patet quercus, Bacchica ſerta gerit:
Non hederæ, nexus non ſufficit vnus amori:
Mille hedera amplexus, mille requirit amor.

Reno-

Renouatio ſpiritus.



Nouum mutor in alitem. *Horat.*

VIx benè concluſit proprio ſe carcere bombyx,
Et nouus inde tibi protinus ales adeſt.
Iam vigor, & volucres creuêre in tergora pennæ:
Qui modò ſerpebat, ſi lubet, ecce volat.
Nempe ſibi talem format natura receſſum,
Remigij alarum quo fabricetur opus.
Ite agite, & ſacris, Socij, vos claudite ſeptis,
Roboris ætherei creſcat vt inde vigor.
Innouat hîc vires, hîc ſacræ ſemina flammæ
Sufficit, hîc alas Dædalus aptat amor.

In idem Emblema.

FAlleris ô, quicumque negas reparabile damnum,
Quando ſua in miſeros viſcera pandit amans.
Pande age, nec turbæ quidquam renuatur egenti;
Tempus erit, vires cùm renouabit amor:
Se tibi proſtituit, totoſque exenterat artus
Bombyx, inque tuas viſcera fundit opes.
Nec mora longa, nouus ſuper æthera tollitur ales:
Quis benè iacturam ſic reparaſſe neget?
Nec mora longa, nec eſt cur ſit mora longa; rependet
Quæ benè conſumpſit, robora dius amor.

Receſſus


Receſſus annuus ad vacandum ſpiritualibus exercitiis.



Dum condor, fecundor.

Felicis arua Mempheos, cultiſſimi
Celebrata tellus ingenî,
Nunc æſtuoſis occupata fluctibus
Totòque Nilo condita;
Vnde vberis pinguedinem glebæ trahis,
Datura fenus nobile:
Quod eſſe meſſes Africæ malint ſuum,
Suumque malint Gargara:
Sic ſemper almo manet ad plenum tibi
Opulenta cornu copia,
Vt à profanis expediti cœtibus,
Strepituque curarum procul,
Sanctæ recepti ſolitudinis ſinu
Silentio recondimus,
Quod efficaci germinet propagine,
Fructuſque diffundat ſuos,
Quacumque pulchrum diuidit Phœbus diem,
Per vtramque mundi regiam:
In hoc latendo nobiles, quòd conditi
Opima condimus bona.

Ratio conſcientiæ Superiori ad nutum reddenda.



Tantùm opus eſt verbo.

PRô Superi! quantis tegitur mens abdita clauſtris!
Prô Superi! quantum pectora noctis habent!
Dum faciles aditus ſpondet ſera, perfida fallit;
Et quæſita diu littera, vana ſubit.
Pectora concutio, clauſtrumque reuellere tento:
Nequidquam immoto cardine clauſtra rigent.
Excute corde ſeram, cuius ſibi conſcia lucem
Mens fugit, & cæco carcere clauſa latet.
En patuit facilis ſera, vox retinacula ſoluit:
Vox aperit, doctâ vox benè iuncta manu.
Præſidis ad vocem ſic ſe mens intima pandit,
Cæcaque conuerſo cardine clauſtra patent.
Tantùm opus eſt verbo. quod non vis ſæua reuellet,
Recluſum verbo, littera iuncta dabit.
Tantùm opus eſt verbo, noctemque ſeramque refringet,
Et totos pandet mens adaperta ſinus.

Dimiſſio è Societate IESV.




Nil dabit inde minus.

ET noſti, & verum eſt; non eſt iactura dolori,
Vinea quam curuâ falce putata tulit.
Nec minùs inde ſuis ſub veris tempora gemmis,
Nec minùs autumno ſtabit amœna botris.
Viderit hanc, carmen philomela datura ſubibit;
Viderit hanc, ſiſtet ſæpè viator iter;
Atque omnem tacito percurrens lumine ſiluam,
Hæc, dicet, magnas vinea fundet opes.
Vina per & terræ, per & æquora vaſta profundi,
Auehet ille rotis, auehet ille rate.
Felix, qui coluit, qui dente putauit adunco,
Scilicet illa ſuæ præmia falcis habet.
Hæc ille: at mihi non tali cum iudice res eſt;
Perge, intermiſſum carpe, viator, iter.
Sed tu, fabor enim, Loiolæ ô clara propago,
Vinea nos ſimili fertilitate beas.
Vndique diffuſis comples virtutibus orbem;
Nulla tuis vſquam fructibus ora caret.
Tempore quemque ſuo reſeces licet vndique ramum,
Si qua fides viti eſt, nil dabit inde minus.

SOCIETAS IESV. Anagr. VITIOSA SECES.

IMAGO PRIMI SÆCVLI SOCIETATIS IESV.



LIBER SECVNDVS.

SOCIETAS CRESCENS.

SIVE

De incremento & progreſſu Societatis vſque ad hunc annum ſæcularem.

CAPVT PRIMVM.

Prima Sociorum collectio, Ordinis fundamentum.



VEMADMODVM mundi huius Conditor Deus, vt in tanto opere ſuæ pulchritudinis ac potentiæ veſtigia adumbraret, præter ſpectabilem hunc ornatum adeò multiplici varietate diſtinctum, diuerſam agendi vim, diſſimileſque naturis rerum propenſiones indidit: ita in humanis animis (qui quoddam huius Vniuerſitatis breuiarium ſunt) præter cæleſtium decora gratiarum, quibus eos ad dignam amore ſuo venuſtatem perpolit, efficaces imprimit motiones; quibus in varia inclinati, dum alius aliud amplectitur ſanctioris vitæ genus, collectas in illo bonorum Oceano virtutum excellentias, diuiſim & per partes æmulentur ac repræſentent. Hinc adeò diſparia virorum Deo famulantium ſtudia, adeò diuerſæ nitentium ad perfectionem viæ. Sunt qui in æternarum rerum contemplatione defixi, vt affluenti cælitus dulcedini vacuum atque expeditum præbeant animum, à negotiis eum curiſque prorſus abducunt. Sunt qui non tam mentis, quàm corporis exercitationibus dediti, in charitatem & miſericordiam totos ſe effundunt; & inter noſocomiorum ſqualorem, inter reorum ac mancipiorum ergaſtula, æuum conſumentes, quidquid ſolatij calamitoſis adferunt,

Diuerſa Religioſorum Inſtituta.

ferunt, suas delicias putant. Alij iuuandis magis animis, quàm corporibus intenti, sic agendi contemplandique studium conferunt atque commiscent, vt neque in degustandâ suauitate diuini colloquij caussas deserant proximorum, neque in ferendâ proximis ope diuinam familiaritatem negligant: sic se sibi excolendis perficiendisque impendunt, vt partem curarum ad communem vtilitatem deriuantes, quod priuatim proficiunt, id omne publicè velint prodesse. Priores in loca sola abdunt sese, & procul ab omni strepitu sancta sectantes otia, secum toti & cum Cælestibus degunt. In solem posteriores & puluerem prodeunt, oppida atque agros percursant, diurnis contentionibus nocturnas vigilias addunt, quietem denique in laboribus, in hominum consortio Dei præsentiam & congressum quærunt. Laudabili vtrique, quia non tam suo, quàm æternæ Mentis, cui suas attemperant rationes, ductu atque consilio. At iam eò redierat Christiana res, vt (quod magnus olim Aphraates dicebat) vel ipsos eremi cultores ad leuandas Ecclesiæ calamitates, tamquam assuetas secreto virgines ad restinguendum paternæ domus incendium, par esset in publicum prodire.

Ecclesiæ necessitas tempore Ignatij.

Fluctuabat multis locis Religio: fœdabantur castissimi ritus: Prouinciarum olim constantissimarum lababat fides, salus periclitabatur. Quâ in communi necessitate & discrimine, suis dumtaxat commodis & saluti vacare, non tam virtutis studium, quàm laboris fuga poterat videri. Eam ob rem Ignatius auersatus iam vanarum rerum illecebras, vocantique ad meliora Numini obsecutus, postquam priuatæ satis pietati indulsisset, hausissetque de cælo, quod in alios cum fructu posset & sine periculo transfundere; ad ferendas miseris suppetias, firmandumque quà posset, Ecclesiæ statum, curas suas omnes cogitationesque conuertit. Quid tamen aut in illo, aut in quocumque suam solius operam conferente, tantum præsidij? Nec vnus omnibus prodesse poterat, nec vllis admodum diu. Iungere ergo cum pluribus studia, & adlegere Socios visum est: qui eius primùm operâ incensi, dispergerent deinde alerentque in posterum flammam, & frigescente sæculo Christianæ pietatis ardorem renouarent. Id primò in Hispaniis Barcinone Salmanticæque tentatum. Vtrobique conatu maiori, quàm successu. Multos sigillatim virtuti conciliauit; qui sibi ad laboris societatem fideliter adhæreret, reperit neminem. Nimirum satis erat, hoc Regnum magnorum virorum feracissimum nouæ Congregationis Auctorem protulisse, initia progressusque alteri debebantur. Ita transplantari amant quidam frutices, nec nisi aliò traducti in arbores excrescunt.

Ad nauandam Ecclesiæ operam Ignatius Socios colligit.

Parisiis, celeberrimo per Christianum orbem litterarum emporio, vti maior florentissimorum iuuenum ex omnibus Regnis eò confluentium copia, ita facilior fuit certiorque delectus. Primus adscitus Petrus Faber, natione Allobrox. Nec ægrè viro sancto adhæsit, qui sanctitatem à puero fuerat amplexus. Plus in Xauerio desudatum, quasi iam tum portenderetur, in illo vno de millibus multis agi. Is Pompeiopoli Regiâ Nauarræ vrbe nobili prosapiâ natus, illud modò spectabat, vt ad aggenitam familiæ bellicam laudem sapientiæ decus adiungeret. hoc difficiliùs ad infima atque humilia animum inflexit. Sed eum, vt relu-

ctaretur; Ignatium, vt instaret, mouebat magna indoles. Norat vir prudens, in incultis agris ex inutilium herbarum luxurie fertilitatem colligi. Norat equorum domitoribus ferocissimos placere: eos esse, qui, vbi frenum pati didicerint, aduersam frangant aciem, & per prostrata cadauera equitem suum ad gloriam vehant. Nec diu elusus labor. dedit mox manus, & contumaciam strenuitate pensauit. Inde Iacobum Lainium Seguntinum, & Alphonsum Salmeronem Toletanum, cùm ingenij studiorumque similitudo sociasset inter se; salutis & perfectionis studium ad Ignatium aggregauit. Post hos Nicolaus Bobadilla Palentinus, primùm officiis delinitus, mox vitæ proposito coniunctus est. Sextum se addidit Simon Rodericius Lusitanus, acri iuuenis ingenio & indole præclarâ. Claudius Iaius Gebennensis aliquantò pòst; postremi duo, Ioannes Codurius & Paschasius Broëtus, Belga hic, ille Allobrox, post Ignatij Lutetiâ discessum se coniunxere. Ita ex paucis hominibus, patriâ, ætate, moribus, consilio discrepantibus, velut ex variis elementis, pulcherrimi corporis coaluêre principia. Nec diuersitas vel auspicio caruit, vel fructu. Quòd natione differrent, monebantur non ad alicuius se gentis, sed ad omnium populorum salutem congregatos. Consiliorum dispar ratio subitæ conuersionis consensusque Deum prodebat auctorem. Cetera dissimilitudo documentum dabat posteris, vt, cùm adeò diffidentes non nisi per charitatem coiuisse cognoscerent, eodem vinculo continerent communitatem suam, quo esset initio colligata. Paucitas verò, cum operum quæ aggressi sunt magnitudine composita, quantum admirationis habet? numquam manifestius fuit, virtute potiùs quàm numero, concordiâ & conspiratione quàm magnis apparatibus, res geri. Quamquam verisimile est, Ignatium, dum nouam condere militiam in animo haberet, hos velut Præfectos Tribunosque selegisse, de reliquis copiis satis securum, si idoneos Duces nactus esset.

CAPVT SECVNDVM.

Alterum Societatis incrementum in Ordinis confirmatione.

RES erat vnius ætatis, paucorum hominum societas. Vt perennaret, Religiosum Ordinem condi placuit. Assensit Paulus III. Pontifex Maximus, eâ lege, vt, quoniam exercitus in morem variis distingueretur ordinibus, Professi, qui velut prætoriani milites sunt, supra sexaginta ne essent. Sed vbi arborem plantaueris, difficile est crescendi legem præscribere. Dante incrementum Deo, nequidquam obicem ponas. Quos verò nouæ huic propagini diuina bonitas auctus sponderet, non dubiis apparebat indiciis. Vixdum in Europâ firmare radices cœperat; & iam vsque ad vltimas Orientis terras læto penetrarat prouentu: vix paucis inferre se prouinciis; & iam plerasque sui desiderio complerat. Studia ciuitatum, postulata Principum, vota populorum, per litteras atque Oratores indies adferebantur. cumque vnà obuersarentur oculis animarum pereuntium strages; videbatur quoddam mise-

Professorũ numerus restringitur ad sexaginta.

Societas à pluribus populis expetitur.

riæ

riæ genus, non poſſe miſeris ſubuenire. Quid tamen plurimis fieret, ſi adeò anguſtis circumdata cancellis, nec terminos ſuos Societas, nec labores proferre poſſet? oſtenſum ſibi, non conceſſum auxilium dicerent; miſerabiliùs perituri poſt ſpem ſalutis. Quid? in immenſum creſcerent hæreticorum cateruæ, exiguus ad Eccleſiam manipulus accederet? latiſſimos India offerret campos, colonorum non admitteretur copia? Nec hoc pro ſuâ pietate voluit, nec pro ratione muneris fas eſſe Pontifex iudicauit. Quàm ergo priùs prudenter, velut in experimentum, hunc recenti Religioni limitem definiuerat, tam poſteà beneuolè dilatauit; vt, ſi Deo videretur, creſcente indies numero, & in Patrum locum nouâ ſobole adoleſcente, durationem cum omni poſteritate, amplitudinem cum orbis terminis adæquaret. Indulgentia Romanæ Sedis Patribus pro omine fuit. Plures inde cùm lectiſſimi iuuenes, tum viri ætate ac ſapientiâ graues adoptati: Societas inſtar fluminis, perfractis aggeribus, exundare latiùs cœpit. Quis hîc Ignatio ſenſus, cùm in eum ferè modum multiplicari ſuos cerneret, quo ſuorum turbam ſectatorum Seruator auxiſſet? decem ille principio; CHRISTVS duodecim ſelegit. Mox ad hos additi duo & ſeptuaginta; Ignatio ſexaginta conceſſi, pari ad priorem numerum acceſſione. Tandem infinitos Euangelij Præcones orbis habuit, ſpes erat & Socios ſine numero fore. Libet ſanè vel hoc nomine diuinæ benignitati referre gratias, quòd quorum maximè vitam nobis imitandam propoſuit, eorum ſimiles dederit progreſſus.

Sociorum numerus creſcit ad modum diſcipulorũ CHRISTI.

CAPVT TERTIVM.

Tertium Societatis incrementum ſub ſancto Ignatio.

VTi res, quas terra gignit, ita Regna Resque publicæ ſe ſenſim efferunt. Vt Roma gentium caput fieret, ſeptingentis annis opus fuit: tamen, ſi progreſſum cum annis conferas, ætatem, inquit ille, vltra putes. Velocior Alexandro victoriarum curſus. At quantis exercitibus quotam terrarum partem ſubegit? Aſiæ, vt nunc eſt, non maximam. Plus Chriſtiana virtus potuit. Pauci piſcatores orbem non multò tardiùs, quàm peragrari poſſet, Deo ſubdidêre. Ita vltra Regna atque Imperia ſuos Eccleſia limites protulit, & vbi nulla trophæa ſteterant, ſua ſigna collocauit. Licétne cum huius progreſſibus variorum Ordinum incrementa conferre? Eodem & auctore conditi, & adiutore promoti, non parum de amplitudine participarunt. Sed id Ignatio indultum Marcellus II. Papa iudicauit, vt inter omnes, quorum operâ in inſtituendis Ordinibus diuina Sapientia vſa eſt, nemo, dum viueret, tantam familiæ ſuæ, quantam ille, dilatationem viderit. Fuerunt aliæ fecundæ quidem, & ſub ortum ſuum, inſtar fontium recèns prorumpentium è terrâ, quà patuit via, ſe diffudêre: ſed Fundatorum auſpiciis pleræque vix aliquot Regnorum fines, paucæ vnam orbis partem exceſſere. Quid Societas? extremas terras, extrema peruagata maria. vbique gentium non ſedes modò, ſed & Prouincias habuit. in Europâ nouem; vnam in Aſiâ (ſed quàm vaſtam?) Indiam, vltimos hominum

Florus l. 1.

Ignatius ſuum Ordinem latius quam vllus Fundator propagatum videt.

Hiſt. Societ. lib. 15.

Societas viuo Ignatio per quatuor mundi partes diffuſa.

minum Iapones complexam: vnam item in Africâ (ita tum censebatur) Æthiopiam: Brasiliam in Americâ postremam. Quibus quid additura esset dies, nec Ignatium diuina bonitas, nec suos Ignatius celare voluit: quodam enim in morbo, cùm moriturus timeretur, rogantes illos differret suum in cælos discessum; verendum enim, ne orbata parente nondum roborata familia concideret; bono animo esse iussit: Deo Societatem, non Ignatio niti. illius fauore, quos videret orbis, in eum diem progressus fecisse, maiores tamen in posterum facturam: ventura tum tempora, cùm ad instar corporum incremento iam facto solidaretur in se, atque ita molis suæ compages disciplinâ constringeret, vt, quæ labis solet esse principium, ad stabilitatem faceret magnitudo. Rara felicitas, sed cuius Ignatius non modò vates, verùm etiam secundùm Deum auctor est. Dum speranda nobis bona prædixit, quid sibi debe-retur indicauit. ab eo enim ortum Societas, ab eo, præter perpetuum patrocinium, augescendi suique conseruandi vias ac rationes habet. Quamobrem, ô Parens optime, ô eximie Ordinis tui, quin & Christiani propagator Imperij, quas tibi grates filij tui, quas orbis referet vniuersus? tu fecundam hanc vitem, quæ modò ab Ortu ad Occasum palmites explicuit, plantasti: tuis, dum viueres, vigiliis; dum cælos adiisti, meritis excreuit. Tu domus huius Deo dilectæ architectus es: tuum opus primi lapides, tua totius ædificij forma. Vt ruinam ne timeat, fundamenta Christo auspice solidasti: vt tutò assurgat, Regulas tuas velut amussim reliquisti. Ex te fons ille scaturiit, qui, vt in fluuium magnum excresceret, allapsos quidem torrentes excepit; sed aquas in origine haustas per sordida terrarum, per amaros Oceani vortices voluit hactenus incorruptas. Tuis auspiciis collectus, tuis etiamnum consiliis regitur hic exercitus: futurus victor, dum ordines in quos discretus, dum relictorum à te armorum vsum, dum præcepta pugnandi, dum munitiones suas, hoc est tuas Constitutiones, seruabit. Adsis nunc, ô bone, & tuis, vt facis, propitius, quem sperasti, quem spopondisti, quem è cælo curasti, profectum intuere.

Ignatij de Societatis progressibus prædictio.

Ex scriptis P. Oliuerij Manarei.

CAPVT QVARTVM.

Propagatio Societatis per Europam.

EVropa non terrarum amplitudine, sed incolarum præstantiâ nobilissima mundi pars, vti Societatem protulit, ita pluribus locis recepit. Natalis terra Italia fuit, vbi Roma Religiosorum Ordinum parens. Nec vsquam feliciùs, quàm in patrio solo adoleuit. in Vrbe tribus sub Ignatio sedibus constituta, nunc vndenas numerat. Agnosceres hîc radicem, ad quam frequentes surculi pullulant. agnosceres caput, vbi colligitur, & maximè sese exserit sensuum vis. Inde per nobilissimas Italiæ ciuitates dispersa est. Plerisque sui specimen dederant primi Patres iam tum, cùm nondum Religiosis accenserentur. E nosocomiis ad pulpita prodeuntes, ostenderant non minus sibi esse ad sanandos animos industriæ, quàm ad subleuandas corporum ægritudines charitatis. Ad famam

Societatis in Italiâ ortus & incrementum.

famam ſic partam vbi fauſtus de confirmatâ Societate nuntius acceſſit, quaſi ſi ſalutis alienæ ſtudium iis vrbibus, vnde diſceſſerant, ſui reditus obſidem reliquiſſent, publicis votis reuocati ſunt. Oblata vitæ ſubſidia, oblatæ tot ad commorandum ſedes, quot incolendis adultior Societas vix ſuffecit. Poſteri, quorum in locum veniebant, horum ſibi partes ſubeundas rati, non ceſſarunt eorumdem commodis populorum perpetuo conatu inſeruire, & relictum ſibi nomen per ea conſeruare miniſteria, per quæ fuerat acquiſitum. Auctus cum fructu fauor, &, quâ maximè creuimus, Principum Eccleſiæ beneuolentia: ad quam tantus nunc à Barberinis cumulus acceſſit, quantum vti exſpectare modeſtia non ſinebat, ita ſatis agnoſcere prohibet magnitudo. Si quid id eſt, vt illorum apud nos æternet nomen, ipſo ſæculorum decurſu monebimur. Gratitudinem, quam oblitterare ſolet, renouabit vetuſtas: fato quodam Societatis felici, vt cùm ea per quæ ſubſiſtit, Romanis Pontificibus accepta referat omnia, per quę ornatur, eorum nepotibus debeat quàm plurima. Sic inter Vrbis Romanæ decora ſunt, quæ Farneſij & Lodouiſij cùm pietatis in Deum, tum ſuæ aduerſum nos voluntatis auguſtiſſima monumenta reliquere. Boncompagni, Aldobrandini, Burgeſij, alijque Pontificibus agnati, quàm meritis ſuis, & illorum fauore magni, tam nominis noſtri ſtudioſi fuere. Quid de Borromæis dicam? illud Italiæ decus D. Carolus (cui vt aliquid ad ſanctitatem, quâ mundo venerabilis eſt, Societas contulerit, multò tamen plus debere ſibi gloriæ ducit) præter donatam Aronenſi Tirocinio domum, tria condidit dotauitque Collegia, Mediolani vnum, per Heluetiam duo: futura, vt putabat, non tam ſuæ munificentiæ teſtimonia, quàm Religionis per eas oras firmamenta. Pari ſuos præſidio reliqui per Alpes Principes muniuere: vtque Italiæ clauſtra ingruentibus ex vicino hæreſibus imperuia facerent, Collegia montibus ſuis velut arces impoſuere. Vicinæ inſulæ non minùs noſtri cupidæ. Sicilia ſimul ac nouit, expetiuit. Sardinia cùm æquè vitiis atque venenatis herbis ſcateret, hinc antidotum petiit. Sic Corſicam, ſic Melitam ingreſſi ſumus. Cretam etiam cùm Venetorum, quibus paret, tum Romani Pontificis voluntate inhabitauimus; ſed acerbus, quem Venetiis tulimus, caſus eò quoque deuenit.

Principes Eccleſiæ Societati beneuoli.

Gluſſanus in eius Vitâ.

Societatis in maris Mediterranei inſulas,

Poſt Italiam prima nos Luſitania excepit. Venerant eò Franciſcus Xauerius & Simon Rodericius, in alterum Orbem Dei nomen, & Societatem, portaturi. Dum Oliſipone idoneam ad nauigandum tempeſtatem exſpectant, & quid Indis eſſet ſperandum, in Luſitanis docent; ita ſe probarunt, vt quibus operam ad tempus commodabant, illi propriam ſibi fieri ac ſtabilem vellent. Rogant Regem (erat is Ioannes tertius, quo nemo naſcentem hunc Ordinem vel benigniùs excepit, vel fouit ſtudioſiùs) ſuorum non minorem, quàm barbarorum curam habeat: omni ſtudio conquirendos tales viros; non de manibus, cùm haberentur, amittendos: Indiis & ſine damno & largiùs proſpectum iri, ſi pluribus (quod virtutis exemplo facturi erant) ſibi aggregatis, numeroſas eò colonias aut mitterent, aut, ſi videretur, ipſi deinde ducerent. Quaſi iam tum multi eſſent, diuidi placuit. Simon remanere iuſſus, Xauerius in Indias pergere, vnus tot regionibus par. Hìc vltimum ſui monumen-

& in Luſitaniam ingreſſus.

 tum

tum diuinus ille vir, hîc suprema virtutum vestigia in Europâ reliquit. Dubites, beatiorémne Lusitaniam dicas cùm illum accepit, an cùm dimisit. Non potuit certè de iacturâ queri, quæ tam multis lucro fuit. Submissa mox in abeuntis locum noua supplementa: quibus quàm regia benignitas commodam, tam difficilem decessor prouinciam faciebat. Sed vt acres essent, Simonis exemplis & cohortatione, & suo potissimùm nomine incitabantur. Apostolos vulgus vocabat. quæ appellatio, quoniam virtute sustentata est, posteris etiam reclamantibus adhęsit. In Indias incertum, an inde transierit, an nouis meritis parta. Gaudebat Rex, Regique virtutibus similis Regina, cum suo iudicio populi sensum conuenire. Secundis de Societate rumoribus, tamquam beneuolentiæ suæ fructibus, exultabant. Nec minima pars in regiam deriuabatur. Epheborum curam sub suum statim introitum Xauerius & Simon susceperant; mox omnis ferè aula quoad animæ res se dirigendam Patribus tradidit. Ne se ipsi, & quod habebant charissimum pignus Reges committerent, euincere religiosa modestia non potuit. Sebastianus suorum spes & deliciæ, è Societate magistrum habuit. virtutes, quibus æternitatem merebatur, à P. Ludouico Consaluio sunt excultæ. Vtinam illis frui diutiùs Lusitaniæ licuisset! sed Religionis studium, ob quod viuere debebat, animosissimo iuueni gloriosam quidem, at infelicem, in Africano bello mortem properauit. Quo casu quamuis præcipuum Societas columen amisit; non tamen per sua se perennia studia, & salubres in commune labores, destitit dilatare. Ciuitates, quæ Regum vel exemplo, vel voluntate, Collegia nondum admiserant, suis deinde commodis ductæ petiere. Conimbricense vti in vniuersâ Societate primum, ita diu præcipuum fuit.

Socij in Lusitaniâ Apostoli appellantur.

P. Consaluius Regi Sebastiano instituendo operam dat.

Orbem complexus Ignatius, non poterat Hispaniæ patriæ suæ deesse. Misit eò Antonium Araosium propinquum suum, virum & pro gentis ingenio feruentem, & aliis naturæ virtutumque dotibus insigniter ornatum. Secutus mox cum Ortisio Cæsaris Legato Petrus Faber. Poterat in illo videri Ignatius ad suos rediisse: adeò Patrem primogenitus filius referebat. Nulli tamen magis, si Araosio credimus, quàm Lainius & Salmeron, dum Tridenti aliud agunt, Societatem in Hispaniis promouêre. Reduces ab illo Concilio Antistites susceperunt benignissimè matrem, cuius adeò præstantem in filiis indolem agnouerant. Placebat coniunctum cum virtutum actionibus doctrinarum studium: placebat accommodata ad præsentes Ecclesiæ necessitates Instituti forma. quæ in viuis illis imaginibus repræsentata, multos etiam aliarum nationum Præsules in sui amorem pertraxit. In Galliam Guilielmus à Prato Claromontanus Antistes, in Poloniam Stanislaus Hosius Cardinalis, Gerardus Hamericourtius Bertiniensis Abbas in Belgium, instituendorum Collegiorum voluntatem detulere. Adeò iam tum, vel communi cum ceteris familiis, vel propriâ Societati sorte, quod singuli facerent, cœpit in vniuersum corpus redundare. Sed pluribus fulciendus adminiculis tener hic Ordo, pluribus illustrandus luminibus erat. Accessit Franciscus Borgia; à cuius nobilitate splendorem, auctoritate firmitudinem, administratione incrementum accepit. Priusquam in eam se

Araosius & Faber in Hispaniam mittuntur.

Lainius & Salmeron Societati æstimationem pariunt in Conc. Trident.

Franciscus Borgia in Societatem adscribitur.

daret, in vrbe suâ Gandiâ disciplinarum Vniuersitatem ritè excitarat, quæ omnium prima nostrorum administrationi & potestati subfuit. Ita in nobilissima Europæ Regna distributa quædam Societatis inchoatæ laus. In Galliis primi Socij collecti: erecta Romæ prima Professorum domus: Collegiis in Lusitaniâ principium datum: Academias habere cœpimus in Hispaniis; felici omine, quoniam hinc potissimùm predituri erant, qui ingenij & eruditionis excellentiâ propagatis sacrarum scientiarum terminis, nostræ ætati ornamento essent, posteris admirationi. Vnde factum, vt nobilissimæ, quibus hoc abundat Regnum, Vniuersitates in sui nos communionem corporis adsciscerent, & ad docendi societatem vocarent. Nec minor virtutis vel opinio, vel in publicum vtilitas. Quamobrem Episcopi curarum suarum partem in nos deriuare, ad lustrandas Diœceses sibi socios addere, præpositus fidei rebus Magistratus in honore habere: Rex Philippus cùm emendatos alicubi mores, suisque similes vellet, non ab aliis præsentiorem opem sperare. Sic Hispanias facilè peruasimus. *Gandiæ Vniuersitas prima Societatis curæ commissa.*

Non idem in Galliis cursus. sed & aditus difficilior. Vti flumina in mare, vnde ortum habent, non sine ambagibus reuoluuntur; ita inchoata in hoc Regno Societas, non nisi post interuallum, & per varios anfractus, recepta est. Quos sub initium Parisios Ignatius misit, diu pro studiosis magis quàm Religiosis habiti sunt. Et, si virtutem excipias, erant illis, quàm his similiores. nec habitu, nec contubernio, nec studiorum Magistris differebant. Sola morum innocentia eximios reddebat: conspicua illa quidem, sed vel ideò calumniis exposita. Laborantibus præstò fuit Guilielmus à Prato Claromontanus Antistes: neque caussam modò libenter; sed & ipsos in ædes suas liberaliter suscepit. Ibi Collegium formari cœptum, pari & Sociorum & Præsulis gratulatione: huius, quòd domicilium suum in Dei domum conuerti cerneret; illorum, quòd talem & hospitem & fundatorem haberent, cuius non tam tecto quàm patrocinio protegerentur. Sed vt certa loci possessio esset, desiderabatur vt Societas in Galliæ corpus cooptata ius naturalis ortus obtineret. Hoc, simulque vt ædificare integrum esset, Cardinalis Lotharingus, alterum Religionis in Galliâ columen, ex Rege impetrauit. Sed Senatus auctor factus non est: Sorbona etiam graui nos censurâ perstrinxit. Ita non de habitatione modò, sed & de famâ laboratum. Sed nihil præponderat veritati. euoluit ipsa sese, & in iniquis iudiciis, vti fax in tenebris, ventilata clariùs elucescit. Ne tamen tantorum Doctorum negligi auctoritas videretur; Martinus Olauius respondit, refutauitque scripto, quæ moribus Socij refellebant. Reliqua difficultas in conuentu Poissiacensi per Lainium est sublata. Ibi dum non modò cum hæreticis vehementer, sed etiam cum Catholicis non timidè, cumque ipsâ liberiùs agit Reginâ; per quæ offensionem incursurus timebatur, per ea & sibi conciliauit gratiam, &, quæ ad firmandas Ordinis sui res opus erant, impetrauit: seu quòd ita libertatem prudentiâ temperaret, seu quòd numquam nocuerit suæ, qui Dei caussam fideliter promouit. Videbatur tot inter iactationes firmas agere radices Societas debuisse. euulsa tamen est: vt, quid ad communem rem eius opera conferret, Gallia *Societatis in Galliam ingressus difficilis: ab Episcopo Claromontano fouetur: cius innocentia defenditur: in conuentu Poissiacensi admittitur: excedere cogitur,*

reducitur ab Henrico IV. non minùs carendo disceret, quàm fruendo. Restituta suis sedibus ab Henrico IV. post duram hiemem vberiùs germinare cœpit, & velut in fecundiori post otium & cessationem nouali lætiores segetes proferre. *eius in Societatem beneuolentia.* Fouit reductam Rex eâ benignitate, quâ reuocauerat. cuius quidem beneficij memoria non nisi cum Societate occidet. Sed parum illi fuit, si sua apud nos memoria exstaret. suum illud magnanimum, &, quale fuit in Alexandri pectore, maius mundo cor, in Flexiani Collegij templo tumulari iussit; vt, quantum Societatem cordi haberet, etiam post mortem testaretur.

Patres in Germaniam missi, Germania quò grauiùs laborauit, hoc studiosiùs adiuta est. Ignatio nulla regio commendatior. Ex decem, quos in condendâ Societate adiutores habuit, quinque illi impendit, Fabrum, Iaium, Bobadillam, Salmeronem, Lainem; cùm non totidem alij (Codurio iam cælis recepto) vniuerso terrarum orbi restarent. Ipse cùm Romæ teneretur, quò per se adesset, Germanicum difficillimis temporibus Seminarium molitus est, & sustinuit vel vltra vires. Ita cominus atque eminus suppetiæ latæ. Qui propiùs aderant, alterum contra vitæ licentiam, alterum contra hæresim gerebant bellum: vel potiùs singula oppugnando, vtrumque impetebant. Sunt enim sic inuicem connexa, alterum vt alterius sit radix. Quemadmodum aqua in glaciem durescit, glacies *hæresin ibi variis locis oppugnant.* in aquam soluitur; ita ex vitiis oritur hæresis, & in vitia desinit. Cum hac Wormatiæ, Spiræ, Ratisbonæ, Norimbergæ plenâ velut acie, publicis in conuentibus, dimicatum: certâ quidem victoriâ, sed cuius fructum aduersariorum contumacia elisit. Nos tamen non exiguum operæ pretium tulimus, acerrimum in nos illorum odium. Venit mox in partes Petrus Canisius, nouus terror. Quot ille coronas meruit, seu seruatorum ciuium, seu hostium deuictorum? Non alteri per Germaniam Societas, &, si hæreticis credas, Religio plus debet. Sic hanc defendit, vt per eum, & quos ab eo Canisianos vocabant, stare dicerent, quò minùs inclinatum præcipitansque Regnum Papisticum omnino collabasceret: sic illam illustrauit propagauitque, vt imperiti rerum, Iesuitarum auctorem Canisium ferrent. Stare tamen non poterat, & inter grauissimas Religionis clades incolumem se seruare pusilla Familia, nisi & Antistitum, quorum est isthic cum magnâ potentiâ coniuncta dignitas, & Catholicorum Principum fauore fulciretur. Sed vti fidelem atque vtilem nauare operam conata est, ita benignos con- *In Societatem fauor Austriacorum & Bauarorũ.* stantesque nacta est fautores. Austriacorum & Bauarorum eò excreuit beneuolentia, vt, nisi magnitudinis pietatisque suæ rationem habuissent, modum excessisse videri possit. quamquam illa, quibus sibi nos obstrinxêre, arbitrati sunt optimi Principes, gratulationis potiùs quàm inuidentiæ materiam præbitura. In eam opinionem venerant, vt, cùm nobis benefacerent, crederent se de Republicâ benè mereri. Collata nobis auxilia, suis putabant populis impensa. Academias tribuebant, vt alibi iacentes, alibi corruptæ hæreticâ prauitate litteræ pristinum statum integritatemque reciperent. Ædificabant magnis sumptibus templa, vt, redditâ rebus sacris maiestate, cultum iis debitum pietatemque renouarent. Collegia pro vrbium præsidiis habebant.

bebant. neque tutiorem armis, quàm nostrâ vigilantiâ Religionem existimabant. Difficile fuit, vel operum exhibitione tale iudicium, vel beneficentiam gratitudine adæquare. Sperat tamen præstitisse se Societas, vt id magis non potuisse, quàm parum conata esse videatur: gaudetque, quorum armis & fortitudini tot victorias Deus attribuit, eorum se benefactis & munificentiâ superari.

Hactenus pro arbitrio Prouincias adiuimus: in Belgium nos tempestas detulit. Ardente inter Carolum Quintum & Franciscum Valesium bello, cedere iubebantur è Galliis quotquot erant de Cæsaris ditione. Octo de nostris, quippe Hispani, in Belgium migrauêre. quò aliquando, eodem ex Regno, egestate pressus excurrerat Ignatius, subsidia, quibus ad opem mundo ferendam se pararet, petiturus. Nec iam nullum Sociorum in his Prouinciis erat nomen: præclara Fabri per Germaniam facinora rumor eò detulerat; & vnum celebrans, totum, vt fit, Ordinem commendarat. Præcipua tamen pauperibus, &, nisi quòd in regionem omnibus hospitalem venirent, exulibus, in Deo collocanda spes erat. Illo freti, Louanium ad habitandum selegere: tum vt incepta Parisiis studia persequerentur, tum quòd ex præstantibus, quorum erat isthic copia, iuuenibus sperarent fore, non modò vt plures Deo, sed etiam sibi adiungerent nonnullos. Euenit res ex sententiâ, postquam Coloniâ Faber adueniens ad sanctitatem quâ omnes; ad eloquentiam quâ Strada eminebat, sapientiam & auctoritatem adiunxit. Sed non vt hominibus aucta est, ita statim domiciliis amplificare se Societas potuit. Obstabat, quòd neque illam Philippus Rex, item vt in alias ditiones suas, in hanc admitteret, neque per patriæ leges reditus permanentes ad stabilienda Collegia necessarios admittere liceret. Has atque alias super alias incidentes difficultates tandem eluctata, per magnos labores, ad maiores in Belgico colendo solo tolerandos sibi viam aperuit. Nunc & per Prouincias quæ Regi parent, & per eas quæ sese à reliquis abstraxerunt, diffusa, dat operam, vt his non inuisa, illis accepta, vtrisque sit quàm vtilissima.

Quâ occasione Societas Belgium adierit.

De his infrà latiùs Lib. 6.

In Poloniâ quoque peregrinata priùs est, quàm certis sedibus admissa. Primus eam cum Pontificio Nuntio Lipomanno Salmeron adiit. Sed celeri tantùm excursu ostendit sese. Post quadriennium Canisius, cum Camillo Mentuato Satriani Episcopo, cui easdem partes Pontifex delegarat, eò missus, & mansit diutiùs, & industriæ specimen multifariàm dedit. Tandem Cardinalis Hosius, vt labefactatam rem Catholicam, quam propè solus sustinebat, etiam aliunde fulciret, Collegium Bransbergæ instituit. Fuit hoc Polonicæ & Lithuanicæ Prouinciarum semen: quarum ad progressum Antonius Posseuinus, rebus è Regni & Religionis re præclarè gestis, magnum deinde momentum attulit. Sed præcipuum à Regum fauore incrementum. Post Sigismundi Augusti tempora, nec nobis nec Ecclesiæ satis æqua, incidimus in Stephanum Bathoreum, & Sigismundum III. Fidei Catholicæ studiosissimos. Hoc illis satis, vt nos amarent. Nec Regiæ beneuolentiæ pœnitere subiectos debuit. Quàm propè aberat vt in exitium rueret nobilissimum hoc Regnum, & contra Scythas ac Turcas inuictum, hæreticis vltrò iugulum

Poloniam primus adit Salmeron, dein Canisius.

Reges Poloniæ Societati fauent.

 daret?

Flo. Remon. de Hæref. ortu lib. 4. cap. 13.

daret? Eſt qui aſſerat, contra hanc peſtem non aliunde maius quàm à Societate præſidium allatum: eius potiſſimùm operâ errorum cauſſam, hoc eſt ignorantiam, ſublatam, redditumque Catholicis ritibus ſplendorem. Quod vti ſibi non arrogat, ita impenſi ſtudij conſcientiâ læta, de rerum conuerſione immortales diuinæ Miſericordiæ grates agit.

Ioannes Argenta de Statu Societ. in Poloniâ cap. 14. *Hungariam Societas ingreditur:*

Erat & miſerrimus Hungariæ ſtatus, dum eam ingreſſi ſumus. Creuerunt vſque adeò calamitates, vt propè mitem Turcarum tyrannidem fecerit rabies hæreticorum. Cæſarei exercitus proditi, iugulati fortiſſimi milites, Hungari ab Hungaris (nefas!) in mancipia barbaris venditi ſunt. Quæ quamuis deplorare magis, quàm prohibere licuit; quas tamen partes fatalis ille turbo non inuoluit, in iis & ſe Societas, & pro virili Religionem ſeruauit. Zagabriæ vt perſiſteret, Croatarum ardor effecit. Cùm Hungarici Status pelli iuberent, malle ſe extrema pati dixerunt, quàm hoc præſidio ſpoliari. in ciuilibus patriæ rebus cum Hungaris ſe facere, in iis quæ Religionem ſpectant, diſſentire. Non tantum alibi vel auſa eſt, vel potuit Catholicorum conſtantia.

variis locis multa patitur:

Homonnæ, Caſſouiæ, aliiſque locis agitati, pulſi, ſpoliati fuimus. Damna nunc reparat Ferdinandus III. Romanorum Imperator; qui vti reliquas à maioribus virtutes, ita hereditarium in nos amorem hauſit. Sic Auguſtiſſimus eius pater, quas in Bohemiâ ſubieramus clades, cum fenore penſauit; vel ob hoc noſtri amantior, quòd communes ſecum hoſtes haberemus: ſtatuentibus rebellibus ibi Auſtriaci nominis eſſe tutelam, vbi Societas domicilium haberet.

Ioan. Arg. cap. 13. *è Tranſſiluaniâ eijcitur,*

Vtinam par in Tranſſiluaniâ ſpes affulgeat? non minora perpeſſi ſumus. Per noſtrum exitium Moyſes Zangkius & Stephanus Bockaius, teterrimæ furiæ, ſibi viam ad dominatum muniuêre. Ab hoc Claudiopolitanum Collegium in defectionis præmium ciuibus prædæ datum. Sigiſmundus Rackoſius, qui deinde intruſus eſt, nec æquitate cauſſæ, nec Archiducis Mathiæ rogatu, nec ſuorum, quotquot Deo fideles erant, Procerum precibus induci potuit, vt concitata odia non foueret. Sic fructus intercidit, quem per noſtros ſperauerant Chriſtophorus, Stephanus, Sigiſmundus, Bathoreus ſanguis. poſt illos, vti heres Tranſſiluaniæ familia, ita pænè omnis reducendæ Religionis via defecit.

eòdem redit,

In ſpe tamen contra ſpem Societas niſa rediit, quà potuit; & turbulentorum ciuium, perinde vt inſanientium ægrorum, iniurias ferens, curationem non intermiſit. Videbatur ad eam rem Albæ Iuliæ velut diuinitus relicta in Collegio noſtro cathedra ſacræ ædis, ſola inter rudera & cineres ſalua: quam poſtliminio conſcendens noſter Eccleſiaſtes fecit, vt in ruinis ſuis Religio triumpharet. Sed breuis ea reſpiratio, & citò obnubilanda ſerenitas fuit. Cedere oportuit non modò furori hæreticorum; ſed etiam, inter bella & cædes, Catholicorum timori. Paucorum, quibus nunc commorari illic licet, quàm vtilis Religioni ſit opera, argumento fuit nuper Tranſſiluaniæ Princeps, Bethlemi Gaboris coniux, Marchionis Brandenburgici ſoror, ad Catholicas partes per eos traducta.

Anglicanæ miſſionis initium.

Non tamen nuſquam inter hoſtes durauimus. Ex Angliâ ne Eliſabethæ quidem crudelitas nos excluſit. Eam Societati miſſionem obtulit magis

magis quàm impoſuit Gregorius XIII. diſcriminum quidem & laborum, ſed & gloriæ atque vtilitatis plenam. Succeſſum ſpondebant, cùm Pontificis nomen inde à Gregorio Magno Anglis fortunatiſſimum, tum multorum eam ambientium alacritas. Exarſit in primis Claudius Aquauiua, qui prouinciam animi ſui magnitudini parem cernens, non modò vt ſine tergiuerſatione ſuſciperetur, vehementer inſtitit; ſed etiam, vt ſibi demandaretur, ſupplex depopoſcit. Valuit hoc, vt deinde vniuerſo Ordini cum poteſtate præfectus, ad eam promouendam curas intenderet, tantò efficaciùs, quantò in expeditionibus plus confert prudentia & imperium Ducis, quàm promptitudo militis. Delecti ſunt P. Robertus Perſonius, & Edmundus Campianus, ambo à virtute, doctrinâ, prudentiâ inſtructiſſimi, & præter communem in proximos amorem, ſingulari patriæ charitate flagrantes. Quantum in ipſo ſtatim ingreſſu terriculamentorum obiectum! quantum deinde caſuum & difficultatum! ſed quæ metum incutere poterant, animos dabant. Mors extremum periculi ſumma votorum erat. Nec fruſtratus ſpe Campianus. poſtquam genti ſuæ vtiliſſimus fuiſſet, ipſe quoque optatiſſimum Martyrij fructum tulit. Perſonius, dum euaſit, infelicior fuit. Aliis deinde ad effundendum pro Chriſto & patriâ ſanguinem non minus animi. Plures idem decus obtinuere. Societas ſuorum ſanguine fecundior, per ſpinas & vepres extulit ſeſe, & inter ſuccidentium manus accreuit. Fuit cùm omnino latêre oporteret; ſed etiam ſub niuibus vigent herbæ, & ne frigore adurantur, ipſum frigus obſiſtit. Maior modò tranquillitas ſub Carolo Rege, qui nulli probo aduerſus, benignitatis, quâ Angliam beat, nec illos relinquit expertes, qui in tuendâ Religione maiorum, quæ Diuinæ placere norunt, Regiæ Maieſtati ſperant non diſplicere.

Vitæ Pat. Campiani cap. 13.

In Angliâ mittuntur Perſonius & Campianus.

Martyres Societatis in Angliâ.

Difficiliorem Scotiam facit hæreſeos contumacia, nuper & in Dominum ſuum auſæ inſurgere. Sed ægrè charitati obſiſtitur. Degunt & illic, qui vel cum libertatis vitæque diſpendio laborant indigenis prodeſſe. Plures ad ſe attrahit auitæ Fidei tenax Hibernia: vtque paulatim ſilueſcens amplam laborum materiam, ita Religioſorum non infecunda parens, ipſa ſibi colonos ſufficit. In vtroque Regno priuſquam aſſidui degeremus, variæ per interualla miſſiones inſtitutæ ſunt. Præter eos, qui Superiorum iuſſu iuêre; in Hiberniam iam tum à Societatis exordio, Alfonſus Salmeron & Paſchaſius Broëtus pro Legatis à Paulo III. miſſi, tamdiu curandæ tutandæque Catholicæ rei nauarunt operam, quamdiu non ſuum (quod minimè timebant) ſed eorum, à quibus reciperentur audirenturque, vitare damnum potuerunt. Pius IV. Nicolaum Goudanum, eâdem poteſtate præditum, in Scotiam, Britannico correptam incendio, proficiſci iuſſit: vt Mariæ Reginæ, ſuorum fraudibus ac vi oppreſſæ, ſummas inter anguſtias, & conſilium præberet & ſolatium. Cùm poſteà omnino peſſum iret hoc Regnum, fouendis eorum qui in Fide conſtabant, reliquiis, nouam manum Gregorius XIII. deſtinauit. Quibus in legationibus per media Socij vadentes pericula (nuſquam enim non ad necem quæſiti ſunt) gaudebant iis locis ſuam ſe Apoſtolicæ Sedi fidem ac deuotionem probare poſſe, vbi in viciniâ Rex ſchiſmaticus, & digna tali parente filia ſupremam auctorita-

Societas IESV in Scotiâ & Hiberniâ.

Eò legatur à variis Pontificibus.

ctoritatem conuellere, & honorem Petri successoribus debitum, sibi per summum nefas non essent veriti arrogare.

A Christianorum terris ad Turcarum Imperium transeamus. Non minimam Europæ partem, prô dolor! hi possident. Græci & Ægæi maris insulis iugum imposuere. Ex Hungariâ & Slauoniâ (olim Illyrico) plus illis quàm Catholicis paret. Plurimi passim Christiani nominis. Vtinam ad restituendam illis libertatem sic alij arma conuertant, vt Societas operam contulit ad seruandam pietatem! non ita in Seruatoris opprobrium repleatur Tartarus; non ita cælo insultetur. Nunc cessantibus Catholicis, ab ipsis (quis credat?) Turcis aduocati sumus. Res sic habet. Quinque-ecclesienses in Hungariâ præsidiarij viderant nostros, quos apud se Dynasta Bamffius Absolinduæ habebat, per aquæ lustralis agnique cerei vsum, plurimis morbis facere medicinam. Rogarant ex sacris his amuletis sibi quædam donari. Nec Mahometana impietas obstitit, quin & ipsis essent salutaria. Vt latiùs vulgaretur beneficium, Patres accersunt, comitatum addunt; aduenientibus summum honorem habent. Iacebat celebris inter illos Tribunus morbo incognito iam annum æger. Dæmon hominem insederat: sed nec is sacrorum pignorum vim & exorcismos tulit. Sede suâ pulsus est, &, quanta sit Catholicis Sacerdotibus potestas, Turcis fateri coactus. Inde illi impensiùs nos colere, deprædicare, mirari, agendi quæ muneris nostri sunt copiam facere. Nec deerat vbi studium suum & industriam charitas exprometet. Degebant Quinque-ecclesiis, qui se Catholicos dicerent, quà ciuium, quà rusticorum, instar centum millium. Vnus omnes curabat Mysta: qui cùm vitâ à pessimis non differret, partes suas tantum aberat vt expleret, vt ne nosset quidem. Non minor hæreticorum colluuies, Lutherani, Caluinistæ, Ariani, nulla non pestis se intruserat. Quantus in hac excolendâ siluâ labor! sed & periculum! Solicitatæ ad proditionem plebis hæretici rabulæ nos accusarunt; vt rei Catholicæ progressum, quem suis declamationibus retardare non poterant, falsis criminationibus impedirent. Cùm pellendi essemus (nam causâ parum probatâ vitam Magistratus donauerat) Bethlem Gabor proscriptioni intercessit. Adeò, quem Deus protegit, nusquam destituitur, & vel inter hostes patronum inuenit. Sedato motu continuata vrbis cultura: eo fructu, vt, cùm nostros sui Præsides reuocarent, ciues apud Bassam (sic Proregem vocant) institerint, vt nonnisi reditu promisso commeatum daret. Hæc Quinque-ecclesiensis commorationis origo. Altera Belgradi Hungariæ metropoli est instituta, non minori Christianorum vel desiderio, vel emolumento. Ceteræ per Orientis Imperium sedes locis magis distractæ, nec omnes intra Europam sunt: quia tamen sub Turcis, scriptione coniungam.

Turcæ quâ occasione Socios accersant. Ann. Societ. an. 1614.

Societas Quinque-ecclesiis stabilitur.

Residentia Belgradi,

in Chio. Ann. Societ. an. 1612.

In insulam Chium, reuerentiæ erga Romanam Sedem etiamnum retinentem, Clemens VIII. nostros miserat. Excepere appulsos Chij summo studio, nec minori hactenus retinuere. Sed Christiani sunt. Quid Turcæ? Vbi Patrum mores habuere perspectos, videruntque nullâ suâ vtilitate quæstuque, sed vnâ dumtaxat animarum salute duci; primò incognitam apud suos suspexere charitatem; tum, vt rapax humani

mani animi eſt virtus, admiratione in beneuolentiam versâ, pænè cum indigenis humanitate certarunt. Cùm periculum à Ianizaris impenderet, tutati ſunt: publicè cultum, priuatim obſequia detulerunt. Fuit qui coactis ad ſe de viâ diuertere, cùm plurium millium ſibi rem familiarem eſſe dixiſſet; Hæc, inquit, Patres, vbi volueritis, vſibus veſtris ſumma deſeruiet. Quantâ vitæ integritate, quantâque prudentiâ opus fuit, vt immitia illa pectora conciliarentur! Sed huius rei non obſcurius teſtimonium à Græcis ſchiſmaticis datum. Patriarcha Conſtantinopolites falſus in Patrum moribus Catholicæ Religionis ſanctitatem ſplendere, publico laudatos edicto ita ſuis commendauit Epiſcopis, vt non modò faceſſi negotium vetaret; ſed etiam, vbi res ferret, auxilium cuperet præſtari. Hinc & in vicinas traiiciendi inſulas oblata opportunitas. Naxenſes ſimul ac tales vſu ſuo Socios reperere, quales fama deſcripſerat; quaſi iis retinendis vincula vellent iniicere, Epiſcopatum obtulere: ignari Societatem dignitatibus terreri magis quàm allici, noſtrumque eſſe, quæ laborioſa ſunt, non quæ ſpecioſa, ſectari. In Cypro, priuſquam Chriſtianis eriperetur, Iulius III. exſtruendi Collegij facultatem fecerat: non niſi Miſſionem inſtituere licuit. Smyrnæ in Ioniâ etiamnum ſedem habemus. Sed quis incolumi Turcâ ad Conſtantinopoleos portas commoraturos ſperaret? per Galliarum Regis Legatos id effectum, vt Peræ, quam vrbem ſinus non latiſſimus à Byzantio diuidit, tuti degamus: totum forſan Orientis Imperium peruaſuri, ſi non magis neſcio qui è Catholicis, quàm qui Religione diſſident, obſtitiſſent. Certè inter Græcos Patriarcham Conſtantinopolitanum non fauentem modò, ſed & familiarem habuimus: Ieroſolymitanus nepotem ſuum nobis erudiendum tradidit. Apud ceteros ſic fuimus in gratiâ, vt, cùm quoſdam è noſtris lues abſtuliſſet, viſis multi funeribus illacrymauerint. Quis ſcit, ſi non aliquando hæc animorum coniunctio ad Religionis vnitatem tendet?

in Naxo, Ann. Soc. an. 1612.

Cypro,

Smyrnæ,

& Conſtantinopoli.

CAPVT QVINTVM.

Societatis per Europam Miſſiones.

PErcurrimus regiones, in quibus ſtabilia Societas domicilia, volentibus atque adnitentibus populis, conſtituit. Reſtant aliæ, in quas velut in hoſtile ſolum excurſiones fecit, animarum prædas actura. Quò habitationem non potuit, charitatem extendit. ſic ſolem ſentiunt extremæ terræ, nec orbitæ, quam ambit, ſubiectæ.

Quà Orientem Europa ſpectat, extra Prouincias Regi Poloniæ ſubditas nulla nobis ſedes; ſed non animoſiùs armati milites, quod illic frequentiſſimum, quàm Socij vicina inuaſere. Celeberrima in Moſcouiam expeditio fuit Antonio Poſſeuino duce. Hunc Legati nomine Gregorius XIII. Pontifex Maximus miſit, vt magnum Ducem (ſic ſuum Moſci vocant) cum Rege Poloniæ & Sueciæ ſancire fœdus cupientem, conaretur ſimul ad Eccleſiæ pacem atque amicitiam perducere. Inita cum Rege concordia: manſit cum Eccleſiâ

In Moſcouiam Poſſeuinus legatur à Gregorio XIII.

Poſſeuinus in ſuâ Moſcouiâ.

diſſen-

diſſenſio. adeò ditionum potior quàm ſalutis cura eſt. Par tamen in diſſimili ſucceſſu Poſſeuini laus. Eò ſchiſmaticum adduxit, vt Romanæ Sedis poteſtatem cùm admittere non vellet, negare tamen non poſſet. Hoc illum in rabiem egit: nec multum abfuit, quin Maieſtatis inſigne crudelitatis inſtrumentum faceret. Sceptro, quod nuper filij cæde reſperſerat, Legato necem intentabat. Ille conſtantiâ, quâ putabat excipere, ictum auertit. Conſternatus eſt barbarus; auditiſque patientiùs quæ afferebat, furorem in beneuolentiam vertit, & pro vulnere amplexum dedit. Reſedit, non exſtinctum eſt nocendi ſtudium: niſi quòd poſteà calliditate tectum. Rogat, vt pro Legati Apoſtolici munere ſua ſecum luſtret templa. Quod primum ingreſſuri erant, in eo, qui ſe gerebat pro Archiepiſcopo, diuina gentis more peragebat. Aduertit Pater id eò factum, vt, ſi intereſſet, crederetur mutaſſe ſententiam, & à Moſcorum ſacris non abhorrere. Venturum ſe negat. aſſerentibus Proceribus id pro contumeliâ habiturum Ducem, perſiſtit in ſententiâ; quaſi parum de vitâ laboraret, ſi fidem & commiſſam ſibi dignitatem in tuto poſuiſſet. Doluit irritas cecidiſſe inſidias; animi tamen ſenſum compreſſit Dux, & ira intra reuerentiam ſtetit. Reuocatus in palatium Poſſeuinus, ſimul exaudiri potuit, Deo cum ſuis euchariſticum carmen cœpit concinere. Quid ageret interrogatus, Habeo, inquit, Numini gratias, quòd muneri meo iniuriam non fecerim, Fidemque, cuius vos abiectæ ſerò pœnitebit, integram ego atque inuiolatam ſeruarim. Ita ferè finita Legatio. Poſſeuinus cùm fructum mallet, famam retulit.

Poſſeuini conſtantia & intrepidus animus.

Reditum à noſtris in eam regionem cum Demetrio Principe. Is vbi in Poloniâ fidem feciſſet, ſe eum eſſe Demetrium Moſcouiæ heredem, qui à Boriſcio tyranno cæſus credebatur, impetratis auxiliis, poſt variam belli fortunam, ex exule Princeps eſt factus. Dignitatem adeptus, cœpit, vti promiſerat, in id totis viribus incumbere, vt cum Eccleſiâ Romanâ Moſcouiticam coniungeret. Nihil pulchrius egerat, ſi non feruentiùs quàm prudentiùs rem vrſiſſet. Allaborarunt tamen noſtri, cùm diſſuadere non poſſent: donec eo (ô rerum viciſſitudinem!) per nouam ſeditionem trucidato, interciſæ ſpes, & iacta reconciliationis ſemina cædibus & ſanguine ſunt oppreſſa. Non ita Ruſſi operam eluſere. Fuit vbi puerorum inſtitutio tam bellè proceſſit; vt horum agmen, cùm in grandiores barbaro more tripudiantes incidiſſet, turbauerit inſanas choreas, & ad ſua ſequendum vexilla ſacris notis inſignita tumultuantem turbam adduxerit. Varadino & Zeplaco, Pannoniæ, quà Turcis finitima eſt, ciuitatibus auxilium præſtitum eſt tum, cùm peſtilentiâ & fame exhauſtæ eo quidem egebant maximè, ſed minimè ſe fruituras ſperabant. Quis enim, vbi incolarum alij ſolum verterent, alij vitandæ luis cauſſâ ſummis in arboribus, auium more, nidos conſtruerent; crederet aduenturos aduenas, qui pereuntibus per media funera opem ferrent? Sed, vt alienis ſuccurrant, ſua ſpernunt pericula quos CHRISTI amor vrget: nihilque felicius putant, quàm mortalitatis damna in æternitatis lucrum vertere. In Illyricum quoties & quot è partibus excurſum? Primus illic Bobadilla Societatis illuſtrauit nomen. Expetitum iam inde Epidauri in Dalmatiâ Collegium, tandem ingenti religioſiſſimæ

In Moſcouiam Socij comitantur Demetriū Principem. Moſcouia Elzeuiriana art. 8.

Ann. Soc. an. 1607.

Ann. Soc. an. 1585.

In Dalmatiâ Societas & in Iſtriâ.

ſimæ Reipublicæ gaudio inſtitutum eſt. Aliud ad Iſtriæ fines in vrbe Flumine exſtruxit Auſtriaca pietas, cui ad benefaciendum nobis nec ille latiſſimarum ditionum ſuarum ſatis amplus eſt terminus. Extremo Septemtrioni non minus impenſum eſt operæ. In Sueciâ Patris Staniſlai Marſouitij, aliorumque, quos ei pro Catharinæ Reginæ voto Moderatores noſtri ſocios addidere, per multos annos ſe labor exercuit. Tandem & Antonius Poſſeuinus ad firmandam ſolandamque Reginam, cùm ſuis tum ſuorum malis ingemiſcentem, mandato Pontificis acceſſit. His Sigiſmundus III. Poloniæ Rex prima pietatis ſuæ rudimenta, Societas deuinctum ſibi iam inde Sigiſmundum debet. Sed non intra aulam ſe continuit Patrum induſtria: per Regnum, quamuis iam omnem ferè medicinam reſpueret, diffuſa eſt. Vt fructum ſecundarent, Cælites conciliati: Diuæ Birgittæ, Sueciæ olim ciui, nunc tutelari, dicatum Cœnobium, frementibus hæreticis, reparatum: ſacra eius oſſa argenteæ arcæ incluſa coli denuò cœpta. Quis de reſtaurandâ Religione deſperaret, cùm Religioſas domos ſuis è cineribus videret reſurgere? Sed tantas ſpes moriens Regina ſecum abſtulit. Hac ſublatâ, deſerüimus locum, non depoſuimus curam. Quibus in ſuâ patriâ non poteramus, in alienâ per ſcholas, & exſtructum inſtituendæ iuuentuti Seminarium, prodeſſe conati ſumus. In hunc etiam modum Danis Norwegiſque conſultum: cùm ſuos, ne vſpiam locorum in noſtram diſciplinam ſe darent, prohiberet Daniæ pſeudo-epiſcopus. Quid edictis opus? inquit Rex, curate ne Ieſuitarum ſcholis noſtra iuuentus indigeat. Sed & ipſi in terras illas, per quidquid minarum atque inſidiarum obiectum eſt, ſe Socij intulere. Nec minùs in Norwegiæ frigoribus, quàm in torridis Indiæ locis ſtudioſa animarum charitas exarſit. In Daniâ etiam carcerem tulimus. Quid multa? ex omnibus, in quas hodie Europam diuidunt, regionibus vix vna; ex celebratioribus inſulis paucæ ſunt; vbi vel ſedem Societas non fixerit, vel in quam expeditionem non ſuſceperit. In Italiæ, Hiſpaniæ, Galliæ, vtriuſque Germaniæ, Poloniæ Regnis & Prouinciis, in Hungariâ, Græciâ, Iſtriâ, Dalmatiâ, habitamus. In alios Illyrici tractus, in Pannoniam, Sueciam, Norwegiam, Daniam excurrimus. Accepere nos inſulæ, in Oceano Anglia cum Scotiâ atque Hiberniâ: in mari Mediterraneo Sicilia, Sardinia, Corſica, Melita, Creta: in Ægæo Chius. Cyprum, Naxum, ceteraſque luſtrauimus. Vtinam non & adeò latè hæreſis atque impietas graſſarentur! Sed cùm facile ſit vulgari luem, non item præſtò eſſe medicos; ita noſtri diſperſi ſunt, vt nullos peſtis inuaſerit, quin iis curandis vel impenderint operam, vel obtulerint.

Miſſio Societatis in Sueciam.

Ann. Soc. an. 1585.

Ann. Soc. an. 1601.

Norvvegiam, & Daniam.

Regiones Europæ vbi Societas ſedem habet, aut quò Miſſiones inſtituit.

CAPVT SEXTVM.

Societatis propagatio per Aſiam.

ASiam variè veteres, in quinque partes noſtri Coſmographi diuidunt. Vnam Moſcouiæ Dux, alteram Tartari tenent: ſub Turcis eſt tertia, quarta ſub Perſis: poſtrema Indias, & quidquid terrarum ad

Diuiſio Aſiæ.

Societas in Indiam penetrat magno animarum fructu.

ad Orientem eſt patefactum, complectitur. In has omnes aliquando Societas, in eam quæ remotiſſima eſt, ſtatim à ſui principio penetrauit. Aditus per Iacobum Goueam apertus. Is Ioanni Luſitaniæ Regi, Indicæ cultores vineæ conquirenti, Ignatij Socios exhibuit. Illos Eccleſiæ difficillimis temporibus à CHRISTO ſubmiſſos, nihil magis quàm labores ambire: ex periculis Dei gloriam & animarum ſalutem accerſere: nec Regis voluntate recuſaturos ire, quò ferrentur iam ſuâ. O profundas diuini conſilij rationes! Hic ille eſt Gouea, qui Pariſiis Collegij ſanctæ Barbaræ Moderator, de cædendo virgis Ignatio ſententiam tulerat. Vt conuerſa conditio eſt! Noui Orbis curam committi illi poſtulat, in quem, quòd à recto mortales abduceret, animaduertendum putarat. Diceres, Indorum ſalutem hoc ſupplicio, noſtræ familiæ gloriam hoc dedecore emptam atque aſſertam. Certè nuſquam illuſtrius quàm in Indiis comparauit nomen. Quot alibi homines, tot hîc agmina CHRISTO aſſeruit. alibi Religionem fouit, hîc plantauit. Ignota Apoſtolis tranauit maria, & Eccleſiæ nauim ad portus appulit, quos illi non viderunt. Ex ſpecubus & cauernis eduxit gentes ad aſpiciendam Euangelij lucem, &, quæ ſol non adit, Fide illuſtrauit. Non ſola quidem, nec prima laborauit. Præiuit diui Dominici, præiuit diui Franciſci generoſa ſtirps; ſed vt multum terrarum colere cœperint, non minorem noſtris laboribus campum reliquere. Vnus Xauerius, quàm multis ſalutaris fuit! Ante illum Parauæ, Iaij, Malaï, Azeni, Mindanaï, Moluci, nec ſi CHRISTVS eſſet, audiuerant. Maurica, Ternate, Trauancoris, Manaris, Cambaia, Zeilanum, Iafanapatania, Coromandelum, ora Piſcaria, quàm parum inſtructæ erant! quantæ Meliapori, Cochini, Goæ, Amboini, quantæ apud omnes Malabares & Malacenſes tenebræ! diem attulit illud ſidus: & tot vrbes, inſulas, regiones, præter Iaponiam, in quam primus Fidem intulit, & vicina Sinis loca, præter Mozambicum, Melindam, Zocotoram, & Africæ littora, nouus Gentium Apoſtolus peragrauit. Quid hîc primùm mirere? locorum diſtantiam? quantum totius terræ ambitus continet ſpatij, tantum plus ſemel non proficiſcendo, ſed docendo percurrit. Labores? Paulum plus omnibus laborantem agnoſcas. Fructum? Euangelium latiùs, quàm vllus hominum circumtulit: plurimos Chriſtianos, quos barbaras inter gentes ipſa corruperant & efferauerant loca, ad dignam tali nomine ac profeſſione vitam conuertit: Ethnicorum ſupra decies centena millia ad CHRISTVM adduxit. Hunc vnum ſi Societas Indiis dediſſet, poterat ad illarum ſalutem excitata videri. Quantum per eius ſocios ac poſteros, Barzæum, Criminalem, Silueriam, quantum per tot Heroas acceſſit, qui vel ſanguinis ſui ſemitâ iter ad cælum barbaris aperuere! Per hos tota, quæ intra atque extra Gangem eſt, India; per hos Peguſiæ & Camboiæ potentiſſima Regna, Somatra, Ceiran, Celebes, Philippinæ maximæ atque opulentiſſimæ inſulæ, meliores quàm noſtro orbi ſuppeditent, recepere diuitias, & abſconditum Fidei theſaurum repere re. Per hos denique plura, quàm ſibi Luſitani Hiſpanique ſubiecerint, in CHRISTI ditionem redacta ſunt loca. Vbi arces condere non potuêre fortiſſimi Duces, hi Deo templa, Ordini ſuo domicilia erexêre. Sic

Flor.Rem. in Antichriſto, cap. 8.

Xauerij laus.

Indiæ,

Indiæ, quas vel adire difficile eſt, quà habitantur, excultæ ſunt; quà deſertæ iacent, peruaſæ. Inde in Iaponiam traiectum.

Eſt Iaponum non, vt Indorum, inculta gens; ſed ingenua & diſciplinis expolita, appetens laudis & gloriæ: inde in bella præceps. Deos tum pro arbitrio colebat. ceterùm res diuinas cognoſcendi auida, & in aduenas humana. Quæ ſimul Xauerius comperit, arſit deſiderio tam docilis colendæ gentis; puduitque, priùs alios quàm CHRISTI nuntios ad eam penetraſſe. Reſeruarat hanc illi prouinciam Deus, vt Iaponum Eccleſia vel in ortu ſuo magna eſſet; & quæ primæuam illam æmulatura erat, ſupparem Apoſtolis haberet auctorem. O quis ille dies fuit, quo Cangoximam nauis appulit, quæ tantum bonorum aduehebat! crediderim applauſiſſe Cælites, & gratulatos inſulis, vbi ſua renouatum iri certamina, ſuos repræſentandos triumphos præuidebant. Te certè decuit exultare, Iaponia, nec ampliùs vel de ſterilitate tuâ, vel de cæli queri aſperitate. Acutæ te hiemes vrgent; ſed iam tum cœpiſti pietate feruere. Niues, quibus tegeris, Martyrum cruor tepefecit. Maligna multis locis tibi terra; ſed eodem fecundata ſanguine aſpreta tua, in paradiſi delicias conuerſa ſunt. Auſpicium dedit Xauerius, dum, vt tibi ſeruiret, famulus equiti factus cruentatis illa pedibus percurrit. Quales eo ſolo fructus prouenere! ſpecimen Europa vidit tum, cùm Rex Bungi Franciſcus, & Rex Ariminenſis Protaſius, Omuræque Princeps Bartholomæus, ad Euangelij lucem vocati, Mantium & Michaëlem, ſpectatiſſimæ virtutis adoleſcentes, ſibique ſanguine coniunctos, ad exhibendam ſuo nomine Pontifici Maximo obedientiam Romam legauere. Oblatrent hîc ringanturque Fidei hoſtes, & adoratum à populis è termino terrarum venientibus Antichriſtum ganniant: ego cum iis, quibus quem debuit illa legatio ſenſum attulit, regios hos iuuenes, tamquam alteros Magos in Vicario ſuo CHRISTVM venerantes agnoſco: nec quidquam aut Societati, quæ in his dirigendis deducendiſque vice ſideris functa eſt, illuſtrius ad gloriam, aut tibi, Roma, iucundius ad voluptatem accidiſſe. Quid ſimile in Africanis atque Aſiaticis triumphis conſpexiſti? Ibi de trucidatis & mancipatis, hîc de conſeruatis & liberatis, gentibus triumphatum. ibi fuſi hoſtium exercitus, hîc dæmonum vires fractæ. tum Imperij, modò Religionis limites propagati. tum deletæ vrbes, vaſtatæ pulcherrimæ regiones; modò nullum niſi impietatis excidium. tum, qui in poteſtatem venerant, lurido & ſquallido vultu, onerati catenis, dolore atque ignominiâ pleni, poſt victoris currum trahebantur; modò, qui ſe CHRISTO ſponte ſubdiderant, lætitiæ quam aliis adferebant participes, ingenti vniuerſorum ſtudio & plauſu, incredibili multitudinis, Principum, Antiſtitum, Summi Sacerdotis gratulatione excepti, omnique honorum & officiorum genere fuere decorati. Quorum omnium cauſſam cùm homines in Societatem referrent, eamque Iaponicæ Eccleſiæ, cuius tam præclaros videbant fetus, parentem ac nutricem dicerent; erat quòd laborum ſuorum fructum maximum non modò exhibere ſe, ſed & percipere exiſtimaret. Legati, vbi in patriam reuerſi ſunt, quaſi non certiores ad cælum duces nanciſci poſſent, quàm quibuſcum tantum terrarum emenſi erant, aggregari

Iaponum ingenium.

Legatio Regum Iaponiæ ad Pontificem.

Flor. Rem. in Antichriſt. cap. 40.

gari nostris voluerunt. Alij nec genere nec virtute impares secuti sunt. Etiamnum Regum in ea gente non minimorum nepotes, auitis titulis Religiosam preferentes humilitatem, supremo Regi in Societate seruiunt. Adeò inter grauissimas, quibus illic conflictata est, ærumnas non modò stationem non deseruit, sed & præclarissimis copiis aucta est. Quibus instructa, etiam vltra Iaponiam in Yezo, nouum laborum campum, nouas sibi palmas quæsitum iuit. Multos gladius abstulit; sed maior à ferro fecunditas. multos ignis consumpsit; sed à flammâ claritas accessit. Tormenta, carceres, equulei, quid fuere nisi experimenta virtutis? quibus non oppressa est, sed erecta; non absterrita, sed inuitata. Et ad hæc quidem decora Xauerius, vt dixi, viam muniuit. Sed non hîc vel eius quiescere magnanimitas, vel expleri charitas potuit. Dum mundi terminum attigisset, credebat se in operum suorum primordio stare. Paruæ videbantur Indiæ, parua Iaponia, dum Sina restaret.

Missio Societatis in Yezo.

Sina quà terræ amplitudine, quà populi frequentiâ, Regnum est totius orbis maximum. Incolæ ingenio excellunt; pace magis quàm bello clari. leges vniuersim non absonas, religiones ridiculas habent. Exteros ita vel contemnunt, vel metuunt; vt, propositâ capitis pœnâ, à finibus suis arceant. Hoc ipsum erat quod Xauerium, non minùs profundendi sanguinis quàm propagandæ Religionis cupidum, prouocabat. Sed dum pugnas cogitat, ad palmam euocatus est: priusque ad præteritorum laborum præmium, quàm ad nouos labores peruenit. Nec tamen omnino frustratus est voto: mortem, quam in Sinâ sperabat, in eius ingressu reperit. Vbi si quid ad finem propositum, nihil ad gloriam defuit. Nusquam honestiùs miles, quàm sub hostili vallo cadit. Sublato Xauerio, transiit ad posteros expeditionis cura: qui æmulati eius animos, CHRISTI signa, quæ ad Sinensium portas moriens defixerat, perfractis tandem claustris intulere. Aditus, vt in locis quæ vi expugnari non possunt, per munera est apertus. Horarias è rotis machinas, specula crystallina, vitra diuersissimos aspectui colores obijcientia, Sinenses nondum viderant. Ea, & cetera eiusmodi, quibus pretium nouitas faceret, dum cupidè Magistratus acciperent, vt fit in donis, capti sunt: & admissis quæ offerebantur, intromisêre qui dederant. Ita Michael Ruggerius & Matthæus Riccius penetrarunt. Qui mox altiùs insinuare se in gratiam, populum officiis & comitate demulcere, præter virtutis documenta, eruditionis specimen dare. Nec maius aliunde præsidium. Idem quippe Sinenses, quod olim Græci, de exteris sentiebant, barbaros & ignaros esse, se solos scientiâ præstare. Vbi patuit error, cœperuntque de situ orbis, & astrorum cursu, de accessu, recessu, defectione solis & lunæ, quæ ipsi non repererant, à nostris discere; simul opiniones, simul voluntates mutarunt; & vel admiratione doctrinæ, vel discendi cupiditate, non ingrediendi solùm, sed & commorandi copiam fecere. Mox & templa condere licuit. Primum Sciauquini (est ea Cantoniæ prouinciæ metropolis) extructum, pietate magis frequentantium, quàm ornatu suo spectabile. Cùm id ciues, prout amiciori aut alieniori erant animo, variè ferrent; Præfectus vrbis, vt auctoritate suâ, quam & famâ sapientiæ & Republicâ bene gestâ ingentem collige-

Sinensium mores, ritus.

Xauerius in ingressu Sinæ moritur.

Aditus in Sinam quomodo Sociis patefactus.

legerat, loci religionem tueretur atque augeret; hunc foribus titulum appoſuit, *Diuorum floris ædes*. Flos ille potuit intelligi, qui de radice Ieſſe adſcendit. Noſtros porrò quanti fieri vellet, altera, quam in interiore aulâ miſcendis deſtinatâ colloquiis figendam curauit, inſcriptio teſtabatur: *Gens ab Occaſu ſacroſancta*. Supra modeſtiam erat titulus; admiſſus tamen, quia Religionis intererat eius præceptores honorari. *Singularis honos à Sciauquinenſi Præfecto Sociis exhibitus.* Varias ſubinde viciſſitudines ſubiuimus. Modò non multitudini ſolùm & Magiſtratibus vulgò ſumus accepti, ſed & Rege tam beneuolo vtimur; vt, niſi hoc Religioſis inſtitutis repugnare didiciſſet, præcipuas in nos dignitates conferret. *Regis in Socios benignitas.* Agrum, qui victui cultuique corporis neceſſaria abundè ſuppeditet, nuper attribuit. Vir eſt recti iuſtique tenax, *Ex litteris Macao datis an. 1637.* &, quibus alij, ne ad fidem tranſeant, maximè impediuntur, libidinibus non obnoxius. Vtinam, quemadmodum falſos Deos non ampliùs colit, ita verum, vt par eſt, aliquando veneretur! quanta Sinenſis populi, qui Regum ſupra Perſas venerans totus ab illorum nutibus pendet, ad Eccleſiam acceſſio fieret? Iam nunc operarij meſſi deſunt. Fidem multa millia, Societatem nonnulli ſunt amplexi.

Par in vicinis Regnis progreſſus. In Cocinchinâ pluribus locis ſedes erigi cœptæ. *Socij in Cocinchinâ,* In Tunquino ſinguli pro Collegio ſunt. Supra viginti animarum millia vnus curat. *Tunquin,* Tibet, quod & Cathayæ Regnum, non minorem fructum ſpondet. *Tibet,* Niſi inconſtantia timeretur, primis pænè congreſſibus poterat ad Fidem Rex adduci. Ita difficillimos aditus facili progreſſu Deus penſauit. *Ex litteris Macâ. 1637.* Sanè nihil ſimile miles Hannibalis in Alpibus paſſus. leuiſſimum fuit, quod per aſperrimas rupes confectum eſt iter. traiecta loca, vbi non rarò viatores peſtilens aër, ſicut Auernus volucres, necat. Calcata totis menſibus nix & glacies: vbi ſentiendi vis & oculorum vſus defecerant, defoſſis in niue ſpecubus hiematum. *P. Ant. Andrada in lit. 1624.* Nuſquam talia frigoris prodigia. Gangem, cuius hîc fons repertus, non modò glacies ſtringit, ſed etiam ſine gelu nix tegit: vbi enim montium cacumina (quæ non niſi nix ſunt) ventus deturbat; tantas moles abſumere impotens, excauat ſibi viam, & ſub niueis fornicibus ingens amnis deuoluitur. qui tranſeunt, dum ſtare in collibus putant, in ponte ſunt. Ad hæc frigora ex Indiæ caloribus Patres deuenerunt, perituri, niſi charitate flagraſſent.

In Arnam & Eſiagam latiſſimas regiones, cùm indigenæ, qui & ipſi à Regno Dei non procul abſunt, tum Iapones ob fidem exules nos attraxere. *Arnâ & Eſiagâ,* Etenim hoc cum primis Chriſtianis habent illi noui commune, quòd infortuniis ſuis alios beent; & dum ſuas deſerere coguntur, nouas Religioni ſedes acquirant. In Corream proximis annis miſſio adornabatur. *Correâ, Ex lit. Mac. an. 1637.* Patebit inde in Tartariam ingreſſus. Eſt hæc altera Aſiæ pars, Scythia veteribus dicta. à Chinâ prodigioſo illo quadringentarum & quinquaginta leucarum muro diuiditur. Ex Europâ, niſi quòd gentis feritas aditum difficilem faciat, aperta eſt. Inde vt adiretur, conſilium caſus præuertit. Aderat militi Polono P. Zgoda, dum Valachiam Tartarus inuaſit. Cæſis Polonis venit in hoſtium manus. *Tartariâ,* Nulli gratior libertas, quàm illi vincula fuere. Flagrarat diu ſtudio adeundæ Tartariæ, iamque Conſtantinopolim, vnde libe- *Ann. Soc. an. 1611.*

liberior in Tauricam Chersonesum transitus, propediem cogitabat. Hac curâ per felix infortunium solutus, quò volebat, ductus est compendio. Mox operâ viri Principis, quem Cameneci Legatum nouerat, redemptus, multis eius gentis, à quâ comprehensus fuerat, vinculorum suorum pretium Christianam reddidit libertatem.

Perside. Sed relegamus per Indias iter, & ad Persici nominis Regna veniamus. Horum vnum Armusia est, Persici sinus insula, quàm commerciis diues, tam ceteris naturæ dotibus destituta. Nullus in eâ frutex, nulla dulcis aquæ scaturigo. Salsum & sulphureum solum. Ipsa flumina æstate in salem, vt nostra in glaciem hieme, coëunt. Accedit ardor intolerabilis, quem capite tenus fluctibus mersi, vix incolæ ferunt. Vincit tamen hunc æstum cupiditas, & ex omni parte mercatores adducit. Iudæi, Saraceni, Gentiles, Hæretici, Christiani, inuicem miscentur. Diuersi singulis ritus, libido atque auaritia communis. cum mercibus vitia inuehuntur: nec minor flagitiorum est, quàm nationum colluuies. Fuit & hîc sua nostris negotiatio. Gaspar Barzæus ea lucra fecit, quibus maiora nec Xauerius speraret. Suos ille labores quidem Armusiæ deuouerat; sed cùm in Iaponiam & Sinam rapi se sentiret, sui simillimum Barzæum misit. Qui simul insulam attigit, simul horrendo motu concussa est. Diceres ad eius aduentum diabolum expauescere; &, ne loci possessione deturbaretur, timere. Gaspar cælestem iram interpretatus est; cuius cum terribili denuntiatione in scelera inuehi cœpit, quæ iam terra non ferret. Nec paucis exitij metus salutis initium fuit. Mox additâ ad vehementiam industriâ, vbi penitiùs morbos explorauit, curationem ordinatè & per partes aggressus est. Spatia temporis sic dispensauit, vt diuersos diuersis nationibus dies, diei horas aliis atque aliis ministeriis impenderet. Ita multorum partes vnus explebat, labore quidem incredibili, sed emolumento pari. Nulla gens fuit, nullus ordo, ex quo non plurimos vel à vitiis ad honestatem, vel ab impiis superstitionibus ad nostra sacra traduceret. Rex ipse ne accederet, maternæ lacrymæ potens machina effecere. Baptisma cum duobus Saracenorum millibus petentem importuna anus peruertit: & quæ mortalem vitam dederat, ad immortalem iter obstruxit. Doluit enimverò talem sibi prædam eripi vir animarum sitientissimus, sed reliquo se fructu solabatur. Iogues quidam, qui incredibili duritiâ atque asperitate vitæ eam sanctimoniæ famam sibi comparat, vt quâ pedes aquâ lauisset, eam Armusiæ Rex religionis caussâ potaret, ad CHRISTI fidem veramque sanctitatem est conuersus. Eius alij auctoritatem secuti, specum, quam Anachoretarum ritu incolebant, in Deiparæ Virginis delubrum commutarunt. Persici Legati vxor, vt CHRISTO adhæreret, maritum deseruit. par in filiâ constantia. Bellum, quo repetendæ erant, simul impetendum Gasparis caput, diuinitus discussum. Quamquam ille vltrò se Persidi intulisset, nisi Xauerius, veritus ne se nimiùm exundans ardor diffunderet, Armusiâ vetuisset pedem efferre. Sed fama concludi non potuit. Ex vltimis Arabiæ finibus, ex ipsâ Constantinopoli venêre qui ad se studiosissimè inuitarent. Quàm difficile fuit, tanto se aperiente campo, vel ardori animi, vel miserorum votis non obtemperare! constrinxit tamen charitatem

Barzæi in Armusianis excolendis industria & labor. Nic. Trigault. in Vitâ Gas. Barzæi.

Rex Armusiæ cur non conuersus.

Barzæi insignis obedientia.

tatem obedientia, iam tum præcipua Societatis virtus. Qui ſecuti ſunt, cùm ſimili præcepto non tenerentur, latiùs operam protulere. P. Arias Brandanus, & P. Alexius Dias, in Baharem eiuſdem ſinus inſulam Luſitanam claſſem comitati ſunt. Alij in continentem Perſidem, duarum non ampliùs leucarum freto diſſidentem, ſub Monaianæ arcis tutelâ excurrêre. Feliciùs tamen alienâ in patriâ cum Perſis actum, quàm in ſuâ. Lahore, quæ Mogoris Regia eſt, magni nominis Legatus eò adductus, vt filios ſuos baptiſmate luſtrandos offerret: illis ſcilicet, quàm ſibi beneuolentior. Aliis eôdem mercium cauſsâ commeantibus non parum profuit liber,quem de Fidei rebus Perſicâ linguâ in Mogoris gratiam Patres conſcripſerant. Eſt is omnium, qui in Indiâ regnant, longè potentiſſimus. Reges plures non ſubditos modò, ſed & domeſticos habet. Ab his minimùm auri millionem quothebdomadis dono accipit. Quis tributa & ceteras diuitias numeret? In bellum quinquagena elephantorum millia poteſt edúcere: ſeptena nuper dum numeraret, cum trecentis equitum, nongentis peditum millibus, putabatur non multùm inſtructus eſſe, & vulgarem potiùs belli tempore comitatum, quàm magnum exercitum habere. Sed numeroſior gens eſt quàm bellicoſior. magis aſtutiâ valet; hebes tamen ad diuina. Religionem & linguam ferè habet cum Perſis communem; habitu aliquantum diſcrepat. Primus ad eam miſſus Rudolphus Aquauiua, qui deinde martyrij decus in Adriæ Ducum familiam importauit. Venientem excepit Rex eo honore, quo de Mulaſſis, hoc eſt Mahometi ſacerdotibus, neminem. Quantò magis è Rudolphi voto, ſi cuius ipſe Sacerdos erat, cæli terræque Dominum ſacrilego impoſtori prætuliſſet? Sed vltra humanitatis officia, & fidei noſtræ laudes, non proceſſit. Cunctatio Regis cùm populum per ſe non promptum magis retardaret, Rudolphus Goam reuocatus eſt, maiori virtutum relicto documento, quàm fructu collecto. Abituro ingens auri vis oblata. Sed qui reliquerat ſuas, alienas opes facilè contempſit. Nec nouum erat abſtinentiæ exemplum. Toto, quod illic egit, triennio, cùm plurima Rex offerret, ne tantum quidem admiſit quo naturæ deſideria expleret, ſat habens ea inſipido pane & frigidâ compeſcuiſſe. Ne nihil tamen ex potentiſſimi Regis aulâ efferret, Moſcum hominem, Chriſtianè viuere cupientem, cum vxore & liberis donari ſibi petiit; ratus non inutilem operam ſe potuiſſe, ſi vel paucos de regiis mancipiis CHRISTI ſeruos feciſſet. Patuit deinde eadem Societati Prouincia non minore quidem Regum beneuolentiâ, ſed & pari ad amplectendam Religionem ſegnitie. Qui poſtremis annis regnabat, cùm rationum momenta, quibus illa nititur, ſatis perſpexiſſet, cupiebat nocturno viſo confirmari. Demens, qui plus ſomniis, quàm iudicio ſuo tribueret, & vbi nulla eſt, ibi Chriſtianam fidem vellet reperire.

Filij Legati Perſarum baptizantur.

Iar. Tom. 3. c. 11. & 12.

Liber Perſicâ linguâ conſcriptus.

Rex Mogor.

Iar. Tom. 2. c. 8. & 14.

Rudolphum Aquauiuam honorificè excipit,

munera offert.

Ex litt. ann. 1624.

Poſt Perſidem & vicina Regna reſtat Turcarum Imperium, quà per Aſiam diffunditur. De Societatis in eo ſedibus ſuprà per occaſionem relatum eſt. Reliquæ ſunt profectiones, quibus vbi ſe non potuit, Religionem ſtabiliuit. Prima ad Maronitas inſtituta eſt. Sunt Maronitæ montis Libani incolæ, gens bona & facilis, ſed prauis Græcorum diſciplinis admodum corrupta. Spiritum à ſolo Patre originem habere

Miſſio ad Maronitas.

 cre-

credunt. humanos animos, vbi è corporibus ceſſerint, neſcio quibus in ſedibus vſque ad iudicij tempus feriari. coniugij vinculum pro viri arbitrio poſſe diſſolui. infantes ante quadrageſimum diem baptiſmate luſtrari nefas eſſe; tum CHRISTI etiam corpore paſcendos. His atque aliis ſenſim imbuti doctrinis, errore magis quàm voluntate ab Eccleſiâ diſſident; ceterùm in Romani Pontificis veneratione atque amicitiâ conſtantes. Mouit ea fidelitas Gregorium XIII. vt tamquam ſuis ſubueniret; hoc ampliùs quòd auxilij non egentiores eſſent, quàm cupidiores. Iam Oratores miſerant, qui ſimul obedientiam Summo Sacerdoti totius gentis nomine exhiberent; ſimul oſtenderent poſſe, niſi cultores deeſſent, in monte quondam amœniſſimo Religionem reflo-

Victorel in Greg. XIII.

reſcere. Miſſus eſt, volente Pontifice, Thomas Radius cum Ioanne Baptiſtâ Æliano, & quadriennio pòſt cum eodem P. Ioannes Brunus; omnes linguarum, quarum illic vſus, periti. Erat profectio laboris & periculi pleniſſima; regione, præterquam quòd Turcarum ſit, ciuilibus bellis ardente. Vel ideò tamen placuit, quòd ad illa iretur loca, ad quæ primorum Patrum vota aſpiraſſent. eſt enim Libanus non procul à Palæſtinâ, cui ſuas dicauerat curas ſancta illa Decemuirorum turba. Vbi appulere, quaſi de cælo venirent, excepti ſunt. Vt CHRISTVS, inquiebant, Patri terras, vos CHRISTO eiuſque Vicario gentem noſtram conciliabitis. Facile fuit, tam promptos, quò oportebat, impellere, & reducere in viam non ſponte deuiantes. Primùm Epiſcopi, qui præter Archiepiſcopum quindecim erant, indictâ Synodo, Catholicè ſe ſentire profeſſi ſunt. Pari populus alacritate praua dogmata eiurauit. Ita toti cum Paſtoribus greges ad Ouile redierunt. Ne noua contagio gliſceret, errorum pabulum, hoc eſt, exitiales libri ſubtracti ſunt. Salutares inde ab vrbe Româ Pontifex ſubmiſit; maximis quidem impenſis, ſed quæ animarum pretium eſſent. Addidit largam pecuniæ ſummam pauperibus erogandam: templorum inſuper ornamenta, vaſa, & ſacras pro Epiſcopis veſtes, vt de ſuo iam munere edocti etiam dignitatem ſeruarent. Nec hìc ſtetit benigniſſimi Patris vel liberalitas vel cura: vt in poſterum Maronitis conſuleret, Seminarium Romæ inſtituit, vbi educati atque inſtituti, qui inde mitterentur, iuuenes caſtam deinde Religionem inter ſuos conſeruarent. Procurationem Societati

Armenos, Babylonios, Arabes & Colchos.

commiſit. Sic Libani incolis etiam abſentes adſumus. Reliquam Syriam, Meſopotamiam, Armeniam Pater Antonius Marietius & P. Petrus Metoſcita Pauli V. voluntate peragrarunt. In Arabiâ P. Paëzius Æthiopiæ prælusit. Ad Georgianos, qui Colchidem, & quidquid inter Pontum Euxinum & mare Caſpium interiacet, latè poſſident, Pater Ludouicus Grangerius profectus eſt. Non quidem licuit per illam terrarum vaſtitatem Euangelio vulgando pro voto inſiſtere; ſed & operæ pretium eſt exploraſſe loca, quæ inuadere deſideras. Erit forſan cùm poſt debilitatas alibi hæreſes, alibi deletum idolorum cultum, liceat in Mahometum plenas copias conuertere.

CAPVT

CAPVT SEPTIMVM.

Propagatio Societatis per Africam.

FVit olim Africa non religione minùs quàm bellis inclyta. Nunc pænè Fides exulat. Obiectas Europæ partes, & interiora Saraceni, maris Atlantici & Æthiopici littora Ethnici tenent. in Abaſſiâ atque Ægypto qui CHRISTVM agnoſcunt, ab Eccleſiæ communione ſeiuncti ſunt. Ad has gentes adire, fuit bellum inferre. Nuſquam amici, niſi quos facceres. A multis humanitatis non plus exſpectandum, quàm ipſe inſtillaſſes. Sed luſtranda venatoribus ferarum ſunt latibula, & prædæ gratiâ inter ſiluas degendum. Quàm feris ſimiles Guineæ populi? Ipſo nomine feritatem præ ſe ferunt, qui Leænæ montes incolunt. His Societas facta eſt manſuetudinis magiſtra. Ne cultores deficiant, in vicinis Heſperidum inſulis ſedem collocauit. In alia Guineæ Regna priùs è remotiſſimis terris Euangelium intulit, quàm vicini Saraceni impuram Alcorani ſuperſtitionem importarint. Fuit, cùm vno tempore duo magni Reges baptiſma ſuſciperent, quatuor flagitarent. Benienſis regio non ſatis quidem exſpectationi reſpondit, ſed ipſa ſibi charitas fructus eſt; & nuſquam vberior, quàm in ſterili ſolo, meritorum ſeges. In Congo atque Angolâ pro Regum ingenio dubiæ ſæpè res: nunc vtrobique Collegia ſunt, frugum, quas Æthiopicus ager cæleſti fundit agricolæ, quædam velut horrea. Magna ex Monomotapâ meſſis accederet, ſi culturam admiſiſſet. Nunc quàm incolis ſuis parum benigna, tam cælo infrugifera eſt, nec vllâ ferè re præterquam Apoſtoli ſui cæde nobilis. Fuit is Conſaluus Silueria, cui natalium ſplendor inter primos Luſitaniæ Proceres, virtus inter præcipuos Martyres locum dedit. Poſt nauatam Indis operam ad Cafres venerat, gentem ſtolidam & rudem, & quæ humanam naturam formâ magis quàm ingenio prodat. Poterat tamen, niſi parricidium interueniſſet, docilitatis defectum tantus magiſter ſupplere. Iam Regem & trecentos cum eo Nobiles (ſi qua eſt in illâ barbarie nobilitas) ſic inſtituerat, vt baptiſmo admouendos putaret. Sed, vt leuitate Cafres ſunt & perfidiâ ſingulari, Rex inſuper propter auaritiam & improuidam ætatem fraudibus obnoxius, facilè à Mahometanis veteratoribus inductus eſt, vt eius ſe cæde pollueret, à quo ſalutis vndâ fuerat expiatus. Ergo vecordis adoleſcentuli iuſſu, ingens ille ſpiritus, à quo Monomotapæ incolumitas pendebat, laqueo ſuffocatus eſt. Corpus, ne veneno ſuo (ita ſceleſti perſuaſerant) auras inficeret, in profluentem proiectum. Vtinam tandem Cafres per eius ſanguinem diuinam erga ſe miſericordiam flectant, per quem iram meruerunt! Hactenus velut in pœnam à Deo deſerti, & ſalute, quam reiecerunt, indigni viſi ſunt. Quantò beatiores, quæ vltra Bonæ ſpei promontorium ad ſinum vſque Arabicum porriguntur terræ! Paſſim in littoribus crucis vexilla rutilant, & in torridis arenis Fidei germen excreſcit. Prima ſemina multis locis Societas iecit. Nunc Moſambici non domicilium modò, ſed & ſcholas habet: vbi, qui humanos induere mores

Africa populi à Fide alieni.

Societas in Guineâ,

Iar. Tom. 3. c. 46. & ſeq.

Benino,

Congo,

Angolâ,

Monomotapâ,

Moſambici,

res non posse videbantur, etiam disciplinis excoli sunt cœpti. Poterat Madagascar (sancti Laurentij insulam Europæi vocant) venire in partem felicitatis, si Rex quàm facilis in admittendis, tam constans in retinendis Dei nuntiis fuisset. Sed vt reliquas contra barbarorum vitia virtutes, ita contra mobilitatem necesse est perseuerantiam opponere. Ea si defuisset, nec nuper in Abassiam (quæ olim Æthiopia vltra Ægyptum dicta est) post longum exsilium reducta Religio veteres possessiones adiisset. Quantos in eam rem inde à primis annis Societas labores suscepit? nec labores modò, quos ambit, sed etiam, quos alioqui vt sui perniciem fugit, infularum honores: crucibus quidem illos & molestiis refertos, nec quidquam, nisi nomen, speciosi habentes; sed tamen nisi animarum necessitas vrgeret, vel hoc ipso ingratos. Igitur Ioannes Nunnius in Patriarcham, Andreas Ouiedus, & Melchior Carnerus in Episcopos lecti consecratique sunt: vt Claudium Abassinorum Imperatorem cum suis ad Ecclesiam, à quâ ampliùs mille annos dissident, redire cupientem, ad illam cum potestate & maiestate reducerent. Sed is breuî vel mutauit sententiam, vel potiùs (quoniam non nisi in Lusitanorum gratiam reconciliationis præ se voluntatem tulerat) vbi postulata impetrasset auxilia, nihil amplius requisiuit. Quod vbi Goæ renuntiatum est, postquàm eò cum Episcopis Patriarcha appulisset; ne impiorum ludibrio suam omnes dignitatem obijcerent, visum est vnum cum aliquot Sociis Ouiedum præmittere, qui & rem exploraret certiùs, & Patriarchæ ingressum, quà posset, præmuniret. Vbi aduenit, reperit Imperatorem, quamuis initio (vt erat cautus nec dissimulandi imperitus) animi sensum humanitatis officiis obtegeret; tamen reipsâ in Dioscori hæresi, & propriis Abassinorum erroribus mentem obfirmasse. nihil de Romanæ Ecclesiæ auctoritate, nihil de verâ Fide, nisi refellendi gratiâ, audire. Patriarchæ aduentum non modò superuacaneum fore, sed & suum ingratum esse. Doluit enimuerò ita Ignatium (nam de seminùs laborabat) ita Lusitaniæ Regem, ita Pontificem Maximum, quorum omnium non minori voluntate quàm spe suscepta erat expeditio, exspectatione frustratos. Sed inde solatium capiebat, quòd, vbi agendi quæ optarat facultas deesset, abundè (quòd alterum votum erat) suppeteret patiendi. Præter contumelias & opprobria, præter tædia & durissimum inter asperrimas rupes exsilium, eam paupertatem pertulit, vt, cùm aliorum misericordiam publica contraxisset fames, ipse arare, ipse sementem facere, ipse metere coactus sit, vnde vitam, quò ferendis diutiùs ærumnis sufficeret, sustentaret. Tum demum cœpit dignitatem suam, quam inuitissimo susceperat, æquo animo ferre; & quæ anteà intolerabilis videbatur, inter grauissimos labores leuis est facta. Tum non pœnituit Pontificio pedo manus admouisse, dum iisdem boum stimulos & stiuam tractaret. Quis miretur Euangelicum semen eo deinde solo feliciter prouenisse, quod ita subactum est? Nondum tamen se multùm extulerat, cùm eò venit P. Paëzius: quem etiam non minùs rerum toleratarum, quàm gestarum gloria decorauit. In itinere à Turcis captus, sexennio in vinculis fuit. Solutus carcere, incidit in morbum cùm per se grauem, tum loco rerumque inopiâ

in Madagascare.

Nunnius Patriarcha in Abassiam legatur.

Ouiedus Episcopus præmittitur:

eius labores.

Iarr. Tom. 2. c. 32. & seq.

P. Paëzius in Abassiam venit,

inopiâ (quippe inter Arabas inhumaniſſimam gentem) moleſtiſſimum. Recuperatâ valetudine, P. Montferratium, viarum atque ærumnarum ſocium & leuamen, amiſit. Cetera, quæ vel ad humanarum neceſſitatum ſubſidium, vel ad rei ſacræ vſum comportabat, latrones eripuêre. Nihil in illum mitius feris. Intactum atque innoxium emicans è ſiluis leo pertranſiit. Ita alternis diuinæ miſericordiæ ſeſe modò ſubducentis, modò exſerentis, interuallis exercitus recreatusque, ad Regiam peruenit. In quâ, primis ſtatim congreſſibus, & ſua illum, & Religionis, quam docebat, ſanctitas adeò venerabilem fecit, vt pannoſus licet atque mendicus, ſupra omnes Proceres Dynaſtasque in pretio eſſet. Rogatus vt de diuinis myſteriis verba haberet, cùm id ſtans in pedes, nihilque inter auditores eminens, agere cœpiſſet; non ferens Imperator tam altas cæleſtesque res tam humili tractari loco, quòd alia ſedes deeſſet, in ſuum iuſſit ſolium conſcendere, & vnde populis imperia dabantur, inde vitæ præcepta proferre. Dubites magíſne Concionatorem delatus honor, an ſua Imperatorem demiſſio decuerit. Numquam ſolio dignior fuit, quàm dum ſic illo ceſſit. Adeò pulchrum eſt & regium, in ſuis Deum famulis agnoſcere & venerari. Aliàs inter colloquendum, cùm eius ſe famulum clientemque Paëzius diceret, Quid, inquit, iſtis obſequij atque obſeruantiæ vocibus vteris? non dominus ego tuus aut patronus, ſed diſcipulus filiusque ſum: tuâ equidem inſtitutione, quàm Abaſſinorum imperio felicior. Verum dixerat, ſi ſalutaria documenta quàm auidè audiebat, tam altè in animum demiſiſſet. Sed id in incerto eſt. Spem facit, quòd & ipſe ante pugnam, quam ſibi fatalem præſagiebat, adeſſe Paëzium optauerit, vt apud illum Catholico ritu noxas confitendo deponeret; & perduelles non aliam ob cauſſam vitâ illum Regnoque ſpoliarint, niſi vt ne Religionem, quam amplexus credebatur, ſuos quoque ſuſcipere, & acceptam à maioribus Fidem, cùm eâ, quam Sacerdos aduena ementitâ potiùs (vt aiebant) ſanctitate quàm rationum momentis perſuadebat, cogeret commutare. Vt vt eſt, non irriti Paëzij fuere conatus. Multos qui ab Eccleſiâ ſeiuncti, velut membra à corpore abſciſſa, cæleſtis Spiritus vegetatione vitâque deſtituebantur, cum eâ conciliauit. Multos ab inanium ſimulacrorum cultu, ad veri Numinis notitiam atque amorem attraxit. Sed vt in cupidis negotiatoribus lucrandi deſiderium ex lucris creſcit; ita horum perceptio fructuum, maiorum cupiditatem accendit. Donec tandem noſtrâ ætate, renouatis primis conatibus, miſſo iterum è Societate Patriarchâ, tota ſe ad ſalutem Abaſſia conuertit: damnatisque, qui ſeiunctionis tempore inualuerant, ritibus, & in primis eiuratâ Dioſcori hæreſi, nouum CHRISTO, & Romanæ Sedi ceterarum Magiſtræ, ſacramentum dixit.

honoratur à Rege.

Ann. 1626. *Abaſſia Pontificis obedientiæ ſe ſubdit.*

Eamdem non ſemel ſpem de ſe, deque Cophtis qui Ægyptum incolunt, Alexandrini fecêre Patriarchæ. Sed cœptis conſtantia defuit. Eorum vnus, quamquam per Legatum geminasque litteras CHRISTI Vicario ſubmiſerat ſeſe; tamen, interturbante rem eo ipſo qui Legatus fuerat, miſſos ad ſe Chriſtophorum Rodericium & Ioannem Baptiſtam Ælianum ita deluſit, vt præter eum, qui ex patientiâ fruſtratisque

Labores Sociorum in Ægypto irriti, & quare, Hiſt. Societ. Tom. 1. l. 5.

Ff 3 non

non minùs quàm exactis è sententiâ laboribus in cælo exspectandus est, nullum fructum retulerint. Alter, dum nimiùm comperendinat, priusquam rem suæ suorumque saluti necessariam conficeret, morte præuentus est. Tum tamen ceteri Episcopi redituris in Italiam Patribus dedêre litteras, quibus & Pontifici gratias agebant, quòd homines, à quibus Catholicam veritatem docerentur, ad se misisset: & vbi post annum successor Patriarchæ substitutus esset (aiunt enim tam diu suam decere Ecclesiam Sponsi interitum lugere) toto se studio in concordiam inclinaturos testabantur. Nec erat exigua felicissimi successus spes, confirmatâ iam & communiter agnitâ Romani Pontificis in vniuersum CHRISTI gregem potestate, reiectisque, quibus maximè retardabantur, Eutychetis erroribus. Sed dum nostri ea Romam noua delaturi, & quid in rem esset, coràm edocturi discessum parant; ecce tibi in ipsorum ædibus Turcarum turba ferro ac telis instructa. Ducebat agmen personatus dux, qui quid agendum, cuíve inijcienda essent vincula, designaret. Fama fuit, fuisse quemdam inuidiâ atque ambitione ardentem: qui, vt Gallicæ nationis Consulem (habent enim hîc Galli Venetique suos Magistratus) in huius promotione negotij nec operæ nec sumptibus parcentem de gradu deijceret, detulit ad Proregem, Cophtos ab eo contra Turcarum Imperatorem solicitatos, habereque à Philippo Hispaniarum Rege mandata alliciendi in eius partes, quotquot posset, Christianos. ad eam rem præstò esse Memphi Presbyteros, qui suam Regi operam Consulique nauarent. Ita Patres ab agendâ Religionis caussâ ad defendendam propriam in iudicium tracti, quamquam suam satis probabant innocentiam; tamen quòd in litteris, quæ apud eos deprehensæ sunt, optare se Cophti dicerent, vt vnum ouile fieret & vnus Pastor; quasi iis verbis apertum proditionis contineretur indicium, in tetrum carcerem coniecti sunt. Nec erat qui extremo mulctandos supplicio dubitaret. Sola in Turcarum auaritiâ spes erat reliqua: credebantque Christiani posse, si Patres assentirentur, pecuniæ magnitudine periculum redimi. Patres, quamquam in tali caussâ emendam potiùs mortem, quàm redimendam vitam scirent, quoniam tamen suam perniciem cum magnâ videbant Cophtorum calamitate coniunctam, metuebantque, ne, si quid eis mali suâ caussâ accideret, id eos ab omni cum Catholicis commercio deterreret; passi sunt sibi pulcherrimam palmam eripi. Persoluto non exiguo pretio, cùm nihilo segniùs inchoatam coniunctionem vrgent, nouus in prouinciam Prorex venit. Qui factus præteritorum certior, ait se iterum velle caussam cognoscere; esse enim proximi Proregis cupiditate corruptum labefactatumque iudicium. Tum tandem, ne, quibus se laqueis exuissent, in eos magno cum Christianorum periculo reciderent, maturandus reditus visus est; neque committendum, vt hominibus optimè de se meritis sua pietas & beneuolentia fraudi esset. Atque is Ægyptiacarum expeditionum exitus fuit.

Ann. Societ. anno 1584. — *proditionis accusati capiuntur:* — *redimuntur:* — *Ægypto excedunt.*

Laborum non minus in aliis Africæ partibus, quæ propiùs Europam sunt, multoties exhaustum. In Mauritaniam, quà Herculeo freto ab Hispaniis diuiditur, Ioannes Nunnius, Ludouicus Consaluius, Ignatius

Variæ in Mauritaniam excursiones.

tius Bogatus; quà Siciliæ obiacet, ipse Iacobus Lainius & Martinus à Carnosa traiecere. Hi, vt Ioannis Vegæ Siciliæ Proregis exercitui Africam vrbem oppugnaturo; illi, vt tractis in seruitutem Christianis opem & solatium ferrent. Pari charitate Ioannes Fernandius & Gabriel de Portu in easdem delati oras, multorum è vinculis exemêre corpora, multorum à satanæ dominatu animos defendêre. Nec nihil in Iudæos & Mauros emolumenti redundauit. Tituani (ciuitas est ditionis superstitionisque Saracenæ) præcipuum Nunnius Rabbinum eò adduxit, vt non cunctaretur confiteri, IESVM, quem Christiani colerent, Dei esse Filium, eumque tot expetitum votis, tot promissum oraculis Saluatorem ac Messiam. Lainius, vrbe Africâ per vim expugnatâ, defensorum non paucos, quorum in potestatem venerant, eorum ad Sacra perduxit. Vnum etiam mox à suscepto baptismate decedentem ad cælos transmisit, periturum, nisi periisset. Atque ea ferè ratio est traiiciendi in hanc Africæ partem, vt vel ab amicis castris præsidiisque ne discedas, vel redimendis captiuis pretium feras. Alioqui nouum ferè Saracenis est, Christianorum quemquam nisi in vinculis videre.

Quando erit, vt vilissimæ genti non ampliùs lucro sua crudelitas, nostra dignitas ludibrio sit? quando erit, vt, compositis Europæ rebus, & cessantibus iis præliis, in quibus ne vincere quidem piis sine dolore licet, eò transferantur Catholicorum vires, vbi non iustum modò, sed & misericors bellum sit; vbi hostibus ipsis prosit vinci; vbi non ira, non æmulatio, non auaritia, non regnandi libido, effundendi Christiani sanguinis caussa sit, sed dignus tali pretio Dei honor?

CAPVT OCTAVVM.

Propagatio Societatis per Americam.

AMericam amplissimam mundi partem, tribus reliquis magnitudine terrarum ferè parem, diuitiis etiam superiorem, plerique, vt rem facerent; Religiosi homines, vt Euangelium disseminarent, errantesque mortalium greges ad ouile CHRISTI reducerent, præteritis annis adiuere. Ea vastissimis circumfusa æquoribus, à Septemtrione in Austrum immani tractu porrigitur, duarum, quas tenuis discernit isthmus, peninsularum formâ. Harum altera, quæ Septemtrioni proximior est, Regnum Mexicanum, Nouam Hispaniam, Floridam, Terram Nouam complectitur. Quæ Meridiem spectat, Brasiliam, Paraquariam, Chilense Regnum, Peruuiam comprehendit. Brasilia prima Societati addita est. Laboriosa sanè prouincia, & multis difficultatibus implicata. Incolæ nullâ Numinis non modò reuerentiâ, sed ne vel notitiâ præditi, ferinum in morem vitam agitant. Adeò stolidi atque hebetes, vt nec litteras nec vllam numerorum rationem norint. Perperàm aut rectè factis nihil post mortem præmij suppliciique superesse arbitrantur. Animas num à corporibus secernant, incertum: certè, prout quisque terrâ conditur, manco vel integro corpore, ita credunt ad inferos descendere. Quamobrem iis quos tumulant, retia

Diuisio Americæ.

In Brasiliam Soc. veniunt.

(nam

(nam ad vitanda noxia animalia in retibus à terrâ suspensis Brasili cubant) & aliquot dierum cibaria veluti profecturis apponunt. Beneficiorum, si quæ accipiunt (nam præstare non norunt) nullam memoriam habent. Odia atque inimicitias perpetuas gerunt. Inimicitiarum caussæ, iræ meræ: quibus adeò sunt obnoxij, vt,pugnâ leuissimam ob caussam subortâ, inuicem dentibus dilanient: in pungentes etiam bestiolas, perinde vt in homines, excandescant, & vlciscendi gratiâ in ventrem auferant. In crapulam & omnem impuritatem nullo freno ruunt. Coniugiorum, quæ plura celebrant, tempus libidine metiuntur. Quòd auaritiâ careant, non virtus est, sed incuria hominum in diem viuentium, nihilque in futurum prospicientium: & hoc vno, quod tamen cum bestiis commune habent, sua ipsos stoliditas beat. Cetera cicurandi priùs & ad humanum ritum traducendi sunt, quàm Religione & cælestium rerum scientiâ imbui possint. Adeò tamen etiam tum leues atque inconstantes, vt sæpè, quos magno labore collectos per longum tempus erudieris, subitò dispareant ex oculis, atque ad siluas velut vento relati,in vitia & inueteratam barbariem reuoluantur. Nec eæ solùm molestiæ primis eius Prouinciæ cultoribus deuorandæ fuere. Durissimâ insuper paupertate, nondum vllis in eorum sustentationem ab Rege attributis censibus, conflictati sunt: adeò vt ædiculam in quâ diuina facerent, & alteram quam inhabitarent, suis ipsi manibus exstruere, ipsi materiam proximis è montibus subuehere, ipsi aquari lignarique cogerentur. Victus vix alius suppetebat, nisi quem ab iis, quibus haud multò copiosior erat res, emendicando colligebant: cumque extrema nonnumquam cibariorum premeret inopia, maior tamen metus erat, ne ipsi barbaris alimentum fierent. Nullum enim Brasilorum palato gratius, quàm humanæ carnis edulium. Hinc inter ipsos non modò summa capitum vilitas, sed & hominum quasi ferarum venatio. Prædam non statim, sed aliquamdiu saginatam coactamque pinguescere, in amicorum conuentu læti mactant: tantâ pascendi se, atque ingluuiem diris his dapibus exsatiandi libidine, vt vel è terrâ extrahere cadauera, atque è tumulis ad suas transferre mensas non horreant. His, inquam, ne in cibum cederent illi ipsi, qui pro funestis istis ac feralibus epulis cælestem afferebant alimoniam, formidandum erat. Nihilo tamen segniùs instare, magno ac fidenti animo multitudini se immiscere, procul à Lusitanorum coloniis in siluas se[dare], sparsos palantesque in certas sedes vicosque cogere, paulatim a nefariis atque impuris moribus auertere: & vbi in grandioribus longâ iam consuetudine efferatis desperata videbatur res, pueros saltem,velut exemptos è spelæis ferarum catulos, omni arte mansuefacere. Nec pœnitendus fuit fructus, tum in iis, qui posteaquam tincti fuissent, ant[e] vsum rationis suum obibant diem; tum in aliis, in quibus Christiana doctrina, velut insitus in teneram plantam peregrinus ramus, adoleuit. Maiori tamen cum operæ pretio postremis annis in Paraquariâ, quæ a mari recedit magis, & per interiora diffunditur, laborari cœptum. In eâ, quoniam non tanta, quanta vel in Brasiliâ ob saccari aliarumque mercium copiam; vel in Peruuiâ ob auri atque argenti feracissimo[s]

eorum labores & inopia,

montes

montes, lucri ſpes affulget, minor eſt Europæorum multitudo; ſed barbarorum gregatim degentium, &, Nomadum more, de loco in locum pabuli cauſsâ migrantium incredibilis frequentia. Nullos & ipſi colunt Deos; ominibus tantùm atque auguriis ad inſaniam dediti. Virtutum ne nomina quidem norunt: eiſdem ferè quibus Braſili moribus viuunt, niſi quòd paulò mitiori magisque tractabili ſint ingenio. Ante Societatis homines, Religioſorum neminem, Sacerdotum vix quemquam, viderant: nunc eorumdem operâ (qui vt primi, ita hactenus ferè ſoli in iis ſubigendis atque interlucandis dumetis deſudant) multa quotannis millia non modò à vagâ illâ atque inordinatâ ad ciuilem certisque legibus ordinatam, ſed etiam ad dignam Chriſtiano homine vitam traducuntur. Chilenſes (qui verſus Auſtrum poſtremi, Fretoque Magellanico proximi ſunt) quoniam grauioribus vrgentur vitiis, quibus, quidquid eſt bonæ mentis, obtundunt, tardiùs honeſtatis Fideiq; lumen admittunt: ſed hoc gnauiùs in illorum auxilium incumbitur. Quis enim vlli hominum generi ſuam detractet operam conſecrare, cui ſanguinem Dei Filius impendit? Animas dignè non æſtimat, cui non omnes caræ ſunt. neſcit illarum pretium, qui vel paucularum ſalutem non amplam credit laborum maximorum mercedem. Quid refert, ſi miſeris corporibus, & in omnem nequitiam proiectis incluſæ ſint, dummodò vel inter ſordes dignitatem ſuam ſeruent? Non ideò vilius eſt aurum, quia in infimi elementi viſceribus conditur; neque ideò non pretioſæ ſunt gemmæ, quia intra concharum fæces deliteſcunt. Ergo vel hoc ipſo ardentibus Sociorum votis expetuntur hæ Prouinciæ, quòd, præter incolarum miſerias, nihil ſit quod alliciat. Atque vtinam ſola horum inſcitia & barbaries, non etiam Chriſtianorum improbitas negotium faceſſeret! nullum quod obſiſtat Euangelio valentiùs, quodque difficiliùs domes, malum eſt; ſiue dum opportunos iniuriæ populos crudeliter atque auarè habendo à Religione deterrent, ſiue dum in omne malum ſponte procliues prauis in peius propellunt exemplis, & quibus pietatis eſſe debuerant, nouorum fiunt flagitiorum magiſtri. Sed vt ab his, inde à principio, ingens promouendæ Religioni impedimentum eſt poſitum; ita à Catholicorum Hiſpaniæ Regum pietate & munificentiâ præcipuum adiumentum acceſſit: planè vt diuinæ Sapientiæ, per quam Reges regnant, liqueat conſilio factum, vt, quorum in primis virtute atque opibus Chriſtiana res nititur, eorum imperio ſubiicerentur eæ regiones, in quas veritatis lucem omnibus retrò ſæculis incognitam inferri, ac deinde non minore ſtudio oporteret conſeruari. Eâ gratiâ non minùs de Euangelij præconibus, quàm de militaribus copiis ſubmittendis ſoliciti, vti noſtros in partem laboris venire, ita ſuæ beneficentiæ participes eſſe voluerunt. Primum Collegium à Philippo II. Cuzchi in Peruuiâ fundatum. alia aliis extructa locis. per quæ factum, vt ex ditiſſimâ hac regione non minùs in cælos fructuum, quàm in regios theſauros tranſlatum ſit. In alteram Americæ partem, quam Aquilonem verſus extendi diximus, eodem poſtulante Rege, Franciſcus Borgia colonias miſit. Prima in Floridam facta exſcenſio. Petrus Martinez ſimul terram attigit, ab incolis Europæorum aduentum prohibere volentibus, perticâ percuſſus interiit. Proximi nouem ſecundo

Primi in Paraquariam veniunt.

Chilenſibus ſe impendunt.

Regum Hiſpaniæ in Fide promouendâ ſtudium.

Varia Societatis in Peruuiâ Collegia.

Cædes Sociorum in Floridâ.

pòst anno nihilo mitiùs excepti, & præter crudelitatem etiam proditionem experti ſunt. Dum enim Carichæ cuidam (ſic Principem virum in Floridâ appellant) recèns ad Fidem traducto ſe committunt, & ſine militum Hiſpanorum præſidio viam capeſſunt, ab eo, ſeu quòd à Religione transfuga deſciuiſſet; ſeu quòd à ſuis ad parricidium incitaretur, in inſidias ducti, & per ſummam, ſed ipſis ſaluberrimam, immanitatem necati ſunt. Qui caſus tantum abeſt, vt reliquos in Europâ Socios abſterruerit, vt incitarit magis, dum pro CHRISTO mortem oppetere & ipſi pari ſtudio exoptarent. Ergo alacres & hanc deinde inſulam, fratrum ſuorum ſanguine conſecratam, & Mexicanam Prouinciam, aliaſque, in quas commigrantes Hiſpani Regnorum ſuorum tranſtulere nomina, cum Regiis claſſibus adiuere. In Mexicum cùm appuliſſent, infremens dæmon, atque horrendis implens vlulatibus montem, vbi pro Deo colebatur, quàm ſibi dolori atque horrori eſſet nouorum Sacerdotum aduentus, non dubitauit cuidam, quem ſibi deuotione obſtrictum habebat, lamentabundus aperire. Fuit ſimiliter quòd in querelas erumperet, cùm in Canadam (quam & Franci de patriæ ſuæ nomine Nouam Franciam dixere) Henrici IV. voluntate venerunt è Galliâ Patres, qui populos Francis vel ſubditos, vel amicitiâ & ſocietate iunctos, Euangelij ſanctiore fœdere, CHRISTO Regum Regi deuincirent. Cœpit enim & hîc per varia diffundi loca Religio, ſpeſque affulget fore, vt (quod alibi compertum eſt) aquæ in morem per tenues admiſſa aditus dilatet ſibi viam, nec vllis limitibus coërceatur. Virginia quamuis Catholicis non paret, noſtræ tamen operæ non eſt expers. In eam Patres Angli, quaſi non ſatis laborum ferax eſſet illorum patria, nuperis annis Miſſionem inſtituêre. Nec vlla prætereà nominatior terræ pars vel Catholicorum armis eſt ſubiugata, vel explorata nauigationibus, quam non iuuandorum hominum cauſâ noſtri homines luſtrauere. Quin, vt diuinæ charitatis quàm humanæ cupiditatis longè maior eſt vis, multis locis ſuus illos ardor longè prouexit vlteriùs, quàm mortalium quemquam vel auaritia traxerit, vel error deduxerit.

Ingreſſus in Mexicum, *Annal. Soc. an. 1596.* *in Nouam Franciam,* *Virginiam.*

CAPVT NONVM.

Propagatio Societatis per illuſtres aut illuſtrium virorum ad eamdem vocationes.

TOt in terras diſperſa Societas, & vbique non infrequens, facile intelligere eſt quantum hominum complexa ſit; eius haud dubiè prouidentiâ & benignitate, qui, ſicut addictam ſibi deuotamque Familiam protulit in lucem, ſuoque inſigniuit nomine, ita hactenus non modò locorum amplificauit ſpatiis, ſed & continuis Sociorum auxit incrementis. Verùm non hoc ago, vt manifeſtum faciam quod obſcurum eſſe non poteſt. Libet tantùm pauca de multis exempla adferre, in quibus ſingularis eluceat ratio, quâ ſumma bonitas quorumdam ad hoc Inſtitutum vocatorum vel pietati indulſit, vel impulit tarditatem. Primus occurrit Adalbertus Bauſech, cui in Collegij Pragenſis templo preces ad Deum

Vocatio Adalberti Bauſech ad Societ.

Deum fundenti, pueri venustissimi specie, in sacrosanctâ hostiâ IESVS apparuit; rogantique quid ab se vellet; Volo, puer respondit, vt ibi sis vbi es. Quæ Adalbertus de ingrediendâ Societate intelligens, vitam in eâ tali principio consentaneam egit. Hist. Soc. lib. 16.

Didaco Sanchez, ad quem potissimùm Ordinem animum adiiceret fluctuanti, Gregorius XIII. eligendæ Societatis auctor fuerat. Dum certius diuinæ vocationis indicium desiderat, ad D. Petri se confert; sternit se ad aram; Deum in Sacramento præsentem rogat; pellat tandem molestissimas tenebras, suæque voluntatis exequendæ cupidum, non ampliùs sinat de eâ incertum hærere. Res mira. Allapsa è tabernaculo vox: Ingredere, ait, Societatem IESV. Quam lætus excipiens, non ampliùs aut suadentem CHRISTI Vicarium, aut CHRISTVM vocantem cunctatus est sequi. *Didaci Sanchez*, Lud. de Ponte 1. p. Ducis spir. t. 1. c. 22.

Non in templo erat, sed æger decumbebat in lecto Augustinus Mendiolensis, cùm suo illum Saluator alloquio dignatus est. Morbi caussa, nimia in vocationis negotio segnities. Plures annos acribus ad ineundam Societatem stimulis impulsus, ne parêret, nescio quorum necessitates caussatus fuerat, quibus ex charitatis præcepto iuberetur subuenire. Interim, quasi in eam rem media conquireret, ambitioni suæ & cupiditati indulserat; tandem graui morbo correptus, cùm non acriùs eius vi, quàm conscientiæ morsibus vrgeretur, oculis in CHRISTI de cruce pendentis effigiem conuersis, & veniam rogabat culpæ, & morbo leuamen. Non in vanum fusæ preces. Audiit clementissimus Dominus, clarâque voce postquam tergiuersationem ac negligentiam increpuisset, si tandem obtemperare vellet, præstò fore auxilium spondet. Quis tam contumaci atque indurato animo esset, quem tanta benignitas non emolliret? Augustinum minimè malum ingenti etiam voluptate perfudit. Nec mora Societatis Præsidibus, vt admittatur, supplicat; &, quoniam à Deo se agi certis prodebat indiciis, fit voti compos. Quo nuntio simul animus ingenti exultauit lætitiâ, simul exhausto corpori tantum rediit virium, vt ad Collegium ferre se posset. Sed vt sciret quamobrem tantisper conualuisset, eodem die ingrauescens morbus lecto eum affixit; nec multò pòst secuta mors, stadium Religiosæ vitæ vix ingressum ad metam perduxit. Nimirum Deus bonorum nostrorum non indigens, quorumdam non tam obsequia, quàm obsequendi voluntatem requirit. *Augustini Mendiolensis*, Vita P. Balt. Aluarez.

Sic & Gulielmus Brunslæus non dissimili ad Societatem prodigio adductus, quamuis virtutis studio, & contentione currendi longæ vitæ cursum æquauit; tamen non totum Tirocinij tempus expleuit. Is natione Anglus, cùm in hortis quibusdam inambulans de vitæ, quam instituere deberet, genere cogitaret, manifestam Saluatoris speciem vidit, cuius & aspectu & tacito hortatu ad humana linquenda impulsus, facilè induxit in animum, vt illi potissimùm cœtui se aggregaret, qui illius quem viderat, & vitam sectaretur, & nomen gereret. Viso cùm certa eius asseueratio, tum maximè mores fidem fecere. *Gulielmi Brunslæi*, Ann. Soc. 1585.

Et hos quidem blandâ vi à rebus caducis abstractos Societati suæ IESVS adiunxit. Non minus admirabilitatis habet quorumdam, quos sanctissima eius Parens submisit, accessio.

Ioannis Nunnij, Phil. d'Oultreman in Ioan. Nunnio.

Ioannes Nunnius, non is quem Æthiopiæ Patriarcham fuiſſe diximus (quamquam & hunc Virgini Societas debet) ſed alter è Guſmanorum nobiliſſimâ inter Hiſpanos familiâ, cùm de vitæ ſtatu dubius cæli Reginam, quæ fluctuantibus Cynoſura eſt, ſuppliciter implorat; illa ſe exhibendam præbens, Viſne, inquit, Filio meo ſeruire ad defatigationem? Cùm ſe velle reſpondiſſet, ſubiunxit Virgo: Hos ergo (Fabrum & Stradam, quos habebat in comitatu, deſignabat) nihil hæſitans ſequere. Nec multò pòſt homines per viſum oblatos obuios habuit. Dum hæret, amborumque vultus cum præteritis ſimulacris confert; attonitum præoccupans Faber, eiſdem verbis, num CHRISTO ad defatigationem ſeruire velit, interrogat. Ex quâ ille voce plus quàm quæreretur intelligens, non dubitauit ſe eis ad perpetuam vitæ laborumque, quibus fatigari recreari eſt, ſocietatem adiungere.

cuiuſdam Pariſienſis, Ioan. Bonifacius Hiſt. Virginalis l. 4. c. 14.

Sed & Cælitum ſingularis in hoc genere erga quoſdam memoratur fauor. Fuit Pariſiis adoleſcens, qui pertæſus vitæ liberioris cùm meliorem inſtituiſſet, nocte quadam, quæ diem Dominicum ſequebatur, percepit vocem ad perſeuerantiam (in quâ vti omnis felicitas, ita maxima difficultas ſita eſt) ſe adhortantis. Poſt octiduum ſimiliter monitus, quis eſſet qui loqueretur, interrogat. Sum, inquit ille, tui cognominis Ioannes Euangeliſta: & viciſſim, Capuccinúſne (fortè de ineundâ Religione cogitabat) an Carthuſianus fieri velit, interrogat. Vt Deo viſum, reſpondit adoleſcens. Nec id temporis plura. Tertio Dominico die, nocturnò item tempore redit Apoſtolus, datâque in manus ſchedulâ, En, inquit, tres tibi offeruntur Ordines: quem voles, elige; ego ampliùs non reuertar. Duorum nomina argenteæ litteræ, noſtrum (is erat tertius) aureæ exhibebant. Quod auguſtiſſimo IESV nomini datum, adoleſcens ſic interpretatus eſt, vt qui aureis deſignaretur litteris, eum ſibi optimum, ſuiſque accommodatiſſimum rationibus crederet.

Ioannis Carreræ, Hiſtor. Soc. parte 2.

Non tam placidum Ioannes Carrera monitorem habuit. Poſtquam vocanti Deo diu repugnaſſet, dæmonem horrendâ ſpecie in eius cubiculum immiſiſſe ſe ferunt; quem quamuis luctando abigeret, tanto tamen horrore correptus eſt, vt eum non diſſimulans ad Societatis gremium confugerit.

Ioannis Magirij, Annal. Societ.

Aliud ſpectrum Ioannem Magirium perpulit. Fratrem vitâ functum per quietem vidit: qui leuitatem morum (viuebat enim ſolutiùs) ei exprobrans, exceptumque de CHRISTI latere ſanguinem in faciem coniectans, Vide, inquit, ne hic cruor in caſſum pro te effuſus ſit. Quo ille monito ictus, non tantùm ne ſibi, ſed & ne multis aliis tantum pretium periret, in Societate curauit.

Franciſci Caietani. Maurolycus in Oceano Relig.

Hunc hominis defuncti manes, Franciſcum Caietanum (vt de Franciſco Borgiâ nihil dicam) cadauer mouit. Ex eius intuitu cùm ſui quoque corporis conditionem perpendiſſet, nec illi, quo minùs putreſceret, vel nobilitatem ſanguinis, vel delicias quibus affluebat, quidquam profuturas; omnes ad immortalis animæ cultum curas conuertit: fuitque rebus quas in Societate geſſit, quàm quas in mundo reliquit, multò clarior. Cedunt enim omnia virtuti; nec quidquam, quod illa non illuſtrat, verum ſplendorem habet. Luxus, diuitiæ, claritudo generis, perſtringunt cæcutientes oculos; ſapientum animis magis ad contemnendum, quàm

quàm ad ambiendum propoſita ſunt. Illud tamen ex iis reſultat commodi; quòd, ſicut quò quiſque nobilior atque opulentior, hoc ferè notior, ita ſi ad virtutem animum applicat, exemplo ſit vtilior. Experta hoc eſt Societas & ſub initium, cùm Franciſcus Borgia Gandiæ Dux, Antonius Corduba, Ioannes Mendoza; hic Marchionis à Valle, ille Comitis Feriæ & Marchionis de Plego filius, aliique multi; & deinde cùm longè plures illuſtriſſimo genere orti, maximiſque perfuncti honoribus, omnibus ex prouinciis in eam adſcripti ſunt. Quàm multos enim fuiſſe credimus, qui, cùm viderent homines quos habebant in admiratione, ea contemnere quæ plurimis ſunt ſumma votorum, cœperint & ipſi aliter de rerum vanitate ſentire, atque ad illa ſponte deponenda animum inducere, quæ aliquando vel inuitis mors eſſet ereptura? quàm multos, quibus minùs vel cognitus vel acceptus hic Ordo, poſtquam viris, qui omnium in ſe oculos conuertebant, auctus eſt, penitiùs inſpici atque adamari cœpit? Planè vt, tametſi Religioni non nobilitas, ſed probitas ſuorum laudi vertatur, tamen non inter poſtrema diuini fauoris indicia ponendum ſit, multos ab eo ſubmiſſos, qui vel accepta à maioribus vel parta propriis meritis decora abiiciendo, huic Familię decus adferrent. *Legeram*, inquit Claræuallenſis Abbas, *Non multos nobiles, non multos ſapientes, non multos potentes elegit Deus. At nunc, præter regulam, mirâ Dei potentiâ talium conuertitur multitudo.* Ego certè centenos aliquot Ducum, Principum, Marchionum, Comitum, Baronum filios adferre poſſem, quibus noſtræ Societatis humilitas domeſticis honoribus potior fuit. in vno Belgio etiamnum facilè ſex & viginti ſuperant. Sed id indicaſſe ſatis ſit, ne, quæ illi abiecerunt, ego plus æquo videar æſtimare; & ex illis Religioni velle laudem accerſere, quæ eius alumnis non habuiſſe, ſed reliquiſſe glorioſum eſt.

Exemplorum vis.

Epiſt. 109.

CAPVT DECIMVM.

Catalogus Prouinciarum Societatis IESV, *Domorum, Collegiorum ac Seminariorum, Sociorumq́ qui in vnaquaque Prouinciâ erant anno Christi* M. DC. XXVI.

QVod ij faciunt, qui ad breuis tabulæ anguſtias vniuerſam naturæ machinam contrahunt, id nos in exhibendâ Societatis amplitudine ſecuti ſumus. Exiguam rei maximæ imaginem dedimus. Ne tamen ſcire pleniùs cupienti, quàm latè modò per orbem diffuſa, quibus limitibus circumſcripta ſit, quas regiones omnino peruaſerit, quas tantùm attigerit, vbi inter barbaros idolorum cultores, vbi inter Mahumetanos, vbi inter eos qui ſe ab Eccleſiæ vnitate abſtraxerunt, vbi inter hæreticos degat; ne, inquam, iſta deſideranti ad manum non ſit, vbi quæ velit vno contempletur intuitu, viſum eſt Prouinciarum Domiciliorumque catalogum ſubtexere. Sunt ergo

IN ITALIA

Prouinciæ quatuor.

PROVINCIA ROMANA

Continet in Italiâ Latium, Umbriam, Picenum, Etruriam, Sedis Apostolicæ Ducisque Florentini ditiones; in Illyrico Remp. Ragusinam.

Romæ { Domus Professa. Collegium Romanum. Domus Probationis. Collegium Pœnitentiariæ. Collegium Germanicum. Collegium Anglicanum. Seminarium Romanum. Collegium Græcorum. Collegium Maronitarum. Collegium Scotorum. } *Roma.*

Residentia Tusculana.		*Frascata.*
Collegium	Tiburtinum.	*Tiuoli.*
	Lauretanum. Illyricorum.	*Loreto.*
	Perusinum.	*Perugia.*
	Florentinum.	*Fiorenza.*
	Senense.	*Siena.*
	Maceratense.	*Macerata.*
	Recinetense.	*Recanati.*
	Setinum.	*Sezza.*
	Anconitanum.	*Ancona.*
	Montis sancti.	*Monte santo.*
	Montis Politiani.	*Monte Pulciano.*
	Firmanum.	*Fermo.*
	Tifernatense.	*Città di Castello.*
	Asculanum.	*Ascoli.*
	Soranum.	*Sora.*
	Spoletinum.	*Spoleto.*
	Viterbiense.	*Viterbo.*
	Interamnense.	*Terni.*
	Camerinense.	*Camerino.*
Residentia	Vrbeuetana.	*Oruieto.*
	Ragusina.	*Ragusa.*
	Fiastræ & Panicalis.	

Socij 810.

PROVINCIA VENETA.

Præter Venetorum in Italiâ & Cretâ ditiones, continet Galliæ Cisalpinæ inferiorem regionem, quâ Padus in mare Superum illabitur: paret hic tractus partim Apostolicæ Sedi, partim Principibus Parmensi, Mutinensi, Mantuano, Mirandulano.

Domus Professa Veneta.*	*Venetia.*
Collegium Patauinum.*	*Padoua.*
Collegium Ferrariense.	*Ferrara.*
Collegium Bononiense.	*Bologna.*
Collegium Brixiense.*	*Brescia.*
Collegium Foroliuiense.	*Forli.*
Collegium Mutinense.	*Modena.*
Parmæ { Collegium Parmense. Collegium Nobilium. }	*Parma.*
Collegium Placentinum.	*Piacenza.*
Collegium Veronense.*	*Verona.*
Collegium Mantuanum.	*Mantoua.*
Domus Probationis Nouellariæ.	*Nouellara.*
Collegium Imolense.	*Imola.*
Collegium Mirandulanum.	*Mirandola.*
Collegium Regiense.	*Reggio.*
Collegium Fauentinum.	*Faenza.*
Collegium Castilionense.	*Castiglione.*
Collegium Rauennatense.	*Rauenna.*
Residentia Cretensis.*	*Candia.*
Residentia Vicentina.*	*Vicenza.*
Domus Probationis Buxetana.	*Busseto.*
Residentia Carpensis.	*Carpi.*

Socij 405.

PROVINCIA MEDIOLANENSIS

Continet Galliæ Cisalpinæ superiorem regionem, quâ ex Alpibus Padus variis fluminibus accrescit; Ducatum Mediolanensem Regis Catholici, Pedemontium Ducis Sabaudiæ, Liguriam & Corsicam Reipub. Genuensis, ac Vallem-Tellinam.

Mediolani	Domus Professa. Collegium Breranum.	*Milano.*
Genuæ	Domus Professa. Collegium Genuense. Domus Probationis.	*Genoua.*
Collegium	Taurinense.	*Turino.*
	Comense.	*Como.*
	Vercellense.	*Vercelli.*
	Montis regalis.	*Mondeui.*
	Cremonense.	*Cremona.*
	Domus Prob. Aronensis.	*Arona.*
	Bastiense.	*Bastia.*
	Niciense.	*Nizza.*
	Alexandrinum.	*Alessandria.*
	Castri noui.	*Castelnuouo.*
	Nouariense.	*Nouara.*
	Adiacense.	*Aiaccio.*
	Sauonense.	*Sauona.*
Residentia Papiensis.		*Pauia.*
Residentia Pinaroli.		*Pinarola.*
Residentia S. Romuli.		*S. Remo.*
Residentia Ponti, in Valle Tellinâ.		*Ponte.*

Socij 431.

PROVINCIA NEAPOLITANA

Continet Campaniam, Lucaniam, vtramque Apuliam, & Calabriam, Samnitum & Salentinorum Sedes; vulgò Regnum Neapolitanum, Regi Catholico subditum, cum vrbe Beneuentanâ ditionis Pontificiæ.

Neapoli { Domus Professa. Colleg. Neapolitanum. Domus Probationis. Collegium S. Ignatij. Coll. S. Francisci Xauerij. Collegium S. Iosephi. } *Napoli.*

Collegium	Catacense.	*Catanzaro.*
	Nolanum.	*Nola.*
	Rheginum.	*Reggio.*
	Aletinum.	*Lecce.*
	Bariense.	*Bari.*
	Salernitanum.	*Salerno.*
	Cosentinum.	*Cosenza.*

Collegium

Collegium Barolitanum.	*Barletta.*
Collegium Teatinum.	*Chieti.*
Collegium Aquilanum.	*Aquila.*
Collegium Beneuentanum.	*Beneuento.*
Domus Probationis Adriensis.	*Atri.*
Collegium: Bouinense.	*Bouino.*
Collegium: Tropeense.	*Tropea.*
Collegium: Massense.	*Massa.*
Collegium: Stabiense.	*Castel al mar.*
Collegium: Capuanum.	*Capua.*
Collegium: Molfettanum.	*Molfetta.*
Collegium: Amanteanum.	*Amantea.*
Collegium: Vibonense.	*Monteleone.*
Collegium: Tarentinum.	*Taranto.*
Residentia Paulæ.	*Paola.*

Socij 610.

IN SICILIA,

Quæ Regi Catholico tota paret, Prouinciæ duæ: his annexæ sunt Missiones & Residentiæ Asiaticæ sub Turcâ.

PROVINCIA SICVLA OCCIDENTALIS.

Panormi: Domus Professa.	*Palermo.*
Panormi: Collegium Panormitanum.	*Palermo.*
Panormi: Domus Probationis.	*Palermo.*
Collegium: Montis Regalis.	*Monreale.*
Collegium: Biuonense.	*Biuona.*
Collegium: Drepanitanum.	*Trapani.*
Collegium: Marsalense.	*Marsala.*
Collegium: Caltanessettense.	*Calatanissetta.*
Collegium: Saccense.	*Siacca.*
Collegium: Narense.	*Naro.*
Collegium: Ennense.	*Castrogiouanni.*
Collegium: Termitanum.	*Termini.*

Socij 365.

PROVINCIA SICVLA ORIENTALIS.

Messanæ: Domus Professa.	*Messina.*
Messanæ: Collegium Messanense.	*Messina.*
Messanæ: Domus Probationis.	*Messina.*
Collegium: Syracusanum.	*Siracusa.*
Collegium: Catanense.	*Catania.*
Collegium: Caltaieronense.	*Calatagirone.*
Collegium: Mineense.	*Mineo.*
Collegium: Melitense.	*Malta.*
Collegium: Platiense.	*Piazza.*
Collegium: Netinum.	*Noto.*

Socij 296.

IN SARDINIA

Prouincia vna: Regi Catholico subdita.

Sassari: Domus Professa.	*Sasser.*
Sassari: Collegium Sassaritanum.	*Sasser.*
Sassari: Seminarium S. Antonij.	*Sasser.*
Calari: Domus Professa.	*Caller.*
Calari: Collegium Calaritanum.	*Caller.*
Calari: Domus Probationis.	*Caller.*
Calari: Semin. Calaritanum.	*Caller.*
Collegium Ecclesiense.	*Iglesias.*
Collegium Alguerense.	*Alguer.*

Socij 210.

IN HISPANIIS

Prouinciæ quinque sub Rege Catholico.

PROVINCIA LVSITANIÆ

Continet Regna Portugalliæ & Algarbiæ, Insulas Azores siue Flandricas, Fortunatas, Hesperidum, Africam Oceano Atlantico obiectam, à Mauritaniâ vsque ad Promontorium Bonæ spei.

Olissipone: Domus Professa.	*Lisboa.*
Olissipone: Collegium S. Antonij.	*Lisboa.*
Olissipone: Domus Probationis.	*Lisboa.*
Olissipone: Seminarium Hibernorum.	*Lisboa.*
Collegium: Conimbricense.	*Coimbra.*
Collegium: Eborense.	*Euora.*
Collegium: Purificationis B. V.	*da Purificaçã.*
Collegium: Portuense.	*Porto.*
Collegium: Bracarense.	*Braga.*
Collegium: Brigantinum.	*Bragança.*
Collegium: Pharense.	*Pharo.*
Domus Probationis Villauiçosæ.	*Villauiçosa.*
Collegium Scalabitanum.	*Santarem.*
Collegium Funchalense.	*Madeira.*
Collegium Angrense.	*Angra.*
Collegium S. Michaëlis.	*San Miguel.*
Collegium Portalegrense.	*Portalegre.*
Residentia S. Felicis.	*Sam Fins.*
Residentia Canalensis.	*Canal.*
Collegium in Regno Angolæ.	*Angola.*
Residentia Massanganensis.	*Massangano.*
Collegium in Regno Congi.	*Congo.*
Resid. Insularum Hesperidum.	*Cabo verde.*

Socij 660.

PROVINCIA TOLETANA

Continet Castellam Nouam, Regnum Toletanum & Murcianum.

Toleti: Domus Professa.	*Toledo.*
Toleti: Collegium Toletanum.	*Toledo.*
Madridij: Domus Professa.	*Madrid.*
Madridij: Colleg. Madritanum.	*Madrid.*
Madridij: Domus Probationis.	*Madrid.*
Madridij: Colleg. Anglicanum.	*Madrid.*
Collegium: Complutense.	*Alcala.*
Collegium: Ocaniense.	*Ocaña.*
Collegium: Placentinum.	*Placençia.*
Collegium: Conchense.	*Cuenca.*
Collegium: Belmontense.	*Belmonte.*
Collegium: Murcianum.	*Murcia.*
Collegium: Carauacense.	*Carauaca.*
Collegium: Seguritanum.	*Segura.*
Collegium: Huetense.	*Huete.*
Collegium: Talabricense.	*Talauera.*
Collegium: Oropesanum.	*Oropesa.*
Collegium: Almagrense.	*Almagro.*
Collegium: S. Clementis.	*S. Clemente.*
Collegium: Almonozilense.	*Almonozil.*
Domus Probationis Villaregiensis.	*Villarejo.*

Residen-

Reſidentia Naualcarnerenſis. *Naualcarnero.*
Reſidentia IESV Montani. *Jeſus del Monte.*
Socij 663.

PROVINCIA CASTELLANA

Continet Caſtellam Veterem, Regna Legionenſe, Gallæciæ, Nauarræ, & Cantabriam.

Valliſoleti: Collegium S. Ignatij. Colleg. S. Ambroſij. Colleg. Anglicanum. — *Valladolid.*
Salmanticæ: Coll. Salmanticenſe. Colleg. Hibernorum. — *Salamanca.*
Collegium Burgenſe. *Burgos.*
Collegium Metinenſe. *Medina.*
Collegium Segobienſe. *Segouia.*
Collegium Abulenſe. *Auila.*
Collegium Palentinum. *Palencia.*
Compoſtellæ: Colleg. Compoſtellanum. Collegium Hibernorum. — *Santiago.*
Collegium:
Pampilonenſe. *Pampelona.*
Legionenſe. *Leon.*
Lucronienſe. *Logroño.*
Ouetenſe. *Ouiedo.*
Numantinum. *Soria.*
Santanderenſe. *Santander.*
Montis regalis. *Monterey.*
Monfortenſe. *Monforte.*
Areualenſe. *Areualo.*
Vergarenſe. *Vergara.*
Tudelanum. *Tudela.*
Bilbaenſe. *Bilbao.*
Bellimarenſe. *Bellimar.*
Villæ-franchæ Gall. *Villa-franca.*
S. Sebaſtiani. *S. Sebaſtian.*
Orenſe. *Orenſe.*
Taurenſe. *Toro.*
Domus Probat. Villagarcienſis. *Villa-garcia.*
Reſidentia Azcoitana. *Aſcoitia.*
Socij 562.

PROVINCIA ARAGONENSIS

Continet Regna Aragoniæ, Valentiæ, Catalauniæ & Maioricæ.

Valentiæ: Domus Profeſſa. Collegium Valentinum. — *Valencia.*
Collegium:
Barcinonenſe. *Barcelona.*
Cæſarauguſtanum. *Zaragoza.*
Maioricenſe. *Mallorca.*
Gerundenſe. *Girona.*
Gandienſe. *Gandia.*
Bilbilitanum. *Calatayud.*
Turiaſonenſe. *Taraçona.*
Vrgellenſe. *Vrgel.*
Oſcanum. *Hueſca.*
Ilerdenſe. *Lerida.*
Perpinianenſe. *Perpiñan.*
Manreſanum. *Manreſa.*
Vicenſe. *Vique.*
Domus Probationis Tarraconenſis. *Tarragona.*
Socij 444.

PROVINCIA BAETICA

Continet Regna Andaluſiam, Cordubam & Granadam.

Hiſpali: Domus Profeſſa. Collegium Hiſpalenſe. Domus Probationis. Collegium S. Mariæ. Seminarium Anglicanum. Seminarium Hibernorum. — *Seuilla.*
Collegium:
Triguerenſe. *Trigueros.*
Gaditanum. *Cadiz.*
Marchenenſe. *Marchena.*
Cordubenſe. *Cordoua.*
Granatenſe. *Granada.*
Baëzæ: Collegium Baëzanum. Domus Probationis. — *Baeça.*
Collegium:
Malacenſe. *Malaga.*
Xerenſe. *Xerez.*
Cazorlanum. *Caçorla.*
Vbedanum. *Vbeda.*
Aſtigitanum. *Ezija.*
Guadixenſe. *Guadix.*
Frexenalenſe. *Frejenal.*
Montellanum. *Montilla.*
Carmonenſe. *Carmona.*
Antiqueranum. *Antequera.*
Offunenſe. *Oſſuna.*
Anduxarenſe. *Anduxar.*
Vtrerenſe. *Vtrera.*
Moronenſe. *Moron.*
Reſidentia Giennenſis. *Iaen.*
Reſidentia Lucenenſis. *Lucena.*
Socij 633.

IN GALLIA

Prouinciæ quinque: quarum tres priores ſoli ſubſunt Regi Chriſtianiſsimo.

PROVINCIA FRANCIÆ

Continet Inſulam Franciæ, Picardiam, Belgiam, Normanniam, Britanniam, & regiones ad fluuium Ligerim. Item Miſſiones ad Reſidentias in Nouâ Franciâ, & in Græciâ ſub Turcâ.

Pariſijs: Dom. Prof. S. Ludouici. Collegium Claromont. Domus Probationis. Colleg. Conuictorum. Reſid. Pontiſarenſis. — *Paris.*
Bituricæ: Colleg. Bituricenſe. Colleg. Conuictorum. — *Bourges.*
Flexiæ: Collegium Flexienſe. Colleg. Conuictorum. — *La Fleſche.*
Rothomagi: Coll. Rothomagenſe. Domus Probationis. Seminar. Ioyeuſæum. — *Rouen.*
Collegium Niuernenſe. *Neuers.*
Collegium Augenſe. *Eu.*
Collegium Rhedonenſe. *Rhenes.*
Collegium Ambianenſe. *Amiens.*
Collegium Molinenſe. *Moulins.*

Colle-

Collegium Aurelianense. *Orleans.*
Collegium Cadomense. *Caen.*
Collegium Corisopitense. *Quinpercorentin.*
Collegium Blesense. *Blois.*
Residentia { Alençoniensis. *Alençon.* / Deppensis. *Dieppe.* / Canadensis. *Canada.* }
Socij 590.

PROVINCIA AQVITANIÆ

Continet à Ligeri ad Pyrenæos viciniorem Oceano Aquitanico tractum cum Bearniâ in ipsis montis faucibus.

Burdigalæ { Dom. Professa S. Xauerij. / Collegium Burdigalense. / Domus Probationis. / Residentia S. Macarij. } *Bordeaux.*
Collegium { Aginnense. *Agen.* / Petrocoricense. *Perigueux.* / Lemouicense. *Limoges.* / Pictauiense. *Poictiers.* / Xantonense. *Xaintes.* / Tutellense. *Tulles.* / Palense. *Pau.* / Engolismense. *Engoulesme.* }
Socij 320.

PROVINCIA TOLOSANA

Continet vtramque Languedociam, præcipuam Galliæ Narbonensis partem, à Garumnâ ad Rhodanum.

Tolosæ { Domus Professa S. Ignatij. / Collegium Tolosanum. / Domus Probationis. / Collegium Conuictorum. } *Toulouse.*
Collegium { Turnonense. *Tournon.* / Billomense. *Billom.* / Mauriacense. *Mauriac.* / Ruthenense. *Rodes.* / Auscitanum. *Auchs.* / Aniciense. *le Puy.* / Biterrense. *Beziers.* / Cadurcense. *Caors.* / Auriliacense. *Aurillac.* / Albenacense. *Aubenas.* / Carcassonense. *Carcassone.* / Albiense. *Alby.* }
Socij 400.

PROVINCIA LVGDVNENSIS

Continet agrum Lugdunensem, Delphinatum, & Prouinciam sub Rege Christianissimo; Ditionem Auenionensem Sedis Apostolicæ, Comitatum Burgundiæ sub Rege Catholico, & Sabaudiam proprio Duci subiectam.

Lugduni { Collegium Lugdunense. / Domus Probationis. / Collegium Conuictorum. } *Lyon.*
Auenione { Colleg. Auenionense. / Domus Probationis. } *Auignon.*
Dolæ { Collegium Dolanum. / Collegium Conuictorum. } *Dole.*
Collegium { Camberiense. *Chambery.* / Bisuntinum. *Besançon.* / Viennense. *Vienne.* / Ebredunense. *Ambrun.* / Carpentoractense. *Carpentras.* / Roannense. *Roane.* / Vesulanum. *Vesoul.* / Aquense. *Aix.* }
Residentia Massiliensis. *Marseille.*
Residentia Gratianopolitana. *Grenoble.*
Socij 476.

PROVINCIA CAMPANIÆ

Continet Campaniam & Ducatum Burgundiæ sub Rege Christianissimo, & Lotharingiam proprio Duci subiectam.

Mussiponti { Collegium Mussipontan. / Coll. Conuictorum cum Seminario Metensi. } *Pont à Mousson.*
Rhemis { Colleg. Rhemense. / Colleg. Conuictorum. } *Rheims.*
Virduni { Collegium Virdunense. / Colleg. Conuictorum. } *Verdun.*
Collegium Diuionense. *Dijon.*
Nancæi { Colleg. Nancæianum. / Domus Probationis. } *Nancy.*
Collegium { Carolopolitanum. *Charle-ville.* / Augustodunense. *Autun.* / Catalaunense. *Chaalons.* / Barrense. *Barleduc.* / Caluomontanum. *Chaumont.* / Antissiodorense. *Auxerre.* / Metense. *Mets.* / Senonense. *Sens.* }
Residentia Lingonensis. *Langres.*
Socij 370.

IN BELGIO

Prouinciæ duæ.

PROVINCIA FLANDRO-BELGICA,

Quà mari vicinior, idiomate Teutonico seu Flandrico loquitur; continet Brabantiam, Flandriam, partem Gelriæ sub Rege Catholico, & Missiones, ac Residentias Hollandicas in VIII. Prouincijs Ordinum Confœderatorum.

Antuerpiæ { Domus Professa. / Colleg. Antuerpiense. } *Antwerpen.*
Collegium { Aldenardense. *Oudenaerde.* / Alostanum. *Aelst.* / Belliolanum. *Belle.* / Brugense. *Brugghe.* / Bruxellense. *Brussel.* / Casletense. *Cassel.* / Cortracense. *Cortryck.* / Gandense. *Ghenat.* / Iprense. *Ipren.* / Louaniense. *Louen.* / & Domus Probationis Mechliniensis. *Mechelen.* / Ruræmondanum. *Ruremonde.* }

Collegium Siluæ-Ducenſe. *'sHertogenboſch.*
Collegium Traiectenſe. *Maeſtricht.*
Collegium Winocibergenſe. *S. VVinoxbergh.*
Reſidentia Dunkercana. *Dunkercke.*
Reſidentia Hallenſis. *Halle.*
Reſidentia Bredana. *Breda.*
Reſidentia Lyrana. *Lyer.*
Reſidentiæ Hollandicæ. *Hollandt.*
Miſſiones { Caſtrenſis. / Naualis.
Socij 801.

PROVINCIA GALLO-BELGICA,

Quà Franciæ contigua, Gallico idiomate vtitur; continet Arteſiam, Hannoniam, Gallo-Flandriam, Luxemburgum, Namurcum, &c. ſub Rege Catholico, & Diœceſim Leodienſem ſub proprio Principe.

Duaci { Collegium Duacenſe. / Seminarium Scotorum. } *Douay.*
Collegium Audomarenſe. *Saint Omer.*
Tornaci { Colleg. Tornacenſe. / Dom. Probationis. } *Tournay.*
Collegium Leodienſe. *Liege.*
Collegium Inſulenſe. *Lille.*
Montibus { Collegium Montenſe. / Seminarium B. Mariæ. } *Mons.*
Collegium { Valencenenſe. *Valenciennes.*
Atrebatenſe. *Arras.*
Cameracenſe. *Cambray.*
Luxemburgenſe. *Luxembourg.*
Namurcenſe. *Namur.*
Dionantenſe. *Dinant.*
Heſdinienſe. *Heſdin.*
Arienſe. *Aire.*
Domus tertiæ Probationis Huenſis. *Huy.*
Collegium Malbodienſe. *Maubeuge.*
Collegium Bethunienſe. *Bethune.*
Collegium Niuellenſe. *Niuelles.*
Reſidentia Athenſis. *Ath.*
Reſidentia Armenteriana. *Armentiers.*
Socij 773.

PROVINCIA ANGLICANA

Continet Collegia in Belgio Regis Catholici & Diœceſis Leodienſis, & per omnes Angliæ Prouincias.

Collegium Leodienſe. / Seminarium. } *Liege.*
Domus Probationis S. Ignatij.
Collegium S. Xauerij.
Reſidentia S. Mariæ.
Reſidentia S. Michaëlis.
Seminarium Audomarenſe. *S. Omer.*
Reſidentia S. Dominici.
Collegium B. Aloyſij.
Domus Probationis Watenenſis. *Watenes.*
Reſidentia S. Annæ.
Reſidentia S. Georgij.
Domus tertiæ Probat. Gandauenſis. *Gendt.*
Reſidentia B. Staniſlai.
Reſidentia B. Franciſci Borgiæ.
Socij 267.

Sunt huius nationis prætereà

IN ITALIA

Collegium Anglicanum Romæ. *Roma.*

IN HISPANIA

Collegium Anglicanum Madriti. *Madrid.*
Collegium Anglic. Valliſoleti. *Valladolid.*
Seminarium Anglicanum Hiſpali. *Seuilla.*

IN HIBERNIA

Reſidentiæ aliquot.

Sunt huius nationis in HISPANIA

Colleg. Hibernorum Salmanticæ. *Salamanca.*
Collegium Hibern. Compoſtellæ. *Santiago.*
Seminarium Hibernorum Hiſpali. *Seuilla.*
Seminarium Hibernorum Oliſſipone. *Liſboa.*

IN SCOTIA

Reſidentiæ aliquot.

Sunt huius nationis in ITALIA *&* BELGIO

Collegium Scotorum Romæ. *Roma.*
Seminarium Scotorum Duaci. *Douay.*

IN GERMANIA

Prouinciæ quinque: harum tres in Imperio continent liberas ciuitates, aliaſq; ſub ſequentibus Principibus.

PROVINCIA RHENI INFERIORIS

Belgio contigua, diſtenditur à Moſellâ fluuio ad Oceanum Germanicum: continet Diœceſes ſub Electoribus Colonienſi & Treuirenſi, alijſq; Eccleſiaſticis Principibus: item Cliuiam, VVetterauiam, & Montenſem Ducatum, ſub Principibus Brandenburgico, Neoburgico, Naſſouio.

Collegium Colonienſe. *Coln.*
Treuiris { Collegium Treuirenſe. / Domus Probationis. } *Trier.*
Collegium { Confluentinum. *Coblentz.*
Paderbornenſe. *Paderborn.*
Monaſterienſe. *Munſter.*
Hildeshemienſe. *Hildesheim.*
Embricenſe. *Emmerich.*
Aquiſgranenſe. *Aachen.*
Duſſeldorpenſe. *Duſſeldorp.*
Oſnaburgenſe. *Oſenbrug.*
Reſidentia Sigenenſis. *Sigen.*
Reſidentia Bonnenſis. *Bon.*
Reſidentia Noueſiana. *Nuys.*
Reſidentia Lipſtadiana. *Lipſtadt.*
Reſidentia Sanctenſis. *Sancten.*
Socij 406.

PROVINCIA RHENI SVPERIORIS

Continet Diœceſim Electoris Moguntini ad Rhenum in Thuringiâ & Eysfeldiâ; Franconiam & Buchoniam, ſub ſuis Eccleſiaſticis

cis Principibus, Palatinatum Inferiorem sub Rege Catholico & Electore Bauaro, Alsatiam Inferiorem sub Austriacis & Episcopo Argentinensi, Marchionatum Badensem, &c.

Collegium Moguntinum. Seminarium.	*Meintz.*
Collegium Spirense.	*Speir.*
Collegium Herbipolense. Seminarium.	*VVirtzburg.*
Collegium Fuldense. Seminarium.	*Fuld.*
Colleg. Heiligenstadiense.	*Heiligenstad.*
Collegium Molshemiense. Seminarium.	*Molsheim.*
Collegium Bambergense. Seminarium.	*Bamberg.*
Collegium Wormatiense.	*VVormbs.*
Collegium Hagenoense.	*Hagenavv.*
Collegium Erfordianum.	*Erfurt.*
Collegium Sletstadianum.	*Schletstad.*
Colleg. Aschaffenburgense.	*Aschaffenburg.*
Residentia Badensis.	*Baden.*
Residentia Rubeacensis.	*Ruffach.*
Residentia Fridslariensis.	*Fridslar.*
Residentia Heidelbergensis.	*Heidelberg.*
Residentia Creutzenacensis.	*Creutzenach.*
Residentia Neustadiana.	*Neustad.*
Residentia Brucshalensis.	*Bruchsaal.*

Socij 434.

PROVINCIA GERMANIÆ SVPERIORIS

Continet Palatinatum & Ducatum Bauariæ sub suo Electore; Tirolim, Alsatiam Superiorem, Brisgoiam sub Austriacis; Respublicas Heluetiam & Valesiam, & varias Diœceses sub suis Episcopis.

Collegium Ingolstadiense. Seminarium S. Ignatij.	*Ingolstad.*
Collegium Dilinganum. Seminarium S. Hieronymi.	*Dilingen.*
Collegium Monachiense.	*Munchen.*
Collegium Augustanum.	*Augspurg.*
Collegium Oenipontanum.	*Insprug.*
Collegium Halense.	*Hall.*
Collegium Lucernense.	*Lucern.*
Colleg. Friburgense Heluetiorum.	*Friburg in Schvveitzerland.*
Collegium Ratisponense.	*Regenspurg.*
Collegium Bruntrutanum.	*Bruntrutt.*
Collegium Constantiense.	*Costentz.*
Collegium Eystadiense.	*Aystad.*
Collegium Ensishemianum.	*Ensisheim.*
Collegium Neoburgense.	*Neuburg.*
Collegium Mindelheimense.	*Mindelheim.*
Collegium Friburgense Brisgoiæ.	*Friburg in Brisgavv.*
Domus Probat. Landspergensis.	*Landsperg.*
Domus Oetingana.	*Oetingen.*
Residentia Eberspergensis.	*Ebersperg.*
Residentia Biburgensis.	*Biburg.*
Residentia Sedunensis.	*Sitten.*
Residentia Brigensis.	*Brigen.*
Residentia Donawertana.	*Donnevvert.*
Residentia Fuessensis.	*Fuessen.*
Residentia Ambergensis.	*Amberg.*
Residentia Chamensis.	*Chamb.*
Residentia Nouofori.	*Neumart.*
Residentia Tridentina.	*Trent.*
Residentia S. Morandi.	*S. Morand.*
Residentia Elwacensis.	*Elvvangen.*

Socij 706.

PROVINCIA AVSTRIÆ

Continet Regna Hungariæ, Slauoniæ, Croatiæ; Archiducatum Austriæ; vtramque Styriam, Carinthiam, Carniolam, Goritiam, Istriam sub Cæsaribus Austriacis: item Missiones ad Residentias Transiluaniæ, & ditionem Regno Hungarico à Turcis ereptam.

Viennæ: Domus Professa. Collegium Viennense. Seminarium Viennense. Seminar. Hungaricum.	*VVien.*
Collegium Græcense. Seminarium.	*Gratz.*
Collegium Labacense.	*Labach.*
Collegium Clagenfurtense.	*Clagenfurt.*
Collegium Zagrabiense.	*Agram.*
Collegium Lincense.	*Lintz.*
Collegium Passauiense.	*Passavv.*
Collegium Hommonense.	*Hommonay.*
Collegium Tyrnauiense. Seminarium.	*Tyrnavv.*
Collegium Crembsense.	*Crembs.*
Collegium Goritiense.	*Görts.*
Collegium Iudenburgense.	*Iudenburg.*
Collegium Tergestinum.	*Triest.*
Domus Probationis Leobiensis.	*Leuben.*
Residentia S. Bernardi.	*S. Bernhart.*
Residentia Millestadiensis.	*Milstad.*
Residentia Eberndorffensis.	*Ebernsdorff.*
Residentia Plettriensis.	*Plettria.*
Residentia Traunkirchensis.	*Traunkirch.*
Residentia Posoniensis.	*Presburg.*
Residentia Iauarinensis.	*Rab.*
In Transiluaniâ: Colleg. Claudiopol.	**Colosvvar.*
In Transiluaniâ: Coll. Alba Iuliense.	**Fairvvar.*

Socij 450.

PROVINCIA BOHEMIÆ

Continet Regnum Bohemicum, eique vnitas Silesiam & Morauiam sub Cæsaribus Austriacis.

Pragæ: Domus Professa. Collegium Pragense. Seminarium.	*Prag.*
Collegium Olomucense. Seminarium.	*Olmutz.*
Collegium Crumlouiense.	*Cromlavv.*
Collegium Commotouiense.	*Commotavv.*
Collegium Nouodomense.	*Nevvhaus.*
Collegium Glacense.	*Glatz.*
Collegium Nissense.	*Neisse.*

Collegium Gicziniense.	*Gitschin.*
Collegium Znoymense.	*Znoim.*
Collegium Iglauiense.	*Igla.*
Domus Probationis Brunensis.	*Brun.*
Residentia Holeshouiensis.	*Holischovv.*
Residentia Kuttenbergensis.	*Kuttenberg.*
Residentia Glogouiensis.	*Glogavv.*

Socij 287.

IN POLONIA

Prouinciæ duæ sub proprio Rege.

PROVINCIA POLONICA

Distenditur à mari Baltico ad Pontum Euxinum: continet vtramque Poloniam, Russiam Rubram, vtramque Volhiniam, Podoliam & Pomerelliam.

Cracouiæ	Domus Professa. Coll. Cracouiense. Domus Probationis.	*Crakovv.*
Collegium	Posnaniense.	*Poznan.*
	Calissiense.	*Kalisz.*
	Leopoliense.	*Lvvovv.*
	Sendomiriense.	*Sendomirz.*
	Lublinense.	*Lublin.*
	Iaroslauiense.	*Iaroslavv.*
	Luceoriense.	*Lucko.*
	Torunense.	*Torun.*
	Camenecense.	*Kamienietz.*
	Gedanense.	*Gdańsk.*
	Rauense.	*Ravva.*
	Ostrogiense.	*Ostrog.*
	Faustouiense.	*Faustovvo.*
	Brestense.	*Brzese.*
	Choinicensis.	*Choynica.*
Residentia	Præmisliensis.	*Przemysl.*
	Mariæburgensis.	*Malburg.*
	Crosnensis.	*Crosno.*
	Grandentinensis.	*Grondzionz.*
	Vinnicensis.	*VVinnica.*
	Valcensis.	*VValcz.*
	Bydgostiensis.	*Bydgoszcz.*
	Barensis.	*Bar.*

Socij 532.

PROVINCIA LITHVANIÆ,

Quà Sueciæ, Moscouiæ & Tartariæ contigua est, continet Lithuaniam, Massaouiam, Prussiam, Liuoniam, & partem maioris Russiæ.

Domus Professa Varsauiensis.		*VVarsavva.*
Vilnæ	Domus Professa. Collegium Vilnense. Domus Probationis. Seminarium.	*VVilno.*
Colleg. Bransbergense. Seminarium.		*Bransberg.*
Collegium Pultouiense.		*Pultovvsk.*
Collegium Niesuisiense.		*Niesvviez.*
Collegium Lomzense.		*Lomza.*
Collegium Polocense.		*Polock.*
Collegium Vendense.		*VVenda.*
Collegium Rigense.		*Riga.*
Collegium Derpatense.		*Derpt.*
Collegium Orszense.		*Orsza.*
Collegium Krozense.		*Krosa.*
Collegium Smolenscense.		*Smolensk.*
Collegium Plocense.		*Plocko.*
Residentia Grodnensis.		*Grodno.*
Residentia Vorniensis.		*VVornia.*

Socij 468.

IN IMPERIO ORIENTALI TVRCICO

Sub varijs Prouinciis.

Residentia Chiensis.	*Scio.*
Resid. Constantinopolitana.	*Constantinopoli.*
Residentia Smyrnensis.	*Smirna.*
Residentia Belgradensis.	*Belgrado.*
Quinqueecclesiensis.	*Cinque chiese.*
Item Collegium Græcorum, Collegium Maronitarum. — Romæ.	*Roma.*

IN INDIA ORIENTALI

Prouinciæ duæ sub Regibus Catholico, aliisq; illi confœderatis.

PROVINCIA GOANA

Continet loca maritima Africæ & Asiæ, à Capite Bonæ spei ad ipsam vsque Goanam ditionem: item Imperium Magni Abassini in Africâ, & Regnum Mogoris in Indiâ interiore.

Goæ	Domus Professa. Collegium vetus S. Pauli. Nosocomium SS. Regum. Collegiũ nouum S. Pauli. Domus Probationis. Seminarium sanctæ Fidei.	*Goa.*
Collegium Salsetanum cum 19. Resid.		*Salsete.*
Collegium Chaulense.		*Chaul.*
Collegium Tanaense cum 3. Resident.		*Tanà.*
Colleg. Bazainense cum 4. Resident.		*Baçaim.*
Collegium Damanense.		*Daman.*
Colleg. Mozambiquium cum Residentijs.		*Moçambique.*
Residentia Taraporensis.		*Tarapor.*
Collegium Diense.		*Dio.*
Missio Æthiopica cum 4. Residentijs.		*Ethiopia.*
Resid. Mogorensis cum 3. Residentijs.		*Mogor.*
Residentia Bandorensis.		*Bandora.*

Socij 320.

PROVINCIA MALABARICA

Continet Indiam Vlteriorem, tam continentem, quàm varias insulas, quà Goâ Malacam & ad Molucas nauigatur, & in iis Regna Bengalam, Peguanum, Calecutanum, Narsinganum, Iafanapatanium.

Colleg. Coccinense cum 4. Resid. Domus Probationis.		*Cochim.*
Residentia	S. Iacobi.	*Santiago.*
	S. Andreæ.	*S. Andre.*
	Calecutana.	*Calecut.*
	Tanorensis.	*Tanor.*

Colle-

Collegium Cranganorense.	*Cranganor.*
Seminarium Vaipicotanum.	*Vaipicota.*
Residentia Paliporensis.	*Palipor.*
Collegium Coulanense.	*Coulam.*
Collegium Piscariæ.	*Costa da Pescaria.*
Colleg. Tutucurinense cũ Resid.	*Tutucurim.*
Colleg. Columbense cum 7. Resid.	*Columbo.*
Colleg. Nagapatanum inchoatũ.	*Nagapatan.*
Colleg. S. Thomæ cum 4. Resid.	*S. Thome.*
Collegium Peguanum inchoatum.	*Pegù.*
Collegium Bengalense inchoatum.	*Bengala.*
Collegium Malacense.	*Malaca.*
Domus Ternatensis cum Residentiis Molucensibus.	*Ternate e Malucco.*
Residentia: Madurensis.	*Madurè.*
Golimensis.	*Golim.*
Manarensis.	*Manar.*
Tauanapatensis.	*Tauanapatan.*
S. Michaëlis.	*S. Miguel.*
Insularum Mori.	*Ilhas de Moro.*
Insulæ Siao.	*Ilha Siao.*
In Regno Iafanapatensi, Resid. 6.	*Iafanapatan.*

Socij 190.

IN INSVLIS PHILIPPINIS

Prouincia vna sub Rege Catholico.

Collegium Manilanum. Seminarium Manilanum.	*Manilla.*
Collegium Zebuense.	*Zebù.*
Domus Probationis S. Petri.	*de S. Pedro.*
Residentia: Antipolana.	*Antipol.*
Taytayensis.	*Taytay.*
Boolana.	*Bool.*
Dulacensis.	*Dulac.*
Carigarensis.	*Carigara.*
Tinagonensis.	*Tinagon.*

Socij 128.

IN REGNO SINARVM

Viceprouincia sub proprio Monarchâ.

Collegium Pachinense inchoatum.	*Paquim.*
Collegium Nanchinense inchoatũ.	*Nanquim.*
Residentia Xauchensis.	*Xauceo.*
Residentia Kiatiensis.	*Kiatim.*
Residentia Hancheuensis.	*Hancheu.*
Residentia Hamhayensis.	*Hambay.*

Socij 30.

IN COCINCINA

Residentia: Taifoensis.	*Taifo.*
Pullocambi cum aliis duabus.	*Pullocambi.*

IN IAPONIA

Prouincia vna, continet plurima Regna eidem Monarchæ subiecta; & Macaum in portu Chinensi, sub Rege Catholico.

Nangasachij: Collegium. DomusProbationis.	*Nangasachi.*
Residentia Xenodochij.	*do Hospital.*
Residentia Misericordiæ domus.	*Casa da Misericordia.*
Arimæ: Collegium Arimense.* Seminarium Arimense.*	*Arima.*
Collegium Meacense.*	*Meaco.*
Collegium Macaense.	*Macao.*
Residentia: Vracamensis.*	*Vracami.*
Tonensis.*	*Toni.*
Fudoyamensis.*	*Fudoyama.*
Isafayensis.*	*Isafay.*
Xiquensis.*	*Xiqui.*
Cocuræ.*	*Cocura.*
Notçu.*	*Notçu.*
Ozacensis.*	*Ozaca.*
Firoximensis.*	*Firoxima.*
Tacatensis.	*Tacata.*
Ariyensis.	*Ariye.*
Cuchinotçu.	*Cuchinotçu.*
Conzzuræ.	*Conzzura.*
Domus Facatensis.	*Facata.*
Residentia: Amaguensis.	*Amagui.*
Yanagauensis.	*Yanagaua.*
Bungensis.	*Bungo.*
Xinguensis.	*Xinga.*
Fuximensis.	*Fuximi.*
Sacayensis.	*Sacay.*
Foccocensis.	*Foccocu.*

Socij 140.

IN AMERICA

Prouinciæ quinque sub Rege Catholico aliisq; barbaris nationibus.

PROVINCIA MEXICANA

Continet Americam Septemtrionalem, vulgò Hispaniam Nouam, & vicinas prouincias, quâ à gradu decimoquarto infra Tropicum Cancri versus Septemtrionem extenditur America.

Mexici: Domus Professa. Collegiũ Mexicanum. Domus Probationis. Seminar. Mexicanum.	*Mexico.*
Collegium Guaxacanum.	*Guaxaca.*
Collegium Guadalaxarense.	*Guadalaxara.*
Collegium S. Ildefonsi. Colleg. Spiritus sancti. Seminar. Angelopolit.	*Puebla de los Angeles.*
Collegium: Vallisoletanum.	*Valladolid.*
Pasquarense.	*Pasquaro.*
Tepozotlanum.	*Tepozotlan.*
Guatimalense.	*Guatimala.*
Zacatecanum.	*Zacatecas.*
Meridanum.	*Merida.*
S. Ludou. Potosi.	*S. Luis Potosi.*
Queretarense.	*Queretaro.*
Realexanum.	*Realejo.*
Residentia: Veræ Crucis.	*Vera Cruz.*
Cinaloensis.	*Cinaloa.*
Guadianæ.	*Guadiana.*
Resid. Nouæ Granatæ.	*de la Nueua Granada.*
Residentia Maiensis.	*de Mayo.*
Residentia Tepeguana.	*de Tepeguanes.*
Residentia Topiana.	*de Topia.*
Residentia S. Andreæ.	*de S. Andres.*

Socij 365.

PROVINCIA NOVI REGNI GRANATENSIS

Continet Terram Firmam, nouum Regnum Granatense, Nouam Andaluziam, Popayarum, &c. circa lineam Æquinoctialem, ad gradum 14. versus Septemtrionem.

In S. Fide: Collegium S. Fidei. Semin. S. Bartholomæi. — *Santa Fee.*
Domus Probationis. Collegium Quitense. Seminarium Quitense. — *Quito.*
Collegium Carthaginense. *Cartagena.*
Domus Probationis Tungensis. *Tunja.*
Collegium Pampilonense. *Pamplona.*
Residentia Panamana. *Panamà.*
Residentia Caxicana. *Caxica.*
Residentia Duytamensis. *Duytamà.*
Residentia S. Annæ. *S. Anna.*
Residentia Vndensis. *Onda.*
Socij 200.

PROVINCIA PERVANA

Continet Peruuiam à lineâ Æquinoctiali ad Tropicum Capricorni.

Limæ: Collegium Limense. Domus Probationis. Seminarium Limense. Residentia S. Iacobi. — *Lima.*
Collegium Arequipense. *Arequipa.*
Collegium Cuzchense. Seminarium Cuzchense. — *Cuzco.*
Collegium Potosinum. *Potosi.*
Colleg. Platense seu Chuquisaquense. Seminarium Chuquisaquense. — *de la Plata.*
Collegium Pacense. *de la Paz.*
Collegium Guamanganum. *Guamanga.*
Residentia Iulensis. *Juli.*
Residentia S. Crucis de la Sierra. — *S. Cruz de la Sierra.*
Collegium Orruri. *Orruro.*
Collegium Pisquense. *Pisco.*
Collegium Callaense. *Callao.*
Collegium Truxillanum. *Truxillo.*
Socij 390.

VICE-PROVINCIA CHILENSIS

Infrà Tropicum Capricorni, inter Peruanum Regnum & Fretum Magalanicum, ad Oceanum Pacificum.

Collegium Chilense. *Chile.*
Collegium Conceptionis. *de la Concepcion.*
Collegium Mendozanum. *Mendoza.*
Domus Probat. Vallis de Bucaleno. — *Valle de Bucaleno.*
Socij 60.

PROVINCIA PARAQVARIÆ

Inter Fretum Magalanicum & Brasiliam, infra & circa Tropicum Capricorni, versus Oceanum Atlanticum.

Cordubæ: Collegium Cordubense. Domus Probationis. — *Cordoua.*
Collegium Assumptionis. *de la Assumpcion.*
Collegium S. Michaëlis Tucumanensis. — *de S. Miguel de Tucuman.*
Collegium Boni aëris. *Buenos ayres.*
Collegium S. Fidei. *de santa Fee.*
Collegium S. Iacobi del Estero. — *Santiago del Estero.*
Collegium Estequense. *Esteco.*
Socij 121.

PROVINCIA BRASILIÆ

Intra lineam Æquinoctialem & Tropicum Capricorni, ad mare Atlanticum.

Collegium Bayense. *Baya.*
Residentia S. Spiritus. *Espirito santo.*
Residentia S. Ioannis. *San Joam.*
Residentia S. Antonij. *S. Antonio.*
Residentia S. Sebastiani. *S. Sebastiam.*
Residentia B. Virginis. *B. Virgem.*
Colleg. Portus securi inchoatum. *Porto seguro.*
Domus Ilhæorum. *Ilheos.*
Pernambuci: Collegium Pernambuc. Resid. B. V. Concept. Residentia S. Andreæ. Residentia S. Michaël. Residentia S. Ioan. Bapt. Residentia Maranha. Residentia Arrecifensis. — *Pernambuco.*
Fluminis Ianuarij: Collegium Flum. Ianuarij. Residentia S. Barnabæ. Domus Spiritus sancti. Residentia S. Ignatij. Resid. B. Virg. Assumpt. Residentia Sanctorum. — *Rio de Janeiro.*
Residentia S. Pauli. *S. Paulo.*
Domus Piratiningæ. *Piratininga.*
Domus Sanctorum. *Dos Santos.*
Residentia Capitis frigidi. *Cabo frio.*
Socij 180.

IN NOVA FRANCIA

Sub Rege Christianissimo.

Residentia Canadensis. — *sub Prouinciâ Franciæ in Galliâ.*

CATALOGI AVGMENTVM.

Atque has annos abhinc quatuordecim Societas per orbem adiuerat sedes: quæ deinde mutatio, quæ accessio facta sit, ab iis vulgabitur, penes quos vniuersi Ordinis notitia est & cura: nobis tamen, ea quæ per occasionem variis è locis intelleximus, visum est non prætermittere.

IN ITALIA.

Ad Prouinciam ROMANAM.

Collegium Hibernorum Romæ.
Domus Probationis Florentiæ.
Collegium Vrbeuetanum.
Collegium Pistoriense.
Collegium Fabrianense.
Collegium Burgiense.

Colle-

Collegium Ragusinum.
Residentia Cacciabellensis.
Residentia Asturnarensis.

Ad Prouinciam VENETAM.

Domus Probationis Bononiensis.
Collegium Ariminense.
Collegium Buxetanum.
Seminarium Rauennatense.
Residentia Bagnacaballensis.
Residentia Cotignolensis.

Ad Prouinciam MEDIOLANENSEM.

Collegium Papiense.
Collegium Cuneense.
Domus Probationis Cheriensis.
Residentia Bormiensis.
Residentia Lanciana.

Ad Prouinciam NEAPOLITANAM.

Collegium Paulense.
Seminarium Nobilium Neapoli.

IN SICILIA

Ambæ Prouinciæ in vnam coaluerunt: accessêre,

Collegium S. Francisci Xauerij Panormi.
Collegium S. Francisci Xauerij Messanæ.
Collegium Siclitanum.
Collegium Salernitanum.

IN HISPANIIS.

Ad Prouinciam LVSITANIÆ.

Collegium Eluense.

Ad Prouinciam TOLETANAM.

Collegium Guadalaxarense.
Collegium Pacis Iuliæ.
Collegium Llerenense.
Collegium Trugillense.
Collegium Cacerense.
Residentia { Aymeliensis. / Alcarazensis. }

Ad Prouinciam CASTELLANAM.

Residentia Oxomensis.

Ad Prouinciam ARAGONENSEM.

Collegium Segobricense.
Residentia Dertusensis.
Residentia Ilicitana.
Residentia Xacensis.

Ad Prouinciam BAETICAM.

Collegium S. Iacobi Baezæ.
Collegium Sanlucarense.
Collegium Stepense.

Ad Prouinciam BRASILIÆ.

Collegium S. Ludouici.
Collegium inchoatum S. Pauli.

IN GALLIA.

Ad Prouinciam FRANCIÆ.

Collegium Turonense.
Collegium Venetense.
Collegium Alençoniense.
Residentia Siluanectensis.
Residentia Maclouiopolitana.
Residentia Martiningana.

Ad Prouinciam AQVITANIÆ.

Collegium Rupellanum.
Residentia Marinensis.
Residentia Fonteniana.

Ad Prouinciam TOLOSANAM.

Collegium Montepessulanum.
Collegium Montealbanum.
Collegium Apamiense.

Ad Prouinciam LVGDVNENSEM.

Collegium Lugdunense trans Ararim.
Collegium Cabillonense.
Collegium Arelatense.
Collegium Nemausense.
Domus Professa Gratianopolitana.
Residentia Pontissaliensis.
Residentia Graiacensis.
Residentia Salinensis.
Residentia Matisconensis.
Residentia Burgensis.
Residentia Foroiuliensis.
Residentia Vallis Augustæ.

IN BELGIO.

Ad FLANDRO-BELGICAM.

Collegium Dunkercanum.
Collegium Hallense.
Collegium Bredanum.
Domus tertiæ Probationis Lyrana.
Collegium Conuictorum Antuerpiæ.
Variæ Residentiæ Hollandicæ.

Ad GALLO-BELGICAM.

Collegium Athense.
Domus tertiæ Probationis Armenteriana.

IN ANGLIA.

Ad Prouinciam ANGLICANAM.

Collegium Immaculatæ Conceptionis.
Collegium Apostolorum.
Residentia Marilandiæ in Virginiâ.

IN HIBERNIA

Viceprouinciâ.

Residentia Dublinensis.
Residentia Waterfordiensis.
Residentia Carcacensis.
Residentia Kilkenensis.
Residentia Pontanensis.
Residentia Casseliensis.
Residentia Lembricensis.
Residentia Galuensis.
Residentia Clonmelensis.
Residentia Rossensis.
Eiusdem nationis Coll. Hibernicum Romæ.

IN

IN GERMANIA.

Ad Prouinciam RHENI INFERIORIS.

Collegium Monasteriense Eiffliæ.
Collegium Halberstadiense.
Collegium Coslariense.
Collegium Mindense.
Collegium Hameliense.
Collegium Stadense.
Collegium Sigenense.
Collegium Verdense.
Collegium Cosfeldiense.
Residentia Marcodurana.
Residentia Sittardiensis.
Residentia Haddemariensis.
Missio Meppensis.
Missio Frisiæ Orientalis.
Missio Blanckenbergensis.

* *Addenda ad Prouinciam* AVSTRIAE. Col. Styrense. Leobiense. Posoniense. Residentiæ Sopronienfis. Turozensis. Varasdinens. Comorinens. Palatinalis. Cassouiensis. Satzmariensis. XI. Seminaria noua.

Ad Prouinciam SVPERIORIS RHENI.

Collegium Heidelbergense.
Domus Germersheimiana.

Ad Prouinciam GERMANIÆ SVPERIORIS.

Collegium Burchusianum.
Collegium Straubingense
Collegium Landishutanum.
Collegium Ambergense.
Collegium Tridentinum.
Collegium Colmariense.
Residentia { Stutgardiensis, Tubingana, Bachanangensis, Coppingensis } in Wirtenbergiâ.
Residentia ad S. Annam Augustæ.
Residentia Brisaacensis.
Residentia Lindauiensis.
Residentia Memmingensis.
Residentia Kauffburana.
Residentia Oliuetana siue Tannensis.
Missio Zellensis.
Missio Weidensis.
Missio Sultbachiensis.
Missio Turschenveitensis.

Ad Prouinciam AVSTRIÆ.

Viennæ { Domus Probationis. Collegium Conuictorum.
Collegium Iaurinense.
Collegium Fluminis S. Viti.

* *Ad Prouinciam* BOHEMIÆ.

Pragæ { Collegium paruæ Pragæ. Collegium nouæ Pragæ. Collegium Conuictorum. Seminarium S. Wenceslai.
Brunæ { Collegium Brunense. Seminarium Brunense.
Kuttenbergæ { Collegium Kuttenbergense. Seminarium Kuttenbergense.
Collegium Glogouiense.
Collegium Saganense.
Collegium Egranum.
Collegium Lithomericense.
Collegium Cremsiriense.
Collegium Conuictorum Olomucij.
Seminarium Crumlouiense.
Seminarium Commotouiense.
Seminarium Nouodomense.
Seminarium Glaciense.
Seminarium Nissense.
Seminarium Gicziniense.
Seminarium Iglauiense.

IN POLONIA.

Ad Prouinciam POLONICAM.

Collegium Kiouiense.

Ad Prouinciam LITHVANICAM.

Residentia Nouogrodnensis.
Residentia Chocunensis.

CLara quidem sunt hîc omnia: si tamen plus lucis desideres, sic habeto. Quæcumque Domicilia moderationi vnius, in quem non nisi totius Ordinis Præses potestatem habet, commissa sunt, ea Prouinciam constituunt, quamuis in diuersis regionibus sita. Viceprouinciæ imperfectæ sunt Prouinciæ. Domus Professorum dicuntur, quibus nullum nisi in alienâ misericordiâ vitæ subsidium est: Collegia, vbi cùm nostris, tum externis instituendis scholas habemus: Domus Probationum partim vbi Tirones per biennium rudimenta ponunt, partim vbi post litteras haustas ac traditas resarcimus, si quid de perfectionis desiderio studiorum occupationes detraxerint; hæc Tertia Probatio dicitur: Missiones, dum aliquò mittimur vbi nulla nobis vel certa vel stabilis est sedes: Residentiæ, vbi pauciores quàm pro perfecto Collegio resident: Seminaria Conuictorumq; Collegia sunt, vbi externi sub curâ nostrâ simul viuunt. His locis qui præsunt, Rectores ferè aut Superiores appellantur: Domus Professorum suos Præpositos habent. Sic & qui Prouinciæ præfectus est, Præpositus Prouincialis; qui verò toti Ordini, Præpositus Generalis dicitur. Huic quinque assistunt consilij ergô. Primus Italiæ ac Siciliæ negotiis potissimùm intendit; alter Lusitaniam cum Brasiliâ & Orientis Indiâ; Hispaniam & Sardiniam tertius cum Americâ Insulisq; Philippinis; quartus Galliam; quintus ceteras ad Septemtrionem Prouincias curandas habet.

EXER-

EXERCITATIO ORATORIA.

ORATIO PRIMA.

Gratiarum actio pro tam latè diffusâ Societate, & adhortatio ad Patres: vt illâ & Deo digna se præbeant instrumenta.



QVOD si veris aliquando rationibus fatendum est, beneficij magnitudine mortalium merita superari; profectò hoc, de quo agere instituimus, est huiusmodi, vt omnem mensuram modumque gratitudinis prætervectum, exornari possit potiùs admirando, quàm deprædicari dicendo. Illud etenim est, quo singulari Dei Optimi Maximi fauore, Societatem principio sui minimam, maximam propagatione, vsque eò productam cernimus, vt, nisi videremus factum, ne sperare quidem auderemus. Quod quia non cum vnius alicuius vtilitate coniunctum est, sed cum infinitâ propè hominum multitudine communicatum; tot beneficia complectitur, quot homines: non intra vnius prouinciæ breuissimos terminos circumscriptum, sed ad vltimas terrarum oras latissimè diffusum, non aliis quàm totius orbis limitibus continetur. atque adeò quot homines peruagatur, quot vrbes, tot decorandum encomiis, tot vocibus celebrandum; vel ad publicam commendationem foris, vel ad priuatam lætitiam domi, vel ad laudem in exedris, vel ad religionem in sacrariis, vel ad gratitudinem vbique. Quare si contrà quàm exspectare debetis, pro amplissimo munere diuinitus collato, minùs liberaliter pleneque gratias egero; rogo quæsoque, ne id imbecillitati dumtaxat meæ, sed magis diuinæ benignitatis magnitudini, nouo, inquam, atque inusitato beneficij generi, concedendum existimetis. Nam cùm duplex retribuendi referendique ratio ab altioris subsellij Patribus relicta sit, quarum altera in remunerando quod acceptum est, altera in cognoscendo commemorandoque consistat; munificentissimi dona Numinis dignitate prima, magnitudine immensa, maiestate præcipua transscendunt vicem, mutuum respuunt, compensandi superant facultatem: sui porrò diffusione cùm nullis sint coërcita metis, inde, vnde potissimùm difficultas oritur loquendi, ratio nascitur non tacendi. Verumenimuerò, quoniam, quemadmodum magis animo beneficia quàm mole penduntur, vel peregrino vnde aduecta sunt solo, vel quâ constant materiæ nouitate, ita remuneratio voluntate magis quàm re sæpiùs æstimatur: arbitror, si quidem tam eximiam Dei beneficentiam, quâ par est gratâ animi significatione coluerimus, fore vt dici possit, primo nos remunerationis debito perfunctos, non quidem potuisse, at certè vel maximè cupiuisse officium explere gratitudinis. Propiùs igitur mentes vestras animosque aduertite

Dei beneficia superant omnem gratitudinem.

Diuus Thomas 2. 2. quæst. 106.

ad eam, de quâ dicere cœpimus, beneficij magnitudinem; ac deinde de referendæ gratiæ æquitate dicam, an necessitate, cognoscite. Mirari nonnumquam solemus; à minimo fontis capite ingentia flumina promanare; è minimo semine proceras arbores enasci; ex tenuissimâ scintillâ vix restinguenda incendia excitari. Fons sanè exiguus ipsa sui exordio Societas, ab vbere fletu scaturiens primi Parentis, profanam militiam ad aram Deiparæ Virginis abdicantis, execrantis: sed mox in riuos ac torrentes excrescens, quæ non cælestis sapientiæ flumina protulit? Exile semen Ignatij, prima sunt melioris vitæ desideria: sed virtutum maximarum vbertate fecundum, quos fructus genuit optatissimæ probitatis? Pertenui sanè scintillâ diuini ardoris auspicatissimè correptus est Ignatius: sed hæc scintilla quantos toto orbe Christiano ardores animorum flammasque propagauit? Nec minùs terrarum spatiis quàm animi ornamentis est amplificata Societas; ita vt hac in parte cum florentissimis Regnis ac Monarchiis in contentionem venire possit. Etenim si præteritorum temporum monumenta lubet euoluere, & quâ celeritate nobilissimæ gentes Imperia sua propagauerint recordari; reperiemus profectò, quantum illæ sæculis, tantum nos propemodum lustris; quantum lustris illæ, tantum nos annis singulis perfecisse. Nihil de Assyriorum Imperio dico, non maximis limitibus circumscripto: taceo Persas, non vltra Æthiopiam progressos: prætermitto Macedonas, ab Adriatico mari, trans Gangem ad Emadios vsque montes prouectos. Illa, illa, inquam, Terrarum Dea gentiumque Roma, nónne propè quingentis annis cum domesticis luctata est? postque infinitas propè victorias, vel Ducum fortitudine ac felicitate partas, vel Consulum vigilantiâ conseruatas, vel Cæsarum fortunâ auctas, diuersissimarum nationum gentibus domitis, tandem veluti fatiscentibus senio viribus, nónne ad Occidentem Oceano, ad Septemtrionem Rheno Danubioque, ab Oriente Tigri, Atlante à Meridie circumscribitur? Latissimi, fateor equidem, limites, amplissima Imperij propagatio: sed quam ad Regnorum omnium stuporem, longè nostra Societas lateque transscendat. Fuerunt enim terrarum Imperia, quamuis propagatione longissimè diffusa, tamen intra metas vicinorum Regum potentiâ coarctata: at Societas nullis est septa limitibus, nullis lineis circumscripta: non sistitur fluuiis, non clauditur montibus, transscendit littora, peruadit maria; per loca omnia vel longitudine inaccessa, vel fretis diuulsa, vel recessibus abdita, vel quaquauersum immensa, producitur, protenditur, explicatur. Sed (quod hominum ingenti fit compendio) diuersâ sanè à Regnis atque Imperiis ratione: hæc perfractis aliquando diuini humanique iuris repagulis, agrorum deuastatione, vrbium euersione, gentium laceratione, regionibus ac prouinciis aucta sunt; illa Dei solius imperio ac nutu, cuius est orbis terrarum, orbem peruasit vniuersum: & quidem maiori gloriâ gentiumque comprobatione. Nam per Regum quidem Principumque dominatum populi in seruitutem redacti; per Societatem Christianâ libertate donati. illi tributis grauant; hæc animam immunitatibus cumulat. illi imperiis, hæc amore; illi rigore legum, hæc mansuetudine beneficiisque certat

Societas à paruis initiis repentè latissimè diffusa.

Societas citiùs per orbem diffusa quam vlla Monarchia.

perpe-

perpetuis. Nec tamen idcircò minùs arduum est quod gerit negotium; nisi forte difficilius statueritis, armorum vi ciuitates subiugare, quàm, quod prius faciendum fuit, voluntates flectere. Scio enim (quod ignorare non potestis) fortissimos sæpè Duces, expugnatis vrbibus, plus in ciuium animis conciliandis laboris atque industriæ posuisse, quàm in mœnium altitudine fossarumque profunditate superandis; magisque de voluntatum, quàm de prouinciarum victoriâ triumphasse. Societas in sui propagatione, renitentibus populis natione barbaris, amentiâ belluis, impetu non ratione cuncta gerentibus, magisque ferreâ animorum obstinatione, quàm armato exercitu repugnantibus, non magis diuinæ legis, quàm propriæ salutis hostes expugnauit. Quare vbique victrix, tantò gloriosiùs rerum potita est, quantò laboriosius est voluntates quàm vrbes expugnare, animos quàm oppida debellare, homines quàm mœnia superare. Equidem quoties tacitè mecum recolo, ad vltimas terræ plagas, ferocissimis hominibus nequidquam reluctantibus, Societatem dilatatam esse; toties sentio cælestibus armis ab eâ dimicatum fuisse, cùm eam præcipuè prouinciarum amplitudinem complexa sit, quam humanis nemo viribus vel obire potuisset. Ferunt Pontificem Maximum Gregorium Septimum, rudi pueritiâ litterarum adhuc expertem atque imperitum, cùm forte ad parentis pedes luderet ligna dolantis, ex resectis lignorum ramentis elementa formasse; quibus ordine congestis, occultâ quadam vi pueri manum dirigente, illud è Regij Vatis versibus ederetur, *Dominabitur à mari vsque ad mare*; futuræ præsagio potestatis. Crediderim ego ad conspectam, oculo arcanorum omnium conscio, in primis incunabulis Societatem, æterni prouidentiam Numinis digitum intendentem, animum aduertentibus cælestis aulæ beatissimis ciuibus identidem ingeminasse: Illa, illa Loiolæ familia, fecundi parentis non iam quidem sed futuris ætatibus numerosa soboles, quam me monstrante conspicitis, angustissimis nata principiis, amplissimis finibus dilatanda, propagabitur *à mari vsque ad mare*, ab Ortu ad Occasum, ab Austro ad Aquilonem; vltra Riphæos montes trans Gangem ad auream Chersonesum; ad incognitas Iaponum regiones barbarie suâ magis, quàm olim Colchis tauris ignem spirantibus, custoditas; in Sian, Camboiam, Cochincinam; in intima Sinæ penetralia sanguineis legibus cautiùs, quàm fabulosi Hesperidum horti peruigili dracone, munita: supra Paranam ad infames Anthropophagorum casas, humano sanguine fœdiùs, quàm olim in Ægypto Busiridis aræ, fumantes. Hac ipsâ, quam cernitis, opitulante clarissimi Herois posteritate, quò nondum peruenit, trophæa figet Ecclesia: hoc velut triumphali inuecta carpento, in nouas vera Religio gentes dominatum extendet; exterminatisque idolorum simulacris, pulsis dæmonum portentis, eiectis turpitudinum monstris, omni denique proscriptâ gentilitate, tetrâque flagitiorum omnium colluuione, adducet ipsos Antipodas, Romani Pontificis maiestatem humili pedum osculo veneraturos. Et hæc quidem cùm diuinitus tam splendidè ad commendationem Societati contigisse gratulemur, cumque illam tam latè Dei beneficio toto orbe diffusam videamus; an non æquissimum

Arduum est animos expugnare.

Baron. ann. Christi 1073.

Præsagiũ D. Gregorio Pontifici: dignitatis.

ſimum cenſebimus, hanc omnem gloriam in Deum velut fontem refundere, totoque pectore gratiis referendis incumbere? Videmus res omnes etiam ſenſu carentes non ſcriptâ, ſed natâ lege, fontes ſuos atque origines tacito quodam gratitudinis ſenſu venerari. Nónne fontes Oceano, à quo primùm manarunt, vndam affundunt vberiorem? An non æther coactis in nubes vaporibus copioſâ ſolum, vnde excitati ſunt, irrigatione fecundat? agri cultorum labores fructuum vbertate compenſant? Quid, quòd ſelenitem gemmam aiunt à terrâ gigni, lunæ imaginem cum quâ creſcat, pariterque decreſcat, repræſentantem? à mari verò piſcem produci modò plenæ, modò mediæ lunæ imitatione conſtanti inſtabilitate fluctuantem? Quid ita, niſi vt ſymbolo quodam gratitudinis aſtrum colant, à quo plurimùm gubernantur? Quin & apes aiunt, bouini capitis, vnde generantur, effigiem circumferre; quaſi nefas foret eius non meminiſſe, cuius niſi illiberaliter obliuiſci non poſſumus. Verùm enimuerò cùm nulla ſit fecundior effectibus cauſſa, nulla rerum origo antiquior omnium auctore Deo; à quo ceu perenni fonte vniuerſa bona dimanant; rectè docet Areopagita, diuino vir ingenio, res omnes creatas in Deum, veluti in primam ſui ſcaturiginem, reuolui debere. Quod ſi ita eſt; an non æquiſſimum, ob incredibile hoc tam felicis propagationis beneficium, à Societate Deo eius auctori immortalem memoriam, ſingularem cultum, perpetuum obſequium, ac omne demum gratitudinis genus decerni? Ego verò ſic ſtatuo, Reuerendi Patres Fratreſque, quoniam vna ætas gratiis pro tanto munere referendis nimis anguſta eſt, plures etiam, ſi fieri poſſit, expetendas diuinoque obſequio conſecrandas. Memoriæ proditum accepimus, capularem ſenem, prodigioſâ pænè dixerim palingeneſiâ, ſenio in iuuentutem commutato, refloruiſſe: correctâque aurium ſurditate, oculorum deterſâ caligine, capillis poſt canitiem denuò nigricantibus, poſitiſque vnà cum rugoſæ cutis exuuiis, decrepitæ ſenectutis incommodis, repentè corpus accepiſſe ſucci plenum, &, quod magis mirere, nouis nuptiis nouam ſobolem procreaſſe. Quòd ſi inter huius vitæ fluctus, æſtuſque naufragæ ætatis, quæ non tam victuris domicilium, quàm morituris continuum præbet ſepulchrum, nihilque habet cur eam magnopere conſecteris, fas eſſet eiuſmodi ſenectutis iuuentutiſque viciſſitudinem expetere; exiſtimo, eâ de cauſſâ in primam iuuentutem redeundum fore, optandamque non Glauci alicuius fabuloſam, ſed veram beatarum mentium etiam in terris immortalitatem, vt pro ampliſſimo munere, cui vnius vitæ curſus nimis breuis eſt, immortales etiam gratiæ poſſent identidem referri. Quod cùm optare poſſimus faciliùs quàm conſequi; illud ſaltem vos oro atque obſecro, vt nihil ſtudij ad virtutem, nihil officij ad debitam gratitudinem prætermittatis. Quin imò, ad propagandam latiùs cum ipſâ Societate diuinam gloriam, ite, ite ad gentes veræ Religionis ignoratione miſerandas, eripite Stygij veteratoris fraudibus victimas perpetuis inferorum cruciatibus deuotas, ſiſtite cæco impetu in interitum ruentes ſempiternum, vindicate à teterrimâ ſeruitute Dei cruore in libertatem ſemel aſſertas. Quid hæretis? An regiam ignoratis viam quæ ducit ad optatiſſimos triumphos? Ecce patet

Solin. c. 38. *Gemma ſelenites lunæ imaginem refert.*

Ælian l. 15. cap. 14. *Piſcis lunæ ſimilis.* Aldrouandus.

De Diuinis nominibus cap. 1.

Senex decrepitus mirâ mutatione iuuentuti reſtituitur. Velaſcus Tarentaſius Torquemada apud Del Rio. Nierembergius cap. 33. de Curioſâ Philoſophiâ.

Exhortatio ad Miſſiones barbaras.

patet tot fortissimorum Heroum trita vestigiis: en Martyrum cruore purpurâque distinguitur: tepet, imò calet adhuc Mastriliano sanguine. Quid est quod vos terreat? fateor, nihil vulgare, eximia omnia atque singularia prouincia illa desiderat. Sed audete tantùm, aderit piis conatibus propitij Numinis fauor. Vincet morum honestas barbariem, inuidiam amor: sæuitiam mansuetudo, atrocitatem clementia subiugabit. At esto: nihil ab innatâ feritate deflexerint. non est nouum Christianæ fortitudinis affectatoribus ludibria pro honoribus amplecti, contumeliis delectari vt encomiis, vulneribus lætari vt osculis, suppliciis foueri vt præmiis. Sanè si agonothetæ stimulus in luctâ, si Ducis ardor in pugnâ, ignauiam pugilis, formidinem castigat militis; quæso, oculos animumque coniicite in summum cælestis militiæ, cuius stipendiis meretis, Imperatorem CHRISTVM. præit vt Dux, pugnat vt miles, promittit victoriam, præludit triumphis. Attendite, quæso, quantam ærumnarum seriem ad propagandam cælestis Imperij amplitudinem, æternique Patris splendorem ac gloriam sit amplexatus. agitatur aduersis: cruciatur ærumnis: pallet inediâ: squallet inopiâ: per Ægyptum iactatur vt exsul: ligatur vt prædo: raptatur vt præda: mactatur vt victima. Cernite sanguineum sudoris imbrem, omnibus retrò ætatibus inusitatum: spectate rubentes cruore humeros, pictas cruore genas, agglutinatam cruore cæsariem, sparsa cruore omnia. spectate, inquam, coronatum, sed spinis ac sentibus; purpurâ indutum, sed proprij sanguinis; immansuetissimo tandem leti genere fatiscentem. Quid ad exemplum potentius? quid violentius ad incitamentum? Quæ porrò caussa CHRISTVM, quæ vis impulit ad patiendum? Non alia sanè quàm æterni Patris gloria, & flagrantissimum erga miseros mortales amoris incendium. Et inter has flammas tepere aliquis nostrûm potest? & non totus siue amoris vicissitudine, siue imitatione conflagrare? Esset hæc profectò non socordia, sed stupor; non desidia, sed improbitas; non ignauia, sed flagitium. Quare pergite quò rapit exemplum Ducis, quò prouocat pietas maiorum. traditos ab his exercendæ virtutis atque industriæ campos non conseruate modò, sed augete. Et cùm in propagandâ Societate tam propensum Dei fauorem, tamque effusam beneficentiam agnoscatis, nullo vmquam tempore obsequia vestra ad exiles calculos reuocate, sed tanti beneficij memoriam officiis colite sempiternis. Dixi.

CHRISTI exemplum nos excitat.

ORATIO SECVNDA,

Parænetica ad Missiones longinquas inter Barbaros obeundas, & nomen IESV *ad vltimos mundi fines proferendum.*

Ite Angeli veloces ad gentem conuulsam & dilaceratam. Isaiæ 18.

SI Religiosos Societatis IESV, id est, generosissimæ Matris filios, quos vt Patres veneror, amplector vt Fratres, ad expeditiones arduas, quibus petantur gentes, spatio dissitæ, cæcæ ignorantiâ, naturâ

feroces ac barbaræ, non tam permouere, quàm currentes incitare voluero; factis mihi, non verbis erit perorandum: quando Miltiades non oratione Themistoclem, sed trophæis; non adhortatione Achilles Alexandrum, sed famâ postumâ; non dictione Alexander Cæsarem, sed exemplo ad maxima rerum gerendarum decora, fortunamque virtute lacessendam prouocauerunt. Habent enim heroica facta, post mortem quoque auctorum, vim vocemque suam omni oratione, quæ plerumque plus inanis soni, quàm rei continet, potentiorem. Ego verò, quem non facta tantùm, sed & verba ipsa deficiunt; cuique præter vnicam imitandi voluntatem parendique desiderium, nihil admodum promptum atque expeditum est; non tam alios (quibus abunde est animorum operumque) quàm me ipsum stimulare contendam: neque id verbis meis, sed quò maior auctoritas insit sermoni, illius oratione, qui inter Scriptores Diuinos sagacissimus, quantum ab hisce temporibus abfuit ætate, tantum præsens fuit vaticinatione.

Plutarchus in Themist. in Alexandro, in Iulio Cæsare.

Magna exemplorum vis.

Isaiæ 18. Quod igitur benè vertat; *Ite*, faustis auibus, inquit; quod vobis gloriosissimum sit, *ite Angeli*: quod orbis admiretur, *ite veloces*; quod infinitis mortalibus auxilio sit, *ite ad gentem*, imò, *gentes conuulsas & dilaceratas*; eoque salutem ipsam inuehite, quò nec fama quidem salutiferi nominis penetrarit. Scio ego quidem, augustissimi nominis istius, cui & supremus orbis mediusque & infimus genua submittunt, Maiestatem adeò esse conspicuam, vt in ipso sole velut tabernaculo suo non magis latere valeat, quàm sol ipse, si crystallino vmbraculo clauderetur. Fuere tamen, suntque etiamnum, vt hominum, sic & terrarum, lata diuortia, insulæ ac regiones, veluti frusta quædam ingentia orbis diuulsi, ita à reliquâ mortalium societate distracta, vt toto quoque cælo distare videantur; adeò densis ignorantiæ nubibus inuoluta, vt vix radium solis istius vel senserint, vel admiserint. Eò igitur, eò nomen istud inferendum: quod ipsum si vel solem dixerim, vel ipso in sole collocauerim, parandæ nimirum ei quadrigæ sunt, vt iis, quibus illuceat regionibus, inuehatur. Neque tamen hîc quidquam Poëtarum more confinxero, quando id portandum coram gentibus, Deus ipse pronuntiauit, cùm in id muneris Gentium Apostolus pararetur. Et, obsecro, quò mihi currus ille gloriæ Dei tam splendidè Ezechielis oculis obuersatus, vt non nisi electro & igne colluceret? tam magnificè tractus, vt equorum vice cælestes ei Genij iungerentur? tam celeriter promotus, vt vento turbinis ageretur? Quò, inquam, hæc omnia? nisi vt, quod dicere modò institui, spectaculo tam illustri daretur intelligi, Deum naturâ vbique & omnibus præsentem, non perinde tamen omnibus notum, ad extrema terrarum præconum suorum voce quasi vehiculo deportari, dum ab iis vltimæ gentes barbaræque, sanctissimi ipsius nominis legisque castissimæ cognitione imbuuntur? Et dubitare modò quis poterit, quos qualésve ipse Deus cupiat legatos tantæ rei, suæque interpretes voluntatis? quales nimirum & isto schemate ipse exhibuit, & alter ille Vates designauit, veloces, igneos, verbo, Angelos, imò Cherubinos. Quibus profectò egregiè sacra illa cithara fatidici Regis concinit, ita Deo modulantis: *Qui facis Angelos tuos, spiritus; & ministros*

Exhortatio ad Missiones inter barbaros.

Psal. 18.

Act. 9.

Ezech. 1.

Currus Ezechielis concionatores denotat.

Psal. 103.

ſtros tuos, ignem vrentem. Quid autem eſt *Angelos* eſſe, niſi ad obſequia promptos ac veloces? quid eſt *ſpiritus* eſſe, niſi à terræ contagione longè eſſe remotiſſimos? quid *ignem* eſſe *vrentem*, niſi conſumendorum vitiorum deſiderio æſtuare? Valeat modò, valeat frigidus ille, imò commentitius inanium Deorum tabellarius, *Concionatores quales eſſe debeant.*

——— qui fas per limen vtrumque
Solus habet, geminoque facit commercia mundo, Claud l. 1. de Rap.

vel facere fingitur. veros vtriuſque mundi conciliatores, nuntioſque imperiorum cæleſtium ſcala commonſtrat, quæ aſcendentes deſcendenteſque proponens, è cælo petendum docet, quod ad ſalutem incolumitatemque animorum in terras eſt deuehendum. Hoc iſtud eſt Vatis noſtri, *Ite Angeli.* Quorum inſuper vt origo cæleſtis eſt, ita & natura puriſſima: quibus non magis damno ſordes ſunt, quàm lutum ſoli; quod illuſtrari ab eo poteſt, nitori autem illius afflare quidquam ſui non poteſt. Et hoc Regij Prophetæ eſt, *Qui facis Angelos tuos, ſpiritus:* quorum ſcilicet ea conditio eſt, vt expertes corporis etſi verſari inter homines valeant, nihil tamen hominum corporúmve patiantur. Serpunt quidem mala contagio; & faciliùs ipſum conſortium, quàm labem eius vitaueris. Ceterùm vbi ſalus aliena opem depoſcit, tutò etiam inter ſordes ambulat, cui ſincera mens eſt, cùm virtuti vitium non adhæreſcat. Præterquàm quòd ab iis ſuſcipi magnum aliquid vel confici nequeat, *quibus contra naturam corpus voluptati, anima oneri eſt.* Et quibus hoc ipſum quod in homine eſt ſubtiliſſimum, oneri eſt, veloces eſſe ipſi quî poſſint? dum & *Angelos*, id eſt, victores omnium voluptatum animos, & *veloces*, expeditiones iſtæ depoſcunt: qui nimirum per diuerſa gentium terrarumque volitantes, pedes, quibus eundum eſt, mente præcurrunt; ventos, quibus nauigandum, cogitatione præuertunt: quippe *animo cupienti nihil ſatis feſtinatur.* Hoc nempe, hoc igneum illud eſt, quod in miniſtris ſuis Deus, & ipſe ignis requirebat. Ecquid enim igne velocius, rapacius, violentius? De populo iſto rudi primùm ac paſtoritio, mox domitore terrarum, ita proditum eſt; eum, iam totâ primis quaſi adoleſcentiæ annis Italiâ ſubiugatâ, *cùm à terrâ fretum vſque veniſſet, more ignis, qui obuias populatus incendio ſiluas, interueniente flumine abrumpitur, pauliſper ſubſtitiſſe.* Sed nempe vilior ignis ille, cui ligna ſtipulæque pro pabulo ſunt, facilè aduerſario elemento non cedit tantùm, ſed etiam exanimatur: altior ille nobiliorque, qui animos depaſcitur, quem nec maria lato æquore diffuſa procelliſque elata, nec hiatu dehiſcentia terrarum ſpatia, morantur; vt peruolat ſuperuolatque omnia, ita ſanctè omnia populatur. *Numquid mittes fulgura* (non hîc Iouem neſcio quem, ſed verum Tonantem fulminantemque compello) *numquid mittes fulgura, & ibunt?* Ibant profectò, imò volabant Genij illi alarum pleni, quos commemorare memini, *ibant in ſimilitudinem fulguris coruſcantis.* fulguris, inquam, quod neſcias, an citiùs micet voletque, an potentiùs feriat, an potiùs ſimul ſemelque peragat vniuerſa. Hæc obedientiæ ſacræ vis eſt, quæ vbi pares imperiis homines nacta fuerit, Angelos efficit, fulguris inſtar veloces, igneoſque. Verbo ipſa dixerit, imò nutu tantummodò: *Ite ad gentem conuulſam & dilaceratam,*

Margin notes: Gen. 28. — *Legati ſpirituales caſti ſint & expediti.* — Salluſt. in Catil. — Salluſt. in Iugurth. — Deut. 4. — *Sint etiam feruentes & veloces.* — Florus l. 2. cap. 2. — Iob 38. — Ezech. 1. — Iſaiæ 18.

ratam, cuius diripuerunt flumina terram eius; & iam voto transierint maria, diuisaque toto elemento Regna mente peruolarint. *Magna & generosa res est humanus animus, nullos sibi poni nisi communes cum Deo terminos patitur.* Romanè dictum & à Philosopho Romano; sed magnificentiùs quam veriùs, dum de homine augustiùs, angustiùs de hominis auctore decernit. Verùm si de animo ita ille Romanus; de Româ ipsâ meliùs ab altero pronuntiatum: *Roma prima & sola, ab omnis æui memoriâ, terminos sibi potentiæ fecit Orientem & Occidentem.* Fateor, nec prima, nec sola Societas IESV, sed & ipsa tamen, terminos expeditionum suarum sibi fecit Orientem & Occidentem; adde & Meridiem & Septemtriones, & quidquid in terrâ Australi etiamnum latet incognitum & intentatum. Eò destinat illa milites suos, qui Diuini nominis victricia signa per quaternas orbis plagas circumferant, non alio stipendio quàm glorioso nominis istius incremento, spe prædæ non aliâ spoliorumque, quàm animarum. Iam quod ad solius Numinis honorem attinet; illa militiæ quoque huius tessera est, MAIOR DEI GLORIA, vbique semper & in omnibus præcipuè spectanda. Et quò non rapit mortalium plerosque inanis gloriæ illecebra? scilicet vt laudum, id est, ventorum saturi (si qua tamen à mero aëre ventoque saturitas est) quò magis inflantur ab aliis, eò minus habeant sui. Et quàm multos, dum cursu præpropero feruntur ad gloriam, fortuna cùm sequi non potest, destituit? Quàm multos, *cùm in consummationem dignitatis per mille indignitates erepsissent, misera subiit cogitatio, ipsos laborasse in titulum sepulchri?* Caduca enimuerò gloria fragilisque, etsi marmorea. Vos verò, vos Religiosi commilitones, qui ab istâ vos tyrannide exemistis, vt ne more ambitiosorum ab ore dependeatis alieno, quibusque nec laudum decora incitamento sunt, nec fortuna casusque formidini, dum sequimini Numen ipsum, vni quoque ipsius honori vos ipsos dicatis, impenditis, consecratis. Quamquam vobis ipsis quantum detrahitis, tantum adiicitis famæ vestræ. etsi nec hoc ipsum quidem spectandum est: nam difficultates Dei vnius caussâ susceptæ, adita pericula, labores tolerati, quid aliud sunt quàm perpetua seges materiaque gloriæ vestræ? Adeò verum illud atque exploratum est: *Gloriam qui spreuerit, veram habebit.*

Seneca Epist. 102.

Dionys. Halicarn. l. 1.

Societas Dei gloriam spectat in suis expeditionibus:

Sen. de Breu. vitæ cap. 19.

sed Deus illam honorat.

Liuius l. 22. in Orat. Q. Fabij Max.

Quòd si non solus honor militem acuit, sed & opima spolia vel voto præcepta, vel aure oculóve etiam delibata; quantâ auiditate animos innoxiè auaros in eam prædam ferri necesse est, cuius omnis æstimatio infra pretium est? *Sæpè* (dicam magni Philosophi verbis) *sæpè maximum pretium est, pro quo nullum datur.* Deus immortalis! quantum illud pretium est, infra quod orbis vniuersus est! imò quo redemptus est orbis vniuersus! Ille, ille Dei sanguis est in salutem mortalium opulentissimè largitione profusus: cuius profectò naturam ignorat, qui vel hinc animarum præstantiam nobilitatemque non æstimat: nec æstimat is, qui tantillum laboris, veluti pretium rei pretiosissimæ afferendæ impendere detrectarit. Quare meritò remotissimi terrarum anguli, prima solis incunabula, vltimumque cubile, India vtraque, per tot rerum discrimina, mercium istarum caussâ non tentanda modò, sed assiduâ etiam nauigatione lustranda. Non ignoro equidem, parentem, si deformem

Animarum lucra Societas consectetur.

Sen. Ep. 42.

filiam

filiam nuptui collocare velit, multo eam margaritarum ſplendore, mundoque muliebri & ampliſſimâ dote ſolere commendare, vt, dum pulchram reddere non poteſt, quò procos alliciat, faciat ſaltem diuitem, quò maritum emat. Habent hoc pleræque nationes barbaræ proprium ſibi, vt, quantum à mortalium reliquis ſpatio, tantum & moribus; quantum moribus, tantum ferè colore habituque corporis diſſideant. De Indorum certè legatis Romæ conſpectis ita Hiſtoricus: *Ipſe hominum color ab alio venire cælo fatebatur*. Vt proinde rerum prouida natura parens hanc quoque filiam, Indiam dico (quin & alias eiuſmodi) turpem atque incompoſitam, diuitiarum theſauris non abſque ratione cumulaſſe videatur, quæ tot tamque varios, non dicam ſponſæ, ſed opum eius procos allicerent, totque etiam corriuales incitarent. Sed falluntur profectò, falluntur, qui aurum gemmaſque præ corpore, quamuis deformi; multò etiam ampliùs, qui præ animâ ducant expetendas. Eant igitur, imò ruant per inuia, per inhoſpita ſola terrarum, perque tempeſtatum prælia, & naufragiorum terrores, qui maxima itineris ſui compendia arbitrantur, ſi aurum, id eſt ſplendidius lutum; ſi adamantes, id eſt ſpecioſiores lapidum cruſtulas; ſi vniones, id eſt conchyliorum recrementa, vel (vt nobiliſſimè ſentiam) æterno gelu conſtricti roris guttulas aliquot reportarint. Vos verò, quibus ſublimior animus, ſanctiorque cupido eſt, qui diuiniora lucra ſectamini, non lapillos inanimes; merces æternas, non cum mundo ſuo perituras; vos, ipſos homines, non humana, non terrena, nedum ſubterranea illa ambitis, quando ad eaſdem plagas, iiſdem viis, ſed ſtudio diſpari, laboribus certè periculiſque maioribus contenditis. Senſit id Oriens, ſenſit & Occidens, ſenſerunt Indi (& qui non ſenſerunt?) quàm diuites opum, tam inopes virtutum, ſeſe peti, non ſua; animas ſuas cælo inferendas, non gemmas ſuas in orbem alium deferendas. Adeò à veris rerum æſtimatoribus quæruntur mortales, vt æterni ſint; non mortalia, quia ſpolia temporis ſunt. Et quanto molimine quæruntur? quâ induſtriâ flectuntur? quanto labore poliuntur? Et vt hæc moleſta ac grauia ſint, nulla tamen quærendorum, flectendorum, poliendorum eſt ſatietas. *Auaritia quidem ſemper infinita & inſaturabilis eſt, neque copiâ neque inopiâ minuitur*: verùm ſi quid infinito maius eſt, vaſtis illis mentibus pluſquam infinita lucrandorum hominum cupiditas eſt, quam nec minuit copia, & inopia accendit. Te hîc ego, te appello teſtem, imò auctorem tot heroicorum facinorum, Xaueri glorioſiſſime: laborat annalium fides, vt tot animarum millia, quæ cælum tibi refert accepta, vnius hominis laborem eſſe perſuadeat: & niſi te orbis Xauerium ſciret, præclaris tuis facinoribus fidem derogaret. Liceat hîc mihi proferre verba illa quibus olim Scytharum legati Alexandrum compellauere: *Si dij habitum corporis tui, auiditati animi tui parem eſſe voluiſſent, orbis te non caperet. alterâ manu Orientem, alterâ Occidentem contingeres.* Certè vt Xauerio moles corporis tanta non fuerit, quæ mundum impleret; animus profectò tam ingens fuit, quem nec mundus expleret. Alterâ manu Occidentem contigit, cùm in Franciâ, Italiâ, Luſitaniâ tam præclara geſſit; alterâ Orientem complexus eſt, cùm in Indiis longè

Florus lib. 4. c. 12.

Indi à nobis non propter diuitias, ſed propter animas petendi.

Salluſt. in Catil.

Xauerij labores apud Indos.

Curtius l. 7.

præclariora perpetrauit. Eò ille ſolem, quem principio commemorabam, inuexit; ibi nomen illud auguſtiſſimum coram Gentibus & Regibus portauit; eâ ſanctitate, vt Angelus; eâ celeritate, vt fulgur; eo feruore ac zelo ſpiritus, vt ignis vrens non tam videretur, quàm eſſet. Ille (vt vel

Iſaiæ 18. ſic ſua vaticinio conſtaret fides) *ad gentem conuulſam & dilaceratam* odiis

Iſaiæ 33. mutuis, bellis inteſtinis, dæmonum furore, *pacis Angelus* properauit:

Iſaiæ 18. *ad gentem, cuius diripuerunt flumina terram eius*; nec flumina tantùm diſtraxere à ceteris, ſed integra maria, Oceanuſque vaſtiſſimus: *ad gentem exſpectantem*, exſpectantem annis mille quingentis doctrinam cæleſtem, poſt natum ſalutis humanæ vindicem; cùm earum nationum non

Bulla Canonizat. paucis, Parauis, Malais, Iais, Acenis, Mindanais, Iaponibus primus omnium Xauerius legem Euangelicam denuntiarit. An non & *ad po-*

Iſaiæ 18. *pulum terribilem* perrexit intrepidus, cùm, vt Deum-hominem, ita & humanitatem docturus, ad Indos illos inhumanitate agreſtes, infameſque barbarie; cùm in Mauricam, non magis terræ motibus quàm incolarum furiis agitatam, flammaſque vomentem ac cineres; cùm ad Iapones hominum pientiſſimorum hodieque carnifices, eſt profectus? Profectus eſt denique *ad populum poſt quem non eſt alius*, cùm ad hominum vltimos Iapones & Sinas, id eſt, ad columnas ſuas Herculeas, penetrauit. Quamquam nec illæ metæ erant menti ampliſſimæ conſtitutæ, niſi corpus ipſum antè animus, quàm animum agendi patiendique ardor defeciſſet. Interim quæ robuſtiſſimum quemque non fatigaſſent modò, ſed penitus

Turſell. l. 6. c. 5. Hiſt. Soc. l. 3. deieciſſent, ea omnia erigebant Xauerium, ac recreabant. Is quippe Xauerius erat, cui quidem deliciarum cæleſtium ſatis eſſet; modus ærumnarum ac laborum nullus, nec alius finis, quàm ***ampliùs, ampliùs.*** Deus immortalis, quid eſt Angelum eſſe, ſi hoc non eſt? Angelicam naturam labor non afficit. Et quid eſt ſpiritum eſſe, ſi iſtud non eſt? à ſolo ſpiritu, eoque cæleſti, vires illæ poterant ſuppeditari. Exclamate

Theodor. Stud. Catech. 35. hîc mecum, neque tamen verbis meis: *Homo ales, inſolens Angelis & hominibus ſpectaculum in mundo & ſupra mundum!* Verùm quàm inſolens ſpectaculum, tam potens ad virtutem incitamentum: quo plures inſuper, *Angeli veloces* effecti, docuere ſcilicet, gloriam prophetiæ iſtius illis quoque ſeruatam, qui hiſce temporibus expeditiones eiuſmodi ſuſcepiſſent. Inter quos quid attinet pluribus celebrare decus illud Belgarum Gaſparem Barzæum (vt & rerum geſtarum eius ſcriptorem, & aſſectatorem Trigaultium, alioſque nationis Belgicæ miſſos faciam) cùm ad laudem eius commendationemque ſatis ſit, magni Xauerij vel

Fructus Miſſionum. diſcipulum, vel ſocium, addo & vicarium, exſtitiſſe? Et quanto hæc omnia lucro animarum, quanto Eccleſiæ bono, quanto diuini honoris incremento? Quod nimirum Vates ille futurorum præſcius iam tum com-

Iſaiæ 18. memorabat: *In tempore illo deferetur munus Domino exercituum à populo diuulſo & dilacerato.* Ecquodnam munus illud, niſi hoſtia ſalutifera per auguſtiſſimum ſacrificium iis in regionibus primùm oblata? quod munus illud, niſi tot millia animarum tartaro erepta, cælo aſſerta, Deo re-

Legatio Iaponum ad Gregor. XIII. ſtituta? quod munus *ad locum nominis Domini* delatum, niſi Iaponiorum Regum, veluti Magorum ab Oriente, Romam miſſa legatio, & per iuuenes Regios, Patremque Iaponicæ Societatis Viſitatorem, ſummo

summo Sacrorum Antistiti Gregorio eâ appellatione decimo tertio, Anno 1585.
cum singulari nostræ Fidei contestatione oblata obsequia? quando non semel ipse Maximus Pontifex lacrymas fudit, inusitatæ lætitiæ indices, quòd legationem spectaret, qualis post orbem conditum, hominesque progenitos, nulla vel studio Religionis ad Romanum Antistitem, vel Romani Imperij admiratione ad quempiam Cæsarum, è Regnis adeò dissitis, per tot Oceani pericula, totque ambages viarum fuerit instituta. Annos nouem tenuit peregrinatio: vt itinere ipso insolens ac permolesta, ita exitu Legatis ipsis beata, Societati gloriosa. Siquidem illi ipsi in patriam reduces (quaterni erant) sese acceptissimum cælo munus, sacrosanctâ votorum sponsione, in Societate Deo consecrauerunt; eque Regiis Religiosi iam Legati effecti, imò Angeli, hoc est, ad suorum æternam incolumitatem procurandam destinati, sic in eo munere versati sunt, vt nuper ex eorum numero senex venerandus P. Iulianus Nacauxa annorum septuaginta ætatem eo in tumulo non composuerit, sed violenter abruptam perdiderit: qui, vt tormentorum acerbissimus est (scrobis supplicium nuncupant) ita ad immortale decus gloriosissimus, Athletam CHRISTI magnanimum in felicissimam asseruit æternitatem. Hoc ille fine legationem suam reddidit illustriorem: ita canos sanguine, velut ebur Indicum ostro puniceo, magis venustos pretiososque effecit. Iam tot socia agmina Iaponum Martyrum inuictissimorum, quid aliud de illo, deque seipsis contestantur, nisi vaticinationem illam Hebreâ sententiâ redditam, multò expressiùs id quo de agimus designare? *Adducetur munus Deo Sabaoth populus contribulatus*. Ipsi quippe tot diuexationibus quasi tribulis exagitati, tot cruciatibus confecti, ipsi munus Deo longè gratissimum exstitere. Eminent hîc, eminent tres illi Heroës, BB. Paulus, Ioannes, Iacobus, immortalibus etiam inter mortales honoribus dignati. Diceres eos in crucem actos, vt magis toti orbi conspicui, celsitudine virtutis suæ, alienam longè lateque prouocarent. Neque frustrà id quidem, cùm non Iaponum tantùm ea fortitudo sit, vt in patriâ, in conspectu ciuium ac parentum suorum mortem oppetant constantissimè, verùm è Regnis remotissimis plurimi patrias sedes deserant, quò alienę saluti totos se, vitamq; suam liberalitate plusquam humanâ impendant. Testes hîc mihi (vt ceteros prætermittam) testes Spinolæ atque Mastrilij, *flos & robur Italici sanguinis*: quando illa veri nominis ac generosi sanguinis nobilitas est, cùm non è natalibus hauritur, sed ex ipsis venis tam gloriosâ morte profunditur. Ille, ille Genuensis Scæuola, hic Regulus Neapolitanus; ille non manu tantùm, sed corpore toto viuus exustus; hic non in caueâ Punicâ, eâque permolestâ & acerbâ, inclusus, sed velut intempestiuo sepulchro, in teterrimam scrobem capite immisso quatriduo pendulus, aliisque suppliciis grauissimis excarnificatus, ac demum gladio percussus; quid aliud agunt, quid moliuntur igne ac sanguine, quàm illo flammas subiicere desideriis nostris, hoc fouere subiectas; quæ tali flumine accenduntur, non sopiuntur? Non patitur vel auita maiorum gloria, vel germana fratrum nobilitas, labem aliquam aut probrum familiæ ac generis sui. Illis ignauis licet esse, quibus parentum socordia ius inertiæ tribuit: nos necesse est forti esse ac infracto animo, quibus

Hebr. lectio, Isaiæ 18.

Flor. l. 4. c. 2.

Imitanda nobis maiorum exempla.

degenerem indolem virtus obiiciat maiorum, ſi conſpexerit deſides. Ii quibus maiorum obſcuritas pro vmbraculo eſt, tutò latent: nobis, quos conditionis noſtræ ſplendor in orbis theatro locat, tenebræ pudori ſint, non defenſioni. Noui ego quidem indolem veſtram, commilitones, ſcio pectoris robur, & magnis experimentis approbatam virtutem: nam ſi quantum omnibus eſt animorum, tantum & ſingulis licentiæ fieret à Ducibus; iam ſua neminem caſtra præſidiaque retinerent, omnes in apertum campum non prodiretis, ſed procurreretis; imò ad gentes vltimas non ſolùm contenderetis, ſed volaretis. Quidni tamen liceat etiam iis, quos memoria recordatioque agitat nobilitatis ſuæ, viros illos præclaros, illa ſacræ militiæ decora, Principes illos expeditionum longiſſimarum atque difficillimarum proponere, vel oblectationi futuros ad ſpeciem, vel incitamento ad æmulationem ampliorem? Quòd ſi vnquam opportunum id fuit, iam profectò etiam neceſſarium eſt,

Æneïd.6. *ære ciere viros, Martemque accendere cantu:*

cantu, inquam, quo & celebrentur inſignia maiorum facinora, & poſterorum virtus inflammetur, cùm illud quoque Vatis noſtri, hac ætate, Iſaiæ 18. quin & hoc ipſo anno, reipsâ comprobatum conſpexerimus: *Cùm eleuatum fuerit ſignum in montibus, videbitis, & clangorem tubæ audietis*. Et quoſnam hîc montes interpretabor, niſi quas illa vrbium domina Roma

Æneïd.6. ———— *ſeptem vna ſibi circumdedit arces?*

quod ſignum, niſi ſignum militiæ, expeditionumque noſtrarum, Ioſ.6. nomen IESV auguſtiſſimum? quam tubam, niſi illam iubilei ſæcularis totâ modò Societate perſonantem? Illud, illud ſignum, quàm illuſtribus nuper radiis coruſcauit, cùm in æde principe Societatis vniuerſæ magno IESV dicatâ, inter cetera ornamenta arte pretioque viſenda, ſumptu planè regio, tot faces funaliaque luxere, vt quamdam cæli ſtelliferi ſpeciem exhibere viderentur? Tum profectò illud *ſignum in montibus eleuatum fuit*, cùm in ſeptenis montibus, adeoque Vrbe totâ, purpurati Patres, Præſules, Legati, Principes, ceterique, feſtos ignes ac triumphales ſtruxere honori nominis iſtius, à quo Societas honorem omnem ſuum eſt mutuata. Crederes, hoc in ſpectaculo, velut in Occidente, ortum nouo ſplendore ſolem; vt ex illo Religionis culmine, ampliùs longiuſque in ceteras orbis terrarum plagas deueheretur. Ibi tuba illa primùm inſonuit, quæ tamdiu exſpectatæ ſolennitatis nuntia ad plauſum gratulationemque excitaret vniuerſos; atque ad noua bella expeditioneſque illas longè glorioſiſſimas, pro nomine iſto ſuſcipiendas, Socios inprimis inflammaret.

Audite, commilitones, audite ſonum illum & clangorem muſicum pariter bellicumque; audite, & (vt facitis) oſtendite, ſi Matrem amatis centenariam, oſtendite vos filios

Æneïd.2. ———— *quibus integer æui*
Sanguis adhuc, ſolidæque ſuo ſtant robore vires.

Probate vigore non tam annorum quàm animorum veſtrorum, Matrem eâ quoque ætate iuuenem, viridem, florentem; neque mentibus accidere ſenium perinde atque corporibus; ac diu vixiſſe, non fuiſſe temporis ſed virtutis. Oſtendite non conſenuiſſe cum annis ſpiritum, nec ſæculum

vnum

vnum viuidi roboris ſuccum exhauſiſſe. Angeli eſtis. Propheta ſic nuncupauit. nulla Angelicæ naturæ ſenectus obrepit. Angeli eſtis : cum grauitate negotiorum , longinquitate itinerum , laborum difficultate, agendi celeritate certandum eſt. Velocitas illa Angelorum eſt : quibus vt nomen laboris tribui valeat , labor ipſe certè fatigatioque conuenire non poteſt. Angeli eſtis : militandum eſt, ita militia cæleſtis exercitus, Genij bellatores ſic admonent, ſic expeditionum noſtrarum ratio depoſcit. In quibus ſi de honore gloriâque diuini nominis agitur , ſi de ſalute hominum propemodum infinitorum ; quas in res tot excellentium operarum ſudor exhauſtus,tot Martyrum fortiſſimorum ſanguis effuſus, ipſius denique Filij Dei vita fuit impenſa; quid eſt quod ad laboris aſſiduitatem nos excitet , ſi ſudor iſte non excitet? quid eſt quod ruborem ingenuum in genas eliciat , ſi cruoris iſta purpura non eliciat ? quid eſt quod vilem nobis vitam faciat , ſi mors illa non faciat ? Sed non eſt profectò, non eſt alacritatis veſtræ, deſidere; virtutis, erubeſcere; generoſitatis, pericula mortemque ipſam declinare. Quamquam quid mortem dico ? Angeli eſtis , qui vos vitamque veſtram operi iſti immortali impenditis. Itaque quam & ipſi nuncupamus mortem, abdicatio quædam corporis eſt , vera mors non eſt : viuit animus , viuetque , corpore muneri tam ſancto glorioſoque vel immoriente , vel immorante tantiſper, dum & ipſum vitâ immortali æternâque perfruatur.

ORATIO TERTIA.

Diſſertatio Academica, ſitne facilius mundum cruce & contemptione , an vi & armis ſubiugare.

SVum cuique dicendi genus : mihi nouum quidem & inuſitatum, attamen neque difficile,neque inuolutum, ludiſque adeò ſæcularibus aptum , viſum fuit ſuſcipi à me hoc tempore oportere : quod Academiæ veteri iuxtà ac adoleſcentiori ſolenne fuit , certum nihil definitumque diſceptare ; quidquid veroſimile eſt tueri , modò huc modò illuc aſſenſionem inclinare , nihil non in vtramque,imò quamcumque etiam, partem expromere ac diſputare . id agam nimirum , atque hanc viam conſuetudinemque è veteri Lyceo petitam ſedulò inſiſtam. Et quoniam volatica ferè, Socraticoque more parum ſui in hac decertandi ratione ſimilis eſſe ſolet dictionis forma; vtar ego quoque charactere diſſimili, vt inciſa modò, aliàs numeroſa, nunc contracta , mox explicata , tum diuiſa etiam diſtractaque appareat oratio. cuius interim partes ſine ordine certo conſecutioneque diſpoſitæ , ſic tamen connexæ inter ſe copulatæque ſint, vt, cùm vltrò ab artis præceptis ipſoque controuerſiæ iudicio ſæpenumerò diſcedam ; occultâ tamen vi efficientiâque pugnantium inter ſe rationum eò pertineat , atque animis cum opinione veri illabatur , propoſitumque ſibi finem hoc certiùs aſſequatur oratio , quò contumaciùs interdum ab eo recedere , & contrariâ viâ fortioribus in ſpeciem argumentis niti videatur . Neque enim hîc tam animus mihi eſt iudicium quæ-

quæſtioni meum interponere, auctoritateque quempiam velut præiudicio ad idem ſentiendum inuitare, quàm quid in cauſsâ effici quæſtioneque poſſit, ex earum, quæ veræ vel ſimillimæ veri ſunt, rationum oppoſitu ac dimicatione oſtendere. Quæro igitur, vtrum altero facilius expeditiusque ſit, ignominiâ crucis & contemptione mundum, an vi atque armis ſubiugare. Quid hac cauſsâ, ſi in concione quæratur, facilius; ſi in Regum Principumque conſeſſu, difficilius? Quid enim, inquient hi, abſurdius fingi animo dicique poteſt, quàm orbem terrarum contemptu ſibi ſubiicere? númne igitur aliqua ex hoſte contempto ſpes victoriæ? quod non potiùs certæ cladis internecionisque periculum? adimere contemptio curam prouidentiamque ſolet, maximum in gerendis rebus momentum. hac ſublatâ, quid niſi Ducum inertia, ſocordia militum, ignauia exercitus, excubiarum neglectus, annonæ inopia, armamentarij vaſtitas, rerum omnium penuria, conſiliorum confuſio, ſententiarum perturbatio, imperiorum ignoratio, atque ad extremum interitus ac ruinæ? quis enim aut hoſtium arma tutò contempſit, aut vires impunè neglexit? quis nocendi artes ſine diſpendio ſuo deſpicatui habuit? quis non certiſſimum temeritatis huius præmium tulit inſidias, cladem, ignominiam ſempiternam? Irritantur nimirum ludibrio animi, pudorque deſpectis in promptu ſemper eſt, quo ignauiam abiiciant, iras ſuſcitent, vires colligant, iniurias vlciſcantur. Tu verò hos probro laceſſendos, ſtimulandos contemptu, deſpicientiâ etiam impellendos in perniciem magis ſuam quàm exitium tuum rere? An igitur felicior cum armato hoſte quàm cum inermi congreſſus? certior de vigilantibus quàm de dormientibus victoria? propior de ſolicitis atque in occaſionem gerendæ rei intentis, quàm de imprudentibus triumphus? ne crabronum quidem aut formicarum viles animas, nedum hominum feroces cupidosque vindictæ impetus, irritandos duxero. Tunc hoſtem licebit deſpicere, cùm ignauo militi, ne terga in acie vertat, ſubiiciendi animi ſunt. Ceterùm aſſiduâ vigilantiâ Ducem militesque præſtare neceſſe eſt; ſtudiosè aduerſa, ne ſe inſinuent, explorare; hoſtiles motus omnes quaſi de ſpeculâ obſeruare; inopinatos caſus conſilio & ratione anteuertere. Quorſum, niſi ad incommodorum cautionem, Seruatoris illa vox iterata toties atque repetita, *Vigilate*? Tu quæſtionem interim ponis; ludibrióne mundum ac deſpicientiâ ſubigi oporteat? Ego verò armis, non faſtidio; virtute, non arrogantiâ vincendum exiſtimo. Cæſarem & Alexandrum vide, non illi irriſione & contemptu, ſed militum robore potentiaque Romanum prior, alter Græciæ Aſiæque dominatum adepti ſunt: inter varios belli euentus, communemque Martem, non niſi corporum ſuorum obiectu periculisque victoriam, multâ cæde ac ſanguine triumphos promeruere: tu verò fieri poſſe exiſtimas, vt, quæ ſine certamine ſingulæ ac prælio fortiſſimorum Ducum terrarum orbis regiones ſubiici minimè potuerunt; eæ vno deſpicatu, quaquà iacent ac diſperſæ ſunt, vniuerſæ, multitudine innumerabiles, viribus potentes, præſidiis firmatæ, locis munitæ, aſtu, conſilio, ſapientiâ præſtantes ſub tuam vnius ditionem ſubiungantur ac redigantur? Erras, pace tuâ dixero, quiſquis mundi contemptui ad obtinendam victoriam aſſentire:

Hoſtes non contemnendi;

neque irritandi;

ſed vigili curâ obſeruandi,

& vi atque armis vincendi.

non

non ille ſpretus deſpectuſque animo, ſed corporis armorumque impetu proſtratus ſub iugum poteſtatemque veniet. De cruce autem quid cenſes? an quo modo Conſtantinus tres potentiſſimos Imperij inuaſores, hac tu ratione mundum ab eâ ſuperari poſſe exiſtimas? at non ille cruci, vt debellaret, à contemptione, ſed à militum virtute ac fortitudine præſidium mutuatus eſt. Sub crucis ſignis copioſum habebat militem, probè & armatum & exercitatum; qui crucem labaro, crucem galeis, crucem ſcutis, & ipſis, ſi placet, crucem telis geſtabat. Hanc quidem ſpeciem veri primam oſtentat opinio; at illa quàm inanis & fallax ſit, vide: nequaquam hîc tibi, vt de ceteris hoſtibus, ita de mundo philoſophandum velim exiſtimes. Seruile quid & effeminatum mundus eſt; in pretio ſi habes, ſuperbiet; ſi metuis, inſtabit; ſi blandire, dominabitur. vbi verò ſeruitutem hanc ſeruire cœperis, quâ non vi ac tyrannide opprimet? In feminis Dalilas & Ieſabeles, in ſeruis Eutropios ac Ruffinos intuere; quo in viros imperio, quo in ſubiectos dominatu vſi ſunt? iacuiſſent profectò deſpecti, contemptique in latebras ſe abieciſſent; æſtimati ſupra ſeruum ac fortunam, altiùs ſeſe extulere, quàm vt vinci poſteà niſi communi propemodum exitio poſſent. Quem fors aut natura ſeruituti deſtinauit, hic perpetuò tibi vt ſeruiat, contemnique ſe abs te pro arbitratu patiatur, ſtude. Quæ ſtultitia maior, ne dicam inſania, excogitari poteſt, quàm vt non modò alterius ſis, cùm tuus eſſe poſſis, verùm etiam eorum poteſtati, quorum adeptus ſis imperium, vltrò te volentemque ſubijcias? Homini libero mundus, viro ad parendum femina ſeruiendumque ſubiecta eſt. Quid præ libertate iugum, ſeruitutem præ dominatu amplectere? Indigna nimirum illa permutatio, præpoſteraque conuerſio eſt. hanc ipſam tamen (quæ generis noſtri labes atque ignominia eſt) quàm multi amplectuntur? quàm multi iugum hoc graue atque infame ſubeunt? vel quia neceſſarium putant ac fatale, vel quia falsâ æqui honeſtique ſpecie decipiuntur, vel quia miſeri eſſe cum multis malunt, quàm beati cum paucis. Quæ enim acerbitas ſeruientium mundo miſeriæ par eſſe poteſt? an non probra eius extimeſcunt, iras reformidant, falluntur promiſſis, præmiis ſeducuntur? an non fracti, mollis abiectique animi leges admittunt omnes, quantumuis iniquiſſimas? Affulget gerendi Magiſtratus ſpes, quid indignitatis non ſuſcipitur? quæ Aulicorum non captatur aura? maturantur ex eorum ſententiâ iudicia, opinionibus animi imbuuntur neque rectis neque veris: laudantur non qui digni, ſed qui maiore poteſtate præditi ſunt; quin crebrò ij, qui magnifici ſibi videntur, vt placeant, munera mittunt, tribuunt officia, ſupplicant denique ignominiosè. Quæ, malum, ſeruitus, ſi hæc non eſt? Poſcitur? dandum eſt, imò profundendum. Annuitur? aduolandum eſt, retardante nequidquam vxore, liberis, animo ipſo curis in contraria diſtracto. Vertitur fortunæ flatus? excedendum eſt, viis licet omnibus ad migrandum præcluſis. Intentantur minæ? aut cedendum tantiſper tempeſtati, obtemperandúmve ſceleri: aut certè, ſi conſtiterit animus, moriendum eſt. Deus immortalis! quanta hæc ſeruitus! quàm dura, quàm miſera, quàm flagitioſa! Certè liber non eſt cui mundus *imperat*, *cui leges*

quamuis ſub crucis vexillo.

Mundus, femina, ſerui contemptui habendi:

ſtultum eſt mundo ſeruire:

cuius miſera ſeruitus eſt.

Tullius.

leges imponit, præſcribit, iubet, vetat quod videtur; qui nihil negare imperanti poteſt, nihil recuſare audet. Quin igitur dedecore iſto vos eripitis? nolite cuiquam ſeruire, niſi Deo; non ambitioni, non vulgi ſtudiis, non Optimatum fauori, non gratiæ Principum, non cupiditatibus, non voluptatibus, non gloriæ. Enimuerò tunc ſe victum à vobis mundus ipſe fatebitur, cùm odij amoriſque eius ſecuri, ſpem metumque rerum omnium, quas extollere ille ſolet, iuxtà habebitis ac contemnetis. Tum vos Aula ſuſpiciet, Curia admirabitur, colent Reſpublicæ, viri Principes reuerebuntur, Reges ipſi amabunt atque etiam obſeruabunt. Porrezio noſtro quis viliùs de mundo ſenſit? quis faſtidioſiùs Aloyſio iudicauit? quis deſpicientiùs Ignatio locutus eſt? Ex hoc autem quanta laus præſtantiſſimis viris? quanta apud Dynaſtas exiſtimatio? quàm religioſa veneratio? De Porrezio Ioannem Auſtriacum Belgicæ noſtræ Gubernatorem ferunt affirmaſſe, orbem breuì vniuerſum ſub Philippi fratris ditionem ſe ſubiuncturum, ſi duo ſibi eiuſmodi, qualis ipſe exſiſteret, ad rem gerendam adminiſtri obtigiſſent. Ampla nimis ſupraque fidem commendatio, niſi vnus ipſe totum iam antè mundum Porrezius contemptu ſibi ſubdidiſſet. Aloyſium verò ſupra famam magnitudinemque Alexandri, puerili illâ quidem, ſed feſtiuâ atque ad rem accommodatâ quæſtiunculâ, victrix mundi deſpicientia extulit. Obtulerat infanti ſuo, neſcio quæ, ludibunda mater expreſſam vtriuſque in diuerſis tabulis effigiem: mundi globum obterebat impoſito pede Aloyſius, ſubiectâ manu Alexander ſuſtentabat. Hîc puer cùm multa pro ætatis ingenio percunctando curioſè tandem eò deueniſſet, ex matre vt quæreret, Réxne igitur, quia mundum viciſſet Aloyſius, eſſet vniuerſi? reſpondiſſetque illa, non, quia vniuerſo imperaret, orbem pedibus conculcare; ſed, quia pro nihilo putaſſet, infraque ſe duxiſſet, victorem eius exiſtimari ac dici: ad imaginem Alexandri conuerſus, Iſténe igitur, mater, inquit, à mundo victus eſt, qui leges dominatumque eius ſubiectâ manu ferre compellitur? Bellè herculè, ſupraque ætatem ſapienter: ſiquidem antè ſeruus animum mundo, quàm manum dominus Alexander ſubiecerat. Ignatij autem quænam illa vox, faſtidij, nauſeæ, ſtomachi, contemptionis plena, *Quàm ſordet mihi terra cùm cælum aſpicio!* qui mundum vniuerſum, cunctaſque eius voluptates ac honores, quos magno pridem ambitu concupiuerat, vt putidas ſordes grauemque ac moleſtam animo immunditiam abiecerat, quo in pretio atque æſtimatione cenſes habuiſſe? quàm faſtidioſè contempſiſſe? quàm generoſè conculcaſſe? Hæc profectò præcipua laus tua tuorumque eſt, Ignati, contemptu mundum deſpicientiâque viciſſe: hæc illa gloria, nominiſque tui commemoratio, quam horrent inferi, ſtupent mortales, Superi admirantur, colit orbis, cælum probat, Deus ipſe ſempiternis gaudiis remuneratur. At id non agimus, inquis, glorioſúmne ſit, atque honeſtæ vitæ rationibus conſentaneum, mundum vincere: de victoriæ facilitate quærimus, & vtro modo vinci citiùs faciliusque poſſit, cruce contemptuque, an exercitu & armis, diſputamus. Itáne verò? etiamnum dubitas, lucemque ſolis quæritas in meridie? dubito enimuerò, & vehementer quidem. Sit enim, vt inquit ille,

Deo ſeruiendum, non mundo:

qui contemnendus exemplo Franciſci Porrezij,

B. Aloyſij Gonzagæ,

& S. Ignatij Loiolæ.

fortior

fortior qui se quàm qui fortissima vincit
Mœnia, ——

& *qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium*; quæ tandem mœnia sine armis deijciet? quas vrbes sine milite occupabit? quas prouincias sine exercitibus expugnabit? Sit etiam, si diis placet, patiendo quàm agendo fortior; at quænam vis illa, quam inferet sustinendo? quas copias tolerando profligabit? quas gentes regionesque iniurias ferendo sub potestatem rediget? Denique, ne quid abnuere videar, & hoc concedam, vt magno, excelso inuictoque animo sit; quid tum posteà? an idcircò eâ virtute ac robore præditum dicemus, vt sine armis mundum valeat expugnare? numquam id efficies profectò. Ego verò efficiam, vimque orationis tuæ, quantumuis apta tibi firmaque videatur, facilè conuellam ac dissipabo: ac, tametsi sine ordine ferè consecutioneque rerum initio dicturum me proposui; hîc tamen quia argumenti ratio postulat, diuisione vtar, doceboque in primis, non id esse mundum vincere, quod vulgus existimat, terrarum scilicet possessiones adire, vi vrbes occupare, solo munitiones æquare, vastare prouincias, ferrum facesque latè circumferre. Tunc ostendam, mundi nomenclatione non terrarum hunc globum sensu animoque vacuum, sed incolas eius atque habitatores (quo ferè modo ciuitatem pro ciuibus vsurpamus) describi: denique Dei crucisque cultores minore quàm Reges Principesque conatu prouincias atque vrbes subiugasse; adeoque cruce & contemptu, non vi armisque mundum esse superandum. Cedo, quid est mundus, cùm de eo in potestatem redigendo disputamus? an iners terræ moles, mutæque regiones? at quo eas modo obtinebis? an vi & armis inuades? ego verò aratris perstringendas potiùs, & ligonibus proscindendas existimo. An igitur coloni & rustici, aut ipsi boues, terrarum sola expugnant, quæ ingenti labore subigunt? at *Is autem, non bruta tellus est:*

vos, non vobis, fertis aratra boues.

numquid enim equos & boues pari ratione terræ dominos facias? Sed pede in terram posito possessiones adeuntur. Verùm hoc, amabo, nónne vtrumque est cruce & contemptione vincere? Et quoniam hoc dicendi genus festiuum est, risumque & facetias admittit, nónne & aratra & ligones crucem ferunt, & cruci manu adhibitâ reguntur? numquid arationes stercore insperguntur? quo quid esse potest abiectius? nónne qui se submittunt, ad pedes se sternunt & abijciunt? nónne quem posito pede proteris & conculcas, eumdem non aliter quàm seruum contemnis? Quæ igitur aratro & ligonibus sola domas, quos agros stercoras, quos immisso pede fundos tibi vendicas, cruce & contemptione tuos facis. quis tamen extra risum & iocum toto orbe aratrum circumducat? quantillum est quod vomere proscindimus, quod manu fodimus? quantum verò culturam non patitur? Hoc verò spatium, in quo pedem figimus, quod nullus præ altero maius occupare potest, nisi quantum corpore obesior est aut quadratior, quod nemo maius implet, quàm sit ipse; hoc cui insisto, non magis mundus est, de quo vincendo disputamus, quàm hoc terræ quod improbo labore frangimus, colimus, serimus. Quid si autem quod tibi, idem & mihi terra præstet obsequium,

quæ promiscuè omnibus fert fructus; qui in eâ ſubigendâ, vtque fructuoſa ſit, ſtercorandâ, non laboro? Quid ſi ager mihi & tranſitum debeat, & ſtillicidio obnoxius ſit, & fructus pendat quantum opus vſúſve fuerit: numquid eum mihi ſeruire fateberis? quid ſi totus terræ globus eum in modum mihi ſubſit, numquid mundum in poteſtate habere concedes? Quos CHRISTVS iuſſit & domos relinquere, & agros poſſeſſioneſque omnes, quos ſine ſacculo & perâ incedere, quos non congregare in horreâ, non ſolicitos eſſe quid biberent aut manducarent, aut quo veſtirentur; iis profectò cùm nihil deeſſet, tellus omnis proferebat quantum neceſſitati iuſtæque cupiditati ſatis erat. vbicumque libitum eſſet, figebant pedem, in quocumque pedem ponerent, tam illis quàm eorum dominis, ſummis potentiſſimiſque Regibus ſeruiebat. tantò verò faciliùs eum dominatum conſecuti ſunt, quantò expeditius eſt gratuitò acquirere, quàm magno licitari; quantò leuius eſt in aliorum labores introire, quàm gemere frangique ſub onere; quantò iucundius eſt curarum ſolicitudiniſque expertes omnia poſſidere, quàm angi de prouentibus, animoque diſcruciari, neque his quæ parauerìs, frui. Rectè Lyricus,

Horatius. —— *Nil cupientium*, inquit, & hoc nomine beatorum;
Nudus caſtra peto, & transfuga diuitum
Partes linquere geſtio.

An de poteſtate credis amittere quæ habebat in bonis? audi quid porrò inferat:

Contemptæ dominus ſplendidior rei,
Quàm ſi, quidquid arat non piger Appulus,

imò quidquid per vniuerſum orbem terra profert,

Occultare meis dicerer horreis,
Magnas inter opes inops.

Eleganter profectò & diuinè. contemnentes mundum feliciùs longè & ſplendidiùs ei dominantur, rerumque potiuntur, quàm qui ſe terrarum dominos dicunt, reipsâ verò & pauperes ſunt & ſeruiunt: neque magis eum poſſident, quàm ſtultus ille qui, quæ naues portum ſubirent, ſuas eſſe credebat, ſe regem, ſe felicem, ſe mortalium beatiſſimum prædicabat; ſibi bella geri, ſibi terras arari, ſibi mare aurum ac merces ſubmittere; hoc illis felicior, quòd curis non exederetur. Quare neque ſola terrarum mundus ſunt, neque, ſi ſint, non faciliùs cruce & contemptu, quàm poteſtate & armis occupantur. At vrbes fortaſſis & prouinciæ Regnaque ampliſſima & Imperia dicenda ſunt mundus iſte, armorum vi quàm cruce deſpectuque expugnabilior. Profectò nec illa potiori ratione hoc nomine veniunt: quid enim ſunt vrbes & regiones? an quæ mœnibus cinguntur Diuorum hominumque ædes? an terræ portiones quæ fluminibus limitibuſque ſuis circumſcribuntur? Quid eorum non Iro & Codro æquè ſeruit quàm Craſſo Crœſóve? patent templa & plateæ omnibus, pauperi etiam ampliùs. Reges & tyranni cùm magnis ſtipentur cateruis, anguſtiores ſibi vias faciunt; & cùm ad eos, quaſi ad feras ſpectandas, denſo agmine concurritur, vel inuiti ſæpè ſiſtuntur. Quis verò eorum tot vmquam regiones obiuit, quot Xauerius? cui ad tot Regna & palatia tam liber fuit aditus? Enimuerò quo-

non vrbes, prouinciæ, Regna,

quæ patent & parent omnibus:

quoniam omne robur in magnis copiis & exercitibus ponebas, dic, quæſo te, vtrum fortiorem iudices è duobus,qui armatus hoſtem valeat ſuperare, an qui ſine armis. hunc certè dices, qui vincere inermis etiam armatum poſſit. Vtrum robuſtiorem,qui ſolus ipſe per ſe abſque militum ſociorumque præſidio, an qui non ſine plurimorum ope atque auxilio inimicos frangat? vtique qui vnicus ipſe ac per ſe. Plus igitur roboris fuiſſe in Dauide fatendum eſt, quàm in Goliatho quem proſtrauit: plus in vnico illo & inermi, quàm in armato Philiſthinorum exercitu, quem fuſo gigante ſuperauit: plus in illo adoleſcente adhuc & inexercitato, quàm in Saule Rege, qui tot armatorum millibus adiutus cum hoſte pedem conferre reformidauit. Recentiorum exemplorum vberior eſt copia. In Occidentis Indiis decies centena millia precibus vnius fuſa fugataque fuerunt. In Oriente Xauerius, quem ſæcularibus his ludis nefas ſit præterire, propterea quòd centeſimo abhinc anno incognito propè adhuc mari in Orbem nouum penetrauit vniuerſum; Bagadarum exercitum in acie ſtantem,& Comorinenſium in Trauancoride Chriſtianorum ceruicibus ſtrictis gladiis iamiam imminentem vnus ipſe, quam manu geſtabat, cruce non ſolùm ſtitit, verùm etiam voce fregit, pedemque retrò ferre atque inglorios abſcedere coëgit. An non maior hîc inermis Xauerij,quàm armati in pugnam exercitus fortitudo? nónne faciliùs cruce vocisque tantummodò ſono innumerabiles copias repulit, quàm ſi incautos hoſtes bellico inſtructus apparatu oppreſſiſſet? Sed magis illud fortaſſe commemorabile eiuſdem bellum, quod in Moluccis cum paucis omnino militibus contra Tolum Regem potentiſſimum ſuſcepit, preceque non armis confecit. quadringentos præter propter ad ſigna iuſſerat indigenas adeſſe Dux ſanctus, Luſitanos non ampliùs viginti: cum his deſertorem fidei Regem ſtatuit adoriri. Tenebat is vrbem, non loci tantùm ſitu,ſed præſidij robore numeroque ciuium inacceſſam: præter ingentem Ethnicorum multitudinem, qui veritatis lucem numquam aſpexerant, viginti millia cenſebat Chriſtianorum, quos dolo circumuentos in ſocietatem perduellionis attraxerat: viam cippi muricesque, quà adiri arx poterat, impediuerant. Quid facturum aduerſus vim iſtam potentiamque cum paucis rere Xauerium? quibus molibus arcem conſcenſurum? quibus machinis mœnia deiecturum? quibus armis hoſtem aggreſſurum? quâ ſuos arte contra tela impetumque hoſtium defenſurum? Re minimâ victoriam parit: prece conſuetâ vtitur; ſaxa,pumices, cinerem copioſum ex monte vicino aduocat. mox cælum obſcurari, lapides volitare, inopinatus imber incumbere, tecta ab imo ſepeliri, vrbis aditus cum arcis faſtigio coæquari: conſternari animo Rex, diffugere milites, ciues ad orantem accurrere, veniam delicti ſupplices poſtulare, polliceri emendationem, fidem inſtaurare, iureiurando confirmare. Quid hoc tandem,Superi, eſt, niſi ſine pugnâ militum, otioſo ſociorum ſpectaculo, ſolâ prece, potentiſſimorum hoſtium victorem euadere? Neque terrâ fortior Xauerius quàm mari fuit. Contra Acenorum plura millia cum paucis Luſitanis nauali prælio decertauit, adeò proſperè ac feliciter, vt, non totidem deſideratis è ſuis quot hoſtium occubuerunt millia,

& à Xauerio cruce melius,

inimica classis, nostrâ decuplo maior, aut demersa fuerit, aut in potestatem venerit. Aberat tum quidem à conflictu Xauerius, corpore alibi in terrâ constituto; factum nihilominùs diuinâ vi, vt præsentis specie, & cohortatione ad rem fortiter gerendam excitarentur; geminoque prodigio terrâ simul ac mari conspicuus, eodem momento & hostes foris vinceret, & domi victoriam pro concione denuntiaret. Nunc certè vides, affectatores crucis mundique contemptores quantulo terras mariaque vincant. Sit ita sanè, inquis, vt disputas: hauserint à cruce suâ contemptuque nonnulli præsidium, quo aut vrbes caperent, aut classes dissiparent, aut exercitus prosternerent, aut Gentium prouincias voluntati suæ potestatique CHRISTI adiungerent: at neque singuli neque vniuersi hactenus de mundo triumpharunt. An tu igitur existimas, vile lutum, quamque fastidiebant terram, in triumphum ducturos? altiùs profectò animos erexerant, quibus extra Deum cælo terrâque nihil esset optabile. An verò tua illa gloriæ mancipia mundum arbitraris idcircò in potestate suâ habuisse, quia de Regnis prouinciisque subactis magnâ pompâ fastuque triumpharunt? nónne solum vertere compulsus, neque Româ solùm aut Italiâ, sed orbe propemodum exclusus vniuerso, vix tumulum inuenit quo conderetur, qui Magnus audire quàm esse maluit? quis tamen illo maiore plausu Capitolium inuectus est? Numquid ne in Vrbe quidem, neque in ipso Senatu tutus fuit, *ad sua qui domitos*, vt quidem sibi persuadebat, *deduxit flagra Quirites*? quot ille tamen, quàm insignes triumphos egerat? Rectiùs, arbitror, viri sancti; quorum animus supra mundum, dum gloriosa istæc fortunæ ludibria subter se habendo in ridiculis ponit, omnium plausus atque honores orbe toto promeretur. Sed vt pressiùs tecum agam, quid orbis hic terrarum tandem est sine hominibus? quid mundus, si eum ab habitatoribus suis re ac cogitatione secernis? res nimirum inanima, neque vim inferre valens, neque repellere, nec vinci apta nec vincere. Siquidem ad homines hoc pertinet, quos, vt mundo dominere, superari à te necesse est: hi autem naturâ liberi cùm sint, suoque nutu atque arbitrio gubernentur, fraudibus circumueniri fortassis atque illecebris duci; vi certè atque armis, quò nolunt, compelli nequaquam possunt animi, votis sententiisque numquam non sui. Habet enim mens nostra diuinum quondam principatum, vt olim Theophrastus; siue diuinitatem quamdam suam, si Aristoteli credendum est; cui præcipuum ac peculiare sit, omnibus imperare, nemini parêre, nedum seruire.

quàm armis à belli Ducibus, triumphata sunt.

Iuuenalis.

Mundum vincere, est homines subiicere;

Maneat igitur, quod inficiari Christianorum quidem nemo potest, stultitię crucis ignominiæque cunctos subiici non faciliùs solùm (quod in quæstione erat) verùm etiam libentiùs, quàm Regum potentiæ atque Imperio. Et summo quidem iure ac ratione, siquidem amore omnes vincimur, pronoque affectu expugnamur, quantumuis barbari aliàs atque inhumani. Crux autem quid nisi charitatis erga nos diuinę perpetuum monimentum est? cuius studio complures ita flagrant, carere vt vitâ malint, quàm à regiâ eius seruitute eximi. Nemo tot votis libertatem expetiit, quot illi crucis subiectionem. Sapienter profectò, atque exemplo CHRISTI Seruatoris etiam diuinè. Venerat ille mundum debellaturus. Non deerant

qui cruci quàm Regibus malunt subesse,

vt vincant exemplo CHRISTI:

erant opes,non quidlibet agendi libera voluntas ac poteſtas, non ſapientia, non gloria, non maieſtas, non millenæ beatarum in cælo mentium legiones, quibus ad officium reluctantes compelleret Reges, Principes, Optimates, Philoſophos, milites, genus omne hominum æquè varium ſtudiis, ingenio multiplex, indole diuerſum, vt ætate, ſexu, ortu, conditione diſpar. Quid agat vt ſub vno pacis conſenſioniſque cunctos imperio complectatur ac regat? an diuitias oſtentet, auroque ac gemmis fulgeat? inanis eſt hic ſplendor, & fuco tantùm ad breue tempus faciendo idoneus. cæli militiam deducat in terras? nemo viribus illius reſiſtat. Philoſophorum ſapientiam, Rhetorum lenociniis delibutam, ſectetur? quid non perſuadebit? Regem induat? maieſtas ipſa venerationem adferet, fidemque extorquebit. Erramus miſeri mortales, qui humano ſenſu Dei conſilia metimur, prouidentiamque ponderamus. Numquam terror in partem diuinæ charitatis admittitur, ne metu extorta potiùs quàm ſuſcepta ſponte ſubmiſſio videatur. Amari nempe propenſis animis maluit Deus, quàm ab inuitis timeri. quod quidem tametſi permoleſtâ ſibi, ſuaui tamen nobis congruentique ratione vt obtineret, cruce mundique contemptione vſus eſt: ſapientiam infinitam cum infantiâ, maieſtatem regiam cum ſeruitute,abundantiam cum rerum omnium inopiâ, cælum cum terris, vitam gloriamque immortalem cum morte atque ignominiâ crucis commutauit.hæc illi arma fuere, quibus & mundum vicit, & nos voluntati ſuæ ſubiectos ad eiuſdem victoriæ communionem his verbis excitauit: *Confidite, ego vici mundum.* Regnum purpuramque fugâ ſemel iterumque deluſit: gladios, ne pro ſe diſtringerentur, prohibuit: pro duodecim Angelorum legionibus totidem elegit Apoſtolos,opum,honorum,mundi denique contemptores: coram nefario iudice agni inſtar obmutuit: inter irriſiones & maledicta comminatus nemini eſt: hoſtibus in mortem ſe obtulit, non acerbam minùs quàm ignominioſam: tum demum, Ite, inquit, neque arma vos aut commeatus ſolicitos habeant: ſiquidem inermes omniumque inopes, exemplo meo mundum ſuperabitis deſpicientiâ, cruce, morte. Exin, abolito maledictionis probro, dignitas ſua æſtimatioque cruci ſtetit, cultu non modò plebis minorumque gentium, ſed Regum Principumque omnium, quà patet Chriſtianus orbis, ſempiterno. Exin non aræ tantùm ac templa, non religioſi ſolùm Deoque conſecrati parietes, non abiectorum modò hominum frontes ac veſtes; ſed Imperatorum aulæ, ſceptra, diademata, paludamenta, ſigna, vultus, crucibus inſignita ſunt. Exin nouo bellandi more ac modo cœpta exerceri militia eſt, quæ ludibrio & irriſione, crucis ignominiâ, & contemptu gloriæ, atque opum deſpicientiâ, liberâ ſeruitute ac ſubiectione, de mundo, carne, dæmone, vitiis omnibus, prauiſque animi affectionibus ac perturbationibus triumpharet. Hanc cùm longâ plurium ſæculorum conuerſione collapſam nonnihil ac labefactatam, ad priſtinum diſciplinæ virtutiſque ſplendorem reuocare Dux noſter IESVS ſtatuiſſet; nouam cohortem conſcribendam ſibi, atque in aciem contra Fidei ac Religionis hoſtes educendam cenſuit; Societatem, inquam, nominis ſui vocabulo inſignitam: exiguam illam quidem, Apoſtolicâque multis vndequaque partibus inferio-

Ioan. 16.

qui Societatem idcirco inſtituit.

feriorem; attamen suiipsius mundique despectu ac crucis amore, tamquam armis non infeliciter instructam, quò faciliùs Dei hostes, ipsumque in primis mundum, sub legitimum infinitæ potestatis suæ dominatum subiungeret. Conferamus nunc, si placet, cum Primipilo illius Ignatio, Signiferoque Gentium Xauerio, summos mundi Imperatores Cæsarem & Alexandrum, vtrorumque exercitus, res gestas, tempora, victorias comparemus; tum verò liquidò constabit, quantò procliuius sit, contemptu & cruce, quàm vi armatâ victoriam reportare. Cæsar vt Consulatum adipisceretur, Crassi adiutus opibus, prouinciâ direptâ atque expilatâ, incredibili ambitu maximisque largitionibus tribus corrupit, suffragia emit, fauorem extorsit;

cuius Dux Ignatius confertur cum Cæsare,

Summus nempe locus nullâ non arte petitus.

Quod cùm dico, & fortissimos habuisse milites, & exercitus numero infinitos duxisse (neq; enim absque his præsidiis quidquam effici poterat) & clarissimo potitum imperio, summis denique opibus atque potentiâ vsum ad conficienda, quæ gereret bella, fuisse contendo. Potuisset ille quidem propter res præclarè fortiterque in Præturâ gestas triumphum à Senatu postulare, nisi victoriis in eâ suis triumphisque prælusisse tantùm, non superbiuisse videri maluisset. Ignatium, cùm se & opibus & nobilitatis insignibus exuisset, omnique cauisset industriâ, ne principis inter suos familiæ auito decore atque ornamentis nomen sibi fauoremque apud homines conciliaret; postquam eiusmodi res in Hispaniis, Galliis, Syriâ, Italiâ sanctè religioseque gessisset, quibus mundum deuicisse poterat censeri; quasi in vmbrâ tantùm dicas præmeditatum gerenda deinceps fuisse, specimenque dedisse, quemadmodum in solem esset aciemque olim prodíturus. Summissionis itaque fundamentum posuit, quo deinde Societatis à se conditæ, quod inuitus admisit, imperium niteretur. Cæsar cùm multa contra fas & æquum, quò dignitatem & auctoritatem suam confirmaret, Consul peccasset, defunctus munere iudicia Senatus extimescebat: igitur impetrauit, vt vocari in ius absens non posset, abesset autem, donec aut alterum Consulatum obtineret, aut Imperium inuaderet. Ignatius, vt officio se abdicare liceret, egit fortissimè, neque tamen obtinuit: iniuriis, carceribus multoties vexatus, caussam cognosci suam vltrò expetiit; accusatores prouocauit; Iudices, vt de re cognoscerent, imis precibus extorsit; rogauitque, vt, siquid perpetratum ab se turpiter conuinci iudicio posset, latâ sententiâ condemnaretur. Vixit Cæsar post susceptam Remp. Ignatius item post conditam Societatem, annos vterque sexdecim. Hic vitam ex eo Romæ perpetuò summâ animi tranquillitate, ille in Galliâ ferè exterisque terris inter bellicos tumultus exegit. Habemus ecce quos conferamus inter se Duces; habemus tempora, vitæque conditionem vniuersam. Hoc iam quæro, an, si Cæsar tantis opibus, viribus, præliis, tanto ciuium sociorumque profuso sanguine, minus terrarum ac populorum Romano subiecit Imperio, quàm Ignatius cum exiguâ suorum manu CHRISTO asseruit; an, inquam, non euidenter ostendero, sub crucis vexillo, mundi suique despectione (quæ eius bellandi erant artes) mundum faciliùs promptiusque quàm vi & armis superari posse? Cùm igitur,

& præfertur:

tur, nuntio profanæ militiæ ceterisque rebus humanis misso, iusto numero socios conscripsisset; atque Ordo interim à Sede Apostolicâ confirmatus, militari vocabulo vt Societas IESV appellaretur, à Summo Pontifice impetrasset; bellare fortiter constanterque cœpit bella Domini. Principio decem omnino, nec plures, pòst sexaginta fuere CHRISTI milites, numero pauci, tantisque impares successibus; nisi quisque eorum vt minimus erat, ita fuisset in mille, & paruulus in gentem fortissimam; quantoque singuli abiiciebant se magis infra nominis famæque dignitatem, tantò despicatu contemptuque faciliùs vniuersi vinci à se mundum posse, quàm à bellicarum copiarum fortissimis ductoribus existimassent. Cæsar autem qui prouincias exhauserat, ærarium populi Romani expilarat, auxilia sociorum maxima contraxerat, quàm difficile bellum gessit in Germaniâ, quàm periculosum in Galliâ? quàm dubiâ plerumque victoriâ? Fuso verò tot ciuium hostiumque cruore, Imperij fines non tam promouit, quàm populum & prouincias ancipiti distractas consilio sibi adiunxit. Ac ne tunc quidem, quò omnia sua studia direxerat, Domini aut Regis nomen admittere ausus est, ne liberum populi Romani Imperium suæ seruituti subiicere voluisse posset videri. adeò populo, quem metuebat, etiamnum seruus famulabatur. Quantò faciliùs Ignatius, quantò expeditiùs Socij eius, orbis terræ maximam vastissimamque partem subiugarunt, solâ mundi gloriæque ac voluptatum eius despicientiâ muniti. Nunc cum Xauerio Alexandrum expendamus, quo nemo vmquam Imperatorum fuit felicior, nemo tantillo tempore latiùs Imperium propagauit, nemo Regna opulentiora in potestatem redegit, maiores nemo hostium copias fudit fugauitque, plura denique bella nemo pari celeritate confecit. Ille & iuuenis & ferox & laudis cupidus, paterni Imperij & potentiæ heres, Græciam primùm nutantem in fide confirmauit; deinde in Asiam cum exercitu traiecit, interiorem totam annis non plus vndecim ad Indum vsque flumen aut vi aut deditione occupauit; tum à suis ad reditum compulsus, frustrà ad Austrum tentatâ profectione, Babylone suos, & se quoque intemperantiâ occidit. Inter hæc quoties de vitâ dimicauit periculo & gloriæ & fortunarum omnium, cùm non semel grauiter de vulnere saucius dubios reliquit suos an viueret. Et qualem, quæso, in Asiaticos ille dominatum habuit, qui nec suis quidem, nec ipse sibi potuit imperare? qualis eorum subiectio, qui iugum, quoties visum esset, excussuri erant, eumque, qui imposuerat, de vitâ aut ex insidiis, aut vi deturbaturi? Xauerius contrà, nullâ nixus humanâ potentiâ, quamuis domo nobilis, & dignitate Legatus Apostolicus, inter nauticos tamen homines & mancipia versans assiduò, CHRISTO in ægris afflictisque seruiens, erudiens pueros, agros, ab omni præterquam crucis præsidio vacuus, nudis pedibus circumcursans, quantò plus ex vniuersâ Asiâ annis item vndecim, postquam in Italiâ ac Lusitaniâ nutantes in virtute ac Religione Europæos confirmasset, CHRISTO & Ecclesiæ subiecit? per quater mille leucas à Bonæ spei promontorio ad vsque Iapones, quæ quantaque Regna, quot populos ac prouincias cruci subiugauit? Non ille muros diruit, vrbes euertit, regiones diripuit, ingentia terræ spatia, vt mos est Regibus,

Xauerius item cum Alexandro:

bus, vaſtauit: non vi cruentiſque prælijs populos debellauit, verùm animos eorum voluntatemque ita vicit, CHRISTIque ſeruituti adiunxit, vt diriſſimos cruciatus ipſamque oppetere mortem mallent, quàm vel minimùm ab illius imperantis obedientiâ recedere, illique non viuere, aut ſub illius cruce non cenſeri. Vndecies centena hominum millia ſuâ ipſe dexterâ ſalutaribus vndis abluiſſe fertur: capitales autem reos à morte innumeros liberauit, omneſque Regni cæleſtis heredes eſſe iuſſit. Reges multos, regiique ſanguinis propinquos complures, regiæ crucis ſeruituti non ignobili ſacramento adſtrinxit: vbique victoriæ ſuæ ſigna, vbique troph[illegible]a reliquit, donec in Sinarum portu tot emenſus terrarum ſpatia, ſpo[illegible] Orientis onuſtus, ad triumphum in cælos euocatus eſt, poſt morte[illegible] [illegible]iam mortalibus ſalutem allaturus. Iam verò quantum intereſt huius inter & Alexandri victorias? hic pleroſque perdidit eorum ſiue qui vincebant, ſiue qui vincebantur: iſte ſeruauit omnes, & hos quidem æternùm perituros, niſi victi feliciter fuiſſent; ſiquidem incruenta vbique prælia geſſit, niſi ſicubi generoſo Martyrum ſanguine tellus vſpiam pinguefacta nouam victoriæ ſementem admiſit, vnde corroboratâ deinceps fide in poſterum vberiores laureæ ſuccreſcerent: adeò nec victi quidem victoribus infeliciores extiterunt. Quàm verò miſeri Macedones tam diuturno ac periculoſo bello dicam, an exſilio; è quo pauci omnino fracti mutilatique in patriam reuertêre? quàm afflicti proſtratique per Macedonas Aſiatici, ſuis & facultatibus, & propinquis, & libertate, & patriâ, vitâque etiam ipsâ ſpoliati? vinci à Xauerio crucisque ſeruituti ſubiici, adeò optabant barbari, vt hanc ſeruitutem inſtar triumphi eſſe ducerent. ab Alexandro ſiqui ſeruarentur, vitam omni morte acerbiorem exiſtimabant, ludibrium tyranno in triumpho ſpectaculiſque futuri. Itaque victorem oderant hi, à quo opprimebantur; iſti colebant vt parentem, vtpote cui innumera beneficia ſalutemque ipſam acceptam referebant. Et hactenus quidem in vtramque partem de propoſitâ initio quæſtione diſputaui: cuius iudicium ac ſententia vt libera omnibus atque integra eſſent, ſic in vtramque partem rem totam moderatus ſum, vt tamen ipſa per ſe ſatis oſtendat, quònam omnis hæc inclinet oratio, minuſque à vero abeſſe videatur, quiſquis crucis ignominiâ contemptioneque mundum faciliùs à manſuetis CHRISTI militibus, quàm armorum vi ac multitudine præliorum à truculentis belli Ducibus ſubiici poſſe exiſtimauerit.

& præponitur.

ORATIO QVARTA,

Parænetica ad Patres ac Fratres ad militiam CHRISTI *vocatos, reſpondens Meditationi S. Ignatij, quæ inſcribitur De duobus vexillis.*

NArrant Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Scriptores, Reuerendi Patres, Fratreſque chariſſimi, Imperatori Conſtantino, Græcæ ſuperſtitionis tenebris adhuc circumfuſo, dum aduerſus tyrannum Maxentium moueret, paululùm à meridie declinante ſole (quaſi iam tum orienti

splendidiùs Fidei locum daret) emicuisse è cælo salutare Crucis signum, totique conspicuum apparuisse exercitui, insolito lumine resplendens, & auspicatissimâ istâ epigraphe insignitum: IN HOC VINCE. cumque animi penderet Cæsar, quid signum portenderet; proximè sequenti nocte spectandum se præbuisse ipsum humani generis Seruatorem CHRISTVM, qui denuò præmonstratum exhibens signum, iterum iterumque commonebat, vt, petito inde exemplo, nouum erigens vexillum, exercitui suo proponeret; certum deinceps diuinæ opis victoriæque futurum pignus, Romanis aquilis draconibusque præsentius, ipsoque Ancili atque Palladio, pro imperij olim custodiâ habitis, longè religiosius atque sacratius. Itaque Imperator, diuino dicto audiens, extemplò Christianæ Religionis Mystas accersere: ex iis de CHRISTO eiusque signo sciscitari permulta: eosdem in consiliis iudiciisque assessores sibi adiungere: vnum verumque, quod sibi apparuerat, Numen omni cultu ac veneratione prosequendum ducere: denique, vt iussus fuerat, salutare signum ex auro gemmisque confectum toti exercitui, tamquam exploratum salutis symbolum, posthac præfigere. Maxentius contrà, vt erat cacodæmoni auctoratus miles, vana indies auguria captare, Sibyllina oracula euoluere, præstigiis tempus conterere, & quæ de cælo adfutura desperabat auxilia, ab inferis conquirere: donec tandem in aciem explicatus est vtrimque exercitus. Stabat hinc Romam Italiamque seruitute oppressam tenens Maxentius, ac sub signis suis centum & octoginta peditum millia & octodecim equitum censebat: illinc verò cum exiguâ militum manu, sed Deo propitio fretus, & obseruatis de cælo confidens signis, appropinquabat Constantinus. Quid deinde consilij cepisse arbitramini? an castra metatum, an loricâ valloque munitum, inimicorum saltem irruptionem præstolatum fuisse existimatis? Imò verò etiam hostem vltrò lacessiuit, impressionem fecit; eâ felicitate, vt, profligato cæsoque ad internecionem exercitu, Maxentium, Tiberis alueo miserè demersum, Romano exegerit Imperio. Scilicet tanti est sub Dei signis militare, sibique persuasissimum habere, non sine singulari ipsius numine prælia committi. Quod dum commemoro; cui, obsecro, nostrûm non emicat atque exultat animus, dum prima militiæ nostræ rudimenta atque tirocinia memoriâ recolit? Quis enim vestrûm ignorat, quo omine quibusque prodigiis vanitatis castra deseruerit, & in hanc militiam adscriptus sit Primipilus noster Ignatius? quibus ostentis commonitus, istam Ecclesiæ auxiliarem conscripserit legionem? Vt è multis pauca adferam; quàm isthæc, amabo, felicia fuere portenta, quando adhuc tironem agens Minoressæ, octo ipsos dies abductus à sensibus, totusque Deo vacans, à Summo Imperatore IESV noua militandi hausit documenta? quando militum delectus habendi, eosque sacramento adstringendi, ac denique Societatem hanc, quâ diuino munere fruimur, certis legibus præceptisque conformandi potestatem ac sapientiam diuinitus accepit? Tum certè (vt ex ore Parentis nostri commemorare solitus erat R. P. Euerardus Mercurianus) duorum Vexillorum diuinitus oblata ei fuit species, meditationis typo in aureo Exercitiorum libello deinde expressa:

Labarum Crucis Constantino in aëre ostensum.

Maxentij in Constantinum apparatus bellicus, & prælium.

Ignatius quomodo sacram militiam sit auspicatus.

Lud. de Palmâ in Praxi med. de duobus Vexillis.

Occaſio meditationis de Duobus vexillis CHRISTI *& Luciferi.*

ſub quorum altero in patentium camporum æquore prope Ieroſolymam, altero prope Babylonem erecto; hinc humanæ ſtirpis capitaliſſimus hoſtis Lucifer in igneo fumoſoque ſolio, faſtu turgidus, formâ horribilis, vultu truculentus; inde clementiſſimus humanæ ſalutis aſſertor CHRISTVS, humili quidem demiſſoque inſiſtens loco, ſed auguſtiſſimâ pulcherrimâque formâ, incredibilem in modum amabilis conſpiciebatur. vtrimque autem copias pro ſe quiſque ſuas cogebat: coactas, in omnem terrarum orbem quaquauerſus immittebat: immiſſas, in hominum perniciem alter, alter in ſalutem, compoſitâ vterque oratione, accendebat. Et CHRISTO quidem hæc orationis videri poterat fuiſſe ſumma: firmum fixumque ſibi eſſe, hominum animas, optimo iure ſuas, imagine ſuâ, vtpote Conditoris, inſignitas; ſanguine ſuo, vtpote humanæ ſalutis aſſertoris, purpuratas, à deterrimo inimico iniuriosè direptas, auaritiâ illaqueatas, ambitione irretitas, libidini mancipatas, poſtliminiò ſibi vendicare. Ideò ſe iam olim à principio, in omnes mundi plagas beatas è cælo mentes ad mortalium tutelam deſtinaſſe: ideò Patriarchas Vateſque diuinos tamquam anteſignanos ſubmiſiſſe: ideò ſeſe ipſum humanâ formâ indutum in arenam deſcendiſſe: ideò Apoſtolos duodecim, veluti totidem Duces ac Legatos, alioſque velut Tribunos ac Centuriones exercitui ſuo præfeciſſe. Quare vos, inquit, quibus Regni mei defenſionem, ſed & propagationem concredidi, quos laborum periculorumque, ſed & gloriæ ſocios adoptaui, videte, nequid generoſitate veſtrâ indignum admittatis: videte etiam atque etiam, quantâ meâ iniuriâ veſtrâque ignominiâ ad nequiſſimi aduerſarij mei caſtra Lutherus iuxtà atque Caluinus, coniurati ambo perduelles, conquiſitoreſque omnino vaferrimi, nouam in dies acceſſionem faciant. Quin ergo expergiſcimini, vos præſertim, ſociali obſtricti fœdere, & in ſalutem animarum pro virili incumbitis? quin omni ſtudio proximos ad opum caducarum deſpicientiam exhortamini? cur non omni diligentiâ ad inanium dignitatum vaniſſimique honoris aſpernationem aſſectatores meos excitatis? denique cur non ad Chriſtianam perfectionem moreſque Deo dignos commilitonum animos inflammatis? Coniicite oculos in eum, qui huius militiæ ſignum extulit. Quòd ſi præmia militiæ ſpectatis, nulla vmquam fuerunt ampliora ſtipendia, nulla magis opima ſpolia, nuſquam auguſtiora victoriæ inſignia. Quid ad hæc animi fuiſſe exiſtimatis Tribuno noſtro Ignatio, qui recèns huic militiæ nomen dederat, & ipſâ quidem fortunatâ nocte (vt ne quid ominis auſpiciique deeſſet) quâ olim in vtero beatiſſimæ Virginis, ſupremus agminis iſtius Ductor IESVS, humanâ ſe naturâ velut armis accinxerat? quibus arbitramini ignibus generoſum arſiſſe pectus, quod nuper ipſa cæli Regina, melior Pallade bellatrix, caſtitatis baltheo videri poterat præcinxiſſe, cùm nouæ militiæ candidatus Virginis ante aram legitimum diceret ſacramentum? Certè, ſimul atque qui octiduum à ſenſibus abfuerat animus, ad ſe rediit nihil habuit prius, quàm, Ah IESV! ah IESV! anhelante pectore ſucclamare. Planè quaſi iam tunc antecedentia iſthæc Ducis ſui ſigna aſſequi ſtudiosè adniteretur. Quippe iam inde nuntio rebus humanis miſſo

CHRISTVS ſuos ad ſacram militiam hortatur.

misso, patientiâ paupertatis ornatus, dicam, an armatus? pannosum vilis mendiculi saccum, tamquam sagum militare; rerum omnium indigentiam, quasi commeatum sumpserat. honorum verò cupiditatem ita sui despectione veroque humilitatis studio, quasi inexpugnabili vallo, è corde suo excluserat; vt nec aperto Marte, nec per cuniculos, irrupturam vmquam esse confideret. Etenim iam tum in ore & animo præclara fuit illi tessera, AD MAIOREM DEI GLORIAM: quâ omnia in Deum bonorum omnium fontem refundebat, nullâ ad se laudis aut gloriæ parte deriuatâ. Exinde ergo (vt vel nominis ferebat notio) orbi inflammando quasi nouus CHRISTI miles Ignatius, cum humani generis hoste strenuè manum conserere, animarum prædas agere, proposito libello (quem Spirituales Exercitationes inscripsit) socios conquirere, exercitationibus excolere, militiæ huius disciplinâ imbuere, aciem instruere, mundum denique vniuersum quaquà posset Dei vnius imperio subiugare. Quod successu tam felici perfecit, vt cùm emeritis stipendiis à cælesti illo Imperatore honestissimam missionem obtinuit, è vitæ statione euocatus, victricia Christianæ Fidei pietatisque signa, non per Europam tantùm, deuictis passim hæresibus, expugnatisque vitiis; verùm etiam per Africam atque Asiam, & extremas Orientis Occidentisque Indias, impiis Gentilium sublatis superstitionibus, à laureatis suis militibus vndique circumferri conspexerit. Nimirum istud erat, allatum de cælo Imperatorium IESV Labarum agnoscere, & sub eodem nauiter fortiterque depugnare. Agite nunc, &, quod potestis optimo iure, deprædicate istud Constantino conspicuum signum. At ego potiùs collaudandum assero, quod adspectabile fuisse videtur Ignatio. Istud eminus in cælo, hoc cominus in terrâ: istud aliquâ diei & noctis parte, hoc (vt mihi non vno argumento confici posse videtur) noctu & interdiu continenter octiduum: istud de Maxentio, hoc triumphi de immanissimo cacodæmone agendi prænuntium: istud denique effigiem prætulit crucis, hoc ipsum potiùs Saluatorem victricia crucis suæ insignia præferentem. Hoc ergo vexillum curæ fideique nostræ concreditum est, ad huius custodiam sacramento adacti sumus.

Signum militiæ nostræ præstantius, quàm Constantini.

Audistis, ni fallor, aliquando de Lutheri Caluinique antesignanis ac prodromis, qui è Galliæ latebris erumpentes, succenturiatos cacodæmoni milites se ipsi nuncupabant: nec alterius imperium aut vexillum accipiebant quàm cacodæmonis, eique tertio quoque verbo se deuouebant. Hic enim istiusmodi perditissimorum hominum erat sermo, hæc impia tessera: quâ ad incredibilem animarum stragem edendam diabolicâ malitiâ atque nequitiâ identidem vtebantur. Neque ab hac execrandâ dæmonis compellatione multùm abludit illa Christianæ Reipublicæ pernicies Lutherus, quando & dicta omnia & scripta sua isto execrando nomine velut sale rebus omnibus condiendis, inspergit, & (tamquam si velato capite conceptisque verbis isti se Duci deuouisset) in eo omnem operam industriamque suam ponit, vt numquam à signis eius, cum quo modium salis se comedisse iactabat, abiunctus, infinitis hominibus exitium adferat sempiternum. Nos autem quo animo erimus? minórne erit aut industria aut sedulitas nostra ad multorum salutem, quàm illorum

Hæreticis militiæ tessera cacodæmon.
Franc. Garass. l. 7. sect. 8. citans Arnoldum Ferronium.

 ad

ad communem perniciem? Nónne insignis erit ignominia nostra atque perfidia, si deuotionis nostræ immemores vel latum vnguem à vexillo discesserimus? non illo pseudoSoteris Antiochi, cui perperàm cum suo pentalphâ commentitiam salutem inscripserat, à Magni Alexandri genio, vt somniarat, commonitus; sed vnici veríque Soteris IESV, qui sese iussu Patris æterni, apertis quinque corporis sui vulneribus, vt totidem sempiternæ salutis initiis, mysterij plenum exhibuit pentalpha. Quò fortè in diuino illo Canticorum Epithalamio, solers alludens Sponsa, iuxta interpretationem Hebræam appositè accinebat: VEXILLVM EIVS SVPER ME CHARITAS. Fuerint sanè Israelitarum ex Ægypto mouentium non varia magis, quàm egregia signa: alia leonis, alia bouis, alia hominis, alia aquilæ hieroglyphicâ specie depicta, quibus à tergo, à fronte, à lateribus sanctissimi Tabernaculi, religiosæ vbique populi excubiæ suis quæque locis definitæ constabant. Duxerint ornatè politeque singula colores suos, à sacris illis margaritis, quas sacrosanctæ instar bullæ, pectore suo velut sacrario, Pontifex maximus circumferebat. Hisce nihilominùs posthabitis, vnicum præconiis efferebat Sponsa: VEXILLVM EIVS SVPER ME CHARITAS. De fortissimo Spartanorum Duce Otryade prodidit Plutarchus, quòd extremam belli aleam cum Argiuis expertus, plerisque suorum trucidatis, ipse quoque vulneribus propè confectus, adeoque demortua inter cadauera depositus, tamen exsuscitato rursus spiritu, in hastæ commodùm adiacentis fragmentum se erexerit: eo nixus, ad hostium occisorum corpora perreptarit, disiecta passim eorumdem scuta armaque collegerit: è quibus inexspectatum Ioui ponens trophæum, proprioque sanguine, non secùs ac victor inscribens, victoriam sibi suisque & plenam agri possessionem, de quâ erat concertatio, asseruerit. At certè nobilius est Imperatoris nostri trophæum: qui suis omnibus tamquam profligatis (namque *omnes, relicto eo, fugerunt*) ipse demum exquisitissimis dilaceratus tormentis, tandemque ignominiosissimam actus in crucem, tribus quatuórve trabalibus manus ac pedes transuerberatus clauis, spinis caput transfixus, exhaustus sanguine, defectus viribus, se ipse diuinissimum prorsus constituit trophæum, proprio cruore Deo Patri dedicatum: & quidem tam manifesto triumphi splendore, vt vel inuitis hostibus hanc triumphalem extorserit inscriptionem, IESVS *Nazarenus Rex Iudæorum?* Et erit qui animam suam tanto labore atque impendio emptam, Deo vindicatam, per summum scelus suffuretur denuò? qui se Domino suo ereptum, iniquissimis prædonibus atque tyrannis aut mundo, aut carni, aut dæmoni spontaneo tradat mancipio? quin potiùs vnâ mente ac voce conclamemus omnes: VEXILLVM EIVS SVPER ME CHARITAS. Quemadmodum enim si bello quispiam arcem expugnauerit, confestim vexillo suo imposito, æquè vt iniectâ manu, vel posito pede, suam sibi rectè vendicat: ita Liberator noster, hominum omnium, nostrûmque in primis, animas victrice morte suâ dæmonis potestati subtractas, triumphali itidem amoris sui labaro ritè sub ditionem suam redegit. Vnde generosam istam

Pierius Valerian. l. 47. Hieroglyph.

Cant. 2. 4.

Charitas CHRISTI *vexillum nobilissimum.*

Cornelius à Lapide Numer. c. 3. v. 2.

Otryadis generositas. Plutarchus in Parall.

CHRISTVS *in crucem actus nobis pro trophæo.* Matth. 26. 56.

Ioannis 19. 19.

CHRISTO *anima nostra & vita debetur.*

iſtam veramque ex heroico Pauli pectore depromptam habemus vocem: *Pro omnibus mortuus eſt* CHRISTVS, *vt, & qui viuunt, iam non ſibi viuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit.* Quamobrem nónne meritò ſub hoc vexillo aſſidui excubemus, ſtrenui dimicemus, infracti perſeueremus? Coëant alij in ſocietatem ad pretioſas quaſcumque merces ab extremo orbe aduehendas, alij ad inſanam aliquam ſubſtructionem moliendam, alij ad honorum fumos aucupandos, alij vt carnis voluptates conſectentur, alij denique aliam ob cauſam; nobis non alius præfigatur ſcopus, quàm ſub militaribus IESV ſignis ſtipendia facere, nec animæ tantùm propriæ, ſed ceterorum etiam omnium, quoad fieri poterit, lucris imminere. Deus immortalis! quantus hic operæ fructus? quàm amplum lautumque ſtipendium? Quis enim immortalis animæ nobilitatem ac pretium ſatis pro dignitate poterit exaggerare? Hæc eſt enim pretioſiſſimus Dei theſaurus, diuinæ Maieſtatis thronus, microcoſmi noſtri cælum, inæſtimabile naturæ margaritum, beatarum mentium ſocia, ſponſa dotali cæli Regno beanda, filia hereditate donanda, Regina bonorum omnium poſſeſſione cumulanda. hæc illa numeris omnibus abſolutiſſima effigies, Coâ Apellis Venere, eburneâque Phidiæ Mineruâ longè nobilior, quam à tartareo incendio vel maximè vindicatam ac ſeruatam ſupremus voluit Artifex. hæc illa venuſtiſſima Rachel, cuius gratiâ, non quatuordecim tantùm anni, ſed tres & triginta, perpetuis laboribus & cruciatibus exantlati, vix paucorum inſtar fuere dierum, præ amoris magnitudine. hæc denique, quæ ſe præ ceteris rebus creatis Deo curæ & cordi eſſe in Canticis deprædicat, dum ait: *Vexillum eius ſuper me charitas.* O vexillum nullis militaribus ſignis conferendum! diuini amoris magnificentiſſimum trophæum! non (vt illa Romanorum labara) oleo ſuperſtitioſo delibutum, aut rubricâ vulgari tinctum; ſed pretioſiſſimo Seruatoris noſtri ſanguine purpuratum. Et erit aliquis ex hac illuſtriſſimâ IESV cohorte tam vecors, qui nobiliſſimum illud ſignum nefariis inferorum prædatoribus velut ſpolium exponat, & quaſi è manibus ſibi effringi patiatur? Sanè ſigniferum illum, Varianâ clade, in ſanguinolentâ palude media inter cadauera reconditum delituiſſe accepimus, ne in hoſtium poteſtatem Romana veniret aquila, quam intra balthei ſui latebras abdiderat. Nec minus gloriæ conſecutus eſt ille, qui, commiſſâ apud Thraſymenum pugnâ, vt aquilam item hoſtium direptioni ſubduceret, quam terrâ alióve non ignobili auſu occultare fruſtrà tentarat; tandem ſubitis inimicorum obrutus telis, cadente corpore ſolerter obtexit, ne mortuus magis quàm viuus ſuis partibus defuiſſe videretur. Imò nec defuit poſterioribus hiſce bellis, qui Attilij Romani & Cynægiri Athenienſis æmulus, abſciſſâ dexterâ, quâ vexillum geſtabat, è veſtigio idem læuâ apprehenderet: eâque rurſus amputatâ, pertinaci dentium morſu ita validè arriperet, vt non niſi vnâ cum capite poneret. Deus immortalis! quantus hic ardor animi ad vexillum ab iniuriis hoſtiumque poteſtate vindicandum! Neque abſimiles heroas in Eccleſiæ caſtris noſtrâque militiâ comperio. Quid enim aliud Apoſtolos, & Apoſtolicos viros, & in iis Xauerios, Criminales, Siluerias, Aquauiuas, Spinolas,

2. Corinth. 5. 15.

Animarum lucrum maximum.

Animarum cura maxima habenda.

Florus lib. 4

Sil. Ital. lib. 6.

las, Barzæos, Anchietas, aliosque nostrorum quamplurimos in remotissimas egit regiones toto orbe dissitas? quid enauigare coëgit maria vastissima, turbinibus agitata, fluctibus concita, tempestatibus horrida, piratis infesta, scopulis, vadis, naufragiis formidanda? quid terras penetrare frigore rigidas, calore feruentes, sterilitate damnatas, nullâque re magis quàm egestate nobiles? quid, inquam, illos exstimulauit ad excolendas nationes moribus incultas, crudelitate barbaras, diritate atque immanitate teterrimas? Non aliud sanè, quàm quòd vbicumque inaudierant animas exstare, Dei imagine quasi vexillo insignitas, eòdem sibi contendendum esse statuerent. quippe quibus intolerandum videbatur, tot illustrissimas quasi Sionis arces à dirissimis tyrannis subactas, victricia dæmonis vitiorumque præferre insignia, ad cælestis Imperatoris iniuriam indignissimumque contemptum. Agite nunc generosa pectora, quibus pro Imperatorio ac principe signo datum IESV Labarum: state pro gloriâ Principis vestri, eique vindicias parate. Nullúsne erit Ioab, qui cæcos & claudos, coniuratos Dauidis irrisores, è summis Sioniæ arcis propugnaculis exterminet? nullus diuini honoris zelo flagrabit Mathathias, qui idola isthæc non infidelitatis modò, sed & auaritiæ, & ambitionis, & arrogantiæ, conuellat atque disturbet? At saltem pereuntium tot animarum vos tangat miseratio, quas ab interitu sempiterno vindicasse, opus est humano maius, atque adeò diuinorum omnium diuinissimum. Viderit sanè diem nullum lætiorem Probus, quàm illum, quo adhuc miles, in publicâ concione ab Aureliano Cæsare coronâ ciuicâ donatus, hocce præclarum audiit elogium: *Suscipe, Probe, præmia pro Republicâ: suscipe coronam ciuicam pro parente.* Dixerit etiam magnus Africæ domitor Scipio, *Malle se vnum ciuem seruare, quàm mille hostes occidere.* Prætulerint alij coronam querneam aureæ atque gemmeæ, eamque Imperatorij palatij valuis vt præcipuam partem Maiestatis ac gloriæ suæ affixerint, vt hoc indicio patriæ Patres haberentur. Nihilominùs istud ego meritò contendam semper atque conficiam, humanas animas, æterno exitio ereptas, æternâ salute donatas, cælo ciues asserere; longè amplioris esse laudis atque victoriæ: tantumque præstare ceteris, quantum anima corpori, vita immortalis mortali, gloria sempiterna caducæ, cælum ipsum terræ noscitur antecellere.

Animas ab interitu vindicare maxima gloria.

Vopiscus in Probo.

Capitol. in Anton. Pio.

Quæ cùm ita sint, quid est cur non strenui atque alacres sequamur ac persequamur vexillum illud, à quo nec ipse terræ cælique Monarcha vmquam censeri voluit abfuisse? quod imagine suâ decorauit, cruore suo consignauit, perpetuum denique triumphi sui dedicauit consecrauitque trophæum: vexillum, inquam, illo Constantini Magni longè nobilius atque præstantius, à supremo Imperatore IESV, militiæ nostræ, non sine singulari prodigio atque auspicio exhibitum: cui incorruptâ semper fide inuictâque constantiâ coniunctissimus adhæsit Dux noster Ignatius: istud denique vexillum, quod tot commilitones nostri, nobilissimæ gloriosissimæque animæ, omni Romano signifero gloriosiùs sunt tutati. O vtinam è cæli Prytaneo in conspectum nostrum se darent tot emeriti militiæ nostræ heroës, qui triumphantes ob seruatum

Maiorum exempla nos excitent.

propa-

propagatumque istud Dei signum, quasi igneis Eliæ quadrigis in cæleste Capitolium sunt inuecti! Iam sorderent Romanæ fortitudinis miracula Scæuæ & Scæuolæ, vel cum solis Iaponiæ Martyribus compositi: vbi tot noui Machabæi, tot noui Laurentij atque Vincentij, tot noui Stephani & Sebastiani, tot Victores atque Mauritij; quorum laudatissima trophæa, nobis potiùs ignauiæ excutiant somnum, quàm illa Miltiadis Themistocli. vbi tot indefessi præcones atque oratores, qui nobis adhuc in acie versantibus noctе dieque istud celeusma inculcent, quod illustris Martyr Ioannes Godoius, à tirocinij sui non inglorio Præfecto altè imbibitum, quadraginta Sociis in Brasilo mari pro CHRISTO certantibus accinebat: *Ne degeneremus à præcelsis cogitationibus filiorum Dei.* Vtinam, inquam, inuictissimos istos audiamus Athletas è cæli prætorio conclamantes: *A vexillo ne absis.* Quid conclamantes dico? imò iam pelle suâ, quam grauissimos inter labores, difficillima inter certamina, crudelissima inter tormenta, libentes alacresque posuerunt, sanctius nobis tympanum, quàm olim Zisca, testamento legantes, quo illud perpetuò nobis insonent: *A vexillo ne absis.* Hoc ossibus suis quasi tibiis ac tubis, omnibus nobis præcinere peruelint: *A vexillo ne absis.* Hoc sanguine suo cordibus nostris inscribant: *A vexillo* IESV *ne absis.* Sed superuacua videri potest aut mea aut cuiusquam commilitonis exhortatio: vnum addo quod nobis meritò sit instar omnium. Hoc ipse Imperator IESVS, toto corpore suo sacratissimo in cruce instar tympani extenso, hoc luxatis ac dinumeratis ossibus omnibus, quasi iam totidem buccinis & tubis, nobis intonuit, intonatque etiamnum: hoc ad extremum cruore suo pretiosissimo animis nostris inscribit: *A vexillo ne absis.*



Elo-

Elogium ſepulcrale S. Ignatij,

CVIVS ANIMVS

Greg. XV. in reſponſ. ad relat.

VASTISSIMO COERCERI NON POTVIT VNIVS ORBIS AMBITV,

EIVS CORPVS

HVMILI HOC ANGVSTOQVE TVMVLO CONTINETVR.

QVI MAGNVM AVT POMPEIVM, AVT CÆSAREM, AVT ALEXANDRVM COGITA

APERI OCVLOS VERITATI,

MAIOREM HIS OMNIBVS LEGES

IGNATIVM.

NON COERCERI MAXIMO, CONTINERI TAMEN A MINIMO, DIVINVM EST

IGNATIO

VIRTVTE MAXIMO, SVBMISSIONE MINIMO

TOTIVS ORBIS LOCVS ANGVSTVS,

VNIVS VRBIS LOCVLVS AVGVSTVS EST.

HINC ANIMVM GERENS MVNDO MAIOREM

PLVS VLTRA VNIVS ORBIS ET ÆVI TERMINOS SÆPE QVÆSIVIT,

QVO OPERA SVÆ PIETATIS EXTENDERET;

INDE DE SE COGITATIONEM HABENS MINIMO MINOREM,

MINVS CITRA COMMVNIS SEPVLCRI LATEBRAS SEMPER OPTAVIT,

QVO INHVMATI CORPORIS PONDVS ABIICERET.

CÆLVM ANIMO, ROMA CORPORI

ILLI AD MAIOREM DEI GLORIAM SVMMA SPERANTI

ALIQVID SVMMO MAIVS ATTRIBVIT:

HVIC AD MAIOREM SVI ABIECTIONEM IMA SPECTANTI

MODVM POSVIT MEDIVMQVE VIRTVTIS.

A° M. CD. XCI. IN ARCE LOIOLÆA LOCO APVD CANTABROS ILLVSTRI

MORTALIVM PLANE BONO, ET IVVANDIS HOMINIBVS VERE NATVS,

SVÆ PRIMVM GLORIÆ CVPIDVS, IN AVLA ET CAMPO CATHOLICI REGIS

NATVRÆ DEDIT, QVOD DEIN DIVINÆ TANTVM GLORIÆ STVDIOSVS,

SANCTIORIBVS IN CASTRIS, SALVTI ET GRATIÆ CONSECRARET.

CVM HOSTES ADVERSVS INNVMEROS VNVS PROPE POMPEIOPOLIM TVERETVR

IDEM SAVLI INSTAR ET PAVLI, VI, NON VIRTVTE, VICTVS

ITA CECIDIT, VT OPTANDVS FVISSE CASVS, NON FVGIENDVS,

ETIAM IGNATIO, VIDERETVR: ARCEM PERDIDIT; SERVAVIT ECCLESIAM.

EX EO NON IAM SVVS,

SED EIVS QVI STANTEM TORMENTO PERCVLIT,

VT PRODIGIO FVLCIRET ABIECTVM,

SACRAMENTVM QVOD MVNDO DIXERAT, CHRISTO DEDIT.

PE

PER MILITIÆ SANCTIORIS ASPERRIMA RVDIMENTA,
PER INSIDIAS DÆMONVM, PER OPPVGNATIONES HOMINVM,
PER CONIVRATA IN VNVM OMNIA
FACTVS DVX E MILITE, EX TIRONE VETERANVS,
IESV NOMINE, NON SVO,
*LEGIONEM IN ECCLESIA DEI FORTISSIMAM CONSCRIPSIT,
QVÆ VITAM PRO DIVINI CVLTVS INCREMENTO PACISCENS
IN ROMANI PONTIFICIS VERBA IVRARET.
HIC ILLE EST *IN QVO OSTENDIT DEVS,
QVANTVM EI CVRÆ SIT ECCLESIÆ SECVRITAS,
*IN QVO MISERENTIS DEI BONITATEM ATQVE POTENTIAM
ECCLESIA CATHOLICA VENERATVR.
*QVEM PROSTRATVM TAMQVAM PAVLVM EREXIT DEVS,
VT NOMEN SVVM CORAM GENTIBVS POPVLISQVE PORTARET:
*QVEM PRÆELEGIT DOMINVS, VT EORVM DVX FORET
QVI SVI IN TERRIS VICARII AVCTORITATEM DEFENDERENT,
ET REBELLES HÆRETICOS AD VNITATEM FIDEI REVOCARENT.
QVEM SVO IESV COMMENDAVIT PATER ÆTERNVS;
CVI IPSE IESVS SE PROPITIVM FORE PROMISIT;
QVEM SPIRITVS SANCTVS OMNIVM VIRTVTVM GENERE DECORAVIT:
QVEM PRÆSENS TOTIES ET PROPITIA VIRGO MATER DILEXIT VT FILIVM,
ERVDIIT VT ALVMNVM, DEFENDIT VT CLIENTEM.
QVI DEI AMANS NON CÆLI, OSOR MVNDI NON HOMINVM,
PARATVS PRO HIS EXCLVDI GLORIA, PRO ILLO DAMNARI POENA;
MORTALIS APVD HOMINES VITÆ NON PRODIGVS, SED CONTEMPTOR;
VITALIS APVD INFEROS MORTIS NON METVENS, SED SECVRVS,
PROFVIT VIVVS MORTVIS QVOS REVOCAVIT AD VITAM;
MORTVVS VIVIS QVOS SERVAVIT A MORTE;
VTRISQVE SE PATREM EXHIBENS,
DIGNVS HABERI POTVIT IESV NOMINE,
QVI PRÆTER DEI GLORIAM ET SALVTEM HOMINVM, NIL QVÆSIVIT.
ANNO M. D. LVI. PRID. KALENDAS AVGVSTAS
NVTV SVMMI IMPERATORIS IVSSVS A STATIONE DECEDERE,
CVRAM MORTALIVM QVAM VIVVS HABVERAT,
ETIAM MORTVVS NON AMISIT.
CÆLO TRANSSCRIPTVS, SED PROPENSVS IN TERRAS;
ANIMARVM AVIDVS, ETIAM CVM DEO PLENVS;
ECCLESIÆ TRIVMPHANTIS SOCIVS, PRO MILITANTE SOLICITVS,
QVOD VNVM POTVIT
CORPVS SVVM PIGNVS ANIMI FIDEIQVE DEPOSITVM HIC RELIQVIT;
CVI NE QVID DEESSET AD GLORIAM,
NON SEMEL ANGELICOS INTER CANTVS SVBMISSA DE CÆLO LVMINA MICVERVNT.

* Greg. XV. ſup.

*Nic. Zambeccarus Secr. Sacr. Congr. in Orat. de S. Ignatio.

* Greg. XV. ſup.

* Nic. Zam. ſup.

* Franciſcus Maria Card. à Monte in Relatione Canoniz.

AGE QVISQVIS HÆC LEGES,
BEATOS IMMORTALIS VIRI ET PATRIS COMMVNIS OMNIVM CINERES VENERARE:
HOS TV, CVM VIDERIS, RELIGIOSE COLE,
CVM HABVERIS, PIE COMPLECTERE;
ET LATERE SVB HIS, ETIAM-NVNC, SVVM IGNEM,
HOC EST, SERVIENTEM HVMANÆ VITÆ ET SALVTI IGNATIVM DEPREHENDES.
VIXIT ANNIS QVINQVE ET SEXAGINTA INTER MORTALES,
OCTOGINTA QVATVOR INTER IMMORTALES.
A GREGORIO XV. CATHOLICIS ARIS SOLENNITER ADDITVS ANN. HVIVS SÆCVL. XXII.
A DEO PERENNI GLORIA CÆLITVM VLTRA OMNE SÆCVL. FELICITER CVMVLANDVS.
HOC SVI ANIMI ET VENERATIONIS PERPETVÆ MONVMENTVM
NON STRVCTVM AVRO VEL MARMORE,
SED TENACI GRATAQVE MEMORIA CONSECRATVM
OPTIMO MAXIMOQVE, POST DEVM, PATRI
MINIMA IESV SOCIETAS
M.DC.XL. ANNO SVO SÆCVLARI PRIMO, POSVIT, DEDICAVIT.

Elogium ſepulcrale S. Franciſci Xauerij.

STATE HEROES,
ANIMÆ MAGNÆ, ET VIRTVTIS AMANTES.
NIHIL VLTRA AVT CONANDVM VOBIS, AVT FACIENDVM EST,
QVANDO XAVERIVS HIC IACET.
FALLOR.
DE TANTO ORIENTIS APOSTOLO
SVPRA NATVRAM FORTI, SVPRA IMITATIONEM EXIMIO,
SVPRA INVIDIAM ADMIRANDO,
DE IESV SOCIO, DE IGNATII FILIO,
DE IMMORTALI ANGELO IN CARNE MORTALI
VIX ALIQVID, QVOD CORRVMPI POTVIT, IMO NON POTVIT, HIC SITVM EST.
VIVIT ETIAMNVM PERGITQVE SVPERSTES ANIMVS:
QVO SOLET IMPETV CHARITATIS,
ADHVC QVÆRIT QVO SE AVIDA SALVTIS HVMANÆ VIRTVS EXTENDAT.
ITE ERGO HEROES,
SEQVIMINI QVO XAVERII PARS MELIOR
NON ADEMPTA MVNDO, ETIAM CVM CÆLO REDDITA,
VLTRA INACCESSAS HOMINIBVS TERRAS ET MARIA VOS VOCAT.
QVID HÆRETIS?

ITE

ITE SALTEM IN LACRYMAS, ET PLORATE
XAVERIVM
OMNIVM AMORE CONSVMPTVM, OMNIVM DOLORE DEPOSITVM;
QVANDO AD OCCASVM TANTI VIRI INGEMVIT ORIENS,
AD INTERITVM TANTI DVCIS MILITANS PLORAVIT ECCLESIA,
AD TANTI COMMILITONIS ANGVSTIAS, PRÆSERTIM VLTIMAS,
DOMINVS IPSE IESVS
IN PATERNA XAVERII DOMO EFFIGIE LIGNEA CRVCIFIXVS
NON SEMEL GEMINI DOLORIS ET AMORIS MVTVI INSOLENTE PRODIGIO
FLENS SVDANSQVE LARGITER ILLACRYMAVIT.
HIC VIR HIC EST,
QVI CVM SVÆ MENTIS AMPLITVDINEM, ARDOREMQVE VIRTVTIS
EVROPA NON CLAVDERET,
DVCE IESV, AVCTORE IGNATIO,
* LEGANTE PONTIFICE, IMPELLENTE CHARITATE * Greg. XV. in responsione ad relationem.
INGRESSVS OCEANVM
IVVANDOS SIBI ALIO IN ORBE TERRARVM ORIENTALES POPVLOS CONQVISIVIT.
VIR CÆLITIBVS MAGIS SIMILIS QVAM MORTALIBVS:
QVEM HOMINE MAIOREM ILLIBATA VIRGINITAS,
MVNDO SVPERIOREM INCONCVSSA CONSTANTIA,
PAREM ANGELIS INCORRVPTA MORTALITAS,
DEO PROXIMVM CORPVS ET ANIMVS AERE IN VACVO SÆPE SVSPENSVS,
SVPRA HVMANA OMNIA STATVERVNT.
CVIVS ARDORI OCEANVS,
CVIVS SAPIENTIÆ ET SPIRITVI BONSIORVM EXSVFFLATA SCIENTIA,
CVIVS POTENTIÆ ELEMENTA OMNIA,
CVIVS INTEGRITATI IPSA MORS,
VICTA CESSERVNT.
CVIVS VIRTVTI NIHIL ARDVVM, MAGNITVDINI NIHIL AMPLVM,
ANIMO NIHIL MAGNVM, LABORI NIHIL IMPERVIVM,
NIL ONEROSVM CONSTANTIÆ, NIL DIFFICILE CHARITATI.
CVI INTER DIVINAS CASTASQVE VOLVPTATES
SVPERINVNDANTE CÆLI GAVDIO,
CONCESSARVM A DEO DELICIARVM CITO SATIS;
INTER GRAVISSIMAS ÆRVMNAS, EXTREMAMQVE NECESSITATEM,
SVPEROBRVENTE MVNDI ONERE,
TOLERATARVM PRO DEO MOLESTIARVM NVMQVAM SATIS.
QVI TRANAVIT MARIA, ADIVIT INCOGNITA, PENETRAVIT INACCESSA,
VICIT IAPONIÆ FRIGORA, INDIÆ SVPERAVIT ARDORES,
VTROBIQVE SÆPE NVDVS, SED NIHIL SENTIENS, QVIA DEO TECTVS;
DIFFICILIS IDEM, AC FACILIS, VINCI ET VINCERE,
SONTES PERCVLIT, PROTEXIT INSONTES:

Nn 2 RESTI-

RESTITVIT MORTALI VITÆ MVLTOS, IMMORTALI PROPEMODVM INFINITOS:
TOT CENTENORVM MILLIVM, QVOS CHRISTO PEPERERAT, PATER ET PASTOR
VNVS PAR OMNIVM, ET OMNIBVS OMNIA,
* NON FECISSE MINVS A MAGNIS APOSTOLIS, AFFIRMARI POTVIT:
NIHIL TAMEN ETIAM TVM FECISSE SE, NIHIL INCEPISSE COGITAVIT.
APOSTOLVS INDIÆ
IAM OLIM MAGDALENÆ AMITÆ DESIGNATVS ORACVLO,
SVO MOX OPERE ET LABORE FACTVS,
QVOTIDIANIS PRODIGIIS ET APOSTOLICORVM * SIMILLIMIS MIRACVLIS COMPROBATVS;
TOTO VIX DECENNIO AGENDO ET PATIENDO FORTIA
PLVS SVBMISIT ECCLESIÆ,
* QVAM MVLTIS SÆCVLORVM ÆTATIBVS ROMANI SIMVL ET GRÆCI
STERNENDO ET PROFLIGANDO OMNIA,
SVÆ REIPVBLICÆ SVOQVE IMPERIO SVBDIDERINT.
DEMVM ILLATO IN OMNEM TERRAM IESV NOMINE ET HONORE,
IPSOS PROPE FINES ORBIS TERRÆ VIRTVTI PRÆFIXOS APOSTOLICÆ SVPERARAT,
CVM SE IN SVORVM OPERVM AC LABORVM STARE PRIMORDIO IVDICABAT.
* IN VASTISSIMVM SINARVM IMPERIVM DVM ADITVM EVANGELIO QVÆRIT,
LABORIBVS SVPRA HVMANAS VIRES
PRO DEI GLORIA ET RELIGIONE FRACTVS,
PLVS TAMEN ANIMI ET VIRTVTIS ARDORE CONSVMPTVS,
QVI SEMPER HACTENVS SIBI PARVM, DEO SEMEL FECIT SATIS,
ANNO M.D.LII. IV.NON.DECEMB. IN SANCIANO INSVLA MORTVVS;
IN VIVA CALCE ANNO PLVS TOTO SED SINE CORRVPTIONE SEPVLTVS;
GOAM CVM TRIVMPHO REVECTVS, GOÆ CVM DOLORE REDDITVS,
CVM VTROQVE IBIDEM CONDITVS,
OMNIVM IN ANIMIS ADHVC SVPERSTES;
AMABILIS IN OCVLIS HOMINVM,
ADMIRABILIS IN ÆSTIMATIONE MORTALIVM,
DEO ETIAMNVM LABORAT IN SOCIIS,
DEO ARDET IN IAPONIIS, DEO MILITAT IN SINIS,
DEO TRIVMPHAT IN OMNIBVS,
SVI SEMPER SIMILIS, ET VBIQVE SVVS, DEO VIVIT.
ITA GREGORIVS XV. PONT. MAX. PRONVNTIAVIT,
ARCANORVM CÆLESTIVM INTERPRES, ET IPSA VOX NVMINIS,
CVM ANNO M.DC.XXII. SACRIS EVM CATHOLICIS
MAGNO ORBIS GAVDIO ET GRATVLATIONE ADMOVERET.
DE EREPTO SIBI APOSTOLO, PATRONO, PATRE MOESTVS ORIENS
HOC ILLI DOLORIS ÆTERNI ET AMORIS PERPETVI CONDIDIT MONVMENTVM

* Nicolaus Zambeccarius Sacræ Cong. Secretarius in Oratione pro Canonizatione beati Xauerij.

* Franc. Maria Cardin. à Monte in Relatione Canoniz. B. Francisci Xauerij.

* Greg XV. supra.

* Franc. Maria supra.

Elo

Elogium ſepulcrale Petri Fabri.

PRODIRE EX HVMILI VIRTVS POTEST, LATERE NON POTEST.

PETRVS FABER,

PASTORITIIS APVD ALLOBROGES NATALIBVS ORIVNDVS,
ALIQVANTISPER ET IPSE PASTOR, IPSE LITTERARVM ADHVC ET ANNORVM RVDIS,
DVODENNIS OMNINO PVER,
VIRGINALEM CONTINENTIAM, QVAM PROPE NON NOVERAT,
CVIVS HAVD DVM EXEMPLA DIDICERAT, PERICVLA CERTE NON SENSERAT,
VRGENTE VI ANIMI, CORPORIS NON REPVGNANTE NATVRA,
AVCTORE NVLLO, NISI DEO; TESTE NVLLO, NISI CÆLO,
CAMPIS IN MEDIIS, INTER OVES QVAS PASCEBAT AGNVS IPSE,
VT SEQVERETVR AGNVM QVOCVMQVE IERIT, CASTE VOVIT.
HOC PIETATIS INITIVM, HOC VIRTVTIS AVSPICIVM, HOC SAPIENTIÆ RVDIMENTVM.
VNDE CVM AB ANIMA SANCTA PVRIORIS INDOLIS ET INGENII SPLENDOR ABSISTERET,
AD VRGENDA LITTERARVM STVDIA PARISIOS MISSVS,
BREVI VNVS OMNES DOCTRINA ET VIRTVTE PRÆCELLVIT.
DIGNVS QVI SOCIETATIS IESV PRIMVS SACERDOS, ORATOR, DOCTOR,
ET, QVOD CAPVT EST, PRIMVS IGNATII SOCIVS,
ALTERQVE SOCIORVM QVASI PATER AVDIRET.
AB IGNATIO TAM INFLAMMATVS AD VIRTVTEM,
VT LOQVENS MEDITANSQVE DE CÆLO
NVDVS IPSE, NOCTE MEDIA ET NIVIBVS ALTE PERPLVTVS
SENTIRET HIBERNA SVB APERTO IOVE FRIGORA, NEC TIMERET;
DEO ITA PLENVS, ET SATVR,
VT SEX ALIQVANDO DIERVM CONTINENTEM FERRET ESVRIEM, NEC SENTIRET.
LABANTIS IN SEPTEMTRIONE RELIGIONIS OVIVMQVE PASSIM ERRANTIVM
IDEM PETRVS ET FABER, PASTOR ET INSTAVRATOR:
QVOD CVRARET, A NOMINE DIDICIT; QVOD ERIGERET, A COGNOMINE MVTVAVIT:
VTROQVE SAT NOTVS, MELIORE TAMEN OMINE GRATIÆ, QVAM NATVRÆ.
IMIS AC SVMMIS, POPVLIS ATQVE PRINCIPIBVS, EXPETITVS ET CARVS,
NVLLI BONO OBFVIT, QVIA SVI DEMISSIONE DEPRESSVS:
NVLLI MALO NON PROFVIT, QVIA DEI VIRTVTE SVBLIMIS.
TAM INNOCENS VIR IN AVLA, QVAM PVER IN CAVLA;
VTROBIQVE CASTVS ET CONTINENS,
HIC VOTO, ILLIC STVDIO;
HIC SVAVI AMORE DEI, ILLIC TIMORE ROBVSTO.
AB VTRAQVE GERMANIA PROFLIGAVIT HÆRETICOS,
IN LVSITANIA ET HISPANIA CATHOLICOS CONFIRMAVIT.

 VBIQVE

VBIQVE ET SOCIOS IGNATIO ET MILITES ECCLESIÆ PEPERIT,
VTRISQVE DOMOS ET RELIGIOSA STIPENDIA PROCVRAVIT.
NON SEMEL EXPETITVS A TRIDENTINO THEOLOGVS,
VOCE PROMPTVS ET MANV,
DOCENDO PRVDENS, AGENDO FORTIS,
VALENS ANIMO, ÆGER CORPORE,
SVSCEPTIS PRO RELIGIONE LABORIBVS NON CESSIT, SED SVCCVBVIT;
LONGIORI VITA DIGNVS, NISI DIGNVM ÆTERNA SVPERI CENSVISSENT.
INCOMMMODA TEMPESTATE, VALETVDINE INFIRMA,
ITINERIBVS ET MAXIMIS ET APOSTOLICIS,
MEDIA EX HISPANIA EVOCATVS AB IGNATIO ROMAM,
INDE A DEO INVITATVS AD CÆLVM,
DETRITIS AGENDO VIRIBVS, PATI PRO FIDE VOLVIT, AVT MORI.
KAL. AVG. ANNO M.D.XLV. ROMÆ, IN RELIGIONIS ARCE MORTVVS,
IN EADEM, QVOD HABVERAT MORTALE, DEPOSVIT;
QVOD IMMORTALE, TRANSSCRIPSIT IN CÆLVM.
IPSAM SANE APOSTOLICI VIRI ANIMAM,
QVAM IN FELICI EIVS OBITV BEATAM VIDIT,
DVDVM SVBMISSIS AD SEPVLCHRVM VOTIS AGNOVIT HISPANIA;
EAM AD ARAS LOCATI CORPORIS ETIAMNVM IMPLORAT ITALIA;
EAMDEM HODIEQVE, IN PATRONI SVI CVLTVM PROFVSA VELVT ALLOBROGIA,
NATALI IN DOMO, INANEM LICET AD TVMVLVM,
DONIS SVPPLICIISQVE FREQVENTIBVS VENERATVR.
TV QVID PRIVATIM FACIAS, EXEMPLO DISCE PVBLICO, ET VALE.

Elogium ſepulcrale Iacobi Laines.

MAGNARVM MENTIVM, ET ÆTERNA SPECTANTIVM
PRÆCEPS EST VITA MORTALIS.
SEGNITER ARDET QVI LENTE CONSVMITVR;
FLAMMÆ MAIORIS INDICIVM EST CITO MORI.
QVINQVAGINTA ANNORVM QVANTVLVM TEMPVS EST?
QVOD QVASI CVRSIM, ET VNO VELVT IMPETV PEREGIT
IACOBVS LAINES CASTELLANVS.
DIGNVS ETIAMNVM VIVERE,
SI ILLO TAM DIV FRVI INFORTVNATA SÆCVLA MERVISSENT.
VIDENDI IGNATII DESIDERIO
PARISIOS EX HISPANIA VENIT, VIDIT,
VICIT SE PRIMVM, DEINDE OMNIA.

SVBTI-

SVBTILIS INGENIO, ELOQVENTIA POTENS,
DOCTRINA PRÆSTANS, EXIMIVS SANCTITATE,
CVM VBIQVE SVSPICERETVR AB OMNIBVS,
SE IPSE SEMPER DESPEXIT.
TER PONTIFICIVS IN CONCILIO TRIDENTINO THEOLOGVS,
IBIDEM COACTOS ECCLESIÆ PATRES AC IVDICES
SIC VOCE PERORANS ATTONVIT, SIC RATIONE DISPVTANS INFLEXIT,
VT VNIVS OMNES AB ORATIONE PENDERENT,
NVLLVS A SENTENTIA DISSIDERET.
SÆPIVS OBLATAS EPISCOPALES ET ARCHIEPISCOPALES INFVLAS
VT INDVERET ADDVCI NVMQVAM POTVIT:
NE PVRPVRAM COGERETVR ADMITTERE,
A PAVLO IV. PONT. MAX. LACRYMIS EXORAVIT.
VNIVERSÆ SOCIETATI POST IGNATIVM PRÆESSE COMPVLSVS,
NE TOTI, QVOD AGEBATVR, ECCLESIÆ PRÆSIDERET,
E SACRO CONCLAVI PROFVGVS, IMPETRAVIT,
CONTRA INSIDIANTES MAGNIS ANIMIS ET VIRTVTIBVS DIGNITATES SIC ARMATVS,
VT IAM TVM (QVOD SIBI DE IACOBO PROMITTEBAT IGNATIVS)
SOCIETAS IESV, NON AMBIRE HONORES, SED FVGERE COGNOSCERETVR.
ROMAM A TRIDENTINO REDVX ANNO M. D. LXVI.
VIRIBVS NON ANIMO FRACTVS,
PIETATIS ET DOCTRINÆ STVDIO NON ÆTATE DEFECTVS,
POST TANTA PRO RELIGIONE CERTAMINA,
TANDEM MORTE VICTVS NON EXTINCTVS
AD XIV. KAL. FEB. HIC SITVS EST,
ET INFRA EVM HVMANA OMNIA, QVÆ VIRTVTE CONTEMPSIT.

SVBLATVM PATREM CVM GEMITV ROMA EXTVLIT,
DOCTOREM EREPTVM CVM LACRYMIS ECCLESIA REQVISIVIT,
PATRONVM VTRAQVE NON PERDIDIT, SED INVENIT.
HVNC AD TVMVLVM STA
QVI DIGNITATES AMBIS ET COLIS.
HONORVM OMNIVM HÆC META EST;
QVAM QVI ATTIGIT, AMBIRE NIL POTEST.

Elo-

Elogium ſepulcrale Claudij Iaij.

NON HVNC AD TVMVLVM VLLVS OFFENDET;
SOLO ÆQVVS ET PLANVS EST.
CLAVDIVS IAIVS
IN QVO VT ESSENT SVMMA OMNIA,
NIHIL INSOLENS, NIHIL ARROGANS, NIHIL ELATVM FVIT,
H. S. E.
GENEVA ORIVNDVS, FONS ILLIMIS E COENO,
ALIVD NIHIL A PATRIA TRAXIT ORIGINE
QVAM HÆRESVM NOVISSE COLLVVIEM, ET ODISSE.
HAVSIT DOCTRINAM RARAM A PARISIENSI SCHOLA,
RARIOREM AB IGNATIO SANCTITATEM.
A QVO SACRÆ IESV SOCIETATI MILES ADSCRIPTVS,
IN SALISBVRGENSI, TRIDENTINO, ALIISQVE CONCILIIS
APVD HVMANARVM RERVM DIVINARVMQVE POTENTES
AVCTORITATE VALENS ET GRATIA,
CVM INGENTI CATHOLICÆ, AC PRÆSERTIM GERMANÆ, FIDEI BONO
ITA SE GESSIT,VT NVTANTIS ECCLESIÆ PATRONVS,PATER, APOSTOLVS
ETIAM VVLGO MERVERIT APPELLARI.
ANIMO PLACIDVS, ORE IVCVNDVS,
MORIBVS INNOCENS, SVAVIS INGENIO,
POTENS OPERE ET SERMONE, NON HOMO SED ANGELVS HABEBATVR.
IN SCHOLASTICIS CONGRESSIBVS,
SIVE CVM RECTE EVNTES DIRIGERET, SEV CVM REVOCARET ERRANTES,
VTROBIQVE SVAVIS ET FORTIS,
SIC OMNIVM FERIEBAT INTELLECTVM,
NVLLIVS VT LÆDERET VOLVNTATEM.
ILLVM, MISSIS, ETIAM AD PONTIFICEM, LEGATIONIBVS
DOCTOREM SCHOLÆ, ORATOREM RESPVBLICÆ,
CONCILIA IVDICEM, AVLÆ CONSVLEM,
VNVM SINGVLI DARI SIBI CONCERTATIONE MAXIMA CONTENDEBANT:
CVM EXPETERETVR VNVS AB OMNIBVS,
NIHIL IPSE NISI SALVTEM OMNIVM A SINGVLIS EXPETEBAT.
PRINCIPVM FREQVENS VSVS MODESTIAM VIRI NON ABSTVLIT, SED SACRAVIT:
EX RELIGIOSA SOCIORVM PAVPERTATE INTER PVRPVRATOS IPSE PANNOSVS,
EX SQVALLORE NOSOCOMIORVM ET CARCERVM SORDIDATVS INTER ILLVSTRES
VBIQVE SVA SE VIRTVTE INVOLVENS,
INTER OMNES HOC MAIOR ET MELIOR QVO MINOR ET VILIOR APPAREBAT.

TERGE-

TERGESTINAS INFVLAS
A ROMANO REGE FERDINANDO CONSTANTER INGESTAS
IPSO REGE CONSTANTIOR RECVSAVIT:
SEMPER ALIAS AMOENVS ET HILARIS,
CVM DE CONFERENDO IN EVM EPISCOPALI MVNERE
REX CVM PONTIFICE CONSPIRARET,
VVLTV SIMVL ET ANIMO SVSPENSVS AC MOERENS,
QVASI NON CONFERRI HONOREM SIBI,
SED VITAM AC VIRTVTEM ERIPI CENSVISSET.
TANDEM INTER ASPERRIMAS ECCLESIÆ DIFFICVLTATES
MVLTIPLICI VARIETATE LABORVM
NON MORBO FRACTVS,
AC POTIVS CONTINENTI STVDIO ET VIRTVTE CONSVMPTVS,
ANNO M. D. LII. OCTAVO IDVS AVGVSTAS
VIENNÆ IN AVSTRIA HINC MIGRAVIT IN CÆLVM;
APVD SVMMOS, MEDIOS, INFIMOS, ILLVSTRIS OPINIONE SANCTITATIS,
OMNIBVS ÆQVE SALVTARIS ET CARVS.
SENSIT VIENNENSIS ET INGOLSTADIENSIS ACADEMIA
SVBDVCTVM SIBI ORACVLVM SAPIENTIÆ, ET VIRTVTIS EXEMPLVM;
EREPTVM DEFENSOREM DESIDERAVIT ECCLESIA;
PATRONVM PERDITVM GERMANIA DEPLORAVIT;
CVM INDE TVRCA, SVBACTA PROPE PANNONIA, IMPERII FINIBVS IMMINERET,
HINC GRASSARENTVR HÆRETICI,
VNDIQVE ET VBIQVE BELLA CVM EXTERNA TVM INTESTINA CONSVRGERENT,
TANTORVM MALORVM NON LEVE SOLATIVM
RERVM ÆQVISSIMVS ARBITER,
OFFENSVS OB DELICTA MORTALIVM,
DENEGAVIT.
TANTI VIRI QVOD MORI POTVIT, HIC OBIIT;
QVOD MORI NON POTVIT, HINC ABIVIT.
HABET GERMANIA DEPOSITVM MORTVI,
HABET ECCLESIA PATROCINIVM IMMORTALIS.

Elogium ſepulcrale Paſchaſij Broëti.

NEC ATRATVM ESSE, NEC INCRVSTATVM DECET
HVNC TVMVLVM,
QVO
PASCHASII BROETI
CANDIDA ET SINCERA SIMPLICITAS CONTINETVR.
IN AGRO CAMERACENSI NATVS,
PARISIIS EDVCATVS IN LITTERIS, IBIDEM AGGREGATVS IGNATIO;
GALLIÆ TOT NOMINIBVS OBSTRICTVS,
QVANTVMVIS ALIO VOCARETVR ET DESTINARETVR A PLVRIBVS;
GALLIÆ POTIVS QVAM ALTERI ET VIVVS ET MORTVVS DEBEBATVR.
ERAT EI IN ORE SERENA SEMPER HILARITAS,
NISI CVM EAM OBNVBILARENT LACRYMÆ VI PIETATIS EXPRESSÆ.
ERAT IN MORIBVS APERTA SINCERITAS,
ANIMORVM SVAVE ILLICIVM, ET AMABILE MVNIMENTVM.
NEC DEERAT ACTIONIBVS EIVS CANDORI MISTA PRVDENTIA,
QVÆ SIMPLICITATEM NON PERDERET, SED ARMARET;
VNDE AB IGNATIO HABITVS ET NOMINATVS EST ANGELVS,
INGENVITATE MORVM ADMIRABILI, ET AMABILI SINCERITATE NATVRÆ.
MISSVS IN HIBERNIAM A PONTIFICE NVNTIVS,
PATRIARCHA IN ÆTHIOPIAM DESIGNATVS:
CONFORMATIONE CORPORIS, SANCTITATE MENTIS,
EXPERIENTIA RERVM, SCIENTIA LITTERARVM
AB IGNATIO APTVS PRÆ OMNIBVS IVDICATVS,
QVI TANTA DISSIDENTIS PER AFRICAM ECCLESIÆ MVNIA SVSTINERET.
SVSTINVIT PRÆPARATIONE MENTIS ET CORPORIS,
OSTENTATIONE PROCVL ET GLORIA,
ONERIS AVIDVS, HONORIS IMPATIENS.
INCREDIBILI FELICITATE ADITVM SOCIETATI FECIT IN FRANCIAM:
AD QVAMCVMQVE REM MANVS ADMOVIT,
OPERAM IN EA SVAM MIRABILITER APPROBAVIT:
DONEC SÆVIENTE LVE PER GALLIAS
INTER OCTOGINTA HOMINVM MILLIA,
QVÆ LVTETIÆ-PARISIORVM PESTIS ABSVMPSIT,
IPSE, NE SVOS DESERERET, SACRO DEMVM CORREPTVS IGNE,
ANNO M. D. LXII. VIII. KAL. OCTOB.
CECIDIT EXTREMÆ VICTIMA CHARITATI;
AMORIS, NISI HÆC OSSA SVPPETERENT, HOLOCAVSTVM.

Elogium

Elogium ſepulcrale Alfonſi Salmeronis.

ALFONSVS SALMERON

TOLETANVS

INTER PRIMOS IGNATII SOCIOS, SOCIETATIS IESV DECEMVIROS,
IVNIOR OMNIVM PVERILE NIHIL GESSIT,
NISI CVM FVIT AVT PARENDVM SIMPLICITER,
AVT EVNDVM, QVO PATER IVSSERAT, CONFIDENTER:
CETERA VIRVM VBIQVE SE PRÆBVIT,
INVICTVM ANIMO, DOCTRINA FORTEM, VIRTVTE CONSTANTEM,
SIVE CVM DVCENDVM IN FIDEI HOSTES IMPAVIDE,
SIVE CVM STANDVM PRO ECCLESIA GENEROSE.
SÆPIVS IN TRIDENTINO PRO APOSTOLICA SEDE THEOLOGVS
SENTENTIAM PRIMVS DIXIT.
BIS IN GALLIAM ET HIBERNIAM A PAVLO III. PRO RELIGIONE LEGATVS.
CVM CARDINALIBVS, PISANO IN BELGIVM, LIPOMANNO IN POLONIAM
A PAVLO IV. DESTINATVS.
VBIQVE PRO DEO ET VIRTVTE TANTA GESSIT, VT NIL SIMVL POTVISSE SCRIBERE;
TANTA SCRIPSIT, VT NIL SIMVL POTVISSE GERERE VIDERETVR.
VNVS PAR VTRIQVE MVNERI,
HÆRESES ET IMPIETATEM
EXPVNXIT STYLO, VOCE PERSTRINXIT;
VTROBIQVE POTENS ET VEHEMENS:
ADEO VT QVOTIES ILLO SCRIBERET, AVGVSTINVS;
HAC VERO CVM DICERET, CHRYSOSTOMVS CENSERETVR.
ORATOR IN VRBE PONTIFICIVS;
DIVINI VERBI PRO VENETA ET NEAPOLITANA CONCIONE RELIGIOSVS INTERPRES.
LICET APOSTOLICA LIBERTATE OMNIVM DELICTA
NON TAM VOCE QVAM SPIRITV ET VIRTVTE PERSTRINGERET;
OMNIVM TAMEN ET ANIMOS IN SE ET PROPENSA STVDIA RAPIEBAT.
EVM CEV LAPSVM CÆLO HOMINEM,
INTENTO IN PRODEVNTEM DIGITO ETIAM PARVVLI DESIGNABANT:
ADMVRMVRABANT ILLI FEMINÆ, APPLAVDEBANT VIRI,
VNVM VENERABANTVR VNIVERSI:
IPSE SVI SE CONTEMPTV INVOLVENS,
NE PERSTRINGERETVR AVRA TAM VANA, EXIRE IN PVBLICVM NOLEBAT.
MINVS EVM CERTE HÆC OMNIA,
QVAM ATTICVM ORATOREM MVRMVR FERENTIS AQVAM MVLIERCVLÆ,
DELECTABANT;

HIC INANEM TINNITVM SONANTIS ELOQVENTIÆ,
ILLE APOSTOLICVM SONVM EFFICACIS AC FRVCTVOSÆ SAPIENTIÆ VENABATVR:
QVA ETIAM NON RARO PERFECTVM EST,
VT PROBROSA MVLIERVM NVDITAS INSPERSA PRIMVM LACRYMIS
DECENTIVS TEGERETVR,
ET HÆRETICORVM IN FIDE LICENTIA SEVERISSIMIS PERSTRICTA LEGIBVS
EXSVLARE COGERETVR.
NEAPOLITANÆ PROVINCIÆ,
QVIN ET VNIVERSÆ PER ITALIAM ET SICILIAM SOCIETATI,
GENERALIS VICE PRÆPOSITI CVM PRÆFVISSET,
ANNO LXXXV. SÆCVLI XV. ÆTATIS VNDESEPTVAGESIMO
DOCTISSIMIS IVXTA AC SANCTISSIMIS IN EVANGELIVM COMMENTATIONIBVS
NEAPOLI IMMORTVVS,
POSTEROS,QVOS VOCE NON POTVIT, STYLO INCITAVIT AD VIRTVTEM.
TANTVM VIRVM, ET CVM EO SCVTVM FIDEI, MALLEVMQVE PERFIDIÆ,
CAPIT HIC TVMVLVS.
ITA CENSVIT,ITA PROFESSA PALAM EST HIS IN EXSEQVIIS MOESTA PARTHENOPE,
GRAVIVS LATVRA DAMNVM SVVM,
NISI QVEM EREPTVM QVERITVR, IN MEMORIA ET VENERATIONE RETINERET.

Elogium ſepulcrale Simonis Rodericij.

INDIÆ DEBITVM
SED LVSITANIÆ RESERVATVM
SIMONIS RODERICII
OLISIPONENSIS
MORTALE DEPOSITVM HIC IACET.
OLIM INTER PRIMOS ADIVNCTVS IGNATIO,
CVM EVNTES IN ITALIAM SOCIOS ALACRITER SEQVERETVR:
GRAVI IMPEDITVS VLCERE DESTITVTVS FVISSET A SVIS,
NISI PRODIGIO REPENTE SANATVS, DEOQVE FRETVS AC POTENS,
PRÆIRE QVAM SEQVI AD ARDVA MALVISSET.
ROGANTE IOANNE, IMPERANTE PAVLO, VTROQVE TERTIO,
ILLO LVSITANIÆ REGE, HOC PONTIFICE MAXIMO,
GEMINO ET VINDICE FIDEI, ET SOCIETATIS MINIMÆ DEFENSORE,
PROPAGANDÆ CAVSSA RELIGIONIS IN ORIENTALES INDIAS AB IGNATIO MISSVS
EXPEDITIONIS TAM ARDVÆ COMMILITONEM HABVIT
FRANCISCVM XAVERIVM:

DIGNVS

DIGNVS, ROMA IVDICE, QVI ORIENTIS TANTO LVMINI
IN VIAM TAM INVIAM PRÆLVCERET.
OLISIPONEM ERGO DELATVS,
IN LVCE VRBIS CLARISSIMÆ ET AVLÆ REGIÆ SPLENDORE PERPETVO,
IPSE TAMEN PER SVI DEMISSIONEM SEMPER OBSCVRVS,
SOCIO ET ADIVTORE XAVERIO ITA SE GESSIT,
VT RAPTI IN ADMIRATIONEM HOMINVM TANTORVM REGES ET POPVLI
PASSIM ILLOS, NEC OTIOSE, APOSTOLOS NOMINARENT,
TANTO TAM PRÆCLARÆ VIRTVTIS ENCOMIO
IN NOMEN POSTERORVM APPELLATIONEMQVE PERPETVAM DERIVATO.
INDIAM ERGO SPECTABAT, ET INDIÆ VTERQVE HIC APOSTOLVS DEBEBATVR.
ET SANE NON VNVM INDIA XAVERIVM IAM HABERET,
NISI RELVCTANTEM LICET, ET CVM ILLO SVPERARE MARIA CVPIENTEM SIMONEM,
SIBI, ETIAM PRÆ XAVERIO, COMMODVM LVSITANIA TENVISSET.
HAC SPE FRVSTRATVS INEVNDI PRO FIDE CERTAMINIS,
OCCASIONEM TAMEN AGENDI ET PATIENDI FORTIA NON AMISIT.
IVBENTE REGE, PERMITTENTE IGNATIO,
COACTVS ESSE LVSITANO PRINCIPI QVOD FVERAT ARISTOTELES ALEXANDRO,
NON MINVS PERICVLOSE OMNIVM GRATIA
QVAM PAVCORVM INVIDIA LABORAVIT;
TANTO CLARIOR APVD OMNES,
QVANTO IN VTRAQVE FORTVNA INVENTVS EST FVISSE CONSTANTIOR.
TANDEM CVM ET SOCIETATEM LVSITANIÆ, ET LVSITANIAM SOCIETATI
MVTVIS DEVINXISSET OBSEQVIIS;
PRIVATIS REBVS ET PVBLICIS
PRO CATHOLICO EVROPÆ ET INDIÆ BONO PRVDENTER DISPOSITIS,
EXTRA INDIAM, QVAM SEMPER AMAVIT,
EXTRA ÆTHIOPIAM, BRASILIAM, CETERASQVE TERRAS VLTIMAS,
QVO SÆPIVS EX AVLA MEDITATVS EST FVGAM,
EXTRA ICTVM SPEMQVE MARTYRII, QVOD IMPENSE QVÆSIVIT,
ANNO M. D. LXXIX.
IPSO, POSTQVAM SECVTVS IGNATIVM, QVADRAGESIMO QVINTO,
APOSTOLVS IN PATRIA, MILES IN VMBRA,
QVI ALIBI VIOLENTA MALVIT, NATVRALI MORTE DECESSIT.
DEO SIC VISVM:
CVIVS PROVIDENTIÆ VTROBIQVE PROMPTVM EST
IBI ILLVSTRARE NATVRAM, HIC OCCVLTARE VIRTVTEM.

Elogium ſepulcrale Ioannis Codurij.

IOANNES CODVRIVS,
QVI PRIMOS INTER IGNATII SOCIOS SOCIETATEM AVXIT IN TERRIS,
PRIMVS INTER EOS SOCIETATEM PROPAGAVIT IN CÆLIS.
EODEM ILLE DIE CVM NASCENTE MAGNO IOANNE
NATVS APVD ALLOBROGES, ET CONSECRATVS SACERDOS;
EODEM CVM MORIENTE MORTVVS, ANNO M. D. XLI.
IOANNI PAR ANNIS, A IOANNE MORIBVS NON ALIENVS
QVI VIXERAT ITA SIMILIS,
MIRVM SI NON CONDITIONE SIMILI MORERETVR.
MORTVVS EST PROPEMODVM MELIORI:
CÆLVM QVOD SANCTISSIMO PATRIARCHÆ STATIM A MORTE NON PATVIT,
FVIT HVIC VIXDVM MORTVO RESERATVM.
IOANNES ILLE IESV PRÆSENTIAM
FESTIVIS IN VTERO MATRIS ASSVLTIBVS TESTABATVR
QVASI IAM TVM SOLVI VELLET A CORPORE, ET ESSE CVM CHRISTO;
IOANNES HIC, EDITIS POST IGNATIVM VOTIS SOLENNIBVS,
SIC EFFEREBATVR ANIMO, SIC CORDE EMICABAT ET CORPORE,
VT PRÆSAGIRE IAM TVM ET AMBIRE EAMDEM IESV PRÆSENTIAM VIDERETVR
DEO PER RELIGIOSA VOTA CONSTRICTVS, SOLVI CVPIEBAT A CORPORE;
ET SOLVTVS EST.
FLESSENT EREPTVM SOCII, NISI FLERI VETVISSET IGNATIVS
QVEM, ABSENS LICET, ET OBITÆ MORTIS IGNARVS,
CÆLO ILLATVM VIDERAT.
VOS NEC LACRYMAS DATE CORPORI, NEC ANIMO SVSPIRIA PRÆPARATE.
FLOS CÆLO RECEPTVS NEC AFFLARI AVRA POSTVLAT, NEC RORE FOVERI.
IOANNIS CODVRII CORPVS INNOCENS, CASTVS ANIMVS,
ILLVD CÆLO DEBITVM, HIC RECEPTVS,
NEC PVRGARI DEBET LACRYMIS, NEC SVSPIRIIS ADIVVARI.

Elogium ſepulcrale Nicolai Bobadillæ.

PRIMORVM IGNATII COMITVM
IN MORTALI VITA VLTIMVS, IN OPERE APOSTOLICO NON POSTREMVS
NICOLAVS BOBADILLA,
LABORIS TAM DIVTVRNI PRÆMIVM HABVIT,
LAVRETI AD ÆDES ARASQVE VIRGINEAS
VESPERTINAM QVASI VICTIMAM POSSE QVIESCERE.
IN INDIAM, ETIAM ANTE XAVERIVM, AB IGNATIO DESTINATVS,
SED MORBO PERTINACE PROHIBITVS,
IN PLVRIBVS PROVINCIIS, ITALIA PRÆSERTIM ET GERMANIA,
PRO DEO ET RELIGIONE MILITAVIT;
NEC INDIA ILLI IN EVROPA DEFVIT, QVAM IN EVROPA SEMPER OPTAVIT.
DE MODO ASSERENDÆ FIDEI CVM APOSTOLICIS SÆPE NVNTIIS,
QVANDOQVE CVM REGE FERDINANDO ET CAROLO IMPERATORE,
IN PVBLICIS PRIVATISQVE CONGRESSIBVS APOSTOLICA CVM LIBERTATE TRACTAVIT.
HÆRETICORVM OMNIVM HOSTIS ACERRIMVS, VICTOR ETIAM ALIQVORVM;
DIGNVS QVEM DATIS AD EVM LITTERIS IPSE PONTIFEX
AVDENTEM ET ARDENTEM CAVSSA FIDEI VEHEMENTIVS INFLAMMARET.
FERREVM OS PROTESTANTIVM RETVNDEBANT
TRIDENTI PATRES, RATISBONÆ CAROLVS IMPERATOR;
ILLI AVCTORITATE ECCLESIASTICA, HIC BELLICA POTESTATE:
QVIBVS VT BOBADILLA SE IVNGERET, VTRIMQVE ROGABATVR.
INTENTVM IN EXTREMA QVÆQVE HOMINEM
CASTRENSIS NECESSITAS ET SOLITVDO MILITVM
INTERESSE TRIDENTINO PROHIBEBAT.
ITAQVE MINORI SAPIENTIÆ, SED PATIENTIÆ MAIORI COMMENDATIONE,
NON SEMEL VVLNERATOS A CRVENTA PVGNA MILITES
VVLNERATVS ETIAM IPSE, ET PROSTRATVS A PESTE,
STANS TAMEN ET VALENS,
NATVRALI ET SACRAMENTALI AVXILIO IVVIT, SVBSIDIO RECREAVIT.
PER SVSCEPTOS DOMI MILITIÆQVE TOT LABORES HOMINI SVMMA PROMERITO
REX FERDINANDVS
EPISCOPALEM CATHEDRAM, IN QVA GLORIOSE QVIESCERET, OFFEREBAT;
SED ILLE DIGNITATEM AVERSATVS ET GLORIAM,
RE PATIENTER IN HVMILI, QVAM RESIDERE CONSTANTER IN ARDVO, PRÆOPTAVIT;
ASSERENS A DEO SE, NON AD ECCLESIASTICI HONORIS AMPLITVDINEM,
SED RELIGIOSÆ PAVPERTATIS ANGVSTIAS, ESSE VOCATVM.
TANDEM ANNIS, NON ANIMIS; ÆTATE, NON VIRTVTE, MILES EMERITVS,
ET A IESV IMPERATORE SVO RVDE DONATVS,
IN FAMILIAM ET CLIENTELAM SVSCEPTVS A VIRGINE,
ANNO M. D. XC. IX. KAL. OCT.
LAVRETANAS AD ÆDES EODEM PROPE LOCO MORTALEM VITAM POSVIT,
VBI ILLAM DEI FILIVS ADOPTAVIT.

EXER-

EXERCITATIO POETICA.

PARÆNESIS AD ARDVAS MISSIONES INTER BARBAROS SVSCIPIENDAS.

Illustres Heroum animæ, quos torquet Auerno
Oceanum Gangemque vltra Solisque labores
Firmatum imperium tot iam labentibus annis,
Pergite, quò vos ardor agit; patriæque relictæ
Immemores, toto diuisis æquore terris
Ad populos penetrate, ereptoque addite cælo.
Pergite, iam calcata via est. vocat æmula virtus
Maiorum, & mentem stimulis non segnibus vrget,
Increpitatque moras. Cur non per saxa sequamur,
Per scopulos, siluasque atras, pelagique furores,
Vrgentem intrepidè, & Ditem contra arma mouentem
Xauerium ante omnes? Illum non vasta morantur
Æquora, non quamquam elisis tremat arduus æther
Ignibus, horrendumque tonent Aquilonibus vndæ.
Cernite, quà Brasilos Titan vicinior vrget,
Assuetos hominum membris & sanguine pasci,
Anchetam ignotâ CHRISTO *tellure trophæa*
Figentem, frendente Erebo: ruit ille per arcus
Feruidus, ignotisque madentia tela venenis;
Virtutem atque ostenta Dei, mentemque animumque
Omnia Xauerio similis. Testabitur Ormus
Sole sub ardenti Barzæum ac pondere rerum
Pænè fatiscentem. Positâ hinc formidine leti,
Securusque sui, Sinarum claustra reuellit
Riccius, attonitasque canit noua sacra per vrbes.
Nec minor insurgens animis Trigaultius: illum
Ignotas complexum animo vel nomine gentes,
Sanctus agit terras calor & maria omnia circum.
Nam quid Siluериam, aut te maxime Spinola, dicam,
Ambos maiorum titulis, virtutibus ambos
Illustres, quos letum ambos illustrius ornat?
Mastrillum versate animo, tacitisque recursent
Pectoribus tormenta: sacro madefacta cruore
Feruet adhuc Iaponum tellus, & gleba laborum
Conscia centeno promittit fenore messem.
Cur aliquem in patriâ consumat pigra senectus
Otia ducentem? &, Stygio quem armauit Auerno
Terribilem, cui tela Deus viresque ministrat,

Occup

Occupet (heu!) nudum ſpoliis ignobile letum?
Non benè firma ratis vacuâ requieſcit in algâ;
Turpe, iugum fugiens taurus piger: exuat arma
Miles iners, medioque timens ſe immittere Marti.
At non ſegnis agit, nec ſæuit molliter Orcus;
Quà luſtrat Iapones alternâ lampade Titan
Exoriens, quàque occiduo rubet aureus orbe,
Perfidus inſultat cælo, & ruit omnia, noſtris
Accumulans ſua lucra moris: rapiuntur ad vmbras
Quot ſolem aſpiciunt animæ, aſpectumque relinquunt:
Quàm multas Aquilo, ſi quando victor aquarum
Ægæo incubuit, per littora ſpargit arenas.
Credimus hæc? & adhuc ſegnes toleramus iniquum
Regnatorem orbis, ſpretique opprobria CHRISTI?
Ergo ingens Diti imperium, terrasque per omnes
Stent veneranda auro, puroque è marmore ſigna?
Mille foci caleant, & mille altaria fument?
Intereà magnus latè Deus exſulet, illo
Quod poſuit firmatque ſolo? ſpoliiſque ſuperbus
Seſe Erebus iactet pretio morientis IESV?
Ipſe ſuâ noſtras ſignarit imagine mentes
Omnipotens? inque humanos ſe fuderit artus?
Fleuerit? & pretioſam animam proiecerit inter
Terramque & cælum medius, turpi cruce pendens?
O meliùs! ſi quem non duro in pectore tangit
Aut clades miſerorum, aut læſi iniuria CHRISTI,
Arma ferat contrà, Ditemque extrema minantem
Vi multâ inuadens tractas ad Tartara mentes
Frendenti eripiat, cognatisque aſſerat aſtris.
Addet amor CHRISTVS*que animos; totâque per æquor*
Æoliâ inſurgens, habitataque tigribus antra
Ridentem ducet diſcrimina. dulce periclum eſt,
Cælo delapſas & agentes pectora flammas,
Flammarumque ſequi auctorem. ſic obuius ipſis
Tigribus intrepidus pharetrâque potentibus Indis
Ibis, & optabis mortem pro laude paciſci.
Inſurgat licet armatumque effundat Auernum
Dux Erebi, adducatque omnes in prælia Reges,
Regibus, & totâ maior ſtabis Styge. Tantùm,
O! tantùm audendum, & totâ ſpe, pectore toto,
CHRISTO *incumbendum eſt. Nec enim quos auctor* IESVS,
Indorumque ſalus, caris auellit amicis;
Quos non dulcis amor patriæ, lacrymæque ſuorum,
Non infuſa ſuper pallenti corpore mater
Detinuere; vſquam ſine curâ & numine Diuûm
Deſertos errare putes: rate vectus eâdem
Vela Deus Superique regunt, per tranſtra foroſque

Ætheree volitant mentes, Zephyrosque ministrant.
Igne licet tonet vsque polus, tonet Æolus Euris,
Vorticibus crebris circumgemat acta carina,
Æquoraque horrendùm scopulis illisa reclament;
Tu Boreæ cæliq́ue minas, pelagiq́ue furores,
Virtute exsuperans, CHRISTO *duce, & auspice* CHRISTO,
In se collectæ mirabere gaudia mentis.
Nec minùs ardenti si quando in puluere plantas,
Arentesque siti fauces sol proximus vret;
Et vix poma famem, crudæque in montibus herbæ
Quæsitæque diu ieiunia dura leuabunt;
Quando saxa super recubanti grandinis horror
Excutiet serò demissam in pectora noctem;
CHRISTI *aderit numen. tunc illa recondita mentem*
Gaudia mulcebunt, & paucis nota voluptas.
Quòd si barbaricâ Rex maiestate timendus
Innocuo insultet, furiisque agitatus iniquis
Stet contrà; excelsâ contemnes mente furores.
Ille autem rabie tumidus, vinciq́ue frementem
Exacuens animum, totusque in imagine pœnæ
Mente hærens, ferrumq́ue, ignesq́ue, rotasq́ue parabit.
Tum verò ingenti tacitam dulcedine mentem
Inuoluet, totusque animo se infundet olympus.
Fortiter & iugulum, nudataq́ue pectora ferro
Subijcies, pulchroq́ue ardebis mortis amore.
Ergo agedum, si quem propiùs pulcherrima tangunt
Exempla Heroum, si quem ferit ossibus imis
Læsus honor CHRISTI, *fœdum depone timorem:*
Neu cupias miserorum animis præferre parentum
Lentus adhuc lacrymas: nec morbum & inutile pondus
Exspectes senij natali inglorius vrbe.
Nondum inter scopulos, & inhospita lustra ferarum
Obseruata legis Patrum vestigia? nondum
Ire per obstantes rupes, & sole perustas
Impetus est, calidæque pedes immergere arenæ?
O me quis Brasilos inter Iaponásve remotos,
Implicitas errore animas, & nocte profundâ,
Ardentem sistat medium? quis per mare magnum
Nulla recusantem discrimina, nulla timentem,
Pegasus aut volucer rapiat Notus? O vbi CHRISTI
Sanguine lustratæ mentes, nunc victima Diti!
O vbi tædia mille, catenatiq́ue labores,
Quos ferro aut inflicta rotis mors pulchra rependit!
Ecquis erit iuuenum, sacro qui tactus amore
Ardeat irato mecum se credere ponto,
Exuuiasq́ue Erebi, cæloq́ue locanda trophæa
Virtutum sperare, & partam sanguine laurum?

Felices!

Felices! si quos patriâ tellure negato
Barbaricus leto dederit furor! ô malè numquam
Ista etiam multo mercamur fata labore!
O dulces plagæ! felicia vulnera, magnis
Sæpè viris totum frustrà quæsita per orbem!
Fortiter ite viri, vitæque offerte periclis
Contemptorem animum: vocat alto ex æthere CHRISTVS,
Et palmam ostentat, lemniscatasque coronas.

ECCLESIA IN EVROPA
GRAVITER OPPVGNATA
OPEM SIBI AB IGNATIO FERRI POSTVLAT.

QVæ terra, vel quis portus inhospitâ
Tellure clausus, quis tabulas sinus
Iam iam fatiscentis carinæ
Excipiet, leue pondus vndarum,
Et turbulenti ludibrium maris
Factas? Perimus, viximus, ilicet;
Iam lugubrem sonare lessum, ac
Tænarios crocitare coruos
Canesque raucis, credite, faucibus
Admurmurantes audio. Vicimus:
Omnes ïo acclament: Simonis
Illa ratis, ratis illa nullis
Frangenda sæclis, iam latus obtulit
Patetque plagis. Obruat, obruat
Fatale lignum, stare quisquis
Tartareo sua iura regi
Fidelis optat. Dic age desides
Distende pennas, Nox furialium
Fecunda monstrorum parens; &
Astra, polumque, diemque, & omne
Vnumque, fractis quod miseros solet
Seruare rebus, consilium eripe:
Gaudent tenebris monstra, noctem
Error amat, refugitque lucem.
Discede tellus, pande adamantinas
Fores opaci Ianitor atrij,
Trinoque per vastos latratu
Bella cie furibunda campos.
Vides vt omnis impatiens moræ,
In arma cæco proruat impete,
Quam nuper in cladem ac supremam
Perniciem populorum, & orbis,

Effudit vmbris tristè gementibus
Prolem nefandam Tisiphone, suum
Mirata partum, & nequiorem
Letiferâ sobolem parente.
Ergo auspicatis alitibus veni
Matris cruentæ nate ferocior,
Luthere, proiectoque sacro
Quo caput abdideras amictu,
Attolle cristas miles, & arduos
Assurge in ausus. Cernis vt aureo
Throno reclinatus, minaci
Cuncta supercilio gubernet
Rector Sacrorum Maximus Optimus?
Quin & Beatum *Romulidæ* Patrem
Dixere. Prô pudor! decoris
Nominibus titulisque vulgus
Sic imperitum ducitur. At satis
Lusum superque est. Tu triplici caput
Auro coronatos labanti
Pontifices solio reuelle.
Te ponè, tædam sanguineâ manu
Atram coruscans, impauido gradu
Sequetur, & delubra, & ædes,
Et veterum monumenta Diuûm,
Arasque ab imis sedibus eruet
Incestuoso tergora caumate
Olim notandus, mox Lemanæ
Grandis honos columenque fæcis.
Sic fata Monstra. En cæca diem rapit
Nox, consilî expers: infremuit mare;
Armantur vmbræ; sæua toto
Classica detonuere ponto.
Tu qui timendas Oceani minas,
Et præliantum iurgia fluctuum,
Pugnasque ventorum, tumentis
Stare iubes Domitor profundi,
Numen verendum, & magne poli Sator;
Succurre victis, porrige dexteram:
Promissa posco, naufraganti
Affer opem, trepidæque puppi
Succurre: non te pacta refigere
Iurata quondam, nec facilem decet
Mutare mentem, quam perenni
Cana fides adamante fixit.
At quod remotis Hesperiæ iugis
Sidus refulsit? quis, pelagi graues
Inter procellarumque rixas,
Arma citi, vocat, arma ferte?

Rerum-

Rerúmne falsâ ludor imagine?
An fortè lapsis auxiliaribus
Cælo maniplis, in recentem
Bella moues ruiturus Hydram
Alcide? an arces & clypeo minax
Et ense Orion deserit igneas
Post reppetendas quàm proteruos
Pressit humi metuendus hostes?
Agnosco vultus Hesperij Ducis,
Quem bellicosos nuper in arduâ
Celtas lacessentem Nauarrâ
Signa sequi meliora suasit
Virtus, amico non sine vulnere.
Agnosco voces: scilicet improbam
Armare pubem, vel fugaces
Credit adhuc agitare turmas.
Prælude pugnæ Victor, & inclytis
Signis refulgens nomen amabile
Euolue IESVM, *euolue: sparsisque*
Æquoreum per inane castris,
Læta imminentis tessera prælij
IESVS *secundo personet æthere.*
Loiola vinces: ter procellæ
Ter pauidi ingemuere manes.
Insigne mœstæ præsidium fidei
Loiola, magnum Cantabriæ decus
Pugnacis, arcanæ refringe
Regna Stygis, pedicasque capto &
Frustrà reluctanti inice Tartaro.
Tu bellicosi cornua Saxonis
Reuelle victor, tu Lemani
Stringe sagax rabiem colubri.
Tu iura Patris certa Quiritium
Tuere nexu non violabili:
Tu sceptra regalesque mitras
Pontificum soliis repone.
Deprome tædam Phosphore splendidam
Scientiarum, nube reconditum
Cæcutienti lumen orbi
Redde, procul tenebris fugatis.
Sic illa sæuis eruta fluctibus
Carina Petri, iam pelagi potens,
Ac tuta ventorum, ad remotos,
Auspice te, volitabit Indos.

PROPAGATIO SOCIETATIS IESV PER VOCATIONEM VIRORVM ILLVSTRIVM QVI NOMEN ILLI DEDERVNT.

ODE I.

CVm bellicosus Cantaber è tholo
Suspendit ensem; Non ego lugubri
Defuncta bello, dixit, arma
Degener aut timidus perire
Miles resigno. Me noua buccina,
Me non profani tessera prælij
Deposcit: & magnos secutus
Auspicio meliore Diuos,
Non indecorus transfuga, gloriæ
Signis relictis, nil cupientium
Succedo castris; iam futurus
Splendidior sine clade victor,
Quàm si propinquis Gadibus vltimos
Iungam Gelonos, aut Ligeri Tagus
Graues triumphato catenas
Iniiciat, Rhodanoque Bætis.
Exinde quò te quò rapuit tuus,
Loiola, Mauors? Exiguus fuit
Europa limes: nauigarunt
Ad Brasilos Iaponasque bella.
Cæloque signum credidimus datum,
Quod tot coactos vndique nobiles
Eduxit Heroas, paresque
Difficili pugiles arenæ.
Absiste vulgus: non humilis venit
Lustrandus ordo, nec popularium
Stirpem recensendam parentum
Vranie celebrare sumpsit.
Non ipse, quamquam per freta Thessalæ
Florem iuuentæ traxit, & igneos
Sopire coniuratus angues
Æolio graue vellus auro
Ferox Iason Æmonia procul
Auexit Argo, non Mareoticæ
Gemmis renidentes & ostro,
Non Agamemnoniæ phalanges,
Tot alta Regum stemmata, tot queant
Exhausta quondam bella capacibus
Iactare ceris, quas sequaces
Circùm oleæ fluitantque lauri.

Et ista Martis præmia pars quota
Præconiorum, quæ tibi pangimus,
O sanguis Heroum, ô IESV
Digna phalanx, Superûmque cura?
Vtcumque casti deficiunt genus
Illustre mores; credite Cæsares,
Paruum eminere est. Vos premendo
Nobilitas, graue pondus, vrget.
Non si Calænas vincula subligent
Aurata vites, nobilioribus
Liuebit autumnus racemis:
Nec phaleris equus & superbo
Instratus ostro certiùs aureis
Metam quadrigis vitat Olympicam
Victor: nec impexum feroces
Destituunt animi leonem.
Magnum eminere est, cùm domus, & genus,
Et quæ nec ipsi fecimus, arduis
Pensantur ausis. Vna virtus
Supra apices titulósque Regum est.

ODE II. SPECIMEN NOBILITATIS IN BEATORVM NVMERVM RELATÆ.

Callistus & Alexander ex gente Borgiâ.

Virtute mixum gloria Borgiam
Supra Calisti culmen, & asperos
Gemmis Alexandri tiaras,
Et Carolos Aquilasque vexit.
Hinc Gothalanum quod tenuit suo
Pro Rege Regnum, celsaque Gandiæ
Castella, Lombaiæque turres
Iam propè difficiles videri
Deo beatus despicit: hinc suo
Vires, vt olim, sufficit agmini,
Longos Vitellesco precatus
Et placidos sine nube soles.
Regalis illi proximus est puer,
Ac vota firmat. Quâ genitus domo!
Quot illa Torquatos, quot olim
Scipiadas, Deciosque pulchris
Eduxit armis, Castilionij
Stantes columnas. Exuuias ego
Curuasque Tuneti secures,
Et trabeas, Ducibusque signa
Detracta vidi: vidi ego postibus
Pendere sacris rostra triremibus
Erepta, captiuosque currus,
Et galeas clypeosque centum
Locis petitos. Ipse dolens pater
Tot Martialis præmia dexteræ

Aloysij Gonzagæ pater Ferdinandus S. R. I. Princeps, Marchio Castilionensis, ad expeditionem Tunetanam est profectus.

Nar-

Narratur oſtentaſſe nato;
Et precibus lacrymas remiſcens,
Per iſta, dixit, per generis decus,
Per ſpem tuorum, ſiqua mei ſubit
Te cura, ſi quidquam paternum
Grande tibi eſt, miſerere gentis,
Iſtamque, quæ te degenerem arguat,
Depone mentem. Non aliter tamen
Gonzaga ſe ſenſit paternis
Imperiis precibuſque flecti,
Quàm ſi ſonoro murmure fluctuum
Illiſa ſtarent Acroceraunia:
Aut priſca maiorum trophæa
Pulchrum abitum remorata liquit,
Quàm ſi virili ſplendidus in togâ
Pompeius olim prima crepundia
Mutaret armis, Africanos
Pænè puer meritus triumphos.
Sic irretorto lumine patriis
Ceſſiſſe fertur Koſtka penatibus,
Faſceſque, & Arctoi peroſus
Diuitias ſtrepitumque Regni.
Non illi auiti ſtemmatis inclytas
Efferre ceras. Quiſque ſibi genus,
Dignus recenſeri beatis
Ordinibus, patrioque cælo.

ODE III. Specimen Nobilitatis Lotharingicæ.

Carolus à Lotharingiâ Epiſcopus Virodunenſis Societatem ingreſſus, dein Burdegalæ Præpoſitus domus Profeſſæ.

QVis ille, Diui! quis Virodunijs
Auulſus aris, ſic alacer ruit
Largumque blandus? quo benigno
Numine, quo rapitur calore?
Iamque & peruncti verticis infulas
Remittit vltrò: non lituo manus
Gemmâque fulget: iam repoſti
Carbaſei Tyriique cultus.
Prô quantus ori depoſitâ quoque
Decor tiarâ! quantum animos rapit
Priuata iam virtus! vt intus
Ipſe ſibi ſine teſte plaudit,
Quis Regna & vrbes miſceat, vnicè
Securus! O lux, ô Lotharingiæ
Sidus coronæ, Godefridi
Progenies generoſa ſalue.
Succede paruo ſub lare, quem tibi
Loiola pandit. ſcilicet illius
Sinu reclinatus, beatos
E pateris Superorum & auro

Libabi

Libabis haustus: mox vbi te sacris
Garumna castris præpositum audiet,
Arrectus innitetur vrnæ,
Et placido fluet vnda lapsu.

SPECIMEN NOBILITATIS GERMANICÆ.

FAuete Boij. Non mihi perfidis
Extorta dextris arma, nec Imperî
Defensa Maiestas ad Albin
Carmen erit, domitusque iusto
Mœnus triumpho. Nam quid inertibus
Conflata ceruis agmina Boïcos
Contra Leones, Austriasque
Contra Aquilas poterant columbæ?
Me, Boia proles, me rapis, & sacro
Te dicar olim carmine ad Isaram
Stellis & æterno merentem
Concilio sociasse Diuûm.
Exempla vitæ non tibi dissito
Petenda Regno. Tu Superûm trahis
De stirpe mores: tu beatos
Indigetum cineres auorum
Et ossa tractas: quaque oculos iacis,
Boiæ recurrunt munera dexteræ:
Et ista Guilielmus nepoti
Tecta suo posuisse gaudet.

Habet Bauaria in insignibus Leones.

P. Maximilianus Wartenbergicus Societatis IESV.

Sanctos Bauariæ Duces multos vide apud Raderum in Bauariâ sanctâ.

Serenissimus Dux Guilielmus Collegij Monachiensis fundator magnificentissimus.

ODE IV. SPECIMEN NOBILITATIS HISPANICÆ. *Nulla hîc ferè illustrior domus non aliquem Societati dedit.*

QVem Celtibero nunc ego sanguini
Pæana pangam? quos priùs ordiar
Lustrare fastos? quem labori
Turba modum positura nostro?
Vester, Velasco, vester in arduos
Feror triumphos, siue Equitum mihi
Lubet Magistros, siue gazas
Peruuias, domitosque leto
Cantare Mauros. Quis Venetis procul
Aduentat oris, Hesperiâ caput
Cinctus coronâ? nosco baccas
Palladias, geminisque gratum
Caput Philippis. Iam sibi dicere
Mendoza leges, iam sibi fœdera
Sancire pacis, ipse Princeps,
Ipse sui sibi caussa Regni.
Audite reges: altior omnibus
Mendoza Regnis imperitat sibi.
Audite Legati: subacto
Nil animo patiens licere
Mendoza Ianum clausit, & aureo
Beatus æuo est. Hoc quoque Cordubæ

Ludouicus Velasco filius Proregis Perüani.

Ignatius Mendoza Philippi II. & III. apud Venetos Legatus.

Mens alta cauit, dum verendum
Purpureum timuisse fertur
Culmen Senatus. Quæ latebræ meos,
Dixit, timores muniuerint satis?
O (siquid indulges precanti)
Abde tuo gremio sodalem
Cohors IESV. *Tu Semiramijs*
Dicenda turris tutior arcibus,
Quam nec Typhœus, nec minaci
Subruat Enceladus tumultu.
Hanc Mascaregnæ, consilio & manu,
Texêre quondam: Cerdaque fulgidis
Hanc propter Assistens in armis,
O quoties vigilem sub astris
Duxisse noctem visus, & abditas
Nudasse fraudes! Silueriam sacer
Vt hinc reluctantes in hostes
Egit amor, trepidauit omni
Cocytus vndâ. Non Agamemnona
Tardo Scamander flumine palluit,
Non Indus æquè, cùm tepentes
Mugiit Æmathius tubarum
Clangor per auras. Ille Phrygum timor,
Et ille Pori: liuida Tænari
Palus, Atlanteique latè
Silueriam tremuere fines.
Quis Paciecos, quis mihi Poncios
Digno Leones pectine concinat?
Quæ vos, Pimentelli, gemella
Sidera, posteritas opacâ
Sub nube condet? Pectora vidimus
Fraterna Belgæ, vidimus aspero
Horrere texto, cùm Gradiuus
Sulphureum iaculatus imâ
Tellure fulmen, quà patuit via,
Formidoloso non sine murmure,
Cælumque fumantesque nubes
Increpuit. Dedit ille castris
Valloque labem, Zomaque turbidas
Concussit vndas: at Geticus furor
Sic pectus armatum nec illo
Turbine corripuit, nec igni.
Et me Padilli stemmata fulgidis
Corusca Lunis, me rapiunt tuæ
Castilla turres, me Gironi
Prisca domus, geminâque pollens
Toletus Albâ. Nec mihi Ninius,
Gusmanna proles, nec Benauidij

Antonius Corduba, repudiato Cardinalatu, ita ad B. Ignatium scripsit: *Ego cùm ad certamen id sustinendum omni caream propugnaculo, Societatem* IESV *(turris enim fortissima nomen Domini) mihi delegi.*

Duo Mascaregnæ Societatis Assistentes, vti & Nicolaus Almazan de la Cerda, qui annis compluribus lecto plerumque non est vsus, cilicio semper indutus.

Ill. D. Garcia Pimentellus, filius Comitis de Benauente, in obsidione Bergensi ad Zomam dissiliente cuniculo, castrensi crate in eum impactâ oppressus, dein repertus est aspero accinctus cilicio.

Ingenj

Ingensque Faxardi propago
Compositis reticenda neruis.
Nec Figueroæ frondibus abnuam
Mutare lauros: & mihi præ tuis
Ribera lymphis Hippocrenes
Desipiat liquor haustus amne.
Tunc Sandouallos, tunc & Osorios,
Magnosque nitar dicere Castrios,
Crucesque Alarconum coronis
Populeis hederâque cingam.
Ibera virtus, non ego barbaro
Iniecta per vos vincula Nereo,
Non Marte debellata dicam
Americes Asiæque Regna.
Sunt hæc auorum, sunt, fateor, tuæ
Trophæa gentis. Vos ego regia
Mirabor (hic vestri triumphus
Martis erat) posuisse sceptra.

ODE V. SPECIMEN NOBILITATIS ITALÆ.

Claudius Aquauiua, filius Ducis Adriæ:

NVnc ô canoræ Musa potens lyræ,
Natum regendo dic mihi Claudium:
Conside mecum, quà virenti
Antra silent laqueata topho.
Hinc obstrepentes quàm iuuat Hadriæ
Audire fluctus, quà liquido pede
Rigare laureto laborat
Dispositas Aqua Viua scenas!
Vt illa vitro purior, algidis
Manat scatebris! vt fluit vtilis
Ægris, inexpletam tenacis
Sæuitiem medicata morbi!
Certum salubres numen habent aquæ:
Et ipsa mellis flumina Thyadum
Educta thyrso, tam suaui
Terra negat trepidare riuo.
Non sæuus Auster, non pecus insolens,
Non ramus altâ lapsus ab arbore
Turbare lucentes ad imum
Vsque solum potuere lymphas.
Portenta fontis! seu salientibus
Ferire venis sidera, seu modò
Per plana terrarum quieto
Certus amat properare cursu.
Siticulosos hinc quoque Maurica
Rigauit agros: has sterilis bibit
Salsethis vndas, hei! Rodulphi
Innocuo tepidas cruore.

eius candor, & in curandis animi morbis prudentia,

morum suauitas,

imperturbatus animus,

familiaritas cum Deo in maximis negotiis.

Rodulphe, fratrem murice, te tuo
Rubere dicam ſanguine pulchriùs.
Non ille fraternum nigrantes
Detulit ad tumulum cupreſſos:
Palmis & oſtro, quà patuit, domum
Ridere iuſſit. Quando erit, vt ſacro
Te thure dignentur Quirites,
Et poſitis venerentur aris?
At ô quis imas alipedum ſonus
Compleuit aures? quis radiantium
Nouo quadrigarum tumultu
Attonitam ſtupefecit Vrbem?
Spectatis? an Mars Threïcios agit
Victor iugales? an roſeas fores
Recluſit, atque ignem vomentes
Iunxit equos, volucresque Titan
Vrget quadrigas? Aureus vndique
Collucet axis, flectitur aureo
Temone currus, fulua pictis
Signa rotis radiisque fulgent.
Quacumque velox fertur equus, ſolo
Inſultat auro, paret & aureis
Spumans lupatis, & rubentes
Fuſcat anhelitibus pyropos.
Sic nempe magno viuidus impetu
Gueuara rerum fertur inanium
Riſiſſe pompas. O Bouini
Magna domus, memoranda faſtis,
Quis veſtra me nunc ducat in atria,
Donetque, forti quos pede contudit
Cultus auorum, Ponticique
Exuuias celebrare muris?
Tunc & meam ſi Delius incola
Verſare mentem, ſi citharæ modos
Aptare non durus laboret;
Italicæ nouus hoſpes oræ,
Dicam Carafas tergeminis Patrum
Claros coronis, & ſimul ardua
Tractare terrarum potentes
Farneſios, atauosque Reges:
Dicam ſonorâ voce Caracciolos,
Terrisque & vndis æquoris audiar,
Seu clara Naupacti trophæa
Expediam Barolíve palmas.
Vrſinus albis dignus oloribus
In aſtra ferri, purpureâ teget
Vatem ſub vmbrâ, Bracciana
Quà nitidis Roſa vernat hortis.

Octauius Aquauiua Cardin[alis], intellectâ Rodulphi fr[a]tris ſui pro fide interemp[ti] morte, aulæ ſuæ parietes pu[r]pureo periſtromate ornari iu[ſ]ſit.

Inigus de Gueuara Dux Bo[]uini Vrbem ingreſſus curr[u] aureo, cuius rotæ argente[is] munitæ laminis, equi arge[n]teis ſoleis induti: dein Soci[e]tati ſe adiungit. Eius gentil[i]tia teſſera ternæ tæniæ Ponti[cis] muris maculis inſperſæ.

P. Vrſinus è Ducibus Brac[]ciani, quorum gentilitia te[ſ]ſera roſa punicea.

N[]

Nec Cæsarinos, nec mihi Spinolas
Silere fas sit, seu modò fulmina
Ament Gradiui, seu vocari
Purpurei columen Senatus.
Et Pignatellos efferet Hectoras,
Voletque fuluis Monte Leonibus
Occurrere in morem Dianæ
Musa leues religata suras.
Honorque gratæ si quis erit lyræ,
Florente cinget tempora Daphnide,
Interque Phœbeas nitebit
Iuncta rosis Mala Spina lauros.
Quæ meta tandem? quis Fabij genus,
Heu! iam sepultum, quis mihi Cæsarum
Iustinianorum secures,
Quis Comites, animæque magnæ
Pallauicinos, quis fide Dorias
Æquet Latinâ? quis Capuæ domum
Auosque Cybi, quis Spinellos,
Quosque alios numerare non est?
Sed & timendæ plenum opus aleæ,
Immensa paruum per maris æquora
Duxisse velum: flecte cymbam,
Et facilem lege Musa portum.

P. Pignatellus è Ducibus Montis Leonis, filius Comitis Moneruini.

ODE VI. SPECIMEN NOBILITATIS BELGICÆ.

ÆTerna, Belgæ, nomina cedrinis
Scribenda chartis, quis subiit genas
Pudor, verecundique nostram
Barbiton erubuere vultus?
Fallórne? & acri diripitis manu
Imbelle plectrum? Mittite, mittite
Musam laborantem, sodales,
(Quamquam humiles terat illa neruos)
Arcere cantu. Scimus, vt inclytas
Ceras, & altis diues auis genus,
Lydumque despectarit amnem
Propositi studiosus ardor.
Illustre Montmorenciadum decus,
Francisce, seu te nunc imitabiles
Inter recumbentem Cherubos
Purpureo iuuat ore dignum
Sonare carmen, tota quod audiat
Probetque latè Cælituum domus,
Seu plectra Iessidæ retractas,
Seu veteres Salomonis ignes:
Duc me per omnes militiæ gradus,
Per Christianæ primitias domus,

Francisci Montmorencij Poësis orbi iam nota:

eius gentis tessera militaris, *Deus auxilio sit primo Christiano.*

Per Principum insignes coronas,
Per patrias Aquilas, per illa
Commissa terris imperia & mari,
Per fulua Regum vellera, quæ tua
Fratrisque fastidiuit olim
Non sine Dîs animosa virtus:
Vatemque vates non dubius mone,
Gandauilanos quis Deus impulit
Mutare detritis lacernis
Oebalio saturas aheno.
Quos inter vnus materiem meis
Quantam Camœnis Ignatius dedit!
Tractare solers siue Martis
Spicula, seu pharetram Dianæ,
Siue hosticarum strenuus vrbium
Quassare portas, maluit ostij
Latere custos. Sic beatas
Ipse sibi reserauit arces.
Quis iam triumphos, quis veteres mihi
Noircarmiorum monstrat imagines,
Sculptasque laudes? Quo Philippus
Fulmine, queis animos rebelles
Contundit armis! quæ mihi Neruios
Strages per agros! qui trepidantibus
Fletus Valencenis! quis inde
Perfidiam tremefecit horror
Latè subactam! scilicet omnium
Claues in vnâ repperit vrbium
Noircarmus, & tristes fugauit
Ille dies patriæ tenebras.
At non auitis egregius nepos
Captus trophæis, altiùs emicat,
Et pauper insistit paterni
Martis opes, aliamque primis
Edoctus armis militiam pati,
Sese ipse vincit. Te quoque nobilis,
Alberte, cælorum potentes
Extulit ad Dominos triumphus.
Regum Hungarorum progenies, tibi
Non Rubra fusis Prata cruoribus,
Ferroque tempestas & igni
Odrysias populata terras,
Fecere nomen. Quid proaui manu,
Quid Marte possent, plus vice simplici
Videre Celtæ, cùm cruentâ
Decolor eluuies procellâ
Inuoluit hostem, qualis ab arduo
Bacchatus Hæmo cum stabulis sata.

symbolum gentilitium Aquilæ.

Ignatius Gandauillain Collegij Tornacensis ianitor; magnus anteà venator, & miles.

Philippus Noircarmius à sanctâ Aldegonde Tornacum, Valencenas, Traiectum, Harlemum capit: eius nepos Societatem ingressus.

Alexander Regis Hungariæ filius à S. Ludouico Rege Galli[æ] cognomentum Rubempræi ac[-]cepit, ob prata hostili sanguin[e] sæpiùs à se rubefacta: iter[um] gentilitiam parmam sanguine[is] riuis inductam: à quo Alber[-]tus Rubempræus.

Distin

Disturbat Hebrus. Parma rubro
Spumat adhuc proauita tabo.
Te pax, & albâ simplicitas comâ,
Te vincta rubris virginitas rosis
Cinxere. Nec cædes feroci
Facta manu; tua palma pura est.
Quis nuptiarum nunc mihi Regius
Occurrit auspex? quos populos sibi,
Quæ Regna, non Martis furore,
Sed placitis sociauit armis,
Armis Amoris? Dictus Hymen, procul
Auditus Indis non humili sono:
Et Bætis & Scaldis canoro
Ad thalamos coïere fluctu.
Par dulce fratrum, Regibus & Bono
Ortum Philippo, quantum atauo dedit
Hæc tæda lucis, cùm per illum
Pactus amor, geminusque dotem
Confecit orbis? Vos quoque munera,
Trasigniorum magnanimum genus,
Laudata tangunt: vos Iberûm
Nomina Lysiadumque nexu
Iunxistis vno, dum Carolus tori
Irrupta per vos fœdera sanciit:
Vos ille Phryxææ bidentis
Promeritò decorauit auro.
Nec fulua nobis vellera Gaueræ
Tacenda gentis. Vos Solymæ iuga,
Budæque, Byzantíque turres
Dicite (namque animos Rasonum
Laudastis olim) dicite fortibus
Pugnata quondam prælia Gaueris,
Palmasque Iordanis repensas
Sanguine, & impositos subactis
Duces Athenis. At grauioribus
Post ista neruis dicite latiùs
Regnasse, qui mores & æqua
Imposuit sibi iura victor.
Nec vos gemelli Castores aureis
Miscebit olim sideribus domus
Noyella, Marlæique splendor
Nominis, Hannoniíque fasces,
Sed alta magni pectoris indoles,
Amans latere, & sic meliùs nitens:
Vt nempe nox auget decoram
Tyndaridis tenebrosa lucem.

Balduinus à Burgundiâ connubij cum Philippo Austriaco Belgarum Principe & Ioannâ Ferdinandi Hispaniarum Regis filiâ initi sponsor & obses missus: à quo Philippus & Felix à Burgundiâ.

Ioannes de Trasignies, Eques & Decanus Ordinis Aurei Velleris, pro Carolo V. Isabellam Lusitanam duxit.

Gens Gauera in expeditionibus Terræ sanctæ celebrata: & ex eâ Duces Athenarum.

Nunc

ODE VII. NOBILITAS ALIIS E REGNIS AD SOCIETATEM VOCATA.

NVnc me per Euri, per Boreæ domos,
Austríque Regnum, Pegase, feruido
Defer volatu. Me Garumnæ,
Me Rhodani, Tamesísque potor,
Me Rhenus ingens, me sibi Vistula
Isterque poscunt. Conuolat vndique
Inuicta pubes: ardet omni
Pugna loco, solidúmque supplet
Virtute murum viuidus inclytæ
Ardor iuuentæ. Quo sibi robore
Ad signa Loiolæ negatum
Rumpit iter, cuneísque sese
Densat coactis? Non, si iterum graues
Crateras auro, & plaustra Corinthiis
Onusta signis, & quod vsquam
Terrifico malè blandus hosti
Obiecit hostis, callidus offerat,
Feralis vllum præda morabitur:
Si totus obluctetur orbis,
Ira Deo stimulata vincet.
O fœta magno pectora Numine,
Exempta terris! Vos neque purpuræ
Perstrinxit vsus, nec dolosis
Molliit illecebris voluptas:
Nec ordo patrum splendidus aspici,
Nec, quam superbis porticibus vomunt
Ædes salutantum cateruam,
Magni animi labefecit arcem.
Dum Roma victrix stabit, & horridas
Stygis phalangas frangere pertinax
Loiola florentes ad Eurum
Expediet Zephyrumque turmas,
Vos prompta virtus, vos niueus pudor,
Mundâque simplex pauperie domus
Vixisse narrabit, nec vllo
Posteritas reticebit æuo.
Heu! dicet, amplis quid iuuat atriis
Censere longo stemmata sanguine,
Stantesque falcatis quadrigis
Æmilios Coclitesque ponte?
Quò densa fertur nobilium manus?
Aut cur inani cæca cupidine
Torquetur, insanisque curis,
Quod petitur, malè perdit æuum?
Quidquid repugnat summa petentibus,
Hoc Marte frangunt, & generosiùs
Perire dum quærunt, eodem
Fama iacet cineresque busto.

B. ALOY-

B. ALOYSII GONZAGÆ AD SOCIETATEM VOCATIO, EIVSQVE CVM PATRE CERTAMEN.

Errà vale, patriumque decus magnique valete
Et tituli, & fastus, & vanæ insignia pompæ,
Et quæcumque placent peritura. Quid hæc mihi laudat
Vulgus iners, suadetque sequi? Mors omnia tollet
Immitis, sero nequidquam flenda dolore.
Tot clari periêre Duces, ingentia quondam
Nomina, terrori populo Regnisque superbis:
Sed nunc ignotos cineres vestigia plebis
Oblitæ calcant vili cum puluere mixtos,
Nec iam sensuros laudem, & ludibria famæ.
Atque vtinam manes pax saltem optata sequatur,
Nec miseri grauiora ferant, quos forsitan olim
Admissum scelus, & numquam reditura voluptas,
Et bona nescio quæ deceptos compede gratâ
Implicuere; at nunc æterno carcere claudunt,
Luctus vbi, flammæque, atque illætabilis horror!
Felix, ô nimium felix, quicumque dolore
Alterius sua iam sapiens discrimina vitat,
Oblitusque hominem Superûm commercia tractat!
Huc feror, huc animum cælestis concitat ardor;
Et magna affectans iam nil mortale agitat mens.
Stat, duce Loiolâ, castris dare nomen IESV,
Virtutemque Deumque sequi, paruoque beatum
Ignauas hominum cælo conuertere mentes.
Talia pertendens Lodoicus sæpè volutat,
Alloquiturque Deum sacras prostratus ad aras:
Intereà mixto gemitu suspiria rumpit,
Et teneræ vultu verba inter singula fusæ
Decurrunt lacrymæ. quales foliis hyacinthi
Manè nouo tenues cùm ros decessit in auras,
Apparent teretes guttæ, geminantque decorem.
Spes magnas vrgere parat; votisque potiri
Solicitus, matri quæ sit sententia narrat.
Illa autem, Macte ô felix, macte indole tantâ,
Dixit, & amplexu strinxit sibi pignus amatum.
Talem ego te genui quondam, gremioque recepi:
Hæc primis tecum mihi spes succreuit ab annis.
Sic genitrix: at vota piis contraria votis
Illecebris pater atque minis vrgetque fouetque,
Nec gemitus, vocésve vllas tractabilis audit.

Rr   *Heu*

Heu quid agat? quibus infelix ambire furentem
Audeat alloquiis? surdas dolor obstruit aures.
Fortè domo patriâ coniunctis ibat in hortis,
Et monumenta manu intentus voluebat, Iesv
Quæ Socij Indiacis fecissent plurima terris:
Cùm pater improuisus adest, caussasque morandi
Innectit, studiumque pium laudare legentis
Instititit, & veteres animum reuocauit ad artes.
Hîc sibi præberi Lodoicus commoda cernens
Tempora, quæ sedeat menti sententia prodit.
O Pater, ô quantum potuit tentare virorum
Parua manus! ô quos inuictâ mente labores
Sustulit! illorum in fines vox exiit omnes:
Audiit & nostris longè plaga dissita terris,
Et quos extremo circumsonat æquore pontus.
Felix, cui socium titulos & vota profana
Spernenti, sacræ licuit se iungere turmæ!
Hoc mihi sit, nec cura animum super vlla fatiget.
Senserat: ingemuit genitor, lacrymasque profudit
Indignans, longùm qui spes fouisset inanes;
Qui natum semper columen fore stirpis auitæ
Crediderat, summos illi meditatus honores.
Heu quibus ille minis, & quantis artibus vsus!
Degener, & vecors, & tali indigna parente
Progenies, laudésne paras maculare tuorum?
I quò te feret impetus, & vesania mentis,
Dignior in siluis latebrisque habitare ferarum.
Hinc patrio egressum tecto, aspectuque remotum,
Arboreas inter sedes placitosque recessus
Excepit domus, assiduis solatia curis,
Quas honor & quas vita tulit mortalibus ægris,
Hîc quondam posita; at sedes nunc apta dolori.
Hîc Fernandiades tepido dare languida fletu
Lumina dum tentat somno, insuetumque cubile
Aspexit; grauior pro somno cura recursat,
Vultumque, ardentesque oculos, rabiemque parentis
Ostendit, vexatque animum, redditque pauorem.
Nec qualem audierat metuit; sed tæter & ingens
Turbato occurrit, sæuoque immanior hoste.
Tum verò lacrymis, luctuque oppressus amaro,
Flet noctem, & longis implet loca sola querelis,
Quas siluæ & tacitis repetunt caua saxa tenebris:
Et frustrà indignos geminans leuis aura dolores,
Verbaque discerpit surdo referenda parenti.
Deinde quibus longis assuescere cœperat annis,
Pallida membra fame extenuans, hirtoque pilorum
Tegmine præcingens, diuinam exposcere pacem


Institit, infandosque Dei memorare dolores,
Verberaque & plagas; iterataque flagra cruentat;
Ferratos tenero stimulos in corpore figens.
Sic sua cum gemitu & lacrymis promissa reposcit;
Et lentum in sua vota Deum mollire laborat.
Inde iterum morbo oppressum luctuque parentem
Aggreditur: Genitor felicem reddere tu me,
Tu potes æternis miserum consumere curis.
Quidquid erit, patiar: sed dum mea vota moraris;
Imperio monitisque Dei, mihi crede, resistis.
Iam tandem placare. quid vltrà tendis inanes
Insidias? quid me retines gemitu lacrymisque,
Fidentemque Deo vanis rationibus vrges
Nequidquam? genitor, non ignorantia veri,
Heu! magnus te fallit amor, certoque repugnat
Haud impunè Dei imperio aduersata voluntas.
Scimus; & ex alto monitis cælestibus acti
Hæc loquimur: nec tu diuinas respicis iras,
Quasque vtinam liceat pro te mihi soluere pœnas.
Dixit, & auersus trepidantem & multa volentem
Dicere, & attonitâ stupefactum mente reliquit.
Tum verò cecidere animi, tum denique planxit:
Vdaque in aduersam reuoluto corpore spondam
Lumina deflectens, voluit celare dolorem.
Ergo certatim gemitus lacrymæque silentes
Ibant: solicitâ mœrorem mente premebat.
Et tamen eluctata sonant suspiria presso
Pectore, & adstantum tetigit vox flebilis aures.
Nec longum, superante Deo, natoque vocato,
O diuis dilecte, mihi me charior ipso
Nate; quid infelix volui mihi? mitte dolores,
Mitte graues curas, durumque vrgere parentem:
Vicisti. Ah, quantos stimulos sub pectore fixit
Vltima vox! sola hæc sensus animumque labantem
Impulit: auditis infensi Numinis iris
Intremui. fateor; nimio inconsultus amore
Peccaui; at crimen gemitus lacrymæque paternis
Quas cernis manare genis, luctusque piabunt.
Plura dolor vetuit; verboque interuenit omni
Singultus, totisque quatit præcordia membris.
Qualis per noctem ventos perpessus & imbres,
Infesto se flos non audet credere cælo,
Demisitque caput pluuiis graue: mitior aura
Si redit, & cælo exoriens sol lumina spargit,
Paulatim explicuit sese, lætumque sereno
Extulit os cælo rursum, frondesque resurgens.
Haud aliter, tantâ rerum mutante procellâ,

 Spe

Spe tandem optatâ erigitur, vultumque serenat,
Tanta etiam vix nunc Lodoicus gaudia credens.
Ergo alacer, toto complexus pectore patrem,
Quis te mutauit tantus Deus? hoc ego quamuis
In longis, dixit, potui sperare querelis.
Ille tuos, Deus ille graues in gaudia vertat
Quos cerno luctus, & præmia digna reponat.
Ille tamen lacrymasque ciet, frustraque laborat
Supprimere effusas cum luctisono singultu.
Quid faciat? magno nati retinetur amore.
At Fernandiades, cùm iam tempusque Deusque
Discessum accelerare monent, sua gaudia vultu
Tantisper vix dissimulat, dum diceret ipse
Supremumque vale acciperet gemitu interruptum.
Iam patriæ oblitus, Romam Sociosque requirens
Ibat diuino victor succensus amore.
Nec mora nec requies (votorum tanta cupido est)
Dum sedes tandem contingere detur amatas,
Hospitium felix, Regumque beatius aulâ.
Iamque sui victor sacris assuescere curis
Cœperat, & solers castorum fortia morum
Exempla in teneris annis Gonzaga notarat:
Tum verò ingenti virtutum impulsus amore
Exultat fruiturque Deo, Superûmque beatis
Colloquiis: neque iam mentem mortalia tangunt.
Iam lacrymas meminit lætus, veteresque querelas
Irasque, insidiasque patris, promissaque falsa,
Et sua securus Sociis iam gaudia prodit.
Mox vbi cura vocat, gaudet tolerare labores
Impositos, seseque vltrò asperioribus offert,
Constantem exercens placitæ virtutis amorem.
Ægris seruitium, generosa pericula suadet
Magnus amor. vitæ nimiùm cur prodigus audes?
Ah, tibi ne tetri noceant contagia morbi!
Iam blandum, dixit, vitæ mortalis amorem
Exuimus. raptura nihil nisi membra sepulcro,
Cùm volet, incerti spatium mors finiat æui.
Atque vtinam Brasilas pro Relligione sagittas
Tingere concessum; quantò generosiùs illis
Gonzaga effundat vitam cum sanguine terris!
Si licet, in tela immaturaque funera læti
Ibimus, & dignum referemus morte triumphum.

Socie-


Societatis IESV propagatio.



Vt ſemel accenſa eſt, ſimul implet luminis orbem.

TRans pontum celeri Socios dum admiror IESV
Diſſita terrarum peruolitaſſe pede,
Atque aliquos famam volucri præuertere curſu,
Nec paucis orbem ſat patuiſſe viris;
En tibi neſcio quis, merſâ iam lampade Phœbi,
Diſpulit accenſâ noctis opaca face.
Vix funi admotum benè fax conceperat ignem;
Nec mora, perfudit lumine cuncta ſuo.
Sic, dixi, vt ſacris Ignatius ignibus arſit,
Quà patet immenſum luxit & igne ſolum.
Confeſtim in Socios CHRISTI *transfudit amorem:*
Confeſtim Socios per mare vexit amor.
Hos Rhenumque Albimque vltra mittebat ad Arcton,
Damnatum tenebris frigoribusque ſolum:
Hos ratibus numquam notum mittebat in æquor,
Et loca pænè ipſis non adeunda feris.
Æquabant ſacros ipſo cum ſole labores,
Viſebantque omnes quas videt ille plagas.
Cuncta vbi luſtrarant quæ magnus circuit æther,
Non ſupereſſe orbes ingemuere nouos.

Societas IESV toto orbe diffuſa implet prophetiam Malachiæ.




Ab ortu ſolis vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in Gentibus : & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda. *Malach.* 1.

CErta fides Vati ; ſupplex Occaſus & Ortus,
Iam didicit flexo procubuiſſe genu.
Vltra victrices aquilas Loiola Quiritum
Inclyta ſupremi Numinis arma tulit.
Plus vltra aſsiduos Phœbique annique labores,
Plus vltra Occiduo fixa trophæa mari,
Aſſerüit numen terris. Iam plaudit IESV
Africa, & erectas tendit in aſtra manus.
Europa atque Aſia, & priſcis incognita ſæclis
Amplexa eſt Domini ſubdita terra fidem.
Nomen ad hoc ſupplex poſito tandem hoſpita faſtu
Rupit inacceſſas China ſuperba ſeras.
Ecce Iapon, Indus, Malabar, diteſque Molucci,
Agnitum in hoc IESV *nomine Numen amant:*
Quaque nouum latè Nereus circumſonat orbem,
Nomen ad hoc crebris ignibus ara micat.
Indefeſſus amor, geminum diffuſus in orbem,
Aſſerüit gemino victor in orbe Deum.

Socie-

Societas IESV omni horâ diei noctiſque Deo ſacrificat.



Iuge ſacrificium.

DVm Phœbus rutilis volans quadrigis
Terras vndique deſpicit iacentes,
Et IESV *Socios ſacras ad aras,*
(Seu mundum roſeo retexit ortu,
Seu furuis iterum reliquit vmbris)
Cælorum dapibus videt potiri,
Perculſus nimio ſtupore clamat:
Eſſe quid rear hoc boni perennis?
En IESV *Socij, genus Promethei,*
In terras rapiunt feruntque cælum:
Mox pro vindiciis beatitatis
Conſertum Superos manu vocabunt.
Si viſo indigetes Deo beantur,
Hi per ſacrificas fruuntur aras.
Et mox baſia delicata libant,
Et mox pectoris in ſinus recondunt.
Nec dapis ſaties modusque ſacræ:
Omni his deliciis fruuntur horâ,
Omni victima conſecratur horâ.
Quis iam nuntius aliger reſoluet,
Quid præſtabilius beatiusque,
Stellato in ſolio Deum intueri,
An Deo aſſiduè potiri ad aras?

Socie-


Societas Fidem toto orbe diuulgat.



In omnem terram exiuit ſonus eorum. *Pſal.* 18.

QVis fremit armorum ſonitus, clangorque tubarum?
Quis fragor audentes ad noua bella vocat?
Miſenúſne iterum, quo non generoſior alter,
Troianas rauco concitat ære acies?
An caua Tritonis maiori buccina flatu
Conuocat æquoreos, numina ſæua, deos?
Fallimur? an maior Martis ſe tollit imago?
Non ſolet is tali bella ciere ſono.
Tu genus Heroum, magnum decus addite Diuis,
Ignati, tu nos ad noua bella vocas.
Audiimus, Sociique tui tua caſtra ſequemur:
Hæc tua neſcio quid buccina grande ſonat.
Audiit & Braſilus: ferus audiit Afer, & Indus,
Quosque videt gelido Parrhaſis vrſa polo.
Hoc ſonitu perculſus Arabs ſua fana relinquit,
Et prius ignoto fert ſua thura Deo.
Hoc Iapon, hoc commota Sina eſt, tenebrisque fugatis
Subtraxit Stygio ſubdita colla iugo.
Denique quà totum radiis circumſpicit orbem
Phœbus, & æquoreis Nereus ambit aquis,
Audiris, lateque tuo loca murmure comples:
Sed quæ bella canis, nuntia pacis erunt.

Regnorum & Prouinciarum per Societatem conuersio.



Fac pedem figat, & terram mouebit.

PArue puer, maiora tuis quid viribus audes?
Demens! non illâ est terra mouenda manu.
Risit; &, Hoc, inquit, fac pes consistat inani,
Mutabit medium pendula terra locum.
Illa quidem stat mole suâ, librataque magni
Arte Dei; nostris sed superanda rotis.
Nempe vbi vim totam rota versa coëgit in vnum,
Protinus appensum machina tollit onus.
Hoc quodcumque vides, Loiolæ sacra propago,
Quà vagus immensam Nereus ambit humum,
Quà Phœbi radios vltra iacet abdita tellus,
Virtutis spatium est metaque tota tuæ.
Hîc fortem quacumque pedem defigis, in altum
Cuncta, graui quamuis mole premantur, agis.
Testis eris concussa tuis America Regnis,
Pænè tuo in Stygios pondere mersa lacus;
Sed validâ subducta manu pallentibus vmbris,
Cœpisti ignoti tecta subire poli.
Testis & Europe, medioque coërcita ponto
Africa; & hæc tenebris vtraque mota suis.
Vltima quin adeò nascentis limina Phœbi,
Vidimus hac etiam contremuisse manu.
Ima licet vastæ subsidant pondera terræ,
Euehet ad Superos ingeniosus amor.

Miſſiones ad nutum Summi Pontificis.



Emicat ad nutum Paſtoris.

ADſpice, quàm prompto partes pede currat in omnes,
Et nutus domini pendeat ante ſui.
Signat hic Occaſum? celer emicat. Indicat Ortum?
Fertur in Eoas protinus ille plagas.
A grege ſanguineos mandat cohibere leones?
Horrentes contra non timet ire iubas.
Detegit inde lupos? ruit ocyùs. inde latrones?
Irruit, & pauidum ſeruat ab hoſte pecus;
Siqúe aliquod forſan per ſaxa vepreſque vagetur,
Errantem doctâ colligit arte gregem.
Et redit, & viſum lætus ſalit ante magiſtrum,
Atque mouet promptos in noua iuſſa pedes.
Hactenus hæc fuerit, non eſt modò ſola moloſſi
Gloria, Loiolæ ſors beat iſta Patres.
Sunt aliæ pecudes, Paſtor ter maximus alter,
Et maior Stygios ars cohibere lupos.
Nec minùs exſiliunt, ſeu quærere læua ſequentes,
Seu rapere è Stygio dente iubentur oues;
Quàm, ſignante ſuo curſum paſtore, moloſſi
Ocyùs aut aquilis aut Aquilone volant.

Soci

Societas in Miſſionibus, Pontificis voluntati obſecundat.



Hæc Cynoſura mihi.

QVam benè cælorum curſus & ſidera ſeruat
Nauita, cùm dubias per freta ſulcat aquas;
Aut modò Tyndaridas quærit, claramque coronam,
Et Berenicææ lucida ſerta comæ;
Aut timet Oleniæ ſidus pluuiale capellæ,
Quæque ſolent tumidum ſigna ciere fretum;
Tam benè ſpectat acus Magnetica ſicca Trionum
Sidera, quæ gelido ſemper in axe micant.
Certius his tamen Ignatî lectiſſima turba,
Quæ magnum à magno Numine nomen habet,
Certius obſeruans aliquid, te Maxime Præſul,
Arbitriumque tuum, ſidera tuta, notat.
Cumque graues adeat pro Religione labores
(Seu petat Eoos, ſeu petat Heſperios)
Hæc, inquit, Cynoſura mihi eſt: hæc certiùs vnà
Diriget ambiguam per freta vaſta ratem.
Hanc ſpectans, pelagi fluctus tumidasque procellas
Ridet, & æquoreas Numine tuta minas.
Per iuga, per ſcopulos, per inhoſpita littora ponti,
Quæque peregrinis inuia Regna Sinæ,
Hac duce carpit iter tutum, flectitque ſequacem,
Quà vocat Vrbani nutus & aura, ratem.

Societas ad Missiones expedita.



Mittet fulgura, & ibunt; & reuertentia dicent: Adsumus. *Iob* 38.

QVi nescit celeres emissi fulminis alas,
Soliciti normam non habet obsequij.
Inuia descendens vix dissecat astra, recurrit:
Intima vix terræ tangit, in astra redit.
Ecce fatiscentis distringit culmina Pindi
Antè ferè, nubes quàm lacerasse scias.
Stratus Eryx, strato procumbit vertice Taurus;
Et redit, & rursum sternere tendit Athon.
Strauit, adest: iterumque leues transuerberat auras,
Exspectatque nouum Numinis imperium.
Fulminis hæc virtus: vt fulmina mittit alumnos
De Capitolinâ qui tonat arce Pater.
Imperat? Eoos volat hic peregrinus ad Indos;
Et volat, & velox in noua iussa redit.
Mittit ad Occasum? ruit ille. Remittit in Ortum?
Ille celer iussas itque reditque vias.
Qui procul ad nutus agit impetus, impetus idem
Ad dominum impellit præcipitare gradum.
Viuida Spes alas, Amor igneus applicat ignes,
Vimque Fides: talis quid nisi fulmen erit?

Spiritualium legatorum conditio.



Qui facit Angelos ſuos, ſpiritus; & miniſtros ſuos, ignem vrentem. *Pſal.* 103.

GEns pia quæ Domini de nomine nomen IESV
Ducis, & hunc titulum Relligionis habes,
Diſce Deus ſua quos cupiat ad iuſſa miniſtros,
Et quâ Cælicolis dote placere queas.
Fac habeas flammas, qui te profiteris amare:
Odit amor pigro pectora vincta gelu.
Adſpice plena Deo primorum pectora Patrum,
Vt nequeant tacitas diſſimulare faces.
Perpetuis clauſos lacrymis Ignatius ignes
Prodit, & ardores hæc alit vnda pios.
Sole ſub ardenti poſitos Xauerius Indos,
Orbe licet noſtro diſſita Regna, petat;
Attamen occultis imo ſub pectore flammis
Ille magis, Phœbo quàm propiore, calet.
Quid loquar aut iuuenem cui ſtirps ab origine priſcâ
Caſtilioneos clara recenſet auos;
Aut decus Imperij te Staneſilae Poloni,
Sidereas toties pectora paſſa faces?
Quid moror in terris? oculos ad ſidera tolle:
Hoc docet exemplis cælica turba ſuis.

Societatis Missiones Indicæ.



Vnus non sufficit orbis.

ESse quid hoc dicam generosæ mentis? vtrumque
Hic puer amplexus expedit ante globum.
Dic puer, an toto pectus tibi latius orbe est,
Et minor est animo mundus vterque tuo?
Sic quondam Æmathio iuueni par non fuit orbis;
Et quò non potuit prælia, vota tulit.
Ille tamen victor Regnorum, ad flumina Gangis
Constitit, & magno victus ab orbe fuit.
Maior amor Gangem superans, pelagusque profundum,
Victor in extremis finibus orbis agit.
Illius in castris qui signa sequuntur IESV
(Ignauus tali quis velit esse duce?)
Quid mirum, Herculeas vltra ac freta vasta columnas,
Quærere & Eoos, quærere & Hesperios?
Diuus amor nullis arctatur finibus; illos
Igneus Ignatî spiritus intus agit.
Exemplum ducis, atque animarum lucra decusque,
Et magno in terris fixa trophæa Deo,
Ingentes animos faciunt, quos expleat vnus
Qui dulci recreat numine corda Deus.

Missio-

Missiones noui Orbis.




Nec segnior altera cura est Antipodum.

AVrea ab Eois Phœbi lux fulserat vndis,
Grataque lux oculis fulserat ista meis:
Reddiderat mundoque diem, rebusque colorem,
Ridebat toto multus in orbe nitor:
Tunc ego: Sic semper rutiles, pulcherrime Titan,
Neu caput auricomum condere nocte velis.
Quæ, precor, inuidia est radios subducere terris,
Ac tenebris toties præcipitare diem?
Nil ago: iam præceps deuexo fertur Olympo,
Et iam cæruleo Phœbus in amne latet:
Mox etiam furuo texerunt nubila cælum
Syrmate, & in toto nox fuit vna polo.
Vt vidi infrendens, Sol ô pulcherrime, dixi,
Exsere nube caput: quæ tibi caussa fugæ est?
Forsitan Hesperium fessus (quæ fabula vatum est)
Luminis vt repares damna, cubile petis?
Fallimur: Antipodum non segnior altera cura est,
Nec tantùm nostro diuidis orbe diem.
Et miramur adhuc te, Loiolæa propago,
Tendere in oppositæ dissita Regna plagæ?
Scilicet hoc quoque solis habes, nec segnior illo es;
Hinc alia ex aliâ te quoque cura vocat.

Vocatio

Vocatio ad Societatem.



Terram deserüisse iuuat.

D*Iuinum æthereis ignem qui surpuit astris,*
Animumque similem finxit humanum Deo;
Fertur Sardonychos egesto monte lapillos,
Duri è tenebris Caucasi in lucem erutos,
Inserüisse priùs digitis; vbi clara pyropi
Lux, Phœbe, radiis faceret inuidiam tuis.
Felix chrysolithus, felix & flamma pyropi
(Natura cæco quos malè occuluit sinu)
Dum datur æthereas absterßis sordibus auras
Spectare, & aureo candicare in annulo.
Gemma hominis mens est, natiuo sidere fulgens,
Sed, heu! sepulta fæcibus terræ latet.
Quid queror? Ecce nouum terris dant astra Prometheum,
Magis auspicatas qui tulit cælo faces:
Ex re nomen habet, dio flagrat igne; suumque
Olim sepultum tot dedit gemmis decus,
Quot mundi è tenebris ad signa vocauit IESV,
Suáque tandem luce concesßit frui.
Chrysolithi certet rutilo nunc æmula cælo
Lux, dum superbo se maritat annulo.
Qui Pharias fugit Loiolâ auctore tenebras,
Cælo soloque clarius spargit iubar.

B.Aloy-

B. Aloysio Societatem IESV ingredienti.




Non inferiora secutus.

SVblimes aquilæ, volucrum generosa propago,
Ausæ oculis Phœbi solicitare iubar;
Et vos Gonzagæ, qui non sine numine Diuûm
Quatuor antiquum stemma notatis aues;
State alacres, fixasque acies intendite cælo:
Explorare nouo stemmata sole iuuat.
Cernite quos ignes, radios quos spargat IESVS;
Quæ noua cælesti lampade flamma micet.
Caligant vultus. Oculos Aloysius vnus
Figit, & obtutu mens animosa salit.
Quin (adeò haud oculos hebetant noua lumina) clamat,
O! mihi, Phœbe, nouas eiaculare faces.
Viuimus his, IESV*que tuo recreamur ab igne;*
Eia, oculos radio iam propiore feri.
Desero, quod possum, patrem, patriamque, laremque;
Vt te sole queam sic propiore frui.
Terra vale. Genitor quid pugnas? mitte querelas.
Non te, non proauis inferiora sequor.
Inuideas, frater, si credas: quosque relinquo
Discedens titulos, tu quoque ferre neges.
Me genus & stirpem iuuat ipso arcessere cælo:
Pro titulis IESVS *omnibus vnus erit.*

Tt Beato


Beato Stanislao Kostkæ etiamnum puero Societatem ingredienti.



Vt citò matureſcat.

DIus amor Koſtkæ ſimiles in imagine vultus
Viderat, & pueri carpitur igne puer.
Protinus in terras velocibus aduolat alis,
Vt magè vicino nutriat igne faces.
Tum ſic orſus amor: Puer ô digniſſime cælo,
Pande agedum teneras in mea tela fibras.
O cælo dilecte veni! ne tempora differ:
Nulla meis ætas ignibus apta magis.
Omnia prima placent. præcox in vitibus vua
Gratior, & primâ falce reſecta Ceres.
Cernis vt extento turgeſcens vua racemo
Pendeat? hæc primo flore recluſa fuit.
Clauſa minas Boreæ, nocituraque frigora vitro
Pellit, & excluſâ grandine tuta latet.
Ætatis breue ver, & primos porrige flores.
Serò relicta ſibi, plena fit vua mero.
Omnia principiis inſunt: ſpem fecit in herbâ,
Quæ modò ſtrata ſeges grandinis imbre iacet.
Dixerat: & primo ne flos marceſceret æuo,
Aut flueret mundi turbine, clauſtra dedit.
Sic decuit, teneris vt matureſceret annis,
Adderet & ſuperis cana iuuenta decus.

IMAGO PRIMI SÆCVLI SOCIETATIS IESV.



LIBER TERTIVS.

SOCIETAS AGENS, SIVE DE FVNCTIONIBVS SOCIETATIS.

CAPVT PRIMVM.

Quibus functionibus iuxta Institutum suum Societas occupetur.



VAS res aiebat esse S. Ignatius, quibus Religiosorum virorum Ordines maximè commendantur in vulgus, vitæ austeritatem, & præclara erga homines merita: quarum altera venerationem conciliat, altera amorem. Nam qui parum sibi aut nihil indulgent, asperum etiam seuerumque vitæ genus amplexi sunt; hos populus præcipuè suspicit, tamquam supra se positos: quòd animaduertat ab his illa despici, ad quæ vix alij votis audent aspirare. qui verò benefici sunt in alios, quorum labor atque industria multis est salutaris; eos amare solemus, eorumque consortium: tum quòd speremus ipsorum beneficentiam nobis etiam profuturam, tum quòd ipsum benignè facere nescio quid habeat pulchritudinis, quod rapere animos ad se solet. Patuit id in pari virorum, quos orbis vnquam vidit, sanctissimo, CHRISTO Saluatore nostro, & Ioanne Baptistâ. Ioannem, quòd aspero esset cultu, vino & communi hominum victu abstineret, locustis contentus & melle siluestri, supra antiquos Prophetas esse aliquem Iudæi suspicabantur: Christum verò, qui regiones circumiacentes totamque Palæstinam non beneficiis minùs quàm passibus obibat, ita diligebant passim, vt ab eius latere vix abirent. Quamquam etiam vtrique

Austeritas vitæ & merita commendant Ordines sacros:

que horum res eædem, quibus populo amabiles facti sunt, multorum inuidiam grauesque calumnias pepererunt: plures etiam Saluatori nostro, quòd vita huius à communi hominum consuetudine non abhorrens huiusmodi telis magis esset exposita, à quibus Baptistam horridus ille cultus,& vitæ ratio seuera in primis atque difficilis,tuebatur. Ita ferè ex iisdem fontibus amor atq; odium nascitur, æstimatio atque inuidia.

Nunc, vt ad institutum veniamus, quæ odia conflata sint Societati IESV, eò quòd muneri suo satisfaciens prodesse quàm plurimis studuerit, infrà dicendum est. Quoniam verò actum est de Principum virorum ac populorum erga eam studiis, quibus est potissimùm propagata; nunc rationi consentaneum est explicare, quibus officiis hæc in se studia ac beneuolentiam excitarit. Sunt enim Religiosis Ordinibus singulis artes quædam suæ & officia propria, propter quæ ab hominibus expetuntur: atque hæc est illa tam pulchra & ab omnibus laudata varietas (non infimum matris nostræ sacrosanctæ Ecclesiæ ornamentum) hominum ad vnum tendentium finem (nimirum Creatoris sui gloriam) tam diuersa instituta, quorum nullus eâdem ad præfixum sibi terminum viâ gradiatur. Neque enim vestium diuersitas multitudinem Ordinum Religiosorum constituit, sed actionum atque studiorum. Nam alij quidem concinendis Deo laudibus potissimùm vacant, alij ægrorum corporibus procurandis: sunt qui corporis afflictationes & voluntaria supplicia præ ceteris consectantur; atque horum alij tenuitate victus, alij cultus asperitate, alij solitudine silentioque commendantur. Seraphica D. Francisci Familia Religiosâ mendicitate inter ceteras est eximia: Prædicatorum Ordo Apostolicus ipso nomine suo præfert,quid habeat proprij sibi muneris. Prætermitto ceteros. Societatis nostræ hæc est prouincia: incumbere totis viribus in defensionem & propagationem Fidei Catholicæ, animarumque profectum in vitâ ac doctrinâ Christianâ omni studio conatuque promouere. Hoc fine diuinitus per Ignatium fuit instituta. Hanc in rem nihil à se studij, nihil officij desiderari patitur,quà publicè, quà priuatim. Publicè concionibus habendis, lectionibus sacris, & alio quocumque verbi Dei doctrinæque Christianæ ministerio, quam illustrare scriptis etiam libris hucusque non cessat: tum puerorum ac rudium in CHRISTI lege institutione, erectis in eum finem scholis atque seminariis iuuentuti optimis moribus vnà & ingenuis artibus imbuendæ: tum verò cogendis certorum hominum Sodalitiis,qui magnam Dei Matrem affectu præcipuo colunt, & singulari bonorum operum studio se addicunt. Nihil dico de frequenti Sacramentorum, Pœnitentiæ præsertim & Eucharistiæ, administratione. Priuatim verò piis colloquiis miscendis, Exercitiis spiritualibus tradendis, reconciliatione diffidentium, adiuuando captiuos, solando ægros, confirmando moribundos, denique nullum opus omittendo Christianæ charitatis,Deum hominesque sibi conciliat. Ad hæc, quia Ordo Sacerdotum sumus, quorum curæ non modò corpus CHRISTI mysticum, id est Ecclesia, sed magis etiam verum, quod in altari immolatur, concreditum est; illud etiam ex officio curamus, vt eâ quâ par est reuerentiâ res sacræ, eâque quâ decet maiestate, tractentur.

Sua sunt singulis officia propria;

Societati quid proprium.

Paulus III. & Gregor. XIII. in Bullâ conf. Societatis.

tur. Hæ artes, hæc ſtudia noſtra ſunt: ab his operibus nata primùm hæc IESV Societas eſt, his adoleuit ſenſim, in eamque magnitudinem ac robur excreuit, vt & ætatem ferat, & orbem vniuerſum impleat. hæc facere cùm omittet (quod auertat, & auertet (vt ſpero) Deus) tum IESV Societas in Societate requiretur: non erit, inquam, illa florens ac celebris à S. Ignatio inſtituta Religio, ſed alius quidam cœtus ignauus ac degener. Contrà verò dum his exercitiis ſedulò vacabit, quidquid calumnientur inimici; erit eadem Societas, quæ viuente Ignatio floruit, ſed numero auctior, ætate firmior, fructu etiam (qui Dei eſt fauor) vberior. Iam de ſingulis, quæ ſunt commemorata, videamus.

CAPVT SECVNDVM.

De ſacris Concionibus.

CONcionandi munus, Epiſcoporum proprium, cum Ordinibus Mendicantium, vt vocamus, Summi Pontificis auctoritate communicatum eſt. Societas illud geſſit ab exortu ſuo, imò cum hoc munere nata eſt. Nam & Auctor eius Ignatius concionibus claruit, eiusque iam inde ante confirmatam Societatem celeberrimas in Hiſpaniâ fuiſſe conciones accepimus, quando in agris campiſque patentibus dicendum ad populum ipſi fuit, quòd affluentem è longinquo turbam templa non caperent: &, qui Socij Ignatij primi fuerunt, dum adhuc de nouo Ordine inſtituendo conſilia agitarentur, Italiam propè omnem ſuis concionibus commouerunt: iidem mox Romæ partiti inter ſe templa locaque vrbis frequentiora, in quibus ſinguli multitudinem hortarentur, præter admirabiles animorum motus, magnamque morum conuerſionem, illud etiam effecerunt exemplo ſuo, vt ſacrarum concionum vſus, Feſto ac Dominico quoque die tum propè incognitus, Eccleſiæ conſuetudine ſit receptus. Quibus in concionibus id ſibi communi conſilio præſcripſerant Patres (quod legibus deinde noſtris præſcriptum eſt) vt iis rebus inculcandis præcipuè inſiſterent, quę ad Chriſtianam inſtitutionem, ad exſtirpanda vitia, ad inſerendas hominum animis virtutes valent: verborum lenocinia ne ſectarentur, plus agerent ardore animi atq; oculorum: denique illam orationem eſſe crederent ad permouendum aptiſſimam, quæ eſſet cum optimæ vitæ exemplis coniuncta. Hos æmulata poſteritas, Euangelicâ deinceps tubâ, quàm latè patet orbis, inſonuit. quo fructu, teſtes ſunt Prouinciæ omnes & Regna terrarum. Benedicti Palmij aureum os in Italiâ & Siciliâ, quæ miracula non patrauit? quæ non in eâdem Italiâ Achillis Gagliardi, & Silueſtri Landini? quorum conciones interrumpebat auditorum ſæpè clamor, ſanctè pollicentium ſe quæ imperarent eſſe facturos. E multis vnum referam quod de Silueſtro Hiſtoria noſtra narrat. Carregium oppidum in Italiâ ſanè magnum incredibili ardebat factionum tumultu. tanta erat gladiorum licentia, vt nullum eſſet contra furorem inimicorum cuipiam tutum perfugium: ædes ſacras peruagabantur armati, neque religio erat ad ipſas vſque aras ſtricto ferro perſequi inimicum: horrebant omnia cædibus:

Ribad. in Vitâ l. 2. c. 5.

Hiſt. Societ. Tom. 1. l. 2. num. 45.

Fructus concionum Benedicti Palmij,

Silueſtri Landini, Ibid. lib. 9. num. 44.

ad quinque & quadraginta patratæ iam erant, & nouæ indies futuræ timebantur. fruſtrà fuerat Ferrariæ Ducis interpoſita auctoritas, fruſtrà adhibiti conatus virorum tum genere, tum ſanctitate prudentiâque illuſtrium: trigeſimum iam annum durabat malum, ac dilapſis aliò, vt fit, modeſtioribus, cùm ſoli ferociores in oppido remanſiſſent, latronum erat aut ferarum quàm hominum habitationi locus ſimilior: ad ſolitudinem & excidium res vergebat. Miſſus huc Landinus, primùm agere cum ſingulis blandè cœpit, cum iis præſertim qui partium duces erant, delinire eos verbis, odiorum commemorare damna, ſalutis æternæ periculum & iniuriam Dei extollere: ad extremum non dubitauit, dum ad confertam multitudinem verba facit, citare proprio nomine Ioannem Corſum (erat is è ducibus vnus, qui concioni tum fortè intererat) & vt in gratiam redeat cum inimicis palàm iubere. quâ ille ſubitâ compellatione perculſus, ipſoque dicentis ardore ac ſpiritu territus, ferrum quo ſtabat accinctus protinus abijcit: tum volutus in genua, Pacem, ô ciues, pacem ac veniam, contentâ voce exclamat. Pacem continuò, pacem, quotquot aderant, omnes ingeminant; & qui animis armiſque infeſtis in templum conuenerant, alij aliis ipſo fortaſſis tempore inſidiantes, mox humi proſtrati ruunt in amplexus, perfuſi lacrymis, quas volui inter oſcula per ora vultuſq; mutuos toto templo vidiſſes. pulchro ſpectaculo, vt cuius quiſque ſanguinem paulò antè ſitiſſet, eius maximè lacrymas biberet. Quid non efficeret illa vox, quæ, ſi D. Chryſoſtomo credimus, quot homines flexit irâ atque odio obſtinatos, tot è duriſſimis ſaxis fontes elicuit, maiore miraculo quàm fuerit illud Moyſis potum peregrinanti populo è rupe præbentis? Quales hi inter Italos, tales fuêre in Hiſpaniâ Araoſius, Strada, Madridius. Ac Madridius quidem tantâ pollebat vi dicendi, vt ſaxa ipſa commouere loquendo poſſe vulgò ferretur: Strada verò, à cuius ore iam tum adoleſcentis, ne dicam pueri, nullis dum inſtructi grauioribus diſciplinis, in Italiâ primùm cùm vix annum ageret vigeſimum, tum quarto pôſt anno Louanij, pendebant Doctores ætate prudentiâque maturi; poſtquam tandem confirmauit ætate ac doctrinâ eloquentiam illam ſuam, tantus in hoc genere euaſit, vt verſare manibus in quam vellet partem hominum corda videretur. fuit certè, cùm vnius Quadrageſimæ concionibus ab ipſo permoti ampliùs centum, miſſo rebus humanis nuntio, in Religioſorum Cœnobia diſceſſerunt. Simillimus concionum Sebaſtiani Barradij pluribus pôſt annis in Luſitaniâ fructus exſtitit; vt iam eos clauſtra non caperent, quos voce ipſius Deus ad Religioſa caſtra Ordineſque vocitabat. Ad Petrum Ribadeneiram, cùm Louanij Latinè diceret in æde Archangeli Michaëlis eorum rogatu qui Academiæ tum præerant, Rectoris atque Cancellarij, Orator è S. Dominici Familiâ totam, quæ ad ſe confluxerat, concionem adduxit, teſtatus vtiliùs ab illo Dei verbum eſſe audituros: raro modeſtiæ Religioſæ exemplo, & quod honorificentius proculdubio illi fuit, qui tanto honore alterum afficiebat; ſed de concionatoris noſtri præſtantiâ teſtimonio non minore. De Edmundo verò Augerio quid dicam? quem Florimundus nobilis hac ætate Hiſtoricus cum altero Societatis noſtræ Sacerdote Clemente Puteano duos appel-

lat

Homil. de Dauide & Saule Tomo 1.

P. Madridij, Stradæ,

Doultreman in Viris illuſtribus.

Sebaſtiani Barradij, Petri Ribadeneiræ,

Edmundi Augerij, De Ortu hæreſ. lib. 5. cap. 2. *& Clementis Puteani.*

[i]at præſtantiſſimos, quos Francia vmquam habuit, diuini verbi præco-[n]es. Non auſim ego virum, etſi optimè de Galliis meritum, vt Reges [i]pſi Chriſtianiſſimi ſunt teſtati, hoc elogio celebrare: habuit enim ha-[b]etque Regnum illud oratores plurimos eloquentiâ & virtute eximios: [q]uibus omnibus anteponere noſtrum velle, nobis fortaſſe inuidioſum [m]agis eſſet, quàm illi glorioſum. Hoc dico, quod dici ſine cuiuſquam [i]nuidiâ poteſt, Lugdunum vrbem maximam frequentiſſimamque hu-[i]us potiſſimùm concionibus ab hæreſi eſſe vindicatam: ad quadraginta [m]illia hominum fuiſſe ferunt, quos vnus ipſe ad Fidem reduxerit, Ec-[c]leſiamque Romanam, ſolitus nonnumquam à viginti millibus pro [c]oncione audiri: pro quibus meritis cùm ei gratias ageret Carolus IX. [G]alliarum Rex, amplexus hominem beneuolentiſſimè à ſe dimiſit. [P]ar huic eſſe poterat Edmundus alter Campianus, ſi parem nactus [f]uiſſet eloquentiæ ſuæ campum. Sed enim virum diſertiſſimum, qui [c]ùm duodennis eſſet puer, vnus è totâ iuuentute Londinenſi electus eſt, [q]ui Mariam dignam immortalitate Principem Angliæ tum ſceptra ca-[p]eſſentem orator publicus ſalutaret; quem deinde iuuenem Eliſabetha [c]ùm dicentem audiiſſet Oxonij, ita expetiit, vt neſcio quæ ſumma pro-[m]iſerit, ſi fauore vti regio voluiſſet; illum, inquam, virum, cùm iam [m]aturus & perfectus orator eſſe poterat, popularium ſuorum cæca im-[p]robitas deliteſcere in angulis domorum, & non niſi in latibulis ac fur-[t]im exſerere illam ſuam dicendi incredibilem vim coëgit: quamquam [h]îc etiam, vbi moderari ſibi illum oportebat, & eloquentiam ſuam in-[f]ringere, tam erat in dicendo potens, vt concione, quam habuit extre-[m]am, qui laruâ Catholicâ tectus intererat eius proditor Eliottus, in [m]omenta ſingula imminens ſceleri, tenere tamen lacrymas non potue-[r]it. Sed hoc eſt maior Augerio Campianus, quòd mortem & laqueum, [q]uæ iſti iam vincto parata ab hæreticis tantùm fuerunt, huic etiam, quòd rem Catholicam tueretur, perditi homines irrogarunt. E concio-[n]atoribus Principum Petrus Caniſius à Ferdinando Cæſare & Alberto Duce Bauariæ (quibus Principibus debet Germania quòd abſorpta hæ-reſi tota non eſt) auidiſſimè ſolitus eſt audiri: de quo viro, quia ad Flan-dro-belgicam noſtram pertinet, alius erit dicendi locus. Magnâ apud Catholicos Hiſpaniæ Reges concionum laude floruerunt Ioannes Hie-ronymus, Gaſpar Sanchius, Hieronymus Florentia. Antonium Padil-lium cùm dicentem in ſacello ſuo Philippus II. Rex Catholicus au-diiſſet, concionem ſibi egregiam videri dixit vel ipſum Patris concio-nantis aſpectum. In Galliâ præter eum, quem dixi Augerium, Caro-lo IX. & Henrico III. Regibus gratiſſimum, concionatores Regij fue-runt famâ celebres Cottonus atque alij. In Poloniâ Petrus Scarga apud Reges in honore fuit, Stephanum ac Sigiſmundum: qui munus concionandi, antequàm noſter eſſet, à ſe ſuſceptum, triginta annos a-pud nos deinde ſuſtinuit. Longum eſſet ſingulos enumerando recenſe-re, cùm vix vlla Catholici Principis aula fuerit his annis ſuperioribus, ex quo clareſcere Societas noſtra cœpit, quæ non haberet aſſiduè orato-rem ex eâ virum aliquem eloquentiâ Chriſtianâ præſtantem. Præter-eunda mihi eſſe video innumera, quæ noſtrorum concionibus, non ſine

Ribaden. in Catal. Script.

Edmundi Campiani,

Petri Caniſij,

Antonij Padillij,

fauſtâ

faustâ hominum admurmuratione perfecta sunt: ac in primis permotas esse Principes feminas, vt ad tegenda pauperum corpora, parietibus domus suæ aulæa detraherent: alibi, vt eorumdem nuditati consuleretur, à pluribus auditorum proprias exutas esse vestes, & erant inter illos quibus nihil erat pretiosius eâ veste, quam dabant: aliàs hominum tria minimùm millia ad peccatorum confessionem vnâ adhortatione permota, exstincta inueterata odia, redditam totis oppidis pacem, sublatum è ciuitatibus vestium luxum, exhausta lupanaria, Monasteria repleta. Porrò si quæ in hoc genere perfecit vnus Gaspar Barzæus, in medium hîc adferrem, fructus non ab vno homine, sed à totâ Societate annis aliquot collectus existimari posset. Sed hunc quoque virum prætereo, inter illustriora Prouinciæ nostræ sidera opportuniùs celebrandum: hoc de assiduitate concionum eius atque indefesso studio solùm dicam, concionari illum esse solitum in singulos ferè dies; neque id semel aut in vno templo tantùm, sed eodem die sæpiùs in templis variis, in nauibus, in vicis, in custodiis publicis, vbicumque coronam hominum nactus erat: adeò vt subinde pænè toti succedentibus sibi concionibus abirent dies; idque eâ semper audientium voluntate, vt satiari non posse homines viderentur. Hoc tamen silentio præteriri non debet, quod de Feriæ sextæ concionibus Goæ à Gaspare institutis narrat in eius Vitâ Trigaultius; eâ die tantum fuisse populi confluxum, vt qui audire dicentem vellet, multis antè horis ei esset locus aliquis occupandus: nam à duabus leucis accurrebant pridie in vrbem multi, ne, si ipso die aduenissent, à ciuibus præuenti excluderentur. Hîc Gaspar sub vesperam è passione CHRISTI Domini caput aliquod tractabat, eâ vi verborum, vt qui illum audiebant, interesse coràm suppliciis, & vsurpare oculis Saluatoris sui vulnera sibi viderentur. hinc videres in populo erumpentes vbertim lacrymas, pectoris tunsiones, & ex imo corde ducta suspiria exaudires: instabat commotis animis orator, & omnem exserens eloquentiæ suæ vim, ardentissimis cum Deo, cum CHRISTO ipso patiente, cum eius mœstissimâ Matre, colloquiis id efficiebat plerumque, vt, cùm præ lacrymis ac singultibus loqui vix posset, auditorum comploratio & erumpentes in eiulatum tandem gemitus audiri etiam loquentem non sinerent. Tum ipse positis in pulpito genibus ceteri etiam in genua prouoluti, laxabant affectui suo frenos. augebat commiserationem CHRISTI inter acerbissimos cruciatus tristis adspectus: cuius effigies in arâ posita, deducto velo tum demum obijciebatur oculis, perstrepente lugubrem in modum musicorum choro. Interea prodibant è sacrario flagris instructi non pauci, qui Domino suo non solùm lacrymas, sed etiam pro sanguine sanguinem rependebant. Eam rem scribit Trigaultius malleum peccatorum fuisse. Et verò quas vires habeant ad animos permouendos CHRISTI patientis cruciatus pro concione tractati, accedente præsertim inflammatâ quâdam sacri oratoris eloquentiâ, & externis quibusdam subsidiis, quæ sensus feriant, toto iam Belgio in templis nostris sacris Quadragesimæ diebus cernitur; quando eâdem propè formâ quâ vsum Gasparem fuisse accepimus, meditanda populo passionis mysteria ter quatérve per hebdomadam

Gasparis Barzæi,

prope

proponuntur, hominum frequentiâ ac motu animorum si non tanto, quantum vir ille Apostolicus excitabat, eo certè quem summi infimique miris in cælum laudibus extollunt. Hæ in concionibus industriæ nostræ sunt, hæ artes, quibus populi pietatem religionemque nutrimus ac fouemus. Neque templa solùm aut loca sacratiora vox ista Christianorum oratorum peruagata est, sed audita etiam in plateis (quemadmodum de Barzæo iam dicere memini) vicisque ciuitatum, in ipsas vsque scelerum officinas salubriter penetrauit. Quoties è nostris concionatoribus aliquis, dum otiosis in foro hominibus sanctâ importunitate fidei ac Religionis mysteria inculcat, forum conuertit in templum, vnde inter lacrymas & gemitus ardentissimæ preces ferrentur in cælum? Quoties aliquis impudicitiam in suis castris aggressus, ex ipsis lupanaribus miseram animam, tamquam è leonis vnguibus prædam, extorsit? Sanè Ioannem Ramirium dicentem ad famosas Valentiæ mulieres (triginta huius farinæ eum audiebant) ex eo numero duas & viginti vnâ concione ad melioris vitæ institutum transtulisse accepimus. Hoc felicior Antonius Madridius, vno die Compluti, atque vnâ item concione, quotquot aderant (aderant autem quamplurimæ) quæ vitam flagitio tolerabant, ad vnam omnes ex isto cœno eripuit, omnes in portu aliquo tuto castimoniæ collocauit. Damnent iam sanè, quibus ita libitum est, genus istud compitalium concionum: pro nobis pugnat & pro consuetudine hac nostrâ messis ipsa, & fructuum collectorum vbertas, pugnant exempla sanctorum virorum, pugnat denique ac vincit irrefragabilis Apostolicæ Sedis auctoritas, cuius non permissu solùm, sed facultate etiam priuilegioque id facimus. Quamquam hoc tempore, cùm plurimis in ciuitatibus & conciones in templis multæ sunt, & frequens ad eas concursus, minùs necessaria hæc opera esse cœpit. proinde id iam parciùs fit à nobis, eò etiam quòd offensioni nonnullorum res sit obnoxia: quare eam etiam intermitti Romæ S. Ignatius aliquando voluit. Interim istiusmodi concionibus id debemus, quòd populus diuini verbi negligens, degustatâ in plateis eius suauitate, auidior factus est, & templa concionum gratiâ diligentiùs frequentat. Sed de concionibus hactenus.

Conciones in plateis, vicis, foro: magno fructu.

à Pontifice approbatæ. In Breui Pauli III. *Cùm inter.*

CAPVT TERTIVM.

De lectionibus Theologiæ sacræ ac Philosophiæ.

ALterum, in quo studiosè versata fuit Societatis opera, est munus docendi, ab eo quod iam memoraui, hoc diuersum, quòd concionatori maximè est propositum accendere audientium voluntates, doctori potiùs illuminare mentes. Vt enim in cælesti Beatarum mentium republ. duo sunt ordines dignitate præstantes; quorum alter ab ardore nomen habet, à scientiâ alter: ita hæc quæ in terris est Dei Ecclesia, ad exemplar illius cælestis, duos habet virorum principum gradus, concionatorum vnum, alterum Doctorum; quamquam non defuerunt qui in vtroque excellerent viri præstantissimi. Habuit autem

Duo in cælis ordines præcipui; duo item in terris.

noſtra Societas quem ſibi imitandum in vtroque proponeret, S.Dominici illuſtriſſimum cœtum; qui cùm non minùs re quàm nomine ſit Ordo Prædicatorum, æquè certè eſt Doctorum: eoque iam inde à parente ſuo fertur inſtitutus, vt haberet ex eo Eccleſia qui facem præferrent populis docendo, eoſdemque accenderent adhortando: quo quidem præſtituto ſibi fine ſanctiſſimi viri ſpes fraudata non eſt. Idem ſpectauit in formandâ hac minimâ Societate Ignatius, & cum Ignatio Romani Pontifices. Ignatius quidem hunc Ordinem ſuum voluit Academiarum adminiſtrationem non ſubterfugere, & in iis etiam, quæ poteſtati noſtræ ſubiectæ non ſunt, diuinas humanaſque ſcientias publicè profiteri: quod qui facerent, iis leges inſigni prudentiâ præſcripſit: Pontifices verò, ne in hoc munere nobis quiſquam obſiſteret, & vt iis, qui apud nos ſcientias didiciſſent, magiſtri laurea & honores reliqui Academici conferrentur, priuilegiis ſuis ſanxerunt. Quamquam antè etiam quàm iſta decreta, aut approbata omnino Societas eſſet, è nouem Ignatij Sociis Faber, Lainius atque Salmeron ſacras Litteras & ceteram Theologiam Romæ in publico ſapientiæ gymnaſio tradiderunt, eâ exiſtimatione doctrinæ, vt ad generale Concilium, quod non multò pòſt Tridenti celebratum eſt, hos potiſſimùm Pontifex ſuo nomine Theologos miſerit, Lainium atque Salmeronem, neutrum tum adhuc triginta & quatuor annos natum. Quorum virtus atque doctrina dum in hoc orbis theatro non minùs vtiliter quàm glorioſè refulget, ſparſi per orbem Chriſtianum ceteri ſuam etiam lucem dederunt, primùm in templis: vbi explicari ab iis diuinæ Paginæ, de Deo, de CHRISTO, de Virgine CHRISTI matre, de purgatoriis pœnis, de libertate arbitrij, deque omni vitâ Chriſtianâ quæſtiones tractari coram populo cœptæ ſunt. Qui ſacrarum lectionum habendarum in Eccleſiis mos, etſi paucis in locis poſteà eſt retentus, quòd populo non perinde rudi vtilior eſſet adhortationum vſus; hucuſque tamen à multis concionatoribus eatenus obſeruatur, vt ita partiantur conciones ſuas, vt partem temporis explanando ſacras Litteras, partem adhortando traducant. Sed præcipuum docendi laborem ſibi ſcholæ vindicant: vbi quæ ſunt in doctrinis ſacris ambigua deciduntur, quæ obſcura illuſtrantur, quæ recondita eruuntur. Quantus hîc ad laborem atque fructum Societati noſtræ campus apertus fuerit, fiet è ſcholarum multitudine manifeſtum: etſi paucas è plurimis in medium ſim prolaturus, neque hoc Capite de litterarum ſtudiis acturus; ſed tantùm de grauioribus diſciplinis, Theologiâ ſacrâ ac Philoſophiâ.

p.4. Conſtit. cap. 11.

Iulius III. Pius IV. Pius V. in bullis.

Societatis lectiones Academiarum priuilegiis gaudent.

Prima Societatis Academia

Primam Academiam habuit Societas Gandiæ à Franciſco Borgiâ Duce fundatam; alteram in Luſitaniâ Eboræ à Cardinale Henrico Regis fratre, ac deinde Rege. Præter has quæ ſunt celebriores in Hiſpaniâ ſcholæ, Doctores è Societate noſtrâ non paucos habuerunt, Salmantica, Complutum, Conimbrica. Conimbricæ etiam Philoſophiæ gymnaſium à Ioanne Rege nobis ampliſſimum datum eſt. Madriti nouiſſimè in vrbe regiâ Hiſpaniarum Academia eſt à Philippo IV. Rege noſtro Societati erecta, futura poſteris documentum & voluntatis Regiæ erga nos & munificentiæ, vel in tantâ potentiâ admiran-

mirandæ. In Galliis Franciſcus Turnonius, & Carolus à Lotharingiâ, Cardinales, hic Muſſiponti Lyceum nobis magnificum condidit, ille à ſe conditum Turnone, & iam auditorum mille ac ducentorum numero florens, noſtræ cuſtodiæ fideique commiſit. Laudata eſt etiam à Pio IV. Pontifice Maximo ciuitas Lugdunenſis, quòd Collegium ſuum, in quo ſapientiæ ſtudia tractabantur, Societati IESV formandum regendumque tradiderit. Lutetiæ, etſi multis tempeſtatibus interruptæ, redditæ tamen eidem Societati ſcholæ ſunt: Flexiæ etiam inſtitutæ nouæ: in quibus Chriſtianiſſimus Rex Henricus bis nobis cor ſuum dedit; primùm viuus munificentiâ & affectu, ac deinde mortuus in amoris perpetui monumentum.

E Galliis venio in Germaniam. Ferdinandus Rex Caroli V. frater Pragæ in Bohemiâ ac Viennæ in Auſtriâ, quæ nobiles erant Academiæ, ſed ab hæreticis fœdè labefactatæ, Theologiam atque artes ceteras docere nos voluit: idem vt faceremus in Bauariâ Ingolſtadij, effecerunt Sereniſſimi Duces Guilielmus atque Albertus: vterque inſigni erga Societatem affectu, & Regibus inuidendâ liberalitate. Dilingæ in Sueuiâ Academiam ſuam nobis tradidit Otto Cardinalis Auguſtanus: nouam erexit Carolus Archidux in Stiriâ Græcij. Moguntia, Herbipolis, Colonia, & fermè ſi quæ ſunt aliæ Catholicorum in Germaniâ ſcholæ, excultæ item à Doctoribus noſtris ſunt. Duaci in Belgio Philoſophiam ac Theologiam publicè tradimus, vti & Dolæ in Burgundiâ. Louanij Bellarmino & Leſſio Theologiam profitentibus, ſcholarum ſpatia (quòd auditores non caperent) fuere dilatanda. quæ nec ipſa quandoque auditorum frequentiæ ſuffecerunt. Omitto ceteras mundi partes, etſi non ignorem in Poloniâ atque Lituaniâ, aliiſque præthereà florentiſſimis Regnis Societatis noſtræ illuſtres ſcholas eſſe: quin etiam in remotiſſimas Americæ atque Indiæ regiones eas eſſe propagatas. Ex Italiâ vnâ contentus ero vrbe Romanâ Chriſtianæ ſapientiæ matre, in quâ nomen aliquod à litteris habuiſſe plus ferè eſt quàm alibi primas tuliſſe. Eſt hîc in Collegio noſtro, quod Gregorius XIII. paterno erga nos animo & pluſquam regiâ liberalitate Pontifex incredibili ſumptu extruxit, omnium ſcientiarum, quas tractare Religioſis hominibus fas eſt, domicilium in primis ſplendidum: ſcholæ viginti aut circiter numerantur; è quibus Theologia trecentos plurimùm habet auditores, multos è variis Ordinibus Religioſos viros. Fuit illa doctiſſimorum hominum qui vmquam in Societate floruerunt, lectionibus illuſtrata, Suarez, Vaſquez, Maldonati, Pererij, Sa; duorum etiam qui S. R. E. Cardinales fuerunt, Toleti atque Bellarmini. Ceterùm ingeniorum præſtantium copiâ, varietate nationum, diſcentium ſtudio, magnificentiâ atque omni ſplendore ſcholaſtico inter Societatis Academias hæc vna excellit. Inſigne huius gymnaſij eſt, reſidens in auguſto templo Theologia: cui adſtant ancillarum more naturales ſcientiæ, Phyſica atque Mathematica; hæc orbem cæli, illa terræ, pedibus ſedentis in ſolio Diuæ ſubiicit, hac adſcriptâ ſententiâ: *Leges impone ſubactis.* quo declarat Societas, quid ſibi cum humanis ſcientiis ſit negotij; id nimirum, vt vni ceterarum Principi ac Reginæ ſacræ Theologiæ eas faciat ancillari. Porrò in

Academia Romana celeberrima.

Vv 2 tot

tot Academiis, ſcholis, gymnaſiis, quàm multos neceſſe eſt fuiſſe lectiſſimos viros, qui ætatem docendo triuerint. Vnus Suarez annos quadraginta variis in ciuitatibus, Pintiæ, Romæ, Compluti, Salmanticæ, ac demum Conimbricæ, ab ipſo Rege Hiſpaniarum magno affectu inuitatus, diuinas ſcientias eſt profeſſus: tantâ diſcentium auiditate, vt ante lucem accenſis facibus habendæ aliquando ſcholæ fuerint; labore intereà ſuo tanto, vt faſſus ipſe ſit, doctrinæ, quâ prodigij inſtar fuit, non imparem diligentiam ſuam fuiſſe. Hoc decem annos minùs eodem munere functus eſt Gabriel Vaſquez: eo item ſtudio, vt teſtetur ipſe de ſe, præter ſacras Paginas, & omnia Angelici Doctoris Opera, iterum atque iterum & ſæpius lecta, quidquid eſt in SS. Patrum ſcriptis, accuratè à ſe eſſe & diligenter expenſum. Idem de Maldonato memoriæ proditum eſt: quem docentem Pariſiis Doctores, Abbates, Epiſcopi audiebant. Ceterorum quis labor in docendo fuerit, quæ doctrina, æſtimari ex editis in lucem Operibus nullo negotio poteſt: quæ tot hoc ſæculo ab vnâ Societate noſtrâ prodierunt, vt ad ſolum texendum eorum indicem, magno volumine ſit opus.

Suarez ſtudium ſingulare,

Vaſquez,

Maldonati.

Sed iam non id ago, vt doctrinam noſtrorum hominum Lectoris oculis hîc ſubiiciam: quem fructum docendo fecerit Societas, potiùs videamus. Primùm, ſingularis atque eximius hic fuit, quòd hac operâ conſecuti ſumus, ne in quaſdam Academias toto orbe celebres magiſtri irreperent veræ fidei proditores: quod fieri non vno loco cœperat. Alterum à ſcholis noſtris hoc exſtitit commodum, diſputationum inuecta celebritas: ſine quibus frigebant priùs diuinæ ſapientiæ ſtudia, ac ferè per Septemtrionem iacebant ab hominibus faſtidita. Excitauit animos honoris atque oſtentandi ingenij cupidos concertationum ille mos, & in quamdam diſcendi auiditatem induxit: præſertim vbi loci ipſius apparatus & virorum Principum conſeſſus lucem addere his exercitationibus cœpit. Romæ certè purpuratos ipſos Eccleſiæ Patres, quorum dignitas eminentiſſima eſt, intereſſe diſputationibus noſtris non piget: itaque ex illo Sacrorum Principum Collegio ſæpè aliqui, ſubinde decem aut quindecim, iam tum ab annis retrò quinquaginta numerabantur: vt nihil de Epiſcopis aut Regum Oratoribus dicam. Auget vtilitatem hanc non parum, quòd ea diſputandi ratio quæ Dialecticis præceptionibus continetur, celeberrimis paſſim ſcholis familiarior facta eſt, ex quo docere noſtri cœperunt: veritati tum quærendæ, tum inueniendæ aptiſſimum inſtrumentum; eoque tantopere, vt mox dicam, ab hæreticis formidatum. Fuit ex iis, qui formam eam Ieſuiticam diceret; imperitè quidem, nobis tamen, ſi verè dictum id fuiſſet, admodum glorioſè. Docet id & confirmat aduerſus eumdem hæreticum Gretſerus: formam hanc non Ieſuiticam dici, ſed potiùs Chriſtianam debere; vt quam CHRISTO atque Apoſtolis attribuit Auguſtinus, Dialectices ipſe peritiſſimus: cuius auxilio vti ſe ſolitum contra hæreticos profitetur. Eo ſæculo excitata diuinitus hæc noſtra Societas eſt, quo Religionis Catholicæ veritas plurimùm oppugnatur: congrediendum ſæpè cum his hoſtibus illi fuit, multas ex hoc certamine palmas retulit. Iacobus Lainius coram Reginâ, Caroli IX. Galliæ Regis paren-

Lectionum fructus.

Reſponſ. ad Theſes Hunij cap. 6.

Ratio diſputandi Dialectica contra hæreticos optima.

parente, totâque Regni nobilitate in conuentu Poisiacensi congregatâ, Petrum Martyrem aliosque hæreticorum principes doctissimè confutauit. Viretum, pestilentem item hæreticum, ac Religiosæ familiæ desertorem, Lugduni in Galliâ conuicit Posseuinus. Verùm hi non tam strictâ argumentatione, quàm doctâ copiosâque dictione aduersarios proterebant: minùs enim adhuc erant in vsu Dialecticæ leges: quo fiebat, vt, etsi ipsi quidem hæretici conuictos rationibus se viderent, facilè tamen euaderent, aut euasisse simularent, cùm longiore sermone & maiore etiam clamore, quàm quo erant impetiti, responderent. Ambidexter hîc fuit Maldonatus. Is apud Sedanum anno 1572. Capellum, Aolinum, Loqueum, & viginti alios Ministros Caluinistas primùm disserendo, deinde declamitando (Launæo, qui tunc Minister aderat, teste) prostrauit: nam in declamationes disputationem commutandam Ministri censuerant, quòd vim eius syllogisticam ferre non possent. Campianus in Angliâ, cùm esset ab eculeo semiuiuus in disputationem pertractus, contra Nouellum atque Dayum, magna tum Ecclesiæ Anglicanæ lumina, hac vsus ratiocinatione: Si sola fides iustificat, sine charitate iustificat: sed sine charitate non iustificat: ergo non sola iustificat; ita aduersarios perculit, vt, cùm negare ea quæ sumebantur non auderent, id solum occlamarint, vitiosam esse collectionem: quam tamen examinari ad leges Dialecticas (quod vrgebant vnicè Catholici) numquam sunt passi, ne videlicet sua aut fraus aut ignorantia proderetur. Idem cum Fulco, scriptore inter hæreticos non indocto, aliisque congressus, ita quasdam eorum argumentationes dissoluit, vt earum futilitatem ipsi agnoscerent. Impulit ea res Anglos hæreticos in eam mentem, vt existimarent cum Iesuitis in posterum tormentis potiùs certandum quàm argumentis: quâ ex pugnâ Campianus atque alij multò etiam gloriosiùs quàm ex priore triumpharunt. Prudentiùs in Germaniâ Lutherani, cùm malè sibi metuerent à sophisticâ hac, vt aiunt, disputandi ratione, studiosè eam cauteque declinarunt, tum aliàs sæpè, tum anno 1601. Ratisbonæ: vbi coram Bauariæ Duce Maximiliano, & Comite Palatino Philippo Ludouico Neoburgico, disputatum est à Gretsero ac Tannero nostris, ac tribus præterea Doctoribus Bauaris, aduersus collectam è totâ Germaniâ hæreticorum manum. Tota ea disputatio, vt est à scribis excepta, adiecto vtriusque partis testimonio, typis vulgata est: quam qui legerit, facilè intelliget quo studio hanc formam hæretici fugiant. Illud nescio, an collocutioni huic Ratisbonensi aliquâ ex parte tribuendum sit, quòd, qui tum cum Philippo patre illi interfuit, Serenissimus Wolfangus Guilielmus, tredecim pòst annis Catholicæ Ecclesiæ reconciliatus est. Hæc à me de disputationibus aduersus hæreticos dicta sunt; vt quæ sit vis syllogisticæ formæ ostenderem, & aliquid hinc debere Societati Theologiam, quòd armorum genere tam necessario diligentiùs instruat eius scientiæ studiosos. Illud ad extremum Theologis nostris adnitentibus perfectum est, vt ordo ille admirabilis ac diuinus, quem inuenit sibique in scribendâ Summâ Theologicâ præfixit S. Thomas, ab Academiis plerisque ita sit receptus, vt, omisso Magistro Sententiarum, aliâque minùs didacticâ tractandi methodo,

Formâ syllogisticâ capti hæretici.

Anno 1614. Gaultier in Chronico.

thodo, huic vni insistant. Louaniensibus vt id facerent auctor fuit præcipuè Bellarminus. Aliis prætereà pluribus in locis Doctores Academici vel exemplum nostrum hac in re, vel consilium sunt secuti. In sententiis, etsi nullius sic astricti sumus iurare in verba Magistri, vt nullâ in re liceat ab eo recedere (quod ne ipsi quidem sibi religioni ducunt, qui Thomistæ aut Scotistæ dicuntur) vnum tamen sectamur præ ceteris D. Thomam.

CAPVT QVARTVM.

De institutione iuuentutis per scholas litterarum Humaniorum.

DE scholis iis hîc agimus, quibus ad humanitatem puerorum animi conformantur. Humanum enim est non solùm loqui, sed aptè loqui docteque posse, & cum absentibus litterarum habere commercium; & quæ multis retrò sæculis ab aliis scripta sunt, qui doctrinæ laude claruerunt (qui Latini plurimùm aut Græci nominis fuerunt) ea legentem non ignorare. Hæc cui non insunt, eum, etsi naturâ homo sit, non hominem tamen, sed truncum solemus aut stipitem caudicémve nominare. Illa verò multò etiam magis ad humanitatem pertinent, obsequentem esse parentibus, amare sanguinis aut virtutis nexu coniunctos, vi & fraude abstinere, neminem odisse, nemini inuidere, erubescere flagitium, &, quod præ ceteris inculcatum oportuit, Deum religiosè venerari. Itaque, quibus in scholis tam hæc quàm illa rudes adhuc atque informes adolescentuli edocentur, eas scholas Humanitatis, &, quæ illic tractantur studia, Humaniora dicimus. Nam illud omnino indubitatum est, malè separari has in puero disciplinas, litterarum atque morum: si enim, qui litterarum sunt magistri, ij morum honestatem in postremis habeant, plurimæ sub doctrinæ pallio adolescentis animum subibunt pestes; atque illæ in primis, quibus litterati plerique ipsique adeò eruditionis antesignani, sua scripta referserunt, scurrilitas impudentia, turpitudo: quibus laus omnis ac decor adolescentiæ marcescit. Hanc prouinciam Societatis nostræ esse propriam, ex Pontificii Gregorij XIII. litteris apertè constat. ait enim, lectiones bonarum litterarum, & tam has quàm Theologiæ ac Philosophiæ, ad iuuentutem bonis moribus imbuendam, ex Societatis primæuâ erectione ac diuinâ vocatione, ab eâdem exerceri. quod nescio an de vllo prætereà Religiosorum Ordine dici æquè possit. Sed quid actum hoc in genere sit à Societate, videamus. Domiciliorum, in quibus degunt nostri, tria sunt genera: Professorum Domus, Collegia, & ea domicilia in quibus probantur Tirones. Ex his multitudo longè maxima est Collegiorum. Instituta sunt hæc studiorum causâ; ac primùm quidem, vt soli in iis erudirentur qui Societati nomen dederant: Gandiæ primùm sub Duce Borgiâ adolescentes alij nonnulli sunt admissi. Nunc in Societatem vix vllus admittitur antequàm his studiis sit imbutus: quare Collegiorum nostrorum scholæ, externorum adolescentium totæ sunt, quinæ plurimùm aut senæ in Collegiis singulis: in quibus, præter litteras, eloquent

In Priuileg. *Ædificandi intra cannas Saluatoris nostri*, &c.

Lectiones bonarum litterarum Societati propriæ.

Hist. Societ. Tom. 1. lib. 6. n. 71.

quentia etiam tam Græca quàm Latina, neque soluta oratio tantùm, sed etiam numeris adstricta, & lepos omnis poëticus, traditur. Quâ gentium omnium ac Rerumpublicarum approbatione Magistri nostri in hoc munere versentur, id aliorum iudicij facio: dicam ego, quales esse Societas eos desideret, & porrò vt sint, omni studio allaboret. Primum est, vt scientiis illis, quas profitentur, non mediocriter sint imbuti: nemo enim docet alterum, quod ignorat ipse. Quapropter, qui destinantur ad hoc munus, annum integrum tum recolendis humanioribus studiis, tum comparandâ docendi methodo, iisque consulendis, qui hoc munere cum laude perfuncti sunt, distinentur. Sed illud potissimùm spectat Societas, vt Christianâ pietate imbuatur tenera puerorum ætas. Huc spectant illæ leges quæ interesse quotidie augustissimo Missæ Sacrificio, mensibus singulis exomologesin frequentare, abstinere à iureiurando & omni morum contagione, honore prosequi Sacerdotes, Deum ac Superos piè inuocare, discipulos nostros iubent. Non immeritò certè viro id sapienti cuipiam ac docto visum est, si condita ab initio Societas sic fuisset, vt in solam institutionem puerorum incumberet, atque id faceret eo labore eâque felicitate quâ facit, aliud prætereà nihil illi defuturum ad splendorem sanctæ perfectæque Religionis: idque siue ipsius virtutem, siue vtilitatem spectes, quæ ex eâ redundat in alios. Ad virtutem quantum illud est, hominem doctrinâ præstantem, cui ampliora ad plausum proposita sunt theatra, Doctorum atque concionatorum exedræ, qui administrare ipse totius Ordinis sui gubernacula posset, contemnentem hos honorum fumos, litterario sese ludo includere, vbi spectatores admiratoresque prudentiæ suæ præter pueros, nullos habeat? Neque enim Turselinus, Tuccius, Cerda, Castrius, Pontanus, sexcenti alij, quorum in hoc studio exercitata præcipuè virtus est, ij viri fuerunt, qui non res maximas gerere cum laude potuissent; & verò etiam sæpè gesserunt. Sed nimirum veri Ignatij filij id à parente didicerant, ea munera obiri debere ardentiùs, in quibus magis humilitas exercetur & charitas. Nicolaus certè Lancilottus (qui primus, quem quidem legerim, è Societate litteras docuit, anno eius quinto) & concionator erat, & nostris regendis Præpositus, eoque animo immensam ad Indos nauigationem susceperat, vt cum Xauerio alterum illum mundum percurreret, & quocumque posset, victricia CHRISTI signa inferret: is vir non alienum putauit ab istâ excelsitate animi sui, in puerorum hærere scholâ, & primis loquendi scribendique rudimentis decantandis insistere. Hæc illi Indica erat messis, litterarum efformare apices, ac trita illa Grammaticæ præcepta ad fastidium inculcare: huic muneri tum Goæ, tum Coulani, duodecim annos impendit: hoc ipsum, cùm iam esset fractus laboribus (nam neque vlli interim labori parcebat) ac tabe propemodum confectus, tamen ad extremum adamauit: dignus sanè cuius vestigiis libenter insistant, qui è nobis salutem hominum vehementiùs exoptant. Iam qui labores in hoc sunt, quæ tædia toleranda, quæ deuorandæ molestiæ? Puerorum inculta ingenia, mali mores, inconstantes animi, pigritia, garrulitas, difficultates, querelæ quantam exhibent

Docendi munus sufficere posset ad perfectam Religionem.

Ioan. Bonif. in Præfat. lib. de Instit. Christiani pueri.

Nicolaus Lancilottus primus è Societate litteras docuit.

exhibent patientiæ ſegetem? ſanguis etiam ac ſuccus omnis in hoc opere non rarò exhauritur: imò vita ipſa nonnumquam impenditur, vt quamdam martyrij ſpeciem habere videatur. Nouimus certè aliquos quibus aut nimiâ contentione rupta eſt vena, aut nimiâ fatigatione ſic afflicta valetudo, vt recuperari poſteà numquam potuerit: vt non ſolus Caſſianus Martyr ab alumnis diſciplinæ ſuæ pro ſtipendio mortem acceperit. In hoc tam laborioſo ludo, vt animo non frangaris, dures etiam annos plures, nullâ præſertim lucri aut commodi tui ſpe, quâ tandem conſtantiâ, & quàm exaggeratâ virtute opus eſſe exiſtimamus? At ex iis quos modò nominaui, Turſelinum atque Caſtrium annos viginti duos hæc palæſtra exercuit; illum Romæ, in Luſitaniâ alterum. Stephanum Tuccium annos ſedecim Muſæ Siculæ tenuerunt; cui tamen non minus nomen à diuinis ſcientiis quàm à litteris fuit, vt qui Theologiam deinde per annos plures ſit profeſſus, ac tandem in Romano Collegio ſcholis omnibus præfuerit. Triginta ipſos annos in hoc puluere litterario verſatus eſt Melchior Cerda, partim Hiſpali, partim Cordubæ. Sed palmam eripuit ceteris Ioannes Bonifacius, quadraginta annorum curſu in hoc ſtadio indefeſſus. Commemorari præterea multi poſſent annorum viginti aut plurium magiſtri: & exiſtunt in viuis etiam non pauci, qui non alium finem laboris huius quàm vitæ exſpectant: digni profectò, quorum nomina ſequenti ſæculo traderentur æternùm victura, niſi obſtaret ipſa multitudo, & fructum ſui operis maximum hunc plerique expeterent, ſoli Deo innoteſcere. Vtilitas ex hoc opere duplex eſt: vel enim in ipſis pueris qui docentur, vel in totâ Republicâ cernitur. Pueri eos ferè mores referunt è ſcholis noſtris, quos parentes ipſi admirari ſatis nequeunt. In Germaniâ quotidiana iſta ſunt, hæreticorum filios, poſtquam ſcholas noſtras frequentarunt, neque minis induci neque blanditiis poſſe, vt quidquam deinceps à diſciplinâ Catholicâ alienum committant. Gloriatur hîc aliquis vapulaſſe ſe à parentibus, quòd diebus, quibus id vetitum ab Eccleſiâ eſt, guſtare carnem noluerit: alter ne idem faceret, triduo ieiunaſſe: alius conieciſſe ſe in ignem ingens, neſcio cuius, hæretici doctoris volumen, vnde parens quotidie ſolitus erat venenum haurire; eâ de cauſsâ expulſum eſſe domo, non pœnitere tamen patrati facinoris, malle quouis in loco precariò viuere, quàm apud hæreticos parentes delicatè nutriri: eſt qui dicat, auditis in ſcholâ rationibus, os à ſe Miniſtro hæretico eſſe occluſum. Hos ab inſtitutione noſtrâ fructus pueri referunt, non ſibi tantùm, ſed aliis etiam non rarò ſalutares. Quoties ſeruum aliquis, alius ancillam, adduxit ad Sacerdotem, eiuratâ hæreſi Eccleſiæ reconciliandos? Nec defuerunt, qui parentibus, à quibus vitam hanc mortalem acceperant, meliorem redderent & immortalem. Accidit id etiam non ſemel, vt ſolo puerorum noſtrorum conſpectu, cùm vel templum iuncti adirent, vel in eo diuinis precibus vacarent, ad fidem rectam hæretici, ad mores probos homines perditi ſint conuerſi. Iam iſti quàm ſunt ſuaues doctrinæ noſtræ fructus! adiri à nobilibus pueris mendicorum atque ægrorum hoſpitia, hîc famulari ægris eos, quibus domi etiam cum ambitione ſeruitur: ab his inferri cibos languentibus, lectos ſterni, mundari cubicula, labo-

Multi diutiſſimè docuerunt.

Vtilitas ex docendi munere.

laborioſa & abiecta ſeruorum opera exerceri: non abhorrere à conſpectu, quin etiam à contactu, fœdorum vlcerum in munditiis enutritos, & propè in materno ſinu. Quid iam illa referam communiora? fuiſſe vix duodecim annorum adoleſcentulos, qui ieiunio, flagris, cilicio identidem in ſe ſæuirent? qui bonam noctis partem orando tranſigerent, qui percuſſi iniuriâ, maxillam alteram percutienti præberent? repertus eſt etiam, qui nudo corpore ſe volutaret in niuibus; qui loris ære præfixis adeò in ſe ſæuiret, vt auerſus atque aduerſus totus ſanguine manaret: fuit, qui inflictis hunc in modum vulneribus affricaret ſalem. Antuerpienſis puer aliquis fune circum lumbos ducto, ac ſæpiùs circumacto, tam arctè ſe conſtrinxerat, vt attrito corpori inoleſceret funis; tres tamen menſes integros hunc dolorem ſuſtinuit. Atque hæc auſi ſunt facere innocentes pueri, teneri, molliter educati, qualia in ſanctis Franciſco Seraphico & Xauerio, aliiſque viris aut pœnitentiâ feruidis aut ſanctitate robuſtis, vix ſatis poſſumus admirari. Quàm obſequentes hos oportet fuiſſe parentibus, quàm religioſos in templis, quàm in omni Chriſtiani hominis officio accuratos, qui ad virtutes tantas tamque arduas adſpirare didicerant?

Lechneri Sod. Parth. lib. 1. cap. 10. de Alexand. Bertio, Michaële Ayatunio, &c.

Ad eas venio vtilitates, quæ non in priuatos homines domoſque parentum, ſed in ciuitates integraſque prouincias publicè redundarunt. Neque tamen illud attingam, quanti Reipublicæ interſit iuuentutem rectè inſtitui: quæ res eſt à Petro Ribadeneirâ, Franciſco Sacchino, Ioanne Bonifacio noſtris, atque aliis abundè tractata: hoc dumtaxat oſtendam, quid ſit in Chriſtianâ Republicâ ſcholis noſtris effectum. At primùm, ſi dicerem, Societatis præcipuè operâ florere non paucis in Regnis humaniores litteras; inſignis ea arrogantia aliquibus fortaſſe videretur. habeo tamen auctorem huius aſſertionis meæ Regem magni iudicij ac prudentiæ: Henricus IV. is fuit Rex Galliarum, quem publicè ferunt coram Regni Proceribus id affirmaſſe; Societate è Galliis diſcedente, Muſas quoque illinc abijſſe, cum reuertente eſſe reuerſuras. Sed ne ſumamus nobis ipſi tantum, quantum Rex Chriſtianiſſimus tribuit: illud certè nemo diffitebitur, artes, quæ erant antè mercenariæ, liberales à nobis & gratuitas eſſe factas: vnde quis non videt doctorum virorum numerum incredibiliter eſſe auctum? Sed minus iſtud eſt: hæc maiora. Serpenti latè hæreſi, ac totum, vt videbatur, orbem inuaſuræ hac maximè ratione obuiàm eſt itum. Regnum Poloniæ, ſi Florimundo Hiſtorico credimus, hac viâ eſt præcipuè vindicatum. Sed Regibus certè ipſis credamus, Stephano atque Sigiſmundo: quorum vterque in condendis noſtrorum Collegiis atque ſcholis teſtatus id eſt frequenter; hoc vnicum eſſe medium rem Catholicam in Poloniâ promouendi, & corruptas hæreſi mentes ad ſanitatem reuocandi. In Germaniâ Ferdinandus I. Imperator, & antidotum contra hæreſes efficaciſſimum, ſcholas à ſe noſtras adhibitas eſſe ſcripſit; & ipſe rerum vſus nos docet, quàm parum in iis Germaniæ partibus propagata ſit illa peſtis, imò quantum etiam imminuta ſit, vbi in obicem hunc impegit. Neque minor eſt inter Catholicos fructus. Religioſorum Ordines è noſtris gymnaſiis, tamquam è ſeminariis, magnum incrementum accepiſſe; non noſtra

Ioan. Argenta lib. ad Regem Polon. cap. 7.
Henrici IV Galliarum Regis de Societate teſtimonium,
De Ortu hæreſ. l. 4. cap. 13.
Ioan. Argen. ſup. cap. 5.
Stephani & Sigiſmundi Regum Poloniæ, Ferdinandi I. Imp.

vox eſt, ſed ipſorum qui illis præſunt. Iam quot ſunt in curiis Senatores, quot in vrbibus Iudices, quot vbique ſummi Magiſtratus, quorum prudentiâ maximæ res geruntur, qui fateantur, induſtriæ virtutisque quam habent, à nobis prima poſita eſſe fundamenta? Reges etiam ex inſtitutione noſtrâ & ſummi Principes prodierunt non pauci. Rex Luſitaniæ Ioannes III. filium Principem Ioannem Simoni Rodericio, vni è decem primis noſtris Patribus, erudiendum commiſit: idem cùm è vitâ decedens heredem Regni relinqueret Sebaſtianum nepotem ſuum, puerulum tum triennem, vt præceptor è Societate puero daretur, extremis vocibus mandauit. Functi ſunt eo munere Ludouicus Conſaluius primùm, tum Ignatius Martinez: quorum educatione ita ad virtutem omnem Rex puer profecit, vt in eâ ætate vitam duxerit, qualem fuiſſe ſub matre Blancâ S. Ludouici Gallorum Regis hiſtoriæ meminerunt. atque vtinam apud adoleſcentem valuiſſent æquè magiſtri conſilia, ac valuerant apud puerum præcepta! Poloniæ Rex Stephanus nepotem item ſuum Principem Tranſiluaniæ Sigiſmundum in diſciplinam Societati tradidit. Ex Archiducibus Auſtriæ, Ducibus Bauariæ, ſummis quibuſque Germaniæ Italiæque familiis, quot & quanti diſcipuli noſtri fuerunt? De Ferdinandi II. laudibus nulla poſterorum ætas conticeſcet: de quo Imperatore, cùm viueret, ita reſcribebat ad ſuam Sanctitatem Apoſtolicus Nuntius, vt negaret poſt Conſtantinum, parem in Eccleſiâ illi fuiſſe, quem omnium ordinum homines, ipſique inter eos Pontifices Summi, non dubitarunt Imperatorem ſanctum appellare: de quo, qui Eccleſiæ hucuſque præeſt, Pontifex Vrbanus ita gratias agit Deo, vt dicat Cæſari ab ineunte ætate eum virtutis amorem, eamque æternorum bonorum cupiditatem fuiſſe iniectam, quæ illum ad vitam tot annorum ſpatio innocenter traducendam impulerunt. Huius tanti Principis tam pia atque ſancta educatio, etſi parenti tribui meritò debeat feminæ religioſiſſimæ Mariæ, cuius filij atque filiæ propè omnes, (è quibus Reginæ tres fuerunt) ſanctitatis famâ & innocentiæ celebrantur; ſuam tamen laudis partem aliquam ex eâ Societas decerpit, à quâ eſt puer litteris & virtutibus inſtitutus. quam inſtitutionem adeò agnouit optimus Cæſar, vt poſteà Societatis filium ſe diceret, ſæpè & ſcriberet. Viuunt etiamnum atque imperant è Societatis diſciplinâ Principes, quorum religio, vita, mores teſtantur, regiam indolem haudquaquam in ipſis fuiſſe degeneri educatione corruptam. In Eccleſiis Paſtores populorum, Doctores, Præpoſiti, Abbates, Epiſcopi plurimi è ſcholis noſtris prodierunt: ipſi denique Romani Pontifices, vt de aliis taceam. Cuius gloriæ ac voluptatis nobis eſt, diſcipulum aliquando gymnaſij noſtri fuiſſe Vrbanum VIII? Hîc nimirum illa docti Pontificis Muſa ſuauiſſima nata eſt, cuius cantu omnia reſonant loca terrarum: hîc illa indoles, & natum ad maxima ingenium exſerere ſe primùm cœpit in paruis rebus: hîc incunabula ſunt prudentiæ, tot deinde ac tantis muneribus functæ: hîc denique formata eſt à teneris illa virtus, cui iam tum ſupremum infra ſe ſolium diuina Prouidentia præparabat.

Regum & Principum pueritia à Societate instituta.

Vaſconcell. in Sebaſtian.

Lamormaini cap. vlt. Vitæ.

Vitæ Marg. Auſtr. c. 6.

Lamorm. cap. 15.

Pontifex Vrbanus VIII. Societatis alumnus in ſcholis.

Teſtimoniis abſtineo, quæ adferre in laudem ſcholarum noſtrarum

possem multorum & maximorum virorum; quando pro se satis res ipsa loquitur. Vnum tamen præterire nequeo Congregationis Cardinalium pro dubiis ad Tridentinum Concilium deputatæ. Sic rescribit illa, vbi de Magistris constituendis agitur per Seminaria, qui iuuentutem litteris informent: *Si reperiantur Iesuitæ, ceteris anteponendi sunt.* Grauis laus: tum quòd ab ipso sacrosancto Senatu, atque Eminentissimis Principibus est profecta; tum quòd hac in re nostrorum operam præ ceteris absque vllâ exceptione commendat. Nostrum erit videre, ne quam excitauimus in Ecclesiâ opinionem de scholarum nostrarum præstantiâ atque fructu, minus aliquid præstando fallamus.

Cardinalium Cong. Concilij Tridentini de Societate pro scholis seu Seminariis testimonium. Respons. 231. circa decret. Trid. sess. 23 c. 18. de Reform.

CAPVT QVINTVM.

De institutione iuuentutis per Seminaria ac domos Conuictorum.

QVòd plurimùm referret in vtramque partem, quomodo ætas tenera educetur; illius non institutionem tantùm in scholis, sed familiarem etiam domi curam, sibi suscipiendam esse Societas existimauit. In multis enim adolescentibus, quæ ædificata sunt in scholis, destruuntur domi. Delicata res est in puero honesta atque liberalis indoles: nisi solicitum custodem nacta sit, facilè deteritur aliquid exemplo & familiaritate peiorum. Neque ea semper in parentibus industria est aut cura, quâ tantus thesaurus rectè seruetur: negotia multos impediunt tum publica, tum priuata: matres amor excæcat, & præpostera quædam indulgentia: pædagogos è mercenariis quot inuenies, quibus tantum pignus tutò committas? plerisque id erit magis cordi quod commodum sibi est, quàm quod alumnis salutare. quos ardens Dei amor & benè merendi de aliis studium operi huic addixit, ij sunt demum, à quibus exspectari iuuentutis educatio optimo iure debet. Quid est hac in re præstitum à Societate? In Prouinciis ferè singulis domicilia sunt, in quibus viuunt sub eius curâ adolescentes: Romæ, Ingolstadij, Herbipoli, Goæ, Parisiis, Flexiæ, Montibus Hannoniæ, Vallisoleti, Hispali, Audomari, Antuerpiæ. In his Principum virorum filij multi sunt, multi Marchiones, Comites, Barones, illustri loco nati plurimi: in quibusdam omnes nobilitate sunt illustres. Hos ita instituunt Patres nostri, vt virtutem, quæ molesta & perdifficilis est hominibus, familiarem iis reddant, & quasi in alteram vertant naturam. Consuescunt hîc à teneris adolescentes, primas diei horas non turpi somno atque ignauiæ (quod est familiare aliis) sed, inuocato ritè Deo, labori Musisque impendere. Sua habent præstituta singulis actionibus tempora: meliores horas litterarum studiis, alias ad studia minùs aptas relaxationi corporis tribuunt; quo fit, vt omnia agere ordinatè discant, &, quantum occupationi cuique debeant temporis, metiri. Ipsa relaxatio sine studio aliquo curâque non est: loqui enim inter ludendum latinè iubentur, duplici fructu: nam & lingua perficitur, &, ne dissoluantur animi remissione, cauetur. In mensâ liberaliter habentur, non indul-

Seminariorum disciplina egregia.

 genter:

genter: linguæ tamen, quæ hîc maximè est lubrica, frenum iniicitur; & ne defixus in pastu animus & cogitatio tota sit in patinis (quod quidem pecudum videtur esse magis quàm hominum) illa iis præleguntur, è quibus non doctrinam tantùm, sed & virtutem hauriant. nutus etiam gestusque ipsi comedentium obseruantur, ne quid obrepat moribus indecorum. Atque hæc non minis adeò fiunt aut terrore verberum, quàm vigilantiâ assiduâ, ac præsentiâ Magistrorum. Nemo, cùm peccauit, subitò aut iracundè percutitur, nemo conuitiis incessitur, ne nomen quidem contumeliosum auditur: non habet hos aculeos Religiosa seueritas: multa dissimulando corrigit, multa suauiter ac blandè monendo. si obiurgatione opus est aut pœnâ, sic eas adhibet, vt ferè animaduertant ipsi qui corripiuntur, fieri id spe emendationis, non cupiditate vindictæ. Hinc Magistrum adolescentes reuerentur potiùs vt patrem, quàm vt vindicem timeant. Hæc eos reuerentia absterret à vitiis; nec ferè alterius timore supplicij opus est: offendisse, supplicium est pluribus: inquietas agunt noctes, iniucundos dies, dum recipiantur in gratiam. Iam illa multùm etiam à peccando auocant (quod notasse se scribit Simon Verepæus in adolescentibus curæ nostræ commissis Coloniæ) frequens peccatorum confessio, & sacræ Eucharistiæ perceptio; quæ vsitatiora his, quàm ceteris nostris discipulis esse solent: item ista pietatis exercitia quotidiana; matutina precatio, discussio animi ante noctem, per diem Virginis-matris pia salutatio, quæ præterire nemo permittitur. Ipsa domus & parietes contubernij ad seruandam innocentiam faciunt. Nihil hîc in oculos incurrit pueri quod periculosè videatur: societas nulla est nisi cum eiusdem disciplinæ sociis; inter quos nemo toleratur vnde pestis aliqua afflari ceteris possit. Mira est inter omnes concordia, honesta familiaritas, ingenua consuetudo. Tantum valet numquam intermissa custodia, & oculus semper intentus ac peruigil. Corporum etiam cura geritur non parua: ne quid desit adolescentibus ad honestam oblectationem, ne quid ad decentem corporis cultum, ne valetudini quidquam incommodet: munditίes diligentiâ tantâ curatur, vt maior esse non possit: ægris verò seruitur eâ charitate & obsequio, vt pueri delicatè nutriti matris affectum illo maximè tempore non requirant. Hæc quamuis laboriosa, & ipsis parentibus molesta nonnumquam sunt; Religiosis tamen viris, Dei honorem atque animorum vtilitatem spectantibus, periucunda. Omnibus nimirum omnia nos charitas fieri voluit, vt omnium saluti atque commodis seruiremus: concionatores populis, doctores discipulis, barbaris Euangelii nuntios, hæreticis pacis sequestros, fluctuantibus consilium, ægris solatium, hortatores viris, iuuenibus directores, pueris nutritios propè atque pædagogos. Neque ea res parua aut Religioso homine parum digna videbitur, fructu eam suo, non externâ specie metientibus. Doctor erat orbis terrarum Hieronymus, & vnius infantulæ magisterium ambiebat. Verba eius hæc sunt, quibus Lætam hortatur, vt Paulam filiolam ad se mittat vnà cum Eustochio virgine nutriendam: *Ipse, si Paulam miseris*, inquit, *& magistrum me & nutritium spondeo: gestabo humeris, balbutientia senex verba formabo; multò gloriosior mundi Philosopho, qui non*

In Institut. scholast.

Ad Lætam de instit. filiæ, sub finem.

Regem

Regem Macedonum, Babylonio periturum veneno; sed ancillam & sponsam CHRISTI *erudiam, Regnis cælestibus offerendam.* Parens noster Ignatius quanti faceret hanc iuuentutis institutionem domesticam, in suscipiendo Romæ Germanico Collegio declarauit: quod tanto affectu curâque complexus est vir sanctus, vt, Pontifice Iulio III. è viuis sublato, cuius præcipuè liberalitate id Collegium steterat, sæuiente ad Vrbem bello & annonæ secutâ charitate, cùm dimittere adolescentes necessitas propè cogeret, maluerit eos partim in Societatis domicilia alendos distribuere, partim Romæ conquisitis à se pecuniis & contracto ære alieno sustentare. Cuius Collegij à Gregorio XIII. magnificè posteà stabiliterque fundati (quod futurum diuinitus Ignatius prædixerat) amplissimos huc vsque fructus Germania percipit. Enimuerò nullum firmius præsidium aduersus hæreses reperiri potest, ipsorum testimonio Romanorum Pontificum, nullum remedium certius, quàm si ex infectis prouinciis adolescentes, quorum animi teneri atque molles facilè capiunt quidquid impresseris, & idem diutissimè seruant, doctrinâ sanâ & Catholicis moribus imbuantur. Post Germaniam, huius antidoti vim atque energiam experta est Anglia: cui Religionis veræ reliquias, difficillimis illis Elisabethæ Reginæ temporibus, Seminaria conseruarunt: Seminaria, inquam, non Clericorum magis aut Sacerdotum, quàm Martyrum. Expertæ sunt ceteræ nationes, quarum prouincias infernalis illa orbis fax hæresis ambussit. Ad viginti enim vnus Gregorius Pontifex iam antè memoratus, per Italiam, Germaniam, Galliam, Sarmatiam, Pannoniam, huiusmodi Collegia excitauit, singulis propè gentibus singula, atque vni subinde plura: Anglis Rhemense, & alterum Romæ: Germanis ad Romanum illud, aliud adiunxit Dilingæ: Bohemis proprium erexit Pragæ, Olomucij Morauis, Viennæ Austriacis, Stiriacis Græcij, Fuldæ Saxonibus. Pruteni quoque & Sueci, Lituani, Hungari, Transiluani, Scoti & Hiberni ædes ab eodem Pontifice suas habent non parcè dotatas. Atque hæc Collegia propè omnia nostrorum hominum operâ gubernantur. Adde his quæ Vallisoleti, Hispali, Audomari à Regibus Hispaniarum Catholicis (quibus ea laus propria est ac propè singularis, pro Religionis augmento ac præsidio regias opes profundere) Anglicanæ iuuentuti incredibili munificentiâ sunt extructa. adde quæ à viris Principibus & Episcopis pluribus post salubre illud Concilij Tridentini decretum sess. 23. cap. 18. de Reform. erecta variis in locis fuerunt, & nostræ fidei curæque concredita. In Indiis qui CHRISTI cultum è Societate propagant, hanc ferè lucrandi barbaros viam ineunt: pueros aut prece impetrant à parentibus, aut à dominis pretio redimunt: hos alunt apud se domi, formant, erudiunt, excolunt Christianis moribus atque institutis: ex his Euangelij præcones exsistunt, qui popularibus suis CHRISTVM annuntiant: ex his Patrum interpretes atque duces. quos vbi adspiciunt Barbari sui generis & sanguinis homines, pulchritudine capti virtutis, (quæ in coniunctissimis quibusque splendet illustriùs) desiderant etiam ipsi in huius gloriæ communionem admitti. Amplissimum est puerorum huiusmodi Seminarium Goæ à Regibus Lusitaniæ eâ magnificentiâ

S. Ignatius quanti fecerit iuuentutis institutionem.

Greg. XIII. in institut. Seminarij Anglorum Romæ, & Clem. VIII. in approbat. Semin. Vallisolet.

Ciaconius & Tuccius in oratione funebri Greg. XIII.

Seminaria à Pontifice excitata:

à Regibus Catholicis, aliisque viris Principibus.

Seminarium Goanum variarum nationum adoleſcentibus frequens.

tiâ conditum, vt cum Europæis quibuſque Collegiis certare poſſit. In hoc Brachmanes, Perſę, Arabes, Æthiopes, Armeni, Chaldęi, Cananorij, Guzarates, Dacanij, Malabares, & ex omnibus cis & trans Gangem Indiæ regionibus atque inſulis adoleſcentes educantur. Suſcepta eſt huius Seminarij cura à Xauerio primùm, eiuſque ſocio Paulo Camerti impoſita: vt videatur Deus per duos è Societate ſummos viros Ignatium atque Xauerium inducere hanc in mores noſtros conſuetudinem voluiſſe, tum ad reuocandos in Eccleſiam exerrantes hæreticos, tum ad barbaros aduocandos. Camertis verò in hac adminiſtratione virtus & ſolertia tanta fuit, vt quæ noxia ſuſtulerit, quæ vtilia excogitarit feceritque, animarum lucro ſemper intentus, negent grauiſſimi viri, qui oculis ea non ſubiecerit, quemquam aſſequi cogitatione poſſe. Iapones etiam ſua habuerunt Seminaria Societati noſtræ ſubiecta, Funai, Arimæ atque Anzuchxamæ, à Gregorio XIII. fundata (quem Pontificem audeo dicere liberalitate hac ſuâ & curâ quam pro Seminariis habuit, meliùs eſſe de Religione Catholicâ meritum, quàm ſi eius potiſſimùm operâ prouinciæ aliquot Turcis eſſent ereptæ) ac deinde etiam Nangaſachi. Sed prô dolor! cùm florerent maximè domus hæ, Arimenſis præſertim & Nangaſachenſis, fructuſque iam lætiſſimos promitterent, velut in herbâ meſſem hanc perſecutorum furor ſuccidit. ſpes tamen eſt fore vt vberiùs aliquando repullulent, tot Martyrum ſanguine irrigatæ. Intereà in aliarum prouinciarum Seminariis Iapones educantur adoleſcentes, Macai maximè apud Sinas: vbi ſub noſtrâ viuunt curâ magni illius Franciſci Regis, à quo Romam Legati ad Pontificem venerant, pronepotes pueri duo, futuri fortaſſis aliquando fidei in Iaponiâ aſſertores, aut vitam pro eâdem (quæ Regum purpura eſt longè pulcherrima) martyrio poſituri. Hæc ſunt quæ ex curâ atque educatione domeſticâ iuuentutis partim videmus bona, partim ſperamus.

Gregorij XIII. in fundandis Seminariis munificentia.

CAPVT SEXTVM.

De puerorum & rudium inſtitutione per catecheſin.

Inſtitutio puerorum longè vtiliſſima.

NVllum propè Regnum, quò quidem Religio Chriſtiana penetrauit, vberem è ſcholis noſtris fructum non colligit. Sed quàm ingens ſupereſt teneræ ætatis turba, quæ in huius partem felicitatis non venit? quæ ſi non rectè inſtituatur, ſi non imbuatur neceſſariâ ad ſalutem diſciplinâ, ſi moribus homine Chriſtiano dignis non informetur; quanta iuuentutis pars inculta aut ſterilis maneat, aut ſilueſcat? quantam, quàm innumerabilem multitudinem perdat ſola viæ ad vitam ducentis ignoratio? Videret hæc Ignatius, & non penitus exardeſceret? non ſibi ac ſuis prouinciam illam ſuſcipiendam putaret? non eum laborem imperaret, numquam remittendum, donec materies noua ſemper & noua ſuccreſcet? Certè nulla ſeges coloni ſui induſtriæ certiùs reſpondet. non alia ætas culturæ eſt aptior: quidquid inſeris, in naturam vertit. Indoles, quamuis præfracta, priuſquàm tempore obduruit, tractabilis eſt, cultuque corrigitur: arbuſculæ ſilueſtri ſimillima, cuius

fructus

fructus immiti sunt asperoque succo, donec insitos sibi benignioris naturæ surculos intra mollem adhuc corticem admittit, fouet, vegetat: tum verò pari cum felicissimis arboribus ramorum & fructuum felicitate gaudet;

Miraturque nouas frondes, & non sua poma.

Ferarum catulos magistri cura & sedulitas immanitatem dedocet; & homines, dum teneri adhuc & molles, diligenti cultione vitia ferociamque non ponant? Vt verò ingenio & indole præstent, nihil tamen ab institutione non habent: nam vt solum sterile & malignum labore & industriâ fructuosum redditur; ita terra, quamuis fertilis, nisi subacta, non nisi lolij & inutilem graminis luxuriem effundit. Sed non perinde est quam feceris sementem. hæret in omnem ætatem, quod rudes anni perceperunt. Vt fuerint semina, exsistunt fructus. si inciderint in concipientem comprehendentemque naturam, ita fingunt afficiuntque animum, vt sentiat appetatque hoc quo quisque doctus sit modo. Neque frustrà humani generis Seruator adduci ad se paruulos, & ipse eos erudire voluit; monuitque, quamuis pusillos, non contemnendos offendendosque; addo, eius exemplo, neque negligendos. Quippe contemptus quoddam genus est, erranti non monstrare viam, eumque qui se gressusque suos nesciat regere, sinere in præceps labi. tantoque sustinet, qui hæc videat, & negligat, grauiorem culpam, quò qui cadit damni plus facit, quoque illud ægriùs potest reparare. Sanè illa doli & fraudis ignara simplicitas, digna est fauore; & vel solâ innocentiâ suâ, ne sinatur aberrare, cuius opem non inuitet? Quid, quòd puerulos qui instituit, de omni ætate benè præclareque mereatur? Quoties paruuli è discipulis repentè doctores facti, dum parentibus & domesticis ostentare gestiunt quæ didicere? quoties adultâ iam & maturâ ætate, quæ à teneris audiuere, recolunt & sequuntur? quoties sui oblitos præcepta iam tum illis tradita stimulant, & ad saniora sectandum consilia vrgent atque impellunt? Non igitur tenuis, non parui faciendus est hic labor, à quo pendet recténe an secùs reliquam vitam agas; totâ æternitate felix sis, an infelix; Dei gloriam, vt decet, augeas, an obscures. Sensit hoc Ignatius, atque vt incredibili diuini honoris amplificandi cupiditate flagrabat; non contentus præcipuâ quadam comprobatione & laude hoc rudium docendorum munus commendasse, magnâ Sociorum voluntate lege latâ sanxit, vt, cùm vltimis se votis Deo & Societati obstringerent, insuper vouerent, pueritiæ se adolescentiæque catechesi expoliendæ operam nauaturos. Poterátne languoris sensim fortè in animos obrepturi periculo certiùs occurrere? poterátne de Republicâ meliùs mereri? Societas verò, vt optimi Parentis sui desiderio pleniùs obsequeretur, statuit non vt ij modò qui post diuturnam probationem intimiùs tandem in Societatem admittuntur, sed etiam vt quicumque ad eius gubernacula admouerentur, quantacumque grauiorum occupationum moles incumbat, certo tamen eoque non exiguo dierum numero disciplinæ Christianæ capita exponerent. Ita quò quisque Sociorum virtute, doctrinâ, auctoritate maior est, eò arctior illi erudiendorum paruulorũ lex imponitur. Ipse Ignatius præclarum in hoc genere posteritati suæ exemplum fuit.

S. Ignatij solicitudo pro puerorum institutione.

Ante

Ante confirmatam Societatem Lutetiâ in Hiſpaniam reuerſus, pueros Chriſtianæ fidei elementa docere cœpit: à quo pietatis munere frater natu maior fruſtrà conatus eſt eum abſterrere, contendens vix futuros à quibus audiretur. Sed ille vel vnum puerum ſatis auditorum ſibi fore reſpondit. Ceterùm fratrem eius fefellit ſuus timor, non Ignatium ſua ſpes. ingens enim turba, in quibus ipſe frater, ad eum audiendum indies confluebat, fructumque ſpe cumulatiorem referebat. Societatis verò iam confirmatæ functiones ab hac tamquam præcipuâ primus ipſe voluit auſpicari, cùm Romæ per ſex & quadraginta continuos dies Chriſtianæ doctrinæ rudimenta explicuit; eo ſucceſſu, vt rude quod confluxerat vulgus, igne Doctoris ſui accenſum, tanto fletu peccata mox Sacerdotibus enuntiarit, vt crebris interrupta ſingultibus verba vix ſineret efferri doloris magnitudo. Aliorum verò acta, ſiue decem Patrum, ſiue eorum qui hos ſecuti ſunt, ſi memoriâ percurramus, quis non optimi Parentis inſtitiſſe veſtigiis manifeſtè deprehendetur? cuius non hæc fuiſſe vel prima cura, vel præcipua? S. Franciſcus Xauerius in Indiis, quamuis æſtu & laboribus fatigatus, nullum tamen intermittebat diem, quin ſub veſperam catechiſmi partem aliquam pueris inculcaret. Prorſus vt, ſi vel vno die hoc munus, quod omnium iudicabat vtiliſſimum, omiſiſſet, eo ſe crederet non laboraſſe. Idem præcepit Gaſpari Barzæo, ne, quod in ceteris functionibus licere ei voluit, catechiſmi exponendi vices alteri vmquam demandaret; ne dubium eſſet, quod primariis in Societate viris primarium deberet eſſe ſtudium & cogitatio. Catechiſmum in Malabaricam linguam verti curauit: quem cùm ipſe memoriæ priùs mandaſſet, eo mox coactos tintinnabulo pueros, rudemque turbam, mirâ animi conſtantiâ & ardore imbuebat; per hos deinde ſacræ doctrinæ peritiores inſtruebat eorum parentes, conſanguineos, vicinos. Denique ingentes illi & numquam ſatis laudati labores Apoſtolici huius viri, quid aliud fuere quàm perpetua quædam rudium inſtructio, & inculcatio eorum quæ credere deberent, quæ agere, quæ fugere, vt ſalute potirentur æternâ?

S. Xauerij catechiſmorum cura.

Quanti Societas faciat catechiſmos, exemplis docetur.

Oliſipone Michaël Turrianus, vir ſummæ auctoritatis, nec minoris virtutis, quem Regina Luſitaniæ ad confeſſiones legerat, quique Collegia & Prouincias gubernauerat, ſtatis hebdomadæ diebus prodibat ex aulâ ad tenellam turbam Chriſtianis præceptis erudiendam, ſpecioſius Religioſo Doctori ratus, inter pueros quàm inter aulicos verſari.

Ignatius Martinez poſtquam Conimbricæ primus è Societate, ac poſtmodum Eboræ, docuiſſet Philoſophiam, Regi etiam Luſitaniæ Sebaſtiano fuiſſet à concionibus; vbi primùm per Præſides licuit, ſpretis cum honore cathedris, totum ſe dedit pueris, imperitæ plebi, mancipiiſque neceſſariâ ad ſalutem doctrinâ imbuendis: cumque è coactâ in vnum turbâ nemo præ ruſtico pudore adduci poſſet, vt Orationem Dominicam cum Angelicâ Salutatione recitaret, ſemeſtris infans caput ab vberibus maternis attollens, articulatim diſtinctèque ſucclamauit, AVE MARIA; auditoribus omnibus ingenti ſtupore defixis Deumque ſentientibus ingratum aliorum ſilentium pueri ore damnantem.

Bartho

Bartholomæus Bustamantius cùm Prouinciam Bæticam regeret, ita huic muneri fuit intentus, vt non aliam illi prouinciam crederes commissam. Etiam Mauros, perditissimum hominum genus, ad morum probitatem, veræque Religionis cultum, hac viâ sensim perduci posse confidebat. atque vt fausta initia pollicebantur, sperato successu pius labor non caruisset, nisi perfida natio rebellando, spem nascentem, velut segetem in herbâ, corrupisset. Puerorum interim disciplina in reliquâ Prouinciâ procedebat ex voto Bustamantij: qui quantum in illâ institutione reponeret, datâ ad Lainium Generalem epistolâ palàm fecit. In eâ procurationem hanc, omnium quæ in Societate sunt, maximam vocat; testaturque ad nullam aliam æquè incitato desiderio se ferri. Deinde supplex orat, vt huic muneri præficiatur; Deumque testem adhibet, se id ex animi sententiâ petere. Demum vt voti fiat compos, varias desiderij sui magnasque caussas adfert; & hanc inter ceteras, vt ab errore vindicarentur, si qui fortè occupationem tam nobilem non eo quo debent numero haberent. Itaque pluris æstimabat vir tantus teneræ ætatis culturam, quàm rerum amplarum administrationem; cùm iudicaret omnino illustrius esse pueris quàm viris, paruulorum scholæ quàm Prouinciæ præesse. Quamquam hoc non tam Bustamantij quàm vniuersæ iudicium est Societatis, non ex humanis opinionibus, sed diuinæ gloriæ incrementis, rerum magnitudinem æstimantis. Huic operæ nostræ egregiè respondit auditorum vbique ardor.

Olisipone Consaluo Vazio Christianam legem diebus festis explanante, complures, cùm matutinis sacrificiis & concionibus adfuissent, pedem è templo non efferebant, ne concurrentis à meridie populi vis locum præriperet. Nam æde sacrâ quamuis spatiosâ tam multi passim excludebantur, vt, qui reuertentibus occurrerent, crederent missam esse concionem. ideoque sæpè prodeundum Consaluo fuit patentem in campum. Incredibile dictu est, quanti & quoties alibi fuerint huic non dissimiles concursus.

Nec verò intra vrbium muros hic se continuit Sociorum feruor; per agros & montes quoque se diffudit, campum industriæ suæ credentium vbicumque sunt animæ. Pleni sunt Annales nostri eiusmodi excursionum, fructuumque ingentium ex iis relatorum, dum non pueri solùm agrestes, sed eorum quoque parentes filiis sæpè nihilo doctiores, ad catechesin audiendam auidissimè confluxerunt. Iam tum ab annis retrò ferè sexaginta, qui missi è Collegio Romano in agrum Picenum, Episcopi Camertini rogatu, tam auidè sunt accepti, vt ad eorum aduentum pulsarentur æra campana, publicaque edicta fierent, vt intermissis ludis ad catechismum se quisque conferret. Nec inquilini dumtaxat, sed ex finitimis quoque locis paganorum accurrebant cateruæ, vt diuinæ legis præceptis imbuerentur. Quò verò faciliùs fames omnium expleretur, habebantur sacræ doctrinæ conuentus primis ferè tenebris, cùm vulgus opificum ab opere conquieuerat. Templum plurimo lumine collucebat, auditoribus ita refertum, vt nocturna Natalis CHRISTI celebritas videretur. Sed huiusmodi concursus iam inde ab ortu Socie-

Missiones catechisticæ.

Ann. 1583.

tatis fieri soliti, tempore ipso creuere, & cum illis Societatis industria quâ doctrinæ huius fructum mirum in modum auxit.

S.Ignatius, Romæ certum catechumenis domicilium à fundamentis vt erigeretur, improbo labore perfecit; Sociisque in Indiâ, vt idem facerent, auctor fuit. In Brasiliâ quoque pueris erudiendis, & in Christianâ pietate educandis, suæ ædes procuratæ; sumptusque & serui, qui quotidianum pueris victum colendis agris piscandoque conquirerent. Ceterùm cùm nostrorum paucitas instruendæ toto orbe multitudini non sufficeret; charitas tamen illis deesse non sustinuit. Itaque perfecerunt scripto, quod non potuerunt voce.

Catechismi à Societate in lucem editi.

Petrus Canisius, accedente Ferdinandi Regis auctoritate, Catechismum scripsit, qui vnus, explosis ceteris quos hæretici passim spargebant, pueris prælegeretur; isque Romæ & ab Academiâ Louaniensi approbatus, hodieque in omnibus Societatis gymnasiis à iuuentute discitur, & in varias linguas conuersus vbique gentium rudes hactenus felicissimè docuit, & adhuc docet mutus magister. Horum Catechismorum immensam vim per suas & finitimas ditiones, suppeditato liberaliter sumptu, spargi iussit Sabaudiæ Dux, saluberrimo P. Antonij Possevini consilio libenter obsecutus. quâ solertiâ pestiferi Geneuensium libelli passim è manibus excussi, & propagata longè lateque salutaris doctrina. Ioannes Ramirius, laudatus antè concionator, primus in Hispaniâ in breues interrogationes ac minuta responsa concidit distinxitque Christianæ institutionis capita, ad teneræ ætatis ac rudium captum. id ipsum deinde in Belgio imitatus est ingenti cum fructu Guilielmus de Pretere, aliique. In Galliâ Edmundus Augerius concinnauit euulgauitque Catechismum, hæresibus profligandis opportunissimum. Eumdem posteà Gallicè, Latinè, Græcè edidit; cuius exempla duodequadraginta millia in vnâ Parisiorum Lutetiâ octennio sunt distracta. Scripsit quoq; Costerus noster Catechismum vernaculâ linguâ, qui Catholicis inter hæreticos doctrinæ subsidio destitutis pro doctore fuit, & innumeras animas à pestiferis erroribus vel defendit, vel deduxit, & vnus plurium instar magistrorum fuit. Cùm in Concilio Mechliniensi, cui intererant prouinciales Episcopi, inter cetera decretum esset, vt Catechismus conscriberetur vnus per totam deinceps prouinciam explicandus; Archiepiscopus Mathias Houius id negotij commisit Societati: illa verò optimi Antistitis desiderio per Ludouicum Makeblidium impigrè cumulateque satisfecit.

Quid memorem Robertum Bellarminum, quid Petrum Cottonum, & innumeros alios, qui suis quique temporibus & locis accommodatam doctrinæ Christianæ methodum vulgarunt? In Æthiopiâ Petrus Paezius, in Sinâ Matthæus Riccius suâ cuiusque gentis linguâ Catechismum composuerunt: qui libri per vtrumque Regnum dispersi, ingentem venerationem fructumque retulere. Pari animarum vtilitate, & Mexicanis, & Brasilis, & Paraquariensibus, & Perüanis, aliisque Americæ populis, doctrinæ Christianæ capita à nostris tradita. Ita Europa, Asia, Africa, America, Societatis vocibus personant, scriptis

ptis iuuantur, teneram rudemque turbam Christianæ vitæ officia docentis.

Quid ego nunc dicam de illâ industriâ, quâ præmiolis, laudibus, concertationibus, amplissimis honorum titulis, & innumeris illecebris ætatem hanc incitat, vt innocenti mercedis & honoris cupiditate capta certiùs ducatur ad gloriam sempiternam?

Industria ad promouendam doctrinam Christianam.

Quid de Sodalitiis ad catechesin promouendam per plerasque prouincias institutis, quibus Episcopi, nobiles, primariique passim ciues nomen dederunt, præsertim cùm ingentibus ea Indulgentiis Pontifices Summi donassent? è quibus sæpè viri genere & auctoritate nobiles, nec carcerum pedore, nec squallore nosocomiorum deterriti, rudes inibi iuuentos ipsimet non rarò instruxerunt; pueros verò auctoritate, curâ, studio, ad officium aut pellexerunt, aut compulerunt. Infinitus sim, si singula persequar, si enumerem Reges, Reginas, Principes, Ecclesiarum Antistites, Magistratus, qui donariis & præsentiâ sæpè suâ puerilem alacritatem fouerunt, & Societatis labores mirè iuuerunt, fructuum quos illa referebat vbertate delectati? Quid si alios fauores commemorem quibus hoc Societatis studium toto orbe sunt prosecuti? Quid si laudes quibus viri docti hunc laborem ad verecundiam propè nostram & ruborem extulerunt? Ex innumeris vnum iuuat audire Laurentium Beyerlinck, Ecclesiæ Antuerpiensis Canonicum, scriptis & eruditione celebrem, de cuius viri in Societatem animo id tantùm habeo dicere, quòd qui illum non ita pridem vitâ functum intimè norunt, facilè mihi concedent, dum Societatem laudat, plus veritati quàm affectui tribuisse. Is igitur ita scribit: *Nostro sæculo inter omnes Religionem aliquam professos, sedulò & miro cum fructu catechizationi iuuentutis incumbunt Religiosi siue Clerici Societatis* IESV, *vel hoc nomine celebrandi, quòd hanc rem Ecclesiæ Dei vtilissimam magno zelo curent, & exactâ methodo iuuentutis regimini accommodatâ exsequantur: sic vt proprium eorumdem munus videatur, & in quod omnes incumbunt, teneros puerorum animos Christianæ disciplinæ formulis veluti cum ipso lacte imbuere. Quo fit, vt iis locis quibus Societas hæc admissa est, videre liceat iuuenes moribus & pietate instructos, & de iis etiam rebus, quas alibi adultiores ignorant, disserentes. Neque dumtaxat honestioribus hunc laborem impendunt; sed & pauperibus, qui arte & manu victum quærunt, aut impensis eleëmosynarum, vel è publico aluntur, assiduâ instructione diebus, quibus ab opere feriantur, adsunt: nec ab agrestium piâ directione, vbi ea per Parochos negligitur, se subtrahunt. quin, exemplo Apostoli, omnibus omnia facti, omnium moribus & disciplinæ se accommodant. Sic vt in solâ Antuerpiâ habeas subinde triginta numero, & plures pro varietate locorum, qui in hac pietate desudant.*

Testimonium Beyerlinck de Societatis hoc munere.

Theatri Vitæ humanæ Tom. 2. litt. C.

En quàm amplum omni ex parte testimonium, siue zelum Societatis extollit, nulli hominum generi se subducentis; siue methodum laudat puerorum ingeniis accommodam; siue fructum labori respondentem admiratur; siue omnes ait ita huic rei incumbere, vt proprium eorum munus videatur; siue Socios, Apostoli exemplo, omnibus omnia fieri contendit. Quis crederet, hæc non nisi ab exuberante in nos affectu proficisci, nisi quæ scribit, & indies & vbique, & in oculis gererentur omnium?

Iudicium aliorum. nium? Atque hoc munus dudum Societati nemo inuidit; donec aſſiduitas & conſtantia & laus inde nata opinionem quibuſdam iniecere, ægrè illi fieri poſſe, ſi hunc curſum eius nonnihil interrumperent. Itaque dum aliqui dolorem ſuum neſcio quem vindicare ſe credunt, aut plagam luculentam Societati inferre arbitrantur, hanc aliis prouinciam demandarunt: nec fortaſſe viderunt laudi noſtræ plurimum ſe adiicere, dum hoc facto teſtati ſunt, in pretio nobis eſſe curas & moleſtias alienæ ſalutis cauſsâ ſuſceptas. nam cenſent à nobis ſe tollere quod amamus, putantque ſe pœnam infligere, cùm eripiunt laborem. In eo interim ſolatur ſe Societas, quòd cauſſa ſit ne ab aliis negligatur hæc ætas, atque hac ſaltem ratione iuuentuti prodeſſe pergat. nec aliud vouet, quàm vt quicumque hoc munus ſuſcipiunt, illud etiam feliciùs & vtiliùs, quàm ipſa poſſet, obeant atque ſuſtineant.

Sed pauculis omnino in vrbibus hæc cura Societati & ex parte tantùm, nuſquam penitus adempta eſt; nec vmquam tota adimetur, dum tenuiores pauperesque ſupererunt excolendi, quos illa negligi numquam feret. At quis credat reperiri poſſe, qui huic tam pio inſtituto obtrectent? *Vtilitas huius muneris.* fruſtrà laborari in ætate, quæ grauioris curæ, vt eſt æternæ ſalutis, capax non ſit; quæ ſpe munuſculorum, non æſtimatione virtutis, audita memoriæ mandet, vt pſittaci ſuum χαῖρε; in quâ cultura careat fructu. Quid igitur? arbor ſuis auctibus non adoleſcit, horarum index non mouetur, etſi incrementum illius, huius motum oculi non percipiant? an ſemina humo condita in perditis numerantur, ſi ſtatim non herbeſcant? Mutatio quæ ſub initium fallit, tempore apparet. Creſcente cum annis iudicio ac matureſcente, doctrina quæ primò erat in memoriâ, in totum animum tranſit; mox in deſideria virtutis, velut ſemen in frondes aut herbas, pullulat, ac demum ipſas virtutes ceu maturos ac ſapidos fructus profert. Hi poſtmodum ad Rempublicam gubernandam adhibentur; quiſque certè ſuam regit familiam: cumque ad exempla capitum ſeu Reſpublicæ ſeu familiæ ſe componant, tum demum apparet, quantum referat à teneris rectè inſtitutos fuiſſe. Quare vel ad corruptiſſimas Reſpublicas corrigendas puerorum ſufficit inſtitutio. Si enim adultorum animi annis obdurati medicinam reſpuunt, eorum certè ſoboles ad virtutem educari poteſt. Numquid è putrium pomorum ſeminibus arbores naſcuntur, copioſos olim vberesque daturæ fructus? Quid, quòd rudi etiam ſenectuti, vt principio dicebamus, hæc doctrina plurimùm proſit, dum eam vel cum pueris, vel à pueris diſcit? Quoties audiuimus ſenes ſibi gratulantes, quòd à nepotulis ſuis didiciſſent, quæ ad canos vſque ignorauerant? Quoties vidimus illos ſuæ liberorumque ſuorum felicitati præ gaudio illacrymantes, quòd in hanc eſſent velut auream ætatem ſeruati? Quàm multi verò malè perierunt, quàm multi in horrenda ſcelera & pernicioſiſſimos errores prolapſi ſunt; qui ſi à teneris Chriſtianâ diſciplinâ fuiſſent imbuti, pro luctuoſiſſimo quo iam perierunt naufragio, ſalutis æternæ portum feliciſſimè tenuiſſent?

Etiam pueri ad virtutem maturi. Sed quid ego refero fructus inſtitutionis huius ad ſera tempora, maturamque ætatem, perinde ac ſi aliqua ætas aut virtuti aut cælo ſit immatura?

matura? Vt enim sileam decennes pueros per vicinos vicos catechismum felicissimè explicuisse, puerum in Germaniâ quatuor Ministros hæreticos ita confutasse, vt parentem disputationis arbitrum & auctorem conuerterit: tredecennes pueros cum schismaticis Monachis congressos in Abassiâ, eos erroris simul & impietatis conuicisse; in Indiis idola parentum conculcasse, conspuisse, per terram raptasse, comminuisse, exussisse. Vt huiusmodi, inquam, fructus prætermittam, quos ex catechisticâ disciplinâ in alienum ferè commodum retulit simplex illa ætas; quæ virtus vmquam in robustâ ætate fuit commendata, quæ in hac non eluxit? An viua illa & miraculorum effectrix fides? Solâ Symboli recitatione ex ægris corporibus morbos, Xauerij cruce ex obsessis dæmones pueri fugarunt. An religionis diuinique cultus tenacitas? Apud Malabares cùm puer Christianus in honorem idoli (cuius festus dies agebatur) caput sibi ablui nullo modo pateretur, idque per vim tandem fecisset mater; ille in publicas vias prosiliens, vociferari cœpit Christianum se esse, matrem aquas capiti suo per vim infudisse, se impio ritui numquam assensum. An pia in sese austeritas? In Paraquariâ integræ puerorum cateruæ flagris in seipsos sæuire pro more iam habent, nec priùs à verberibus temperare, quàm corpuscula sua lacerent, multoque sanguine perfundant. An pia & alta rerum cælestium meditatio? Rogatus à parente puer, an, cùm toto vultu præter morem palleret, æger esset? respondit, solam CHRISTI patientis commiserationem, quâ permouebatur, nec aliam esse palloris sui caussam. An inuicta, quam in Martyribus admiramur, constantia? Hic verò exercitus puerorum se offerunt, gladios, tela, vulnera fortiùs excipientium, quàm lictores inferrent. Sola Iaponia à paucis iam annis eiusmodi puerorum exempla dedit, hodieque dare pergit; quæ posteritas tota non antè mirari desinet, quàm cùm nullam vltrà virtutem mirabitur. Illic nonnulli à simulatis, quidam etiam à veris carnificibus CHRISTVM abnegare frustrà iussi, &, nî parerent, strictum iugulo ensem ferociter admouentibus, sine morâ supplices in genua prouoluti colla nudarunt, parentesque gaudio flentes de constantiâ fecere securos. Alij, qui à parentibus puerili imbecillitati metuentibus, fletu & eiulatione extorserant, ne tyrannorum iræ subducerentur; iidem mox siccis oculis, hilarique vultu, parentum fratrumque pro CHRISTO morientium supplicium spectarunt, suum tulerunt. Alius probaturus patri constantiam, ferrum candens manu auidissimè prensauit. Alius in horribili rogo, solutis igne vinculis, cùm ex igne potuisset fugere, ad matrem eodem in rogo CHRISTI caussâ ardentem ardens ipse cucurrit, & in eius complexu exspirauit. Magdalena puella Christiana eodem in rogo iam ambusta, prunas capiti suo, venerationis ergô, imposuit appressitque: perinde ac si in mediis flammis non satis arderet, ignem in igne quæsiuit; hoc facto testata, quantò fortior æstuaret ardor in pectore patiendi pro CHRISTO aliquid ignis tormento atrocius. Quid alia huius ætatis facinora post hæc miracula commemorem? Plena exstant volumina heroicarum virtutum, quæ omnibus sæculis pueritiam nobilitarunt, & aureolis, corollis palmisque cælestibus decorarunt. Vnde igitur pueri spiritus il-

los hausere tam ingentes? vbi, nisi à catechismo, didicerunt Fidem illam, pro quâ tuendâ ea tormenta ludibundi pertulerunt, quæ ipsa immanitas non sine horrore imperauit, nec sine trepidatione conspexit? In tales igitur tantosque fructus nouella hæc germina efflorescunt; & iis colendis non insudetur, non omnis cura, industria ac labor impendatur? Facit id verò facietque semper Societas, nec desistet à saluberrimo labore, ante vel suum vel humani generis occasum. Nunc, quæ à pueris ortum habent, de Sodalitatibus Marianis dicere aggredimur.

CAPVT SEPTIMVM.

De Societatis industriâ in cultu beatæ Virginis per Sodalitates propagando.

Hæreticorum in Deiparam impietas.

IN plerisque orbis Christiani partibus iacebat vnà cum Filij honore, Matris reuerentia. Damnabant eam passim, & in contemptum adducebant hæretici. cultu & honore vociferabantur indignam, per quam omnia habere oportuerat. illam cæli terrarumque Dominam, illam Deo proximam Maiestatem, conuitiis quoque proscindebant; & cùm aliter non possent, in imaginibus lacerabant, conculcabant, igni & ferro absumebant, vt nempe suam in Filium pietatem per iniurias Matris probarent. Quotusquisque tum munera Diuæ templis, quotusquisque animum affectumque (cui anathemata omnia Virgo semper posthabuit) offerebat? Dolebat Societati, quæ tantæ Matris auspiciis originem suam debebat, non tantum apud omnes probos pro asserendo, quantum ab impietate pro euertendo eius honore pugnari; nec tantum de tutissimo hoc certissimoque ad salutem aditu muniendo laborari, quantum ab hæreticis de obstruendo. Igitur hoc tantum salutis remedium, sine quo reliquorum vel vsus vel cura facilè languet, aut negligi, aut frigidè aut à paucis tantùm adhiberi passa non est. Et verò id si pateretur, iniqua videri posset, tum in eos quorum saluti se incumbere profitetur; tum in illam, cuius voluptas est omnibus prodesse. quæ, quod vult, ita potest, vt cum Filio rerum omnium Domino diuisum imperium habere videatur: potestatem verò suam cum voluntate ita coniungit, vt supplicum desideria occupare malit, quàm admittere; effundere potiùs beneficia, quàm dare. Igitur Societas exemplo præire: MARIAE laudes pro se quisque Sociorum, & ad Horas & ad globulos quotidie annumerare: quidquid arduum aggrederentur, vt quæ obsisterent, difficultates superarent, MARIAE opem implorare: quidquid molirentur aut ad suam aut ad aliorum salutem, MARIAM inuocare, vt conatibus adspiraret: quidquid vel Deo vouerent, vt gratum acceptumque esset, MARIAM adhibere, quæ intercederet, quæque facilem ad Filium aditum pararet: in periculis rebusque afflictis ad eam confugere, spem omnem in eâ reponere. Numquam frustrà: numquam Virgo laborantibus non adfuit: numquam vota non præsens audiuit. Et hanc Patronam non amaret Societas? non suum erga eam studium, quibuscumque posset modis probaret? non adniteretur pro viribus, vt quæ sua &

Societas B. Virginis cultum commendat,

pauco-

paucorum esset felicitas, fieret omnium? an, cùm tantâ hominum iuuandorum cupiditate ardeat (vt res est plena solicitudinis amor) non operosè suaderet, vt, qui per abrupta & plena præcipitiis loca ad cælos iter habent, mortales hanc sequantur ducem, in hanc oculos mentemque conijciant, secundùm hanc cursum regant? Fecerat id iam non paucis annis, haud indiligenter: iam laudes Virginis vbique gentium celebrarat, iam sacella eius & aras exornarat, iam excitarat languentem torpentemque in plurium animis erga eam pietatem: & videri poterat non leue pretium operæ fecisse. Iam Festis eius diebus sæpè ædes sacræ non sufficiebant capiendæ multitudini, nec confessarij audiendæ; & plurimos quandoque ab eâ religiosis officiis honorandâ non tam sua arcebat socordia, quàm turba. Sed quemadmodum delibata purissimi fontis aqua ingentem sitim accendit magis quàm sedat; ita fructus hic ardentem illam salutis alienæ cupiditatem, quâ Societas flagrabat, inflammauit magis quàm expleuit. Gaudebat illa dum videret hunc pietatis ardorem, sed magno igni similem non ignorabat, breuî extinguendum, nisi perpetuò foueretur. Quamobrem vbicumque ponebat vestigium, non solicita minùs de conseruando Deiparæ cultu quàm excitando; Sodalitia instituit, in quæ non sine delectu admitterentur, quibus Diuæ amor ac veneratio præcipuè cordi esset, quique eius, quam colunt, virtutes potissimùm æmulari studerent. Hi conceptis verbis, certâque formulâ obsequio Virginis deuouent sese, certisque pietatis legibus parent: quothebdomadis conueniunt vnum in locum, vbi aptâ directoris oratione mutuisque exemplis incitantur, vt conceptum semel ardorem constanter fouere pergant. neque suis carent Magistratibus qui leges tueantur, & incremento consulant pietatis. Ceterùm vti rerum etiam magnarum tenuia plerumque sunt & lenta initia; ita Congregationum harum origo fuit & perexilis & tarda, & huic in quam toto iam orbe excreuerunt, amplitudini ac celebritati dissimillima. Ioannes Leonius Belga natione prima huius operis lineamenta duxit. Inferiorum classium pueri, qui præcipuo studio sociare cum litteris pietatem vellent, diebus singulis post missos ceteros, in vnam è scholis conueniebant, in quâ erat arulà ad pietatem decenter instructa: hîc aliquamdiu orabant vniuersi: excipiebat orationem, audientibus ceteris, sacra lectio: Dominicis verò ac Festis diebus Vespertinas preces non sine cantu, sed modico, peragebant. Hæc vltima est origo tot tantorumque toto orbe Sodalitiorum, quoad quidem memoriâ repetentes ea quæ fuerunt, & vestigia huius sæculi relegentes, agnoscere potuimus. Sed diuina solet Sapientia, rerum, quas ipsa suscipit, gerendarum vtilia magis ad fructum, quàm speciosa ad ostentationem, ponere exordia. Nulla vsque ad ea tempora Sodalitiorum fuerat aut certa forma aut species, sed vmbra quædam & rudis imago eorum quæ sensim in lucem prodibant. Anno proximè sequenti, confirmata solidataque sunt, & in eam speciem formata quam hodieque seruant. Multò post Gregorius XIII. Summus Pontifex, vt eorum institutum cognouit, vt leges inspexit, vt ex fructu, quem ferebant, æstimauit, robur illi firmitatemque Apostolicâ comprobatione adiecit. Tum verò iniecta Sociis

Sodalitia instituit ad fouendum Deiparæ cultum.

Hist. Societ. Tom. 2. l. 7.

Origo Sodalitatum B. Virginis

Sodalitatum confirmatio.

ciis

ciis piæ æmulationis flamma: tum non vicinas modò vrbes, sed & prouincias, totumque terrarum orbem idem ardor inuasit. tanti est morâ non frangi in fundamentis aptè iaciendis, quamuis lentè assurgentibus. Gaudebat Gregorius exinde tam multiplices fructus siue ad Dei cultum, siue ad Virginis honorem, siue ad hominum salutem, prouenire à Sodalitio quod suâ ipse comprobatione laudauerat, & in Collegio suis auspiciis & impensis ædificato erexerat. Facilè Claudio concessit, vt ab illo tamquam fonte in omnes vrbes, vbi Societas scholas haberet, easdem gratias & instituti firmitatem approbationemque, & pœnarum condonationes deriuare posset. ita tamen, vt, sicut in Vrbe primariâ erat singularis Congregatio, ita neque in aliis oppidis plures, eæque omnes sub tutelâ salutatæ ab Angelo Virginis excitarentur. Sed quis incendij immensam siluam depascentis quaquauersum se diffundentes flammas coërceat? quis amnem monte decurrentem,

Sodalitatum multiplicatio.

—— imbres
Quem super notas aluere ripas,

intra alueum contineat? Producendi iterum fuerunt termini: cumque hactenus Congregationes ex adolescentibus litterarum studiosis, quique iis se adiunxissent, constarent; altero pòst anno Sixtus V. concessit, vt vbicumque domicilium fixisset Societas, è quocumque hominum genere Sodalitates nostrorum studio coaluissent, quocumque inuocato Virginis nomine, nullo numero, liberè in communionem immunitatum & priuilegiorum cum principe in Vrbe Congregatione adsciscere liceret. Quis hîc non miretur æternæ Sapientiæ consilia? quæ vt olim non paucis annis, adlaborante Matre, Societatem suam molita est, quando Ignatij conatus, priusquam secundaret, semel iterumque successibus destituit, vt suum quod parabat, non hominis opus esse testatum faceret; donec euoluto, quod præstituerat tempore, præter spem & exspectationem, Pontificum oraculis eam voluit approbari, & sublatis, qui positi erant, terminis, vbique gentium propagari: ita ferè in Virginis Sodalitate excitandâ quàm rudibus initiis, quàm tardis progressibus, quanto tempore à Sociis laboratum est, antequam propitij plenus fauor Numinis videretur adspirare, & hæc, quæ videmus, MARIAE castra faceret, donec in Vrbe nata, à Sede Apostolicâ agnita & in fidem suscepta, in totius mundi lucem prodiit? Quantis tunc repentè auctibus in immensum creuit? in quot, quamque decentes ordines omnis conditionis homines digessit, quò Deiparam plures pro ratione ætatis, vitæ, dignitatis, sub iisdem legibus, aliter tamen atque aliter, colere & honorare aptiùs docerentur. Non enim omnibus eadem conueniunt: aliis atque aliis siue stimulis ad virtutem, siue præceptis, alia atque alia hominum conditio indiget. vtiliùs traditur, & inhæret fideliùs, quæ cuique disciplina attemperatur. Vt igitur neminem repellit MARIA, ita omni hominum generi aptanda erant MARIAE Sodalitia; vt omnes ad MARIAE amorem, & felicitatem ex eo nascentem, certiùs ducerentur. Quis enim non videat commodiùs pueris primos erga Dei Matrem igniculos iniici, si soli diuisique sint à ceteris, quàm si cum viris & senibus permixti? numquid alia adolescentiæ, alia ætate maturis;

ris; alia imæ plebi, alia Patriciis & Senatoribus, aptiùs proponuntur? Numquid apertiùs de suis næuis & vitiis moneantur Ecclesiastici, si secreti sint ab hominibus profanis, quàm si simul sint cum omni hominum genere ad officium incitandi? Quare tenella ætas hoc capacior boni seminis, quò mollior, in suos primùm cœtus tribuitur. & quamuis litteras necdum nouit, sic tamen instruitur, vt, cùm nihil possit salubrius, nihil quoque discat priùs, quàm inuocare & venerari MARIAM; & quamuis adhuc impar sit maturæ pietatis officiis, sub Angelorum tamen Reginæ tutelâ iam tum assuescit in Sodalitiorum veluti vestibulo versari. Adolescentibus & sui sunt conuentus, vbi pro suo captu virtutibus imbuantur. Vbi res fert, amant nobiles & viri primarij non misceri cum opificibus & plebeiis: & nautici homines atque piscatores sui similibus gaudent. Quid, quòd militum, quid quòd agrestium, quid quòd remigum damnatorumque ad triremes, & mendicabulorum initæ sint sub MARIAE nomine Societates? è quibus spe maiores fructus relati: vtpote quorum pluribus nihil aliud ad probitatem defuit, quàm cultura & recta institutio. Omnibus profectò hoc misericordiæ & benignitatis Marianæ asylum patet; & hæc clientum eius varietas iucundissimum Virgini præbet spectaculum. Certè sine hac inæqualitate conuentuum, non posset æqualis procurari animarum vtilitas; quarum tamen æquale est pretium, & æqualis apud Diuam æstimatio. Neque verò Sodalitatum harum splendori quidquam officit hominum quibus quandoque constant ignobilitas & obscuritas. Tantum enim lucis iis affundit Præsidis Diuæ maiestas, vt & primi Ecclesiæ Proceres purpuræ suæ ac infulis; populorum Domini, Imperatores & Reges sceptris suis ac diadematis non modò nihil decedere, sed honorem potiùs ac reuerentiam ab his accedere, haud immeritò semper existimauerint: neque eos puduit sua nomina in idem album cum plebeiis dare, & eidem pro Virginis honore militiæ adscribi. Ferdinandus II. Cæsar, qui raro nexu summum imperium cum summâ virtute coniunxit, augustum illud nomen suum variis locis cœtibusque in Parthenios Sodales referri curauit: neque cælestem illam Imperatricem sibi tantùm in Patronam adoptauit, sed etiam exercituum suorum ac ducum Ducem nominauit. eius auspiciis tam feliciter toties pugnauit, vt vel ideò hostis ei numquam defuisse videatur, ne deesset materia triumphorum. Stetit ille semper inuictus, Diuâ clientem suum & caussam tuente; tametsi in nullius vmquam Principis euersionem aut maiore molimine, aut diuturniore pertinaciâ, aut à pluribus conspiratum sit & pugnatum. Ferdinandus quoque III. qui Cæsari parenti non minùs in virtutes, quàm Imperium & Regna successit, clientum Deiparæ numero non tantùm adiungi voluit, sed hoc ipso iubilei nostri anno in purificatæ Virginis peruigilio in Sodalitatis Louaniensis tabulas, quas sibi mitti iussit, nomen suum nuper ipse retulit, adiecto symbolo illo suo: PIETATE ET IVSTITIA. Et profectò pietatem Cæsaris videbit hîc omnis posteritas, iisdem quibus augustum illud nomen litteris satis expressam: quot enim apices à sceptriferâ illâ manu cernet exaratos, totidem se notas venerationis credet intueri, quibus Parthenias Congregationes Cæsar

Dignitas Sodalitatum.

Ferdinandi II. pietas.

Ferdinandi III. erga Deiparam pietas.

est prosecutus. Sed quid ego Cæsaris pietatem verbis conor adumbrare? Ipsum iuuat audire Ferdinandum: ne, qui assequi optimi Imperatoris sensus teneritatem non possumus, ab iis tamen, qui eam non intelligunt, quique Virginem minùs aut amant aut æstimant, blandiri censeamur. Cùm igitur Sodalitatis album ei fuisset, vt iusserat, oblatum, in quod referri solent *qui se Diuæ in clientes & seruos perpetuos consecrant, quique eam amare vt Matrem, obseruare vt Reginam & Dominam, colere vt cæli terræque Moderatricem profitentur*; his verbis ipse se voluit inscribere:

ILLIVS EGO COETVS SVB INVOCATIONE TVA CONGREGATI
AVGVSTISSIMA MARIA
ME LIBENS ET MERITO VNVM PROFITEOR:
TIBI EGO ME, MEOSQVE CONIVGEM AC LIBEROS,
TIBI ROMANVM IMPERIVM, CVI ME DEVS PRÆFECIT,
TIBI REGNA A MAIORIBVS ACCEPTA,
TIBI TVTELÆQVE TVÆ POPVLVM ET EXERCITVS MEOS
TIBI TVOQVE FILIO MILITANTES
COMMITTO.
TV ME IN TVVM ADMITTE,
QVI FILIO TVO, QVI TIBI, QVI VTRIVSQVE HONORI
VIVO, REGNO, PVGNO.
TVVS IGITVR EGO ERO
MARIA,
TVI ERVNT QVICVMQVE MEI,
TVA ERVNT DITIONES ET REGNA MEA ET IMPERIVM,
TVI POPVLI ET EXERCITVS:
TV EOS PROTEGE, TV EIS VINCE,
TV IN EIS REGNA ET IMPERA.
ITA VOVEO
M. DC. XL.
TVVS PIETATE ET IVSTITIA
FERDINANDVS.

Principes viri & feminæ Sodalitatem ambiunt.

Neque verò Maiestate suâ quidquam indignum se committere arbitratur, cùm illam ad Sodalium cœtus & nomina dimittit, cùm in MARIÆ tutelâ esse, cùm ei seruire perpetuò magnâ voluntate gestit. Numquam pietas minuit Maiestatem, quam vel sola potest augere, vel plurimùm illustrare. Sigismundus III. Poloniæ Rex, etiamnum adolescens Bransbergæ à Sodalibus per litteras enixè petiit in eorum numerum coopta-

cooptari. Parem in Ferdinando Cardinale Austriaco, quo nunc Belgium moderatore gaudet, pietatem vidit Hispania: parem in Emanuele Duce suo, eiusque liberis, Sabaudia. Quid, quòd Principes supremi, & Apostolici Legati, cùm animum suum dumtaxat aperiendo, voti sui possent esse compotes, maluerint tamen ad ceterorum consuetudinem candidati officiosissimè Sodalitium petere, vt quanti illud facerent, in conspectu omnium profiterentur? Quid, quòd nec alter sexus ab hac felicitate se passus sit excludi? inter Sodalium nomina voluere nomen suum referri Rudolphi II. mater Augusta, Caroli IX. Galliarum Regis Regina coniux, aliæque Principes feminæ quàm plurimæ. Vsque adeò & meritò gloriosum sibi ducunt Deiparæ seruire, ij quibus ceteri seruiunt. Post hæc exempla quid vtriusque ordinis Principes commemorem? quid Reip. Præsides, quid clarissimos quà eruditione, quà nobilitate viros, his cœtibus nomina certatim semper dedisse, atque etiamnum dare? Cui mirum videatur, Cardinalium & Præsulum Romæ Sodalitates esse, alibi Equitum Melitensium, alibi Nobilium? cui insolens, Catholicos qui occupatas ab hæreticis vrbes incolunt, vt Sodalitatibus Marianis Catholicarum ciuitatum accenserentur, summo studio institisse? Sed difficile dictu est, plúsne sibi gratulentur Sodales quòd prima illa Christiani orbis decora inter membra sua numerent, an hi quòd inter illa numerentur. Nimirum alios titulos censent dignitatis suæ, hunc felicitatis; per quem Christianam dignitatem, quâ nulla est nobilior, commodiùs tueantur. Sanè Antistes Vensiensis palàm aliquando testatus est, plus se gloriari titulo Sodalis, quàm Episcopi, idque ornamentum pluris à se fieri, quàm pedum suum & infulam sacram.

Ann. 1581. | Ann. 1602.

Atque hæc de Sodalitiorum origine, propagatione, dignitate. Videamus nunc quantos Societas piæ industriæ suæ referat fructus. Magna in omnem Reip. Christianæ partem ex Sodalitatibus manauit vtilitas, dum vel per illas sublata est vitiorum licentia, vel ex iisdem magna virtutum prodière exempla. Fassi sunt multis in vrbibus Prætores, peccandi audaciam Sodalitiorum magis legibus, quàm suppliciorum metu fuisse cohibitam; longè pauciora solito, & propè nulla, crimina publicis pœnis plectenda committi, post pietatis illa in Deiparam exercitia in vrbes suas introducta. quod vt curiosè obseruarunt, ita sanctè affirmarunt cum magnâ huiusmodi cœtuum laude; quos publico vrbium bono natos & institutos aiebant. Senex septuagenarius, non annis quàm prudentiâ maturior, ex annis duobus & septuaginta quos numerabat ætatis, duobus se tantùm vixisse dicebat, iis nimirum quos in Sodalitate exegerat. Monasterij vir primarius morti iam vicinus syngrapham petiit, quâ Sodalitatis Moderatores testarentur eum Sodalem fuisse, quam testamento suo pius Virginis cliens inseruit, vt scirent posteri, se non tantùm opum, sed etiam cultus Virginei, ab optimo parente scriptos esse heredes. Dux Populensis cùm graui & mortifero morbo vrgeretur, Sacerdoti nostro accersito, lætum optimæque spei plenum affirmabat se mori; simul testatus, si quam haberet huius caussam spei, è Sodalitate illam hausisse. Mox filio adstanti imperat, vt

Sodalitatum fructus. | Ann. 1604. | Ann. 1590.

Sodalitati & nomen det, & animum; se illi neque titulum posse nobiliorem, neque censum relinquere ampliorem. An vtiliorem filio hereditatem relinquere potuit, quàm amorem Diuæ, salutis æternæ certissimum pignus? Iam virtutum illustrium monumenta quæ & quanta sunt à Sodalibus vbique locorum relicta? si quam licet coniecturam facere ex sui victoriâ, & corporum voluntariis castigationibus, non horridiores ab austeris Religiosorum Ordinibus exspectes.

Seueritas Sodalium in se ipsos. Nolo iis recensendis immorari, ne qui forte aut moderationem excessisse videri possint, aut maius momentum posuisse in sui afflictatione, quàm vt reluctantem frangerent animum atque in potestate haberent; quàm vt suppliciis illis ostenderent, quantum sibi doleret Deum offendisse, quamque timerent nequando offenderent. Fuerunt qui cilicio setis asperrimo sex ipsas hebdomadas corpus non tam affligebant, quàm lacerabant. Inuentus est, qui hebdomadas totas abstineret ab omni potu. Fuit qui singulis noctibus ad orationem consurgeret: quâ nudis genibus peractâ, catenâ ferreâ sese acerrimè diuerberabat: neque quotidiano hoc supplicio contentus, vires afflictas solo pane & aquâ sustenta-
Ann. 1585. bat. Non defuerunt qui per noctem, etiam cùm sæuiret hiems, ad templorum valuas se conferrent, ante quas in genua prostrati passis sine intermissione lacertis Rosaria integra percurrerent, tanto brachiorum dolore, vt qui illum experti non sunt, animo concipere non possint. Alij calculos, alij cerasorum lapillos calceis imposuerunt, atque ita votiuorum itinerum spatia non exigua confecerunt; in quibus nec vestigium figebant sine acerbissimo sensu doloris, qui ad passus singulos crescebat. Nonnullis farti lapidum fragmentis sacci, aliis asseres, aliis humus cubile fuit, in quibus fatigata membra quietem caperent, labo-
Ann. 1584. re & vigiliis duriorem. Fuit qui candente ferro pectori suo inussit crucem, vestigium perenne ardentis non tam ferri quàm amoris, quem CHRISTI patientis tormenta pectori eius primùm inusserant. Finem
Ann. 1601. non reperiam, si enumerare pergam singula. Syracusis quaque hebdomade Sabbati diebus, & celebriorum Festorum Vigiliis, conueniunt Sodales in templum: ibi sub primam noctis horam, post fusas preces, continuâ & peracri flagellatione per quartam horæ partem in corpora sua sæuiunt. Alibi iterum, alibi quartò per hebdomadam, alibi sæpiùs, sacris Aduentus & Quadragesimæ temporibus ad similem seueritatem in se exercendam confluunt. Hebdomade verò sanctiore, tempore ipso pietatem prouocante, quid à Sodalibus toto orbe non geritur? quàm acriter tunc siue flagris, siue inediâ, siue ciliciis, aliisque pœnarum generibus CHRISTI patientis dolores, aut eorum caussas, in se vindicant, aut repræsentant? Monachij anno M. D. LXXXVI. ad Dominicum sepulchrum instituta est Supplicatio sexcentorum Sodalium: hi nudis incedebant pedibus, facem manu gestabant, illi lacerabant flagris corpora; neque aberant viri Principes Serenissimi Ferdinandus & Maximilianus, Guilielmi Ducis hic filius, ille frater; Marchio Badensis, ipse de-
Ann. 1596. nique conspiciebatur Guilielmus Dux. Paria Pultouiæ in finibus Turcarum gesta. Auenione verò albo induti sacco, spineis sertis coronati, supplicabundi processere. Sed quid prodest ferire humeros, lacerare

terga,

terga, sanguine corpora perfundere, si vitiis non inferatur bellum, si non domentur lasciuientis naturæ impetus, si eædem perturbationes mentem lacerent, si denique corporum vulnera non sint animorum medicina? Pleni sunt Annales nostri inusitatis Sodalium virtutibus & exemplis. Illi suis percussoribus genam offerre, hi pro vulnere hosti dare amplexum. Aleti vir illustris, vt nescio quem animi fastum contunderet, in medio foro ad mendicabuli pedes se abiecit, quos frequentissimo spectante populo deosculatus est. Ingolstadij Sodalis leuem potus intemperantiam vindicaturus, mendicum suæ adhibuit mensæ; iamque accumbentis pedes osculatus, potionem ipse numquam sumpsit, nisi bibendi facultatem ab hospite suo in genua prouolutus impetrasset. denique iussit hominem, quamuis reluctantem & inuitum, exscreare in scyphum; quem vnà cum sputo exhausit, leuis culpæ non gloriosus minùs, quàm seuerus vindex. Adolescens è solutiore vitâ in Sodalitium Virginis se receperat. is primùm horrido fune nudam carnem arctissimè constringere, aspero cilicio insuper & frequenti inediâ corpus & vires atterere. Parentes ceterique domestici iuuenem obiurgare, miscere precibus minas & lacrymas, ne se perditum iret. Sed augebant hæc constantis animi robur, non labefactabant. Diebus etiam festis in nosocomia se abdens, ægros epulis benignisque verbis recreabat. Hieme cùm grauis populum annona premeret, manticis ex humero pendentibus vrbem obiens, emendicabat quotidie panem pauperibus alendis. Excitus aliquando lamentis mendici præ fame deficientis, è domo cum cibariis ad iacentem properat; moxque ægrum virium defectu cibos transmittere non valentem clàm recipit in domum, commodiores languenti cibos paraturus. Reuertitur intereà durus pater, filiumque pascendo ægro reperit occupatum; qui ne iurgiis non cedere videretur, sublatum in humeros miserum ad valetudinarium defert. Quod Christianæ charitatis officium quibuscumque aliis, etiam extra vrbem, per agros aut vias fortè inuentis, constantissimè præstitit; mirantibus aliis, aliis insipientis mundi vitio virtutem sibi semper odiosam nequidquam irridentibus. Lanista & arte & vitæ licentiâ notissimus, vix Sodalitio nomen dederat, cùm sui dissimillimus repentè factus est. Cilicio assiduò corpus affligebat, flagra sæpiùs in hebdomade suo sanguine cruentabat, ternarum quotidie horarum precationibus incumbebat, artis suæ quæstu verecundam honestorum inopiam subleuabat: ad extremum, cùm in letalem morbum incidisset, numquam à mulieribus, quæ ægrotanti præstò erant, se attingi passus est. Quid commemorem, quot hinc prodierint, qui caducas voluptates Religiosæ disciplinæ posthabuere, qui spem amplissimarum hereditatum & dignitatum cum Religiosâ inopiâ & humilitate mutarunt? Quis Ordo Religiosorum ex his Sodalitiis non creuit? quis vtilitatem non sensit? Fassi sunt sæpè Tironum instructores, nullos suorum celeriùs vitæ sanctioris præcepta suscipere, nullos suscepta meliùs conseruare, nullos disciplinæ faciliùs obsequi, quàm qui ex hac virtutum palæstrâ prodiissent. Scilicet non possunt tot sociorum exempla, tot semina salubrium monitorum suo fructu destitui. Sed virtus otiosa esse non potest. Quamuis latère omnium

Raræ Sodalium virtutes. Ann. 1585.

Ann. 1601.

Ann. 1590.

Ann. 1593.

Sodalium charitas in proximū.

nium oculos gaudeat, suo tamen lumine se prodit. Qui suæ saluti tam prudenter consulunt, student quoque & volunt consulere alienæ. Hinc pia de rebus diuinis colloquia, hinc pueris tradita doctrina Christiana: hinc alij ab illicitis amoribus ad corporis animique puritatem, alij ab impiâ iurandi consuetudine, alij ab ebrietate, alij ab aliis vitiis deterriti abstractique. Neapoli tam multi ad confitendum Sodalium adhortationibus aliquando perducti sunt, vt, cùm Sacerdotum penuria multitudini non sufficeret, Archiepiscopi iussu omnes Religiosorum familiæ auxilia submittere debuerint. Obseruatum est, teste Bochio laudatissimo scriptore, res vrbis Antuerpiensis secundiorem cursum tenuisse, ex quo Sodales Parthenij marmoream Deiparæ statuam quatuordecim pedum altitudine magnâ arte elaboratam, suâ impensâ in fronte Curiæ, in immanis colossi inde deiecti locum, publicâ pietatis pompâ substituerunt. Quin & ab hæresi multi per Sodales abducti, multi ne perirent facto Religionis naufragio, seruati. Inclytæ illius Reip. Coloniensis in auitâ Religione constantia Sodalibus secundùm Deum à plerisque tribuitur. Ex illis siquidem viri vrbis primarij, adeóque Episcopi non pauci, & Apostolici Nuntij, qui Sodalitati nomen dederant, tantum industriâ suâ effecerunt, vt Senatus grauissima quæ intentabantur pericula maluerit quàm hæresin sustinere.

P. Coster. in Procem. lib. Sodalit.

Sed blandiùs influunt in animum, eumque citiùs vincunt beneficia quàm verba, quia mortalitas sensu maximè ducitur. Viderat hoc sagax in omnem partem Sodalium charitas, quæ pauperum tuguria, nosocomia, carceres peruagata, quærere numquam destitit, quorum inopiam aut calamitatem leuaret. Fuerunt qui de suo vestimenta pecuniasque miseris distribuerent: qui vt seminudos cooperirent, sibi ipsi vestes detraherent: qui suo se fraudarent alimento, ne pauperes esurirent. Neapoli in nosocomio insanabilium Sodales quotidie ex ordine ægris ministrabant: officinam omni genere bellariorum instruxerant, maiore ægrorum commodo quàm si triginta aureorum millia in subsidium illorum contulissent. Ita censuere nosocomio præfecti. Nec hîc stetit illorum ardor: anno insequenti vinctorum caussâ Montem erexere, qui à Pietate nomen habet. Denique in collocandas filias, quarum pudicitia periclitabatur, annuum statuêre vectigal. Aliis in locis vno anno partim industriâ, partim eleëmosynâ liberarunt captiuos modò ducentos, modò ducentos quinquaginta, aliquando ducentos septuaginta & plures, quos vel culpa aliqua vel æs alienum in vincula compegerat. Toleti adeò profusa aliquando fuit Sodalium liberalitas, vt trecentis pauperibus alendis sufficeret. Quid, quòd seruilia munera auidissimè subierint maximæ auctoritatis viri, vt Diuæ suæ pleniùs seruirent? Videre illos erat passim, simul ac valetudinarium ingrederentur, positis palliis, aperto capite cum argenteis patinis ad ægros properare, flexis genibus suâ illis manu cibum præbere, lectos quàm mollissimè componere, vngues vel purgare vel resecare, capillitium barbamque detondere, aliaque obsequia calamitosis præstare: ac tum demum Sodales Matris se putare, cùm in miseris tam alacriter seruirent Filio. Alij corrogandæ pauperibus stipi, frumentoque in mulierum conuersarum sustentationem colligendo, ritu mendicorum

Ann. 1585

Ann. 1602.

eorum, vrbes & villas obiuere; hanc ſui abiectionem pluris æſtimantes, quàm dignitatem. Alij noctu per plateas diſcurrere, vt ſi quos pauperes, vt fit, ſub dio pernoctantes, aut cum frigore morbóve luctantes reperirent, in domum ad id paratam deducerent. Quin Maioricæ fuit Sodalis, qui, cùm noſocomium peſtis infeciſſet, reliquis deficientibus, ipſe ægris vltrò & conſtanter præſtò fuit, erga quos nullum obſequij genus prætermiſit. nec priùs hic eius feruor extinctus eſt, quàm vita. Ita charitas Sodalis, media inter funera & quotidianos mortis terrores impauida, de peſte & morte triumphauit; numquam glorioſior vtriuſque mali victrix, quàm cùm vtrique ſuccubuit. Ann. 1601.

Ceterùm, vt Sodalium ſolicitudo miſeros non deſtituit dum viuerent, ita cum eorum vitâ non defecit; tantò laudabilior quòd eorum ſit memor, qui oculis ſimul & animis omnium ſubduci ſolent. Quoties igitur ſuis manibus tumulos humandis corporibus effoderunt? quoties aut inuenta aut neglecta ab aliis cadauera ſepeliuerunt? quoties facibus, precibus, ſolenni pompâ pauperum funera ad tumulum vſque ſunt proſecuti, & eorum exſequias ſuo ære ritè procurarunt? Cordubæ per nouem ipſos dies Sodalium impenſâ ſolenni ritu parentatum eſt peſte exſtinctis; quo temporis ſpatio Sacrificia mille quingenta in eorum ſubſidium Deo ſunt oblata. Tales denique tantoſque toto ferè orbe ingenti ſuo ſolatio vidit Societas laborum ſuorum fructus, ex quo Sodalitates Parthenias vel inſtituit vel adminiſtrauit, vt in iis adumbratam quamdam imaginem agnoſcat ſui. Ita per omne quà licuit functionum genus, quibus Societas vel ſalutem ſuam procurat, vel alienam, hæ Sodalitates ſe quoque Deo ac Diuæ ſuæ probarunt. Sed nec in illâ ipſâ Sodalitatum erigendarum curâ Societatis operam non expreſſerunt. Nouas quippe Sodalitates, eaſque multiplices, variis in locis ex ſeſe propſeminarunt; nomen verò ex peculiari virtutum officio, cui ſe potiſſimùm addicunt, & quodammodò conſecrant, adeptas. Anno M. D. LXXXIV. Genuæ Nobilium & Togatorum inſtituta eſt Sodalitas, quæ de vitiis corruptiſque ciuitatis moribus aut profligandis aut emendandis ſolicita, vltrò ad Epiſcopum deferat, ſi quid reſecandum videatur aut ſanandum. Alibi, quæ ſuccurrat afflictæ valetudinis pauperibus, & carceres atque triremes ſubleuandis vinctis obeat. Alibi, quæ aduigilet, ne ſine Sacramentorum præſidiis decedant moribundi. Alibi, quæ procurandâ dote virginum honeſtarum pudicitiæ conſulat, quæ captiuos redimat, quæ in annonæ charitate inopes alat. Valliſoleti cùm plurimis in publicâ cuſtodiâ detentis, & patrocinio pecuniâque deſtitutis, nullus appareret alius vinculorum finis quàm vitæ, multique ſquallore & miſeriis conficerentur; rari exempli Sodalitas piâ Societatis importunitate eſt inſtituta. In eam Regij Concilij Præſes, Iudices, Iuriſconſulti, Procuratoreſque nomen dederunt, ciuiumque præcipui quidam, qui præter ſtipem quam de ſuo conferebant, bini quaque hebdomade, initio ab ipſo Præſide facto, vinctis miniſtratum ibant, ægros etiam lautè accipiebant. In ſingulos prætereà Sodales ſingulorum cauſſæ captiuorum diſtributæ ſunt, quamprimùm expediendæ. Quid amplius à Chriſtianâ charitate vel ſperari poſſet, vel optari? Finis non ſit, ſi vel enumerem Soda-

Sodalium in defunctos pietas.

Ann. 1602.

Sodales nouas erigunt Sodalitates.

Sodalitates variis in vrbibus in calamitosorum opem institutas, quas eleëmosynis fidem propè superantibus, annuisque censibus, qui nomen iis dederant, locupletarunt. Multis locis excitatæ sunt, quæ in hoc conspirant, vt animas precibus, eleëmosynis, votis omnique ope purgantibus flammis eripiant. Quid de iis dicam, quæ certis vitiis compescendis, quæ paci inter dissidentes conciliandæ, quæ memoriæ crucis & CHRISTI semper instaurandæ, quæ doctrinæ Christianæ promouendæ, quæ aliis pietatis functionibus peculiari studio se dedunt? Ignoscant mihi & hæ & tot aliæ toto orbe Congregationes, quas ne nominaui quidem, tametsi iis quas memorauimus, neque splendore, neque virtute cedant. Nam vt earum virtus modum non habet, ita nec habere posset scriptio, quamuis in iustum volumen cresceret.

B. Virginis in Sodales suos beneficia. Sine piaculo hoc loco taceri non potest Virginis vicissim in Sodales suos effusa benignitas, quibus auxilium non tam spondet, quàm præstat; sed carptim, vt cetera, quædam tantùm eius signa delibabimus. Sodalis cui lapso circumacta currus onusti rota collum presserat, Virginis Ann. 1590. ope implorata, ne vestigium quidem retinuit mali. Alius cum iumento deciderat in præcipitem locum, è cuius alterâ parte patebat formidolosæ altitudinis præcipitium: crus alterum equi iacentis mole erat oppressum, nec conari audebat vt illud expediret, ruiturus cum equo in præceps, si is vel tantillum se mouisset. Iamque accurrerant multi qui miserari iacentem poterant, non iuuare. Sed Deipara inuocata præstò fuit clienti, qui sine vllo nisu suo vix sibi credens tibiam vidit expeditam: vixque ab adstantibus in tutum erat subductus, cùm equus nonnihil luctatus Ann. 1594. per rupem saxis asperam præcipitans interiit. Taurini viginti armati stricto ferro inuadebant Sodalem, non nisi pietate & Diuæ suæ patrocinio munitum; cumque & cæsim & punctim inermem crebrò ferirent, vestem eius tantùm vulnerarunt, corpus ne leuiter quidem tot ictibus per- Ann. 1609. strinxere. Alterius pectori gladius impactus, eo loco quo gestabat imaginem Deiparæ, in modum iunci se reflexit, ne leui quidem vulneris relictâ notâ? Sic alij sclopis explosis tacti fuere, nec sauciati: alij vorticibus fluminum impliciti emersere: alij excussos tormentis globos excepere innoxij: alij aliis periculis tam præsenti subsidio MARIAE fuere erepti, vt non citiùs propè discrimen senserint, quàm auxilium. Quod autem morbi genus fuit, aut tam vehemens, aut tam perniciosum, aut tam diuturnum, aut tam deploratum, quod à Sodalibus suis clementissima Mater aliquando non depulerit? quæ calamitas, quam non lenierit? quæ plaga, quam non sanarit? Tam solicita de perituro suorum corpore, quâ demum curâ complecti putanda est eorum animas & immortales, & Filij sui sanguine æstimatas? Hanc curam omnium oculis patêre in quibusdam voluit, vt inde æstimaretur eius solicitudo de omnibus, quæ plena tenerrimi amoris ne negligit quidem negligentes sui. Eos igitur quos pietatis omnis sensus iam defecerat, ad pristinam sæpè virtutem verbis, quæ ferreos animos penitus mulcerent flecterentque, reuocauit. Sæpè solo sui conspectu verecundiam peccandi improbis iniecit, interdum nimiùm de salute anxios optimâ spe impleuit, interdum moribundos oblatâ sui specie recreauit, & in his aliisque ceteros docuit,

docuit, cultores clientesque ſuos perire non poſſe. Tot animarum ſalutem, quarum multæ ſine hac ope æternorum ignium nunc arderent immiſerabiles victimæ, non poteſt ſibi repræſentare Societas, quin operis tanti conſcientia liquidiſſimâ illam perfundat voluptate, ſtimuloſque acerrimos quamuis currenti admoueat, vt IESV & MARIAE, quemadmodum Filij, ita Matris, ſalutaria ſigna toto orbe circumferre pergat, & ad amabilem huius indulgentiam inuitare omnes, qui meritò timent rigidam æquiſſimi Iudicis ſeueritatem. Nunc, quod adultis proprium eſt, demonſtrare conabimur, frequentiorem Sacramentorum vſum per Societatem reſuſcitatum.

CAPVT OCTAVVM.

De frequentiori vſu Sacramentorum à Societate reſtaurato.

FAbuloſa antiquitas, quàm prona tam etiam prompta ad fingendum, & quàm ingenioſa tam audax, commenta eſt Deos, aureâ illâ ætate, ſpectabiles inter mortales paſſim verſatos, cum iis familiariter egiſſe; caſas & tuguria, in quibus adhuc innocentia habitabat & pietas, haud minùs promptè quàm delubra ſua ſubiiſſe, donec mortales ius & fas & pietatem colerent: ſed, vbi horum flagitiis pulſa virtus exceſſit è terris, Deos ſimul diſceſſiſſe, ſuumque illud cum mortalibus commercium abrupiſſe, eorum facinora & impietatem exoſos. Non poterat acutiſſima illa fabularum inuentrix ætas quidquam grandius de Numinum ſuorum in homines beneuolentiâ comminiſci: ſed quotam partem aſſecuta eſt fabula (etiam cùm ſibi maximè indulſit) illius amoris, quo non inanis aliquis Saturnus aut Iupiter, Dij miſeriores cultoribus ſuis & peiores; ſed Deorum Deus, ſuprema illa infinitæ potentiæ Sapientia, bonitatis Maieſtas, homines opus ſuum eſt complexus? qui quidem quantum in nos poſſit clementiâ potiùs & quadam immenſitate donorum, quàm iuſtitiæ ſeueritate, aut alio modo, voluit eſſe teſtatum; & hac in parte non meritis noſtris ſe attemperare, ſed obſequi naturæ ac bonitati ſuæ. Sanè nemo, niſi qui infinitam intelligendi vim quâ ſciret, paremque amorem quo vellet dare, in conſilio habuiſſet, tantum tamq; eximium munus potuiſſet excogitare, quantum reipsâ ab infinitâ Dei ſapientiâ ac bonitate nunc promanauit. Vt enim cetera ſilentio pręteream; quàm eximium eſt, omniquc ſpe & exſpectatione maius, vices ſuas homini reliquiſſe, vt leſæ maieſtatis ſuę reis non condonet ſolùm noxam omnem, ſed eos in priorem dignitatis ac familiaritatis gradum reponat, gratioſos è reis, ex hoſtibus amicos, è damnatis parricidis Regni heredes momento temporis, verbo vno conſtituat? nec ſæpiùs peccare poſſint nocentes, quàm hic ignoſcere? adeò vt nemo plus irarum cæleſtium iuſtiſſimæque pœnæ à Deo mereri, quàm veniæ ab homine obtinere poſſit. Tantus amor ſi metas hìc ſibi fixiſſet, an non ſatis oſtendiſſet ſe nec modum nec metam nouiſſe? id quidem nobis, quoniam omnem noſtram intelligendi vim excedit, ita videretur. Sed altero nos inſuper dono

Dei bonitas in inſtitutione Sacramentorum.

beauit, quod priore tantò est excellentius quantò ipse donis suis est maior: in quo videtur eosdem terminos constituisse amoris in nos sui, quos habet potestatis, hoc est, nullos. Seipsum nobis dedit, non in amicum, non in fratrem, non in amicissimum parentem; sed, quod nullus nisi infinitus amor excogitare potuisset, in cibum & potionem: seipso nos voluit pascere. neque semel tantùm, sed toties, vt solem suum non sæpiùs oculis nostris in lucem, quàm seipsum animis nostris in pabulum reddat: non tantùm vt languentibus vires & vigorem reparet, sed etiam vt omnes à quibus sumitur, velut in alteros sese, quà licet, stupendâ metamorphosi conuertat; ne dubitent de Regni immortalis hereditate adeundâ, cuius pignus ipsum Regem tam arcto sibi nexu habent coniunctum. Immensa profectò mortalium & inaudita felicitas, nisi hac illos pænè indignos redderet tam beatæ sortis vel iniqua æstimatio, vel fastidium. Et profectò non maius pænè videtur amoris miraculum talem cibum dedisse, quàm mortalium, tam frigidè ac remissè hunc appetentium, fastidia tolerare. Æstimabant hoc donum primæui Christiani, si non quantum merebatur, at certè quantum eorum mens capere poterat; & quia æstimabant, auidissimè ad has epulas confluebant. nemo earum desiderium ad biduum ferre poterat, sed hodierna satietas crastinam acuebat famem: & pro cibi modo robur erat. Miramur aliquando inuictam illam fortitudinem Martyrum, & triumphantem de fame, siti, vinculis, ferro, flammis, ac mille mortibus constantiam. suspicimus virginum istius temporis pudicitiam, intra quam fuerunt minæ, & formidabiliora minis promissa; corporum tormenta, & altera animorum tormenta his periculosiora, deliciæ, illecebræ, lenocinia, Magnatum, Regum, Cæsarum connubia. non capimus illam animorum æquitatem, quâ bonis suis opulenti fundisque cum voluptate cedebant, ipsamque adeò vitam inter contemnenda ducebant. Vnde putamus tam inexpugnabile animorum robur tot Martyribus suffectum? Tantos spiritus aluit, si D. Cypriano credimus, panis hic quotidie, nec minùs auidè quàm sæpè sumptus: ardebant quippe sanguinem suum profundere, dum bibebant illum, quem pro se fusum toties recordabantur, quoties libabant. Vnde etiam tanta opum, earumque rerum, quas alij per ferrum & ignes petunt, vilitas atque contemptio, nisi ex assiduo melioris huius thesauri vsu? Quid tot virgines in ipsis Ecclesiæ incunabulis progenuit, nisi hic fons aquæ viuæ, & vinum germinans virgines? Quid aluit tot virtutes, & in tam robustam maturitatem eduxit, nisi hic panis, qui est ipsa vita? Beatissima mansisset vtique, & semper æquè felix Christianorum conditio, si tam libuisset semper felices esse, quàm licuit: sed vbi deficere cœperunt tyranni, cœpit quoque cum illis deficere præsidiorum comparandorum cura. demum, vt fit, sustulit vetustas æstimationem, & copia fastidium peperit. Itaque, vitali succo paulatim deficiente, vegeta illa virtus ac vigor passim emarcuit: perinde atque plantæ in arido & vrente solo defixæ, quas si humor irriguus non animet, languent primùm, frondesque contrahunt; mox omni vigore defectæ, vnà cum illo vitam penitus amittunt. Nónne sub ortum Societatis vitam tepidi illi flaccidique Christiani penitus amiserant,

SS. Eucharistiæ mirabiles effectus & fructus.

Lib. de Spec. & Exhort. ad martyrium.

SS. Eucharistiæ neglectus quid pepererit.

amiſerant, qui in hoc vitæ myſterio ne vitam quidem agnoſcebant? quorum poſteri impietatis heredes eâdem adhuc veſaniâ perciti feruntur, eò miſeri & immiſerabiles, quòd pertinax vitæ odium vitam putent. Quanta verò populi, quàm alta paſſim erat ignorantia, cùm nouos illos impietatis doctores à veteri Eccleſiæ Catholicæ doctrinâ diſcedere non ſentiebant, ne tum quidem, cùm illam furioſiſſimè oppugnabant? Ergo quanta erat ſalutiferi huius myſterij vel ignorantia vel contemptus, tam erat in errores & omne vitium præceps effuſuſque curſus: in iis autem qui illud nec ignorabant nec contemnebant, annua ſuſceptio deſiderium explebat; ſi tamen deſiderium, cùm eos paſſim euolutum tempus officij magis admonebat, quàm ſenſus pietatis. Qui bis aut ter quotannis cælesti hac alimoniâ ſe paſcebant, à quibuſdam raræ ſanctitatis habebantur, à multis putidi oſtentatores pietatis, quaſi ſupra ceteros ſeſe efferentis. itaque conuitiis etiam & ſibilis quandoque petebantur. Quid, quòd multi reuerentiæ nomine faſtidium illud neglectumque velabant? ita ex omni parte frequentior aditus ad hæc tam certa ſalutis auxilia videbatur intercluſus; quodque indignius eſt, per illos ferè, per quos maximè patêre debuerat. Quæ repagula vt rumperet Societas, quid non agere ac pati debuit? quoties cum iniuriis, calumniis, omnique improbitate ei fuit luctandum? quot ſubeundæ tempeſtates? Quæ ne ſpecioſiùs dici videantur quàm veriùs, vnam ob oculos ponam, quæ ſit imago omnium; ſed, vt fit, quæ virtutem, quam non euertit, roborauit more vehementioris venti, qui arborem, quam non deiicit, imo ſolo tenaciùs affigit; auget incendium, quod non extinguit. Valentiæ Socij quia crebram Confeſſionem crebramque Euchariſtiam introducebant, in magnam ſuſpicionem fucatæ virtutis doctrinæque ſunt vocati ab eiuſmodi hominibus, qui malebant gratum Deo opus, quàm (vt leuiſſimè dicam) languorem ſuum accuſare. Itaque non tantùm vellicabantur in circulis noſtri tamquam rerum nouarum auctores, ſed è ſuggeſtibus etiam pro concione damnabantur. iamque gliſcens per vulgi animos ſiniſtra de Societate opinio magnos in illam motus ciebat. Sed Deus cauſſam ſuam non deſeruit. tumultu enim increbreſcente, Archiepiſcopus ciuitatis Thomas de Villanouâ conuocauit cunctos ferè Theologos, vt de eorum ſententiâ decerneret, quid præcipiendum populo videretur. tum, indictâ in diem Dominicam de hoc argumento concione, ipſemet per duas horas de ſuperiore loco dixit: & populo frequentem Synaxim adeò commendauit, vt poteſtatem cuique faceret octauo minimùm quoque die ſacra illa vſurpandi myſteria. Quæ optimi Antiſtitis vox criminantium obſtruxit ora, ſuamque pietati pænè oppreſſæ reddidit libertatem. Tam aduerſa igitur virtuti tempora, infeſtoſque probitati mores, vbique terrarum nacta Societas, eos ipſos incitamentum laborum ſuorum habuit. ſperabat vitia tantumdem debilitanda, quantum corroboraretur vſus Sacramentorum; vigorem horum, non ignorabat illorum eſſe interitum. In eo igitur iam inde ab exordio ſuo tota fuit, vt orbem accenderet amore tam vtilium animis præſidiorum. idque egit priuatis congreſſibus, ſcriptis libris, rudium & vulgi per catecheſes & conciones inſtructione, Sodalitates co-

Societas ad frequentem Sacramentorum vſum hortatur.

gendo, decenti sacrorum tractatione, assiduâque mysteriorum, quæ commendabat, administratione. At quo successu, Deus bone! quo nec maiorem sperare potuit Societas. Quantus vbique concursus? quoties impar numero fuit & est operosa Confessariorum sedulitas? Adeò in plerisque Societatis templis obsessa perpetuo quodam affluxu sacra illa videmus tribunalia; vt, si numerum spectes, inter solenniores anni dies & principem Festorum omnium vix appareat discrimen. Alacriùs multò atque ardentiùs scelera iam expiantur, quàm antè solebant committi: nihil iam menstruâ, nihil hebdomadariâ expiatione moribus receptum est magis: plurimi vix citiùs maculas contrahunt quàm eluunt. Neque verò sola Societatis templa, quæ communi pietati nullo modo sufficiunt; sed etiam Pastorum sacrorumque Ordinum eiusmodi exedras complures iam habent; in quibus aut nullæ, aut vna tantùm ante Societatis ortum conspiciebatur: & quorum Parochorum decessores vix vmquam nisi circa Festum Paschatis aures confitentibus dabant, & è quibus nonnulli (si fas est dicere) satagebant labore magis defungi, quàm conscientias ritè absoluere, suosque expedire magis quàm emendare; horum successores iam nullo non Festo Dominicoque die variis in vrbibus propemodum pœnitentium numero obruuntur, vti & Religiosi non pauci; quorum iam templa sacris sedilibus æquè instructa sunt ac nostra. An Societas nostra tanti fructus vel caussa sit vel occasio, aliorum esto iudicium: hoc certè constat, ante hanc natam, in illis templis, quæ nunc abundant numero Sacramenta frequentantium, solitudinem fuisse, tam eorum qui audirent peccata, quàm qui enuntiarent.

Frequentatio Sacramentorum, eiusque fructus.

Luculentum huius rei testimonium mihi suppeditat memoranda illa Cardinalis Baronij vox, breuis illa quidem, sed prolixam Societatis laudem complexa, cùm Societatis templum Anastasiam (non inani ad Constantinopolitanam illam basilicam allusione) appellare non dubitauit; propterea quòd Sacramentorum vsum, qui vita quædam est & anima Christianæ perfectionis, à sæculis iam multis intermortuum, videret in templo illo, velut prisco vigore recepto, felicissimè reuiuiscentem. An falli fortasse potuit vir ille summus in temporum ac ætatum discrimine diiudicando, qui non tantùm spirans quædam bibliotheca, & absolutissima erat historia superiorum sæculorum, sed etiam temporum ante conditam Societatem partem viderat? Quid verò ad commendandos Societatis labores illustrius, quid ad laudem excogitari poterat augustius? Trahant licet alij à Regnis debellatis cognomen, hic ab Africâ, ille ab Asiâ titulos sibi pariter & gloriam augeat; nullum sibi gloriosius contingere posse Societas meritò existimat, quàm à reductâ pietate cultuque diuino, & frequenti potissimùm Sacramentorum vsu resuscitato. Quod profectò tantò est præstantius quàm subacta Regna nomini inserere, quantò est homine dignius homines seruare quàm perdere; vrbibus & Regnis felicitatem perennem adferre, quàm per rapinas, incendia, populorum excidia inferre vastitatem; quantò denique naturæ est conuenientius, de genere humano benè mereri, quàm ex luctu & ruinis gentium crescere. Ceterùm, etsi tam magnifica Purpurati illius Patris vox poterat hîc omnium loco testimoniorum esse; quodque ille

Testimonia quædam de propagato per Societatem vsu Sacramentorum.

de

de Romano Societatis templo pronuntiauit, de omnibus eiusdem toto orbe templis pari iure possit affirmari (quia in omnibus pari felicitate saluberrimam hanc Ecclesiæ nascentis consuetudinem reuocauit;) ne tamen hic vnius tantùm sensus fuisse videatur, geminam huic proferre visum est Reuerendi Patris F. Hieronymi Romani, viri pietate & eruditione clarissimi, sententiam: qui agens de initiis Societatis in Ecclesiæ vtilitatem quàm strenuè tam vtiliter laborantis, Vno, inquit, momento mutata est tota Roma: quia isti amici Dei se dispergebant per vicos & plateas vrbis, vt cumulatiùs prodessent omnibus. Tunc incepit reuiuiscere antiqua deuotio primitiuæ Ecclesiæ frequentandi Confessionem & Eucharistiam: tunc repleri templa populo ad conciones confluente. & plura in hanc sententiam de fructibus laborantis Societatis persequitur. Ceterùm in quo discrepat hic à Baronio testis, nisi quòd Baronius Græco vocabulo, alter aliis verbis idem prorsus dicat? nam qui hanc Anastasiam Baronij aut interpretaretur aut explicaret, quid aliud diceret, quàm quod alter ille vir eruditus, tunc incepisse reuiuiscere antiquum vsum ac religionem primitiuæ Ecclesiæ frequentandi Confessionem & Eucharistiam? Sed quid ego testimonia colligo? quòd si vrbium singularum sensum exploremus, an non omnium hæc vna vox erit, quæ ante decem circiter annos ciuis Siluaducensis fuit, viri canitie & auctoritate venerabilis? Qui cùm videret ingentem ad sacra illa mysteria in templo nostro concursum; accedens ad quemdam è nostris sibi ignotum, Non possum, inquit, ô Pater, dissimulare gaudium quod intimis medullis percipio, dum video quantum hæc vrbs ab aduentu vestro sit mutata. antehac rarissimus erat Sacramentorum vsus; & si quis erat extra Paschales ferias, risui aliorum & cachinnis erat obnoxius: nunc nemo probus religioni sibi non ducit, si B. Virginis aliisque solennioribus Festis hæc mysteria non vsurpet. Ita ille de suæ vrbis facie in aliam mutatâ. Sed quæ toto orbe ciuitas est, in quâ quidem Societas sedem posuit, cuius non eadem vox sit, eademque sententia? quæ gens etiam tam remota atque barbara, apud quam Societas vnà cum Religione & Fide, tutissima hæc Religionis & Fidei munimenta ac præsidia neophytis frequentanda non persuaserit? Et in Æthiopiâ quidem sæpissimè post dies integros totas quoque noctes pietas ad confitendum concurrentium nostros peruigiles detinuit. Iapones digerendi in tempora & classes fuere, etiam dum tyranni rabies in eos sæuiret, non, ne numerus obseruaretur (qui celari non poterat) sed quia confluentium ipsa sibi obstabat multitudo, quæ accessum intercludebat postremis, prioribus regressum. Quid iam miremur, si in quibusdam Europæ locis perdius sæpè & pernox fuerit nostrorum in hoc pietatis officio labor, nec ad curanda corpora spatium dederit, nec à quibusdam antè sit intermissus quàm per morbum abruptus, cùm apud neophytos in ipsâ quoque barbariâ materiam æquè copiosam inuenerit?

Si iam quorumdam è Societate eximios felicesque in hoc genere labores referre speciatim velim, immensum mihi campum aperiri video; sed in vnius indefesso ardore multorum studium adumbrasse sufficiet.

 ficiet.

ficiet. Siluester Landinus dum Silanum finitimasque Ferrariensi Florentinæque ditiones, multorumque Præsulum diœceses, ipsis rogantibus, concionabundus lustraret; ij erant ad confitendum concursus, quocumque ille veniebat, vt referri videretur vbique perpetua quædam celebritas Maioris hebdomadis. In itineribus obsidebatur à populis, vt ipsis illicò præstò esset: nonnullique in siluis montibusque comprehensum non priùs dimittebant, quàm enuntiantibus sua peccata operam daret. Huiusmodi laborum ac fructuum historiis ita exuberant Collegiorum Annales, vt iis sæpè magnâ ex parte constent. Nec labore tam indefesso segnior fuit Societatis industria, vt labori responderet animarum vtilitas. Cùm enim deprehenderet multos numquam integrè esse confessos, multos numquam omnino, multos sine animo à flagitiis abstinendi; plurimùm laborauit explicando, docendo, publicè ac priuatim, vt, quod impetrabat à populis vt confiterentur, etiam efficeret, vt ritè neque vitio confiterentur. Idque potissimùm assecuta est commendando generalem vitæ omnis antè actæ confessionem: cuius etiam nomen ante natam Societatem vix erat notum in vulgus; nunc ita eius vsus fructusque inualuit, vt nihil propemodum frequentius inculcent Societatis Annales, quàm viginti, triginta, quadraginta annorum, adeoque vitæ totius, confessiones ritè sanctèque repetitas; & quidem tam multas, vt quædam prouinciæ, quæ numerum notarunt, multa eiusmodi confessionum millia vno anno recenseant. Iaponica Prouincia tales refert plus decies mille institutas; ex quo credibile est, ab vniuersâ simul Societate (cùm Prouincias numeret sex & triginta) singulis annis centum facilè millia eiusmodi conscientiarum expiari. Qui fructus quàm immensus est, quàm suo labore dignus, vnicâ illâ industriâ quotannis centum, & fortasse ampliùs, animarum millia è vitiorum ac dæmonum seruitute asseri in libertatem filiorum Dei? Quid si iam ceteros omnes labore suo expiatos recensuisset, quot myriadas quotannis numeraret? quamquam exiguam illam putaret, nec zelo suo parem multitudinem, si numerare eam posset.

Confessionis generalis vsus à Societate commendatus.

CAPVT NONVM.

De solenni pietate diebus Antecineralibus, & menstruâ Communione generali à Societate introductâ.

INnumeros, qui ex hac Sacramentorum frequentatione proueniunt, fructus in medium proferre possem: habet enim ad omne Christianæ vitæ officium opportunitates singulares: nec vllam facilè in iis Christianæ iustitiæ partem desideres, qui identidem ad hos fontes salutis ac probitatis accesserint; nec vllam in eâ ciuitate publicam vitæ licentiam inuenias, in quâ frequens ille diuinorum mysteriorum vsus laudabili consuetudine fuerit corroboratus. Neque enim vllum esse potest omnis sanctitatis auctori cum vitiis & morum contagione commercium; nec locus est in illis pectoribus inferorum tenebris, quæ æternæ lucis radiis identidem collustrantur. Quare cùm hoc sibi propositum

positum habeat Societas, vt virtutum studia promoueat, vitiis bellum indicat, denique vt prosit quamplurimis; nihil mirum cuipiam videri debet, si hanc Christianæ militiæ panopliam, hoc omnium malorum alexipharmacum, hoc denique miseriarum omnium solatium, frequentem dico sacrosanctæ Eucharistiæ communionem, semper voluerit omnibus esse commendatissimam. Igitur dum in omnem Christianæ Reipublicæ partem pro suo zelo excubat, & materiam exercendæ charitatis & industriæ vndecumque indagat; incurrit in oculos eius consuetudo quædam pietati virtutique infestissima, & nomini Christiano pudenda. Triduo illo quod solenne quadraginta dierum ieiunium antecedit, Christiani videbantur passim à CHRISTO suo ad Bacchum palàm & apertè deficere. adeò, posito pudore sensuque omni religionis, in omnem licentiam, crapulæ, comessationum, lasciuiæ, flagitiorum veluti furialibus acti tædis sese effundebant; peruersissimo more sensuque, cùm ex instante ieiunio, quod ad remedium scelerum ab Ecclesiâ sanctissimè institutum est, scelerum captarent ansam, & ad virtutem per flagitia sese compararent; quasi hæc ad illam gradum facerent. Meritò Societas tam auida salutis alienæ, huic Christianorum vesaniæ ingemiscebat, cùm videret ab iis vt pietati, ita flagitiis & impietati dies quosdam destinatos, & quasi consecratos haberi. Pessimè illam habebat, duraturos pietatis fructus in omnium animis produci non posse, quamdiu stata per annum tempora recurrerent, quibus effundi ac dissipari debere videbantur qui fuerant longo labore collecti. Enimuerò quid magis erubescendum Christianis, quàm dies apud illos agi, quibus pudet non esse impudentes, & nefas habetur nullum nefas admittere? Quid ieiunium animis prodesset, quos inueniret sceleribus fœdatos, nec ante ieiunij finem ritè se purgaturos? quæ spes esset, Deum eiusmodi ieiuniis propitiatum iri, quæ cum scelere inchoata sine scelere non peragerentur? Itaque Societas tantis acta stimulis contra nefariam illam licentiam, quantis ad illam cæci mortales ferebantur; palàm se communi huic furori multis in locis obiecit, non in templis, quæ tunc vacua erant, sed in compitis vrbium ac plateis, arguendo, increpando bacchantium insaniam. Gandiæ sex è nostris pridie Cinerum vertice ac pedibus nudi, longo fune è ceruicibus pendente, duo etiam nudata terga flagellis cruentantes, ceteri cum cruce & caluariâ in manibus, obiere concionabundi celeberrimas vrbis vias. Ab aliis alia tentata; & quamquam non pœnitendo exæstuantis licentiæ temperamento, in quibusdam tamen vrbibus tantùm labori fructus respondit. Sed neque perpetuus hic fuit, neque conatu satis robusto certatum est aduersus impietatem longè lateque grassantem, & quasi iure suo iam dominantem. Quid igitur? cederétne Societas tanto tamque corroborato malo? ab vitiorum violentiâ suam vinci pateretur industriam? quæ nihil nisi maiorem Dei gloriam spectat, tam luculentam ab ipsis Christianis plagam sineret diuinæ gloriæ quotannis infligi? Ignosci illi potuisset, si malum omnium pænè iudicio immedicabile non sanasset: sed veniam, quam alij facilè dabant, ipsa sibi non dabat; vtpote quæ se tot propè scelerum ream crederet, quotquot non impediret. Cùm igitur

Bacchanalium profana consuetudo.

huic se Societas opponit.

Solennitatis dierum Antecineralium initium,

tur diu multumque in omnem se partem vbiuis gentium versasset; visum est tandem toto isto triduo solennem in templis suis precationem indicere, & omnibus quibus posset modis populi pietatem solicitare. Ac primùm quidem timebat ipsa vanum quoque hoc pietatis stratagema fore, nec alium laboris sui fructum quàm risum ludibriumque relaturam. templa quippe sua non adeunda, nisi ab iis qui animi caussâ spectatum venirent vacuitatem & solitudinem. adeò altas egerat radices inueteratum malum. Sed tanti erat, ludibrij se periculo exponere, quod CHRISTI caussâ non fugiendum sed appetendum est, ne aliquid intentatum relinqueret, quo spes esset effusum hunc impietatis triumphum vel nonnihil reprimi posse vel carpi. Primùm Sodales suos Parthenios haud ægrè induxit, vt modò per interualla singuli, modò simul ad templum conuenirent vniuersi. Hi aliquos prætereà partim exemplo suo, partim verbis adduxere: quosdam exciuit rei nouitas; quæ cùm non displiceret, curiositatem vertit in religionem ac pietatem.

eorum solennitas Romæ hoc an. 1640.

Nec parum contulit ad excitandos animos, populique concursum prouocandum, augustissimus templorum ornatus, & quidem multis in vrbibus tam inusitatus, vt regiâ maiestate dignus haberetur. Vnicum hîc producam exemplum magnificentiæ Romanæ præsentis anni 1640. Certis enim nuntiis ad nos perlatum est, Sodales Parthenios primariæ Congregationis Assumptæ Virginis, vt feriis Antecineralibus populum à profanâ licentiâ ad pietatem ac deuotionem auocarent, nouem florenorum millia in extemporaneam illius tridui solennitatem expendisse. Moles erecta stetit in templo Farnesiano Societatis IESV, ad honorandum sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, alta centum viginti palmos, lata octoginta, pulcherrimis statuis, imaginibus, historiis, emblematibus, ad stuporem exornata: quæ omnia cùm supra quatuor millia flammarum ac luminum illustrarent, nulla tamen flamma in oculos spectantium incurrebat. Hîc res diuina peracta est tantâ pompâ, & tam suaui Pontificiorum musicorum concentu, vt ad summam quæ in terris esse potest maiestatem nihil præter ipsius Summi Pontificis præsentiam requireretur. Rem diuinam faciebat Illustrissimus ac Reuerendissimus Dominus Alphonsus Gonzaga Archiepiscopus Rhodiensis: intererant Eminentissimi Cardinales numero septemdecim, omnesque propemodum Romanæ Curiæ Prælati. Quorum pietate excitati subinde alij, toto triduo superuenerunt Eminentissimi Cardinales quinque, Regumque omnium ac Principum Oratores: accesserunt prætereà supplicabundi varij Religiosorum Ordines, omnesque totius Vrbis, quas vocant, Archiconfraternitates. Denique tanta fuit toto illo triduo promiscuæ multitudinis ad sacrosancta mysteria concursus, vt non profana Bacchanalia, sed cælestis Curiæ epulum celebrari videretur.

Delectatus huiusmodi Societatis sollertiâ Summus Pontifex Paulus V. petenti ante multos annos condonationem integram pœnarum omnibus qui illo triduo in Societatis templis ad mensam diuinam accederent, perbenignè eam concessit. Tum verò Societas hoc tam ingenti industriæ suæ auxilio freta, sperare cœpit quod hactenus optaue-

optauerat. Nec eam ſua ſpes fefellit. tempore enim ipſo pietati tam iniquo orationem acuente, tam efficaciter vbique gentium ſtimulauit auditorem ſuum, vt breuî multis in vrbibus quidquid eſſet Religioſorum & Sacerdotum, præter Confeſſarios Societatis, excipiendis accurrentium confeſſionibus per eos dies vix ſufficeret. Quàm pulchra erant ſpectacula, pro inſanis bacchantium gregibus videre iam Curiones ex finitimis agris cum pagis integris, cum labaris & cruce, ſupplicabundos ad Societatis templa non ſine pio cantu per vrbium vias accedere, ciues agreſtium pietate ſtimulatos cateruatim accurrere, denique maiore iam ſtudio templa, quàm comeſſationes antè celebrari. Nec in vno Regno, aut in Europâ tantùm, ſed in reliquo terrarum orbe hoc pietatis incendium pari vehementiâ exarſit. Longum hîc eſſet referre ingentem numerum Sacramentis refectorum in variis Collegiis, agmina publicis flagellationibus ſua & aliorum peccata vindicantium, aliaque immenſæ pietatis edita paſſim ſigna. Nihil in Annalibus noſtris frequentius, quàm Bacchanalia in Paſchatis celebritatem hîc eſſe conuerſa; illic triduo triginta, quadraginta, quinquaginta & ampliùs ſacrarum Hoſtiarum millia diſtributa; alibi totam ferè ciuitatem in templo noſtro ſacris ſe myſteriis refeciſſe; vbique aut penitus ſublatam, aut magnâ ex parte compreſſam, priſtinam illam & Chriſtiano nomine infamem licentiam; caupones, chirurgos, & id genus hominum, quibus numquam benè eſt niſi dum quamplurimis eſt malè, conqueſtos de lucro ſibi intercepto per intempeſtiuas Ieſuitarum ſupplicationes. Quàm felix hæc, &, niſi orbis eam videret, incredibilis peſſimæ conſuetudinis mutatio? quis enim Bacchanalia iam eſſe ſentit, niſi maioris vbique pietatis indicia? iam non vino, ſed CHRISTI Sanguine paſſim ſe inebriant Chriſtiani; nec immodicis epulis corpora diſtendunt, ſed CHRISTI Corpore animas paſcunt: pro inſanis bacchantium per plateas clamoribus, templa gemitibus reſonant ac piis ſuſpiriis: pro impuris mimorum ſpectaculis piæ ſcenæ repræſentantur: pro theatris laſciuiæ, concionatorum ſuggeſtus frequentantur: denique plura iam expiantur ſcelera, quàm fieri conſueuerant.

Fructus ſolemnitatis dierum Antecineralium.

Sed an tot laboribus tantoque fructu expleta eſt Societatis cupiditas? accenſa eſt magis. Honeſta videatur Philoſopho vnius temporis auaritia; Societati vnius lucri, quod eſt animarum, pulchra videtur auaritia, numquam, vt ſperat, minuenda, ſed quæ cum ipſo lucro maius ſemper incrementum accipiet. Videbat illa piam hanc conſuetudinem Sacramenta frequentandi ab omnibus quidem iam probari, ſed non perinde ab omnibus coli; aliquos Feſtis tantùm ſolennioribus, quoſdam rariùs, quoſdam etiam annuo adhuc officio contentos, ad illa tam potentia ſalutis præſidia Eccleſiæ præcepto cogi magis, quàm ardore quodam amoris ferri. Ergo quæ optabat vt arderent omnes, aliquos adhuc frigere, nec tam multiplici plurimorum exemplo accendi, vehementer dolebat. Quid faceret? amor, qui magnitudinem ſuam indefeſsâ induſtriâ ferè probat, ſuggeſſit remedium quàm ſalubre tam efficax. vt nempe ſolenniore apparatu inſtitueretur Synaxis menſtrua, ad quam omnes inuitarentur, vtpote omnium cauſsâ celebrandam, quæque ideò

Communio generalis a Societate introducta.

Generalis vocaretur. Placuit pietatis ſollertia Paulo V. Summo Pontifici, quam ſibi à Societate propoſitam non tantùm vehementer probauit, ſed etiam plenâ remiſſione pœnarum prolixè liberaliterque eſt proſecutus. Nec verò irrita fuit Societatis ſpes, nec Pontificis liberalitas. ingentem vbique ad Sacramenta concurſum hæc publicæ illecebra pietatis exciuit. Læta ſucceſſu Societas, vt qui maximus erat, ſi fieri poſſet, maior eſſet maximo, inuitare auſa eſt ad ſacram Hoſtiam illis diebus populo diſtribuendam Eminentiſſimos S. R. E. Cardinales; haud inani ſpe ſibi pollicita, fore vt ſacræ illius Purpuræ conſpectus ad pium communis pietatis obſequium ſe demittentis, alterum eſſet, nec priore minùs potens, omnium ad cæleſtes epulas inuitamentum. Fecêre verò ac libenter quod rogabantur Eminentiſſimi Eccleſiæ Proceres; & hoc ſuo miniſterio in immenſum auxere numerum geſtientium ex nobiliſſimis illis manibus æternæ ſalutis pignus accipere. Itaque dubium eſt, ſítne ea celebritas vitalem cibum accipientium frequentiâ, an præbentium dignitate memorabilior. Quale enim ſpectaculum eſt, illa ſacri Senatus decora ac inſignia, illos Eccleſiæ Primores videre cum populi pietate certantes; cùm ex illis quatuor aliquando, aut quinque, diuerſis eodem in templo locis, eodemque tempore, ad multas horas auguſtiſſimum myſterium tantâ animorum voluptate diſtribuunt, quantâ iſtud frequentiâ ac veneratione turbæ ſupplices accipiunt? Cenſa ſunt Romæ vno in templo, vno die, modò ſedecim, modò viginti, aliquando etiam triginta millia ſacræ menſæ accumbentium. Hinc propagata in reliquum orbem terrarum pia conſuetudo, eâdem illam commendante ac mirum in modum prouehente Pontificum gratiâ ac liberalitate, parem vbique pro populi modo ardorem inuenit atque concurſum.

eam Romæ Cardinales promouent:

Neque hîc ſtetit pia Societatis induſtria, quæ ſemper in incremento eſt. Tangebat illam commiſeratio animarum in purgantibus flammis veterum malorum pœnas pendentium, tantò digniorum ope atque ſubſidio, quantò & pœnæ ſunt atrociores, & illarum reæ ſibi minùs opitulari poſſunt. Itaque hac piâ Pontificis liberalitate ad earum ſubſidium vſa, magnum in animis hominum eiſdem opitulandi deſiderium accendit, effecitque pluribus locis vt hic ſacer theſaurus nullâ viuorum iacturâ, quin etiam compendio, in defunctorum ſolatium atque vtilitatem totus cedat. Quantos vbique motus erga deſtitutas omni ope, tantiſque in cruciatibus hærentes animas, concitat paſſim inſita cunctis miſeratio? hos tam ſentit quiſque quàm in aliis videt. Nihilominus hanc auget, quantum poteſt, Societas lugubri altarium ornatu tabulis miſerarum tormenta facilemque rationem illis ſuccurrendi repræſentantibus, acribus exhortationibus, modis muſicis ad luctum compoſitis, libellis editis, aliiſque piis inuentis commiſerationem vel prouocantibus vel augentibus. De populi concurſu quid attinet dicere, cùm omnium vbique oculis pateat? nec tamen omnino ſilendum videtur, cùm omnium oculi itidem vt mens & cogitatio quouis locorum peregrinari non poſſint. Oliſipone nuperrimè in æde Domus profeſſæ Societatis IESV viginti quinque millia ſacrarum Hoſtiarum vno eiuſmodi die ſunt diſtributa; alibi haud multò pauciores, alibi etiam fortaſſ

hac animabus Purgatorij ſuccurrit.

Communionis generalis frequentia.

fortaſſe plures, pro vrbium & populi modo: de quibus, niſi de Oliſiponenſibus, nihil dum certi accepimus, niſi in pleriſque multarum Prouinciarum Collegiis operam Confeſſariorum imparem eſſe multitudini confitentium. Belgæ quidem numeros illos non æquamus, quia vrbes pleræque non tam frequentes ſunt incolis, quos aſſidua iam tot annis bella haud parum carpſere: Antuerpiæ tamen in æde noſtrâ ad ſacram Synaxim accedunt vno eiuſmodi die facilè ſex ſeptémve millia, nec pauciores Bruxellæ; plures vtrobique futuri, ſi maiorem templa caperent turbam.

Iam de fructuum vbertate ex hoc myſteriorum frequentato vſu quid opus eſt verbis? potéſtne fecundus ager ſæpè purgari, & ſementis nihilominùs lolio & tribulis obrui? potéſtne ſæpè aut riuorum ſcatebris aut tempeſtiuis imbribus rigari, & non ridere lætiſſimâ meſſe? potéſtne culta vitis ſolaribus radiis frequenter foueri, nec racemis exuberare? Vt enim vulgares fructus omittam, pecuniarum & famæ magnas reſtitutiones, ſopita diſſidia iam ad ferrum & mutuas cædes ſpectantia, concubinas amandatas, & id genus alia infinita; quoties caſti adoleſcentes hoc præſidio armati, palliis etiam relictis in impudicarum mulierum manibus, veluti alteri Ioſephi, blandam hoſtem fugiendo vicere? quoties puellæ ferrum maluerunt iugulo excipere, quàm aurum flagitij pretium? Quid, quòd nonnemo ex laſciuis iſtis pudicitiæ inſidiatoribus puellæ à ſe diu multumque fruſtrà ad facinus ſolicitatæ, cùm rogaſſet vbinam confiteretur, illaque reſpondiſſet, Vni è Societatis Patribus; tum is deſperato ſceleris ſucceſſu, ſubiecerit: Numquam tibi moleſtus fuiſſem, ſi id antè ſciuiſſem; nec enim ignoraſſem fruſtrà me verba perdere. Quoties alij operoſiſſimè virginibus perſuadere conati ſunt, ne noſtris toties confiterentur, eo tantùm animo, vt libidinum ſuarum repagulum amouerent? Sed quid ego eximios fructus ſtudioſiùs colligam, cùm nullus ſit maior ipſo cæleſtium myſteriorum vſu? Quid enim aliud eſt crebra confeſſio, quàm aſſidua ſui cum peccati malæque conſuetudinis exſecratione correctio? quid aliud Euchariſtia, quàm vinum germinans virgines? quàm germen vitæ in lætiſſimam ſuccreſcens æternitatem? quàm puriſſimi amoris exæſtuans flamma, nouo ſemper nouoque ſeſe alens pabulo? Quo amore vt nihil eſt excellentius, nihil diuinius, ita nullus ex Euchariſtiâ fructus manare poteſt ipsâ maior, quæ amoris inexhauſtus fons eſt, & perennis ſcaturigo; imò tota aliud nihil eſt, quàm amor.

Communionis generalis fructus.

Ann. 1609.

CAPVT DECIMVM.

De Exercitiis ſpiritualibus à S. Ignatio acceptis, & ingenti eorum fructu.

IN rerum naturâ non pauca ſunt quæ vim ac virtutem admirandam habent; ſed latentem & occultam, ipſóſque adeò oculos fallentem. Quis tantum ignis ineſſe credat piperi aut zingiberi, ſi exteriori ſpecie vim ac naturam eius metiatur? quis ex minutâ glande vaſtis diffunden-

dam ramis arborem, truncumque in immanes trabes suffecturum sibi promittat? Magnes ferrum occultâ vi rapit ad sese; nitratus puluis, fulminis in morem momento accensus, intorquet globos ferreos mœnia & vrbes solo æquaturos. Ita frequenter natura vim suam dissimulat, lacessita virtutem ingentem exerit. Talis virtus, tametsi primâ fronte non appareat, inest & Exercitiis spiritualibus, quæ S. Ignatius à Deo edoctus, iuuante ac dirigente Deiparâ, ex oraculis historiisque sacris, & sanctorum Patrum doctrinâ, conscripsit. Quæ in eiusmodi ordinem digessit, quo nihil ad animos permouendos penitusque flectendos aptius, nihil efficacius videtur excogitari posse. Fuit is libellus primum Societatis Opus quod lucem adspexit, felix auspicium tantorum Operum ab illâ deinceps magno Ecclesiæ bono euulgatorum. Nimirum debebatur illa gloria eius Auctori, vt, quemadmodum sanctitatis & virtutis, ita etiam magisterij cælestis, & scriptorum famâ ac laude inter Socios Dux esset & Princeps: tantò maior omnibus, quantò maximis apparere conatus est minor. Magna quidem est vis, magna laus doctrinæ, quam Suarez, Vasquez, Salmeron, aliique tam vastâ tot Operum mole numquam satis potuerunt complecti. Ingens Fabri, Canisij, Augerij feruor in reducendis ad Ecclesiam errantibus; efficax ardor in reuocandis ad mentem sceleratis hominibus; felix sollertia in moribus Christiano dignis efformandis: sed, si suus veritati locus sit, hæc omnia libello illo suo complexus est Ignatius: ex quo, tamquam vberrimo quodam fonte, riuuli isti fluxere. Vastissima sint licet flumina, fonti tamen originem suam debent, & perennes aquas; quantumuis ille cum amnibus suis comparatus, paruus videatur. Ignatij libellus mole quidem perexiguus, dictione planus & facilis est: quem si non gustes, si in tuum succum non vertas, neque artis, neque ingenij, neque doctrinæ singularis, fortassis etiam contemptu magis quàm laude videbitur dignus; sed interiore gustatu perceptus, acer est, potens est, virtutisque tantæ, vt nullum animorum languorem non erigat, nullam duritiem non frangat. Laboraret hîc Societatis fides, si sola tantum huic libello tribueret: quæ ne suspecta cuiquam sit, aliorum testimoniis hanc placet adstruere, quos nec affectus egit transuersos, nec nisi quod experti sunt asseuerant. Ludouicus Strada, è D. Bernardi Familiâ vir in primis celeber, cùm libelli huius diuinam vim sensu ipse suo percepisset, in eius laudem erumpens, *Tirocinium est*, inquit, *toti humano generi institutum.* Cuius quidem testimonij hæc esse videtur sententia, quemadmodum Religiosi Ordines sua habent gymnasia, in quibus Tirones ad vitæ susceptæ formam exercentur, & finguntur; ita non vnius tantùm familiæ alumnos, sed vniuersum hominum genus, & in suo quemque vitæ instituto, ad exactam Christianæ legis disciplinam Exercitationibus à S. Ignatio inuentis aptissimè erudiri posse. Bartholomæus Torres, Canariensis Præsul, spiritu quem ex hoc libello hauserat plenus, *Vtinam,* inquit, *quanti est ille thesaurus, tanti æstimare possemus! Deum testor, triginta annis quibus verfor in studiis sapientiæ, & permultis annis quibus Theologiam doceo, numquam ad meam vtilitatem didicisse tantum, quantum me paucis diebus docuerunt Exercitia. Illa ad docendum referebam, hæc ad agendum:*

Vis & energia Exercitiorum S. P. Ignatij.

Illustrium virorum de Exercitiis iudicia.

dum: quæ inter immane quantum est interuallum. Vidi homines doctos qui Exercitiorum res, cùm tam claræ Catholicæque sint, ex Euangelio sanctisque Doctoribus deprompta, intelligere non possent; quas tamen qui ad vsum referunt, nullo negotio intelligunt. Permultis ego & Religiosis & sæcularibus persuasi vt ea susciperent: nec quemquam noui, qui non magnum inde fructum retulerit, palamque prædicauerit, se nihil omnino è rebus mortalibus voluisse iis antelatum. Potéstne vel luculentiùs ad laudem, vel certiùs ad fidem Exercitiorum præstantia commendari? Nimirum mandere oportet aromata, vt eorum calorem vigoremque persentiscas. Electrum paleas trahit; sed iners est & ignauo simile, nisi priùs confricetur. Ita rerum naturalium, ita libelli huius occultam arcanamque vim, vsus ipse lacessendo ac velut irritando prodit. Quid verò Ludouicus Granatensis, præclarum illud Ordinis Prædicatorum lumen, cuius conciones & scripta omnia eximiam quamdam pietatem spirant, legentibusque afflant, quàm exaggeratâ laude libellum hunc ornat? *Tantum doctrinæ spiritualis,* inquit, *à documentis & Exercitiis illis hausi, vt vita tota non sufficiat scribendo illa, quæ in illis Deus mihi aperuit.* Mancius S. Theologiæ Doctor, vt eiusdem cum Ludouico Ordinis, ita sententiæ sensusque. *Pluris facio,* inquit, *Theologiam Patris Villanoua* (impendebat se ille tradendis Compluti Exercitiis) *quàm omnium simul Doctorum.* Vt verò plurimos silentio prætereaam è celeberrimis toto orbe sapientiæ virtutisque famâ hominibus, qui manibus pedibusque (vt dicitur) in eamdem sententiam iuerunt, quorum vel nomina recensere longum esset; Carolum tamen Cardinalem Borromæum, ipsiusque Sedis Apostolicæ vel Oratores vel Præsides, nefas sit omittere. Quid igitur sanctus ille Mediolanensis Archiepiscopus de hoc libello censuit? Cùm Dux Mantuanus eius bibliothecam viseret, mirificeque laudaret, conuersus ad illum Carolus; *Paruulum,* inquit, *in pulpito libellum habeo, è quo plus haurio, quàm è reliquâ bibliothecâ, quia nempe puriùs & pleniùs, tamquam ex ipso fonte.* Quid verò ipsum Ecclesiæ caput, cuius testimonia veluti cælestia quædam sunt oracula? an hunc libellum nosse potuit, & non laudare? Paulus hoc nomine Tertius, cui certè Societatem IESV notam perspectamque esse oportuit, cùm visum ipsi fuerit & Spiritui sancto eam & approbare & humano generi commendare, hanc de Exercitiis S. Ignatij sententiam pronuntiat: *Plena sunt,* inquit, *Exercitia illa pietate & sanctitate, ad ædificationem & spiritualem profectum valdè vtilia & salubria. Maximum verò adiumentum attulerunt ad fructus vberes, quos Ignatius eiusque Societas in Ecclesiâ Dei vbique gentium producere non cessat.* Ita Pontifex Optimus Maximus latentem hunc thesaurum æstimauit sub ipsius originem Societatis. Sed vsus vetustate ac tempore corroboratus, magis magisque occultam rerum indolem ac naturam solet aperire. Iuuat igitur audire Nicolaum Zambeccarum, qui ea quæ à tot tamque incorruptis testibus acceperat, apud Gregorium XV. in Consistorio retulit. *Ignatius,* inquit, *non solùm opportunis monitis atque adhortationibus ad meliorem frugem traducere conabatur omnes; sed etiam libello de fructuosâ orandi ratione, ex iis quæ magisterio diuino didicerat, excolere nonnullos, atque ad studium virtutis incitare cœpit.* Atque hic est ille Exercitiorum spiritualium

Manriquez de Exercit.

In bullâ Pauli III. datâ ann. 1548.

In processu Canonizat. S. Ignatij.

tualium libellus: qui Summorum Pontificum testimonio probatus commendatusque: quem tam consentiens laus bonorum, & incorrupta sincerè iudicantium vox, tamquam imago virtuti eius resonans, longè lateque celebrauit: qui tam multos è vitiorum cœno extraxit, tot alumnis nouis Religiosos Ordines amplificauit, tam multis Religiosorum Familiis disciplinæ veteris amorem curamque restituit: vt meritò à Summo Pontifice numeretur inter auxilia & robora quæ Deus Reipublicæ Christianæ hoc deploratissimo tempore submisit. Sed generositatem seminis nemo nouerit, nisi qui fructus ab illo productos aut gustauerit, aut propiùs saltem adspexerit. Audiuimus virorum grauissimorum sententiam: quorum auctoritati quidem incorruptoque iudicio cordatissimus quisque haud grauatè cedit; nemo tamen satis vmquam capiet aut assequetur, quid sit caussæ cur documentis istis quasi cælestibus & humanâ sapientiâ maioribus tantum tribuant; cur eam tam certam appellent viam rationemque efficacem animos à peccandi licentiâ ad amorem virtutis traducendi; cur iter quod ab Exercitiis monstratur, breue censeant & expeditum ad absolutam consummatamque virtutem; cur artem vocent quæ dissolutos homines subitò vertat in sanctos: hæc, inquam, nemo vmquam capiet, nisi certis documentis ac reipsâ quodammodò id illi constet.

Fructus admirandi Exercitiorum.
Hist. Societ. p.1.l.2.n.71.

Rem igitur ipsam clarissimaque experimenta in medium adducamus. Sacerdotem scenicum, populi publicum offendiculum, cælestis hæc Exercitatio ita permutauit, vt, iniecto ceruicibus fune, in suggestum adscenderit, & à frequentissimâ multitudine veniam indignæ Sacerdote leuitatis petierit, tam ardenter, vt excusserit illicò lacrymas populo, cui solitus fuerat risus & cachinnos mouere. Messanæ adolescens nobilis, quem nec durissima in triremibus inter mancipiorum fæces seruitus flectere potuerat; his præsidiis adhibitis, indomitam ferociam subitò vertit in suauissimam animi mansuetudinem, intractabilem ingenij duritiem in commodissimos mores. Hæc ars odia grauissima, quæque non nisi partium exitiis videbantur exstinguenda, tum publica, tum priuata, repentè composuit. Hæc magos, hæreticos, Iudæos, pertinacissimum hominum genus, blandâ vi inflexit, Christoque subiecit. Hæc auaros, iracundos, luxui ac libidini perditissimè deditos, in alios prorsus homines suique dissimillimos repentè mutauit. Vnde verò nisi ex cælesti hoc fomite conceperunt ignem, quem toto orbe sparserunt primi illi Ignatij comites, & qui primis successerunt, tamquam Apostolis discipuli, & qui ab his propagati in hæc vsque tempora flammas à maioribus haustas fouere constantissimè pergunt? Hoc experimento Tironum suorum indolem, animos, robur Societas potissimùm explorat: haud secùs quàm aquila pullorum suorum aciem ad solis radios tentat. Atque vt à Societate digrediar, hac in primis cælesti industriâ diuinâque arte plurimùm adiuti S. Carolus Borromæus & S. Teresia, vitam auspicati sunt sanctiorem: iisdem præsidiis institutum cursum feliciter tenuere: iisdem se ad vltimum vitæ terminum felicissimè compararunt. Nec minùs feliciter religiosissima illa Carmelitarum in Belgio seu fundatrix seu propagatrix Anna à S. Bartholo-

In Vitâ S. Ignatij, auctore Andreâ Lucâ, l.5.cap.25. & 26.

tholomæo illam vitæ morumque ſanctimoniam, toti Belgio notam, hoc remedio vel fouit vel plurimùm auxit.

Poſt hæc ſanctitatis lumina in medium producta, nemo iam mirabitur, ſapientiſſimum illum apud Sinas neophytum Paulum, cuius vnius humeris tota res Chriſtiana tam diu illic incubuit, horum vſum Exercitiorum apud gentem illam cultiſſimam ac litteratiſſimam induxiſſe: nemo Gaſparem Contarenum ſuâ libellum hunc manu deſcripſiſſe, eumdemque ab heredibus eius ſolicitè ſeruari, nec ſecùs quàm ingentem theſaurum, vti reuerâ eſt, in pretio haberi: nemo Ioannem Cochlæum, hæreticorum in Germaniâ malleum, iis excultum, quotquot potuit ad eamdem felicitatem inuitaſſe. Ipſe verò Ignatius latentis in hoc libello virtutis optimè conſcius, non minùs eius approbationem quàm multarum ſalutem animarum in votis habuit. Eius vſum M. Mionç, cui plurimum debebat, vt gratus eſſet, impensè commendauit: viriſque grauiſſimis hanc meditandi methodum tradidit. Quid, quòd Ludouicus Bloſius Lætienſis Abbas, vir inſigni vitæ ſanctimoniâ illuſtris, vt ſibi ita & ſuis eâdem prodeſſe voluerit? Quid, quòd Abbates S. Bertini & Aquicinctinus his inſtructi, in tantum repentè ſummarum virtutum ſimul & Societatis amorem exarſerint, vt huic (quò pluribus ita prodeſſet) alter Audomari, alter Duaci, Collegium & templum à fundamentis extruxerint, & dote non exiguâ locupletarint? Nullum inueniam exitum, ſi vel obiter his ſimilia perſtringam.

Sed quid tam ſanctum eſt atque diuinum, quod vel impietas non damnet, vel temeritas non carpat? Incredibile dictu eſt quàm furiosè libellum illum inuaſerint hæretici (magno ſanè ſingularis præſtantiæ ac fructus argumento) quibus ſe in Germaniâ Gretſerus oppoſuit, in Galliâ Richeomius. Sed mirandum eſt, à Catholicis quibuſdam diuinum illud Opuſculum aut in crimen aut in contemptum vocari potuiſſe. Enimuerò excuſari non poteſt leuitas iſta culpantium quod ignorant. Minùs ferenda eſt calumnia, quæ quod videt damnari non poſſe, fictis criminationibus velut turpi laruâ ſtudet inuoluere. Sed hæc nequitia non ita obducta eſt, vt non ſtatim ad primum veritatis radium euaneſcat, ſeque ipſa interimat. Sparſerat hæc Conimbricæ in vulgus, iis qui ſe apud Patres Societatis exercerent, ſpectra neſcio quæ & viſa obiici. Calumniæ fidem adſtruebat, quam detrahere debuerat, vt repentina ita ingens & crebra morum mutatio. Deniquc adeò inualuit hæc fabula, vt Cardinalis Henricus fidei Quæſitor de re totâ cognoſcendum cenſuerit. Hoc dum eius imperio diſſimulanter facit Iacobus de Murciâ Academiæ Rector, Fratreſque noſtros de obiectis viſis legitimè interrogat, vnus apertè fatetur ſe viſa vidiſſe, & quidem feralia atque horrenda. Et quænam illa? inquit Rector, ſimulque Scribam admonet, vt quæ narrarentur exciperet. Ille verò, Memetipſum, inquit, vidi, quem numquam antè ſatis perſpexeram, monſtrum ſanè tetrum, quo turpius mihique magis timendum numquam vidi. Hoc reſponſum ab ipsâ veritate facetè petitum, calumniam potentiùs diſcuſſit, quàm fortaſſe potuiſſet ſtudioſa defenſio; & compendio quodam rudem Exercitiorum imaginem ac laudem amplectens, calumniam ſuo veluti telo confecit.

Exercitia fruſtrà oppugnata.

Hiſt. Soc. par. 1. l. 5.

Super-

Superest nunc, vt quid sint, vnde ortum ducant, quâ ratione obeunda, quibus, & quando, & cur tradenda sint hæc Exercitia, paulò accuratiùs explicemus. Quorum tale est argumentum. Ante omnia, veluti auspicium & fundamentum vitæ sanctioris, proponunt finem, in quem homo est conditus, attento & quieto animo considerandum: quâ ratione affici oporteat rebus ceteris quæ hominis caussâ sunt procreatæ: quid ordinem hunc pulcherrimum inuerterit. peccatum nempe, quod vnum non minùs nobilissimas illas in cælo mentes, quàm genus humanum perdidit vniuersum. In oppositam igitur virtutis viam tantò enitendum est ardentiùs, quò magis ab extremo interitu abhorrere debet quicumque aliquâ sui miseratione tangitur. Virtutem hanc nullâ re æquè ac CHRISTI præeuntis ad vitam Ducis exemplo acui; vtpote quod attentiùs consideratum vel ignauiam ipsam inflammare tantoperè possit, vt arduum illud iter non minùs iam affectet quàm priùs fugiebat. Tandem animum difficultatum victorem, velut exsuperato montis ardui iugo, in intimam cum Deo coniunctionem deducunt, & castissimi amoris dulcedine penitus penitusque perfusum, quadam beatitudinis propinquæ suauitate, quam ex certâ eius spe prælibat, iucundissimè reficiunt. Atque tres illas ab omnibus celebratas vias, quæ ducunt ad summum virtutis apicem, libellus hic recludit. Purgandæ menti insistit per varios in se ipsum inquirendi modos: per altiùs repetitam peccatorum confessionem, perque conuenientes maximè aptasque commentationes id agit primùm, vt flagitiorum turpitudine & sarcinâ liberetur animus, tum vt perturbationibus (quibus velut æstu ventoque iactata nauis in diuersa rapitur) vacuus velut in tranquillo diuinæ vocis susurros audiat. Sic purgatum cælesti luce contendit illustrare, tenebris discussis, quas auido iam virtutis frequenter offundit error. Hîc primùm ad diuinarum legum obseruationem, inde ad Euangelicam consiliorum perfectionem, tum ad iniurias, ignominiam, dolores, vulnera, mortem, si CHRISTI gloria & obsequium id exigant, generosè subeunda, mentem armat, & quasi facibus quibusdam ardentibus inflammat. Ex his vt consequens est, perfectum tradit intimæ cum Deo coniunctionis modum: nam vagatus per omnia gaudij, pacis & spei incitamenta, Deum vbique præsentem admirari docet ac diligere. Addit denique tum ad detegendas hostis nostri fraudes documenta vtilissima, tum ad inanis gloriæ (quam rectè in portu naufragium dixere nonnulli) arcendum periculum. Nam quemadmodum ex arduo in præceps despicienti ipsa nonnumquam altitudo tenebras offundit, quibus iter oculosque obcæcantibus procliuis est ruina: ita non rarò virtutum suarum eminentiam circumspicienti diuitiæ ipsæ inopiam creant. Atque hæc aurei libelli quædam synopsis est, sed mutila: nam latentem in eo vim nec volumina ingentia satis explicent, neque inexperto magis demonstrent efficaciam arcanamque huius Opusculi virtutem, quàm oratio dulcedinem mellis ei qui id numquam sensu gustuque percepit.

Argumentum Exercitiorum:

deducunt per viam purgatiuam, illuminatiuam, vnitiuam ad Deum.

Modus obeundi Exercitia.

Vt autem cum sperato fructu obeantur hæc Exercitia, requirunt in primis secessum & solitudinem, vt animus à publico, ab amicis, adeoque

que domeſticis remotus, curarumque immunis, &, quantum fieri poteſt, etiam immemor, in ſeſe abeat, totusque ſibi & Deo vacet. Solet enim ſuos in ſolitudinem Deus abducere, vt, ſilente rerum vulgique ſtrepitu, exaudiri ab illis poſſit. Tum verò ſancta iis iniicit deſideria, lacrymas elicit abſque teſte copioſiùs; tunc animo ſe dulciùs inſinuat, ac denique toto numine illabitur. Hîc homo ſeſe habere incipit, qui cùm ſe rebus gerendis tradidiſſet, ſibi ipſi eripuerat; cùm ceteris ſeruiret, ſibi vni deerat, quàm aliorum ſtudioſus, tam negligens ſui. Vox ergo Numinis non auditur in foro, non percipitur in publico; odit turbam, ſolitudinem amat.

Quoniam autem recti ſpecie ſæpè blanditur error; quicumque in hanc ſolitudinem ſe recipit, ductore opus habet, cui ſenſus omnes arcanosque animi motus aperiat; à quo, quid quóve tempore agendum ſit omittendúmve, cognoſcat. Ita dum Georgius Radziuillius Cardinalis Vilnæ Epiſcopus cum fratre Stanislao in villam Iulij III. ſeceſſit, vt his meditationibus animum exercerent; vtrumque iuſſu Gregorij XIII. direxit Achilles Gagliardus: eo ſucceſſu, vt reduces in Poloniam fructum quem hauſerant, per omne Regnum diffunderent: Cardinalis enim in hæreticorum conuerſionem acriter incubuit, Stanislaus in mores ſibi ſubiectorum ad omnem honeſtatem conformandos. Vt autem illis Proceribus, ita cuilibet alteri, non ſine directore hæc Exercitia traduntur. Quippe non ſolet diuina Sapientia homines niſi per homines erudire. Non me fugit, Ignatium, cùm neque litteratus eſſet, neque ante ipſum exſtaret hæc ſpiritum exercendi methodus, diuinitus hanc artem edoctum fuiſſe, non ſine Deiparæ benignâ ope: ſed paucis ea felicitas obtingit, nec ferè niſi illis qui ad res ingentes & inuſitatas diuino conſilio deſtinantur.

Quibus Exercitia tradenda: potiſſimùm deliberantibus de vitæ ſtatu eligendo.

Porrò tradenda ſunt omnibus quibus limatius eſt ingenium, aut ſaltem politioris diſciplinæ capax; iis præſertim qui de ineundo vitæ genere deliberant, vt in his ab omni perturbatione liberi, de vitâ futurâ ſtatuant, quod numquam ſtatuiſſe pœniteat. Hoc verò quantum eſt? Ineunte adoleſcentiâ, inquit Tullius, cùm ineſt maxima imbecillitas conſilij, tum id ſibi quiſque genus ætatis degendæ conſtituit, quod maximè adamauit. Itaque antè implicatur certo aliquo genere curſúque viuendi, quàm potuit quid optimum ſit iudicare. Nimirum ſequitur hæc ætas paſſim ouium ritu, auferrique ſe ſinit quà vocat aut inconſultus animi impetus, aut maiorum exemplum, aut multitudo deterioribus ferè conſentiens; it denique quà itur, non quà eundum eſt. Ignatius verò cùm perſpiceret, quanti eſſet momenti certum aliquod vitæ genus maturo ſibi conſilio deſignare, ne infeliciter de eo deliberaretur, quod ſemel tantùm ſtatuendum eſt, & in quo ſumma maximi omnium diſcriminis vertitur; cumque videret ex vulgi iudicio vitam pleroſque inſtituere, hoc eſt (vt verbo dicam) à recto curſu aberrare, cùm poſteriores quaſi per caliginem veſtigia premunt priorum, & de re omnium maximâ caſu non ratione decernunt; ideò ſollertem felicemque adhibuit curam, vt quiſque horum ope Exercitiorum ſic de vitæ ſummâ conſtitueret, vt Deum velle, ſibique potiſſimùm expedire cenſeret.

Quæ quidem deliberatio tam est necessaria, vt sine eâ felix vitæ cursus teneri ægrè admodum possit. Quam enim imaginem exprimet, qui paratos colores illinit priùs tabulæ, quàm quid velit pingere secum ipse statuerit? Quis prædam figet, qui sagittam mittens in auras ignorat quò arcum dirigat? Quem ventum optet nauta, aut quò cursum flectat aut vela vertat, qui nesciat quem in portum tendat? Qui verò post maturam deliberationem statuit quem se esse velit, is in vitæ perenni quodam feliciqùe cursu constare sibi potest, & nullo in officio claudicare. Quæ deliberatio ne temerè suscipiatur, ante omnia expurgandus est noxis animus, ac dein exuendus omni inclinatione, quæ in hanc potiùs quàm in illam propendeat rerum creatarum, ne vlla animi perturbatio aut rectæ rationi obstrepat, aut voci diuinæ. Ac tum demum de vitæ genere deliberandum, cùm sine erroris periculo decerni potest, simulque prospici possunt & procurari idonea virtutum auxilia, ad vitæ iam deliberatæ stadium inoffenso pede decurrendum.

Alij fines cur Exercitia obeunda. Neque verò hæc Exercitia ad eligendum vitæ genus tantùm sunt adhibenda: nam mirè etiam valent ad conformandos mores, appetitionesque sedandas, ad retinendam in præclaris animi nostri decretis institutisque constantiam, ad quamcumque demum vitæ semel susceptæ disciplinam Christianè colendam. Testes sunt infiniti toto orbe, qui ea non minori suâ voluptate quàm fructu sunt experti. Sed vnus sit instar omnium Augustinus Caruajalius, Augustiniani Ordinis Theologus. (Ann. 1601.) Is cùm Indiam Occidentis peragrasset, & in Hispaniâ variis muneribus cum laude perfunctus esset, Italiæ quoque Cœnobia sui Ordinis iussu Summi Pontificis visitasset; Bononiam tandem ab eodem Pontifice Visitator Apostolicus missus ad D. Iacobi Cœnobium in veterem disciplinam restituendum, non aliis id præsidiis facere aggressus est, quàm piis his Societatis commentationibus: quibus ipse cùm per mensem se exercuisset, testatus est candidè, se, quamdiu in Religione vixisset, rationem aliquam, quâ rectissimè incederet, semper optasse, eamque nunc demum, cùm in hæc S. Ignatij Exercitia incidisset, inuenisse. Quæ quidem ille auidissimè hausta, atque in intimum demissa pectus, tanti fecit, vt in iis verè diuinum aliquid inesse apertè diceret: eaque deinceps in alios eò libentiùs deriuauit, quò ipse aut diutiùs quæsiuit, aut seriùs inuenit.

Quando Exercitia adhibenda. Sed quando hæc potissimùm animi tam certa auxilia sunt adhibenda? Societas quidem singulis annis suorum animos hac cælesti ope restaurat. quam Societatis consuetudinem alij non pauci ex omni ordine tam sacro quàm politico æmulantur. Tum verò etiam adhibentur vtilissimè, cùm parandus est animus ad arduum aliquod & publicum munus. Sic opportunas ab his vires sæpè petierunt Episcopi, onus illud Angelicis humeris formidandum subituri: quas cùm magno suo suorumque bono corroborari sensissent, ex iis non pauci nullos deinceps statuerunt Sacris initiare, nisi cælesti hoc præsidio ad dignissimum illud Christianæ Religionis munus antè comparatos. Tunc etiam opportunè suscipiuntur hæ Exercitationes, cùm animus obruitur negotiis, sibique subductus in rebus alienis totus est, vt sibi se nonnihil reddat, agatque etiam

etiam negotium suum omnium grauissimum & maximum. Rursus tunc opportunæ sunt, cùm languet aut æger est, vt hinc medicinam petat; cùm difficilis obscurusque nodus soluendus, vt cælestem hinc lucem hauriat; cùm oppugnatur, vixque apparet effugium periculi, vt opem hinc atque præsidium accersat: denique cùm malum quodlibet infestum experitur, in his tam præsens siue solatium inuenit, siue remedium, vt vel experimento suo fateri cogatur, hæc S. Ignatij Exercitia (quod multorum sermone percrebuit) opus esse humano maius, & nobilissimum æternæ mentis inuentum. Nunc quibus in proximum Societatis charitas præcipuè elucet, erga pauperes afflictosque studia paucis delibemus.

CAPVT VNDECIMVM.

De Societatis erga pauperes morbis, peste, vinculis afflictos charitate.

CArò constat mortalibus scire an amentur: nisi infelices sint, id scire vix possunt. vsque adeò nulla sinceri amoris exploratrix certior est, quàm calamitas. Amat Societas proximum suum; idque & in gymnasiis & in pulpitis illum erudiendo ad salutem, satis docet: sed nusquam manifestiùs quàm in publicis valetudinariis, pauperum tuguriis, & reorum custodiis; vbi miseris præstò est, vt eorum calamitatem soletur ac leuet. Et quidni præstò sit, cùm IESVM sequatur Ducem, qui suum erga homines amorem subleuandis afflictorum ærumnis præcipuè commendauit; quemque in captiuis vinctum, in ægris languentem, in mœstis dolentem solari se & leuare non ignorat? Hoc est cur egenorum casas, carcerum pædorem, nosocomiorum graueolentiam in deliciis habeat. hoc est cur nec vlcerum sanies, nec contagionis virus, nec reorum squallor, nauseam illi aut horrorem moueant. An auarus adamantem aut pyropum aut monile in cloacâ aut fimeto inuentum ob adhærescentes sordes non negligeret, Societas animam sanguinis diuini pretium, imò IESVM suum quem in hac agnoscit, quia pædore & squallore obsitum, auersabitur? IESVM suum aut in calamitate aut in periculo destituet? Hoc facere si posset, & morbis ipsis inclementior, & vinculorum ferro durior, nec Societas IESV esset. Quare meritò ab hoc velut tirocinio nouam militiam auspicatus est Ignatius. Speluncam insedit propter Manresæ portas. Hinc quotidie in vrbem egressus, stipem ostiatim mendicissimè corrogabat, quam deinde in pauperes diuideret. Tum conuocatos spe factâ cibariorum quæ mendicauerat, primis Religionis elementis imbuere. intereà illorum ineptias & æquo & benigno ferre animo, amorique erga illos suo diligentissimè seruire. hinc ad ægros in S. Luciæ valetudinario se conferre, illos solari, illorum commodis vacare, lectos sternere, dum commouendi, mollissimè tractare: corpora plagis & vulneribus deformata arctè complecti, vtque & se vinceret, amorisque quo æstuabat ingentem vim non dissimularet, ipsa vulnera, quamuis fœda & putria, & osculari, & lambere,

Amor Societatis erga proximum.

S. Ignatij erga pauperes & infirmos studium.

And. Luc. l. 1. c. 8.

bere, & ex iis ſtillantem ſaniem non rarò ore excipere atque exſugere; tum verò eorum animis medicinam facere tantò ſolicitiùs, quò præſentiore opus erat remedio, morbuſque magis vrgeret. Reluctabatur quandoque vel inuito natura, cùm ille ſic ſecum: *Itáne verò iam à fratre abalienaris faſtidio? vbi ille eſt hominum amor & dilectio, quæ tam ſtudiosè foues? nónne pauper ille eiuſdem tecum eſt carnis & ſanguinis, & eodem* CHRISTI *ſanguine redemptus? Tibi, eſca vermium, tibi, ſcaturigo fœdiſſima ſtercorum, horrorem incutiet frater? nónne in paupere iſto eſt* CHRISTVS? *nónne in plagis iſtis* CHRISTI *agnoſcis vulnera? non ſic, non profectò feres impunè.* Tum quæſito illo, quo toto valetudinario non erat tetrior & inquinatior, fœdis vlceribus non tantùm oculos nareſque paſcere, ſed & os & labia purulentis plagis applicita tamdiu affixaque tenere, donec omnis horror & nauſea ceſſaſſent, & neque maleolentiam ampliùs neque putredinem perſentiſceret. Heroicos Ducis ſui animos imitati Socij, dum Venetiis idoneam tempeſtatem opperiebantur nauigandi in Palæſtinam, vbi ab Ignatio in celeberrima duo vrbis valetudinaria bipertiti, ipſo auctore, quà miſericordiæ officiis quà ægrorum conſcientiis ritè ſanandis operam dederunt; tanto animorum ardore, vt ad ſpectaculum ciues hærerent attoniti, præſertim cùm cernerent corpora ſanie ſtillantia, viſu fœda, olfactu grauia, manibus ab eis contrectari, complexu dum lectos ſternerent ſuſtineri, & in ſtratis reclinari: imò à quibuſdam, ad horrorem naturæ frangendum, manantia tabo vulnera exſugi. Quid, quòd fœdiſſimâ leprâ reſperſos, ac valetudinariis excluſos, in ſuo lectulo collocarent, nullo contagionis metu anxij? Omnium autem cubilia circuibant, benignis alloquiis miſerrimum quemque ſolabantur, ad tolerandam morborum violentiam excitabant, ad deteſtationem peccatorum inducebant, apud moribundos nocturnas agebant vigilias, mortuorum denique corpora humo ſuis effoſsâ manibus tumulabant. Iuuat hîc audire Vrbanum Pontificem Maximum de magnanimâ Xauerij charitate: *Eo, inquit, dilectionis ardore erga inopes infirmos, qui in domibus hoſpitalibus morabantur, ſe gerebat, vt rarò ab eis diſcederet; tantâque ſenſuum mortificatione quantumuis ſordidiſsima miniſteria peragebat, vt aquam ſæpiùs, quâ horribilia & incurabilia vlcera lauerat, ebiberit. Cùm verò de vitâ periclitarentur, tunc cibi ſomnique prorſus oblitus, & præter proprias vires à Deo confortatus, veluti à commiſsâ cuſtodiâ nec die nec nocte diſcedebat. Quæ adeò libenter atque hilariter exſequebatur, vt deliciæ eius deſeruire ægrotis ac morientibus eſſe dicerentur.* Hæc eſt amicitia Chriſtiana & vera, quæ miſeros non fugit, ſed quærit; non deſtituit, ſed ad extremum omni ope & obſequio fouet. Hic eſt ſincerus in proximum amor, illi præſtò eſſe, qui, quo amorem tuum inuitet, nihil habet ſplendidius quàm vlcera, nihil ſpecioſius quàm artus pallore, ſitu, leprâ & lue confectos; nihil potentius quo affectum ſibi conciliet, quàm infelicitatem & extremas miſerias. Hic amor in primis Sociis tam altè radices egerat, vt, priuſquam ſe diſiungerent, in varias vrbes cæleſtem charitatis ſuæ ignem ſparſuri, inter ceteras leges quibus ſe adſtringebant, hanc quoque ſancirent, ne alias ad diuerſandum ædes præter publicas hoſpitales domos perquirerent: nec ſanctiùs legem tulere, quàm ſeruarunt. Lainius

Sociorum in noſocomiis obſequia, ſuique victoria.

Bulla Canonizat. *S. Xauerij erga infirmos amor.*

Floren-

Florentiam miſſus, vbi vrbem attigit, repudiatâ hoſpitij liberalitate, quam complures offerebant, in valetudinarium cum Caniſio diuertit. Ratisbonæ Bobadilla æger ipſe & imbecillis, cùm vix hæreret veſtigio, & ſuccideret genua, in noſocomio tamen nihil propè de laboris contentione remiſit, ne quid ſauciis infirmisque de exſpectatâ charitate detraheret. Fatigato non aliud cubile erat quàm ipſa ſoli durities, non aliis ſtragulis cooperto quàm quæ numquam exuebat, nec aſſere quidem corpori ſubſtrato. Iaius cùm Ducis Ferrariæ confeſſionibus præeſſet, ab aulâ ſe ad valetudinarium recipiebat, ægros omni ope ſolaturus; inter quorum pædores aiebat ſe libentiùs, quàm inter aulæ odores blanditiaſque verſari.

Idem aliorum omnium ardor.

Venerat Moram, oppidum olim à ſe excultum, Prouincialis Luſitaniæ Miro, incolas ſibi deditiſſimos reuiſendi cauſsâ. Aduenit mox Cardinalis Henricus Diœceſin ſuam luſtrans: qui dum publicam hoſpitalem domum inuiſit, Mironem in eâ ex febre decumbentem inter pauperum turbam reperit; ſuisque oculis non ſine admiratione ſpectauit, quæ Sociorum eſſent deliciæ, quid potiſſimùm agerent, cordique haberent. Scilicet pro ſolatio ducebant, afflictis ſolatio eſſe, & in eorum obſequio vires ac valetudinem conſumere. Quid, quòd multis locis, vbi non erant noſocomia, Magiſtratus & Principes permouerint vt ea exſtruerent? Ita Goæ operâ & curâ Pauli Camertis ædificatum valetudinarium; cuius miniſterio ac procurationi multos ipſe annos præfuit. Ita in orâ Comorinenſi, ita Aphrodiſij in Africâ, & alibi, ægrorum diuerſoria Societatis curâ ac diligentiâ ſunt exſtructa.

Iam quantum in ægros ſauciosque milites vbique ſe prodidit eadem charitas? Quanta Lainij in hoc genus hominum benignitas, quàm effuſum obſequium, cùm ad Aphrodiſium Africæ vrbem, quam Vega Siciliæ Prorex obſidebat, ſuâ ipſe manu pręplararet ac porrigeret ſauciis pharmaca, vnguenta oblineret, cibos in os inſereret moribundis, lintea mundaret, nocturnas apud ægros duceret excubias; cùm alij ſuper alios ſternerentur, omnium conſcientiis ritè purgandis inuigilaret? Quanta illa Antonij Vinckij Rectoris Mamertini charitas, cùm in valetudinario triginta milites puluere tormentario ambuſti, à vertice ad pedes fœdum in modum exulcerati, intolerandum exhalantes odorem, vermibusque ſcatutientes, ob fœditatem mali iacebant ab omnibus derelicti? His ad extremum adfuit Vinckius, animisque eorum pariter & corporibus omnem operam, obſequium, ſolatium impendit. quæ viri cura & ſedulitas nouem ſeruauit in viuis, ceteros ritè expiauit, & ad æternitatem ſedulò inſtruxit. Quid, quòd Societas numquam defuit vel extremo charitatis officio ſepeliendi vitâ functos? In nuperrimo montis Veſuuij incendio quàm id non obſcurè oſtendit, cùm Socij, flammis adhuc erumpentibus, & circùm omnia longè lateque vaſtantibus, cùm ſaxa mons adhuc eructaret, & circùm vndique grandinis in morem ſpargeret, cadauera ex altis cineribus effoſſa, atque in humeros impoſita, ceu noui Tobiæ tumulis mandarunt?

Recupit. pag. 47.

Ita Societas ægris mortuisque obſequium ſuum, vbi vbi offert ſe occaſio, prolixè præſtat; optatque omnibus votis, tam promptè morta-

les eius operâ vtantur, quàm illam promptè omnibus defert. In his tamen pietatis officiis inuenit liuor quod carperet. Cederet autem criminationibus & frangeretur Societas? omnia essent deserenda; ac tum culpari fortasse desineret, cùm ob ignauiam & socordiam maximè esset culpanda. Sed erigitur inuidiæ obtrectationibus, non deiicitur. vtque temeritatis existimat, vitæ discrimina sine consilio & ratione adire; ita pro salute hominum & Dei amplificandâ gloriâ mortem non reformidare, magnificum & gloriosum. Quis Religionem Christianam posteris seruasset, nisi Christiana fortitudo supra mortis & tyrannorum metum fuisset? Quis Æthiopiam, Brasiliam, Iaponiam, ceteramque barbariem excoleret, si ærumnæ, cruciatus, certusque, quamuis lentus, interitus ab eorum finibus Christianos doctores arceret? Si per vitæ pericula & mortem adeantur barbari, quò CHRISTI legi subiiciantur; an multo sudore & sanguine maiorum CHRISTO asserti, mortis formidine deserantur, cùm extremo malorum humanorum vrgentur, & in geminæ æternitatis discrimine versantur, ab ipsis quoque parentibus & propinquis destituti? Quis tamen per contagionem & luem quæ momento afflatur, quis per mortis assiduam exspectationem, morte ipsâ grauiorem, intrepidus incedat? quis animo non titubet, non palleat, cùm quot domos aut ægros adit, in totidem mortes ire se credat? Auida periculorum & mortis charitas, nec quò tendat, nec quid passura sit cogitat; quoniam & quod passura est votorum pars est. Testes sunt quotquot ferè vrbes incolit Societas, quàm promptè, quàm alacriter ad hæc obsequia Socij non veniant, sed conuolent, quamque operosè hæc munia ambiant. Neque hæc paucorum inter illos est charitas, aut cunctabundorum. Vidimus non vno loco exhausta propè Collegia, cùm vix carceribus in hoc stadium emissos mors ex inchoato cursu abriperet, & ab ipsis funeribus superstitum cresceret feruor. Vidimus in Belgio nostro ex totâ Prouinciâ in dies accurrere in locum cadentium, cùm vix arenam hanc ingressos adorta lues sterneret; cumque plures simul interdum aduentarent, apud Rectores pulchro certamine inter se contendentes, vtri priùs vitam proximo deuouerent, & periculum Sociorum depellerent suo. Vidimus nostros, obligatis adhuc capitibus, & à pestiferis vlceribus nondum persanatis adhuc claudicantes, non per vrbis modò compita, vt laborantibus ipsi laborantes subuenirent, quo poterant modo accelerare gradum, sed in suburbanum etiam agrum se effundere. Vidimus deserta in plateis & agris corpora agentium animam suis quandoque humeris, quandoque vehiculis imposita, ad nosocomia vehere. Freno hîc opus habent, non calcaribus. impetratur hæc prouincia, non imperatur. auidiùs discrimen hoc expetunt, quàm plerique mortales fugiunt. pro beneficio est à pulpitis & cathedris ad gloriosam hanc charitatis palæstram posse descendere. Frustrà & lacrymis & precibus eorum ardori parentes & consanguinei obsistunt: frustrà impauidis terrorem inculcant: frustrà spem faciunt maioris frugis, seque & plures paucorum caussâ non esse deserendos. Incitant hæc, non deterrent contemptricem periculi & mortis virtutem.

Societas peste infectis assistit.

In mediis etiam aquis charitatis hoc incendium arsit. Testes mihi sunt & Xa-

& Xauerius & Barzæus noster, & quotquot ferè in Orientis Indias nauigarunt. Quin & hæretici & Turcæ & barbari eam experti sunt & admirati, eâque magis quàm omnibus argumentis ad virtutem & religionem amplectendam permoti.

Sed nolim hanc Societatis charitatem solâ morte æstimari. Immensus in his periculis est labor, & corporis defatigatio, cuius nec die nec nocte discriminata sunt tempora. Quoties ab extremâ vrbis parte ad alteram, & extra vrbis pomœria, ingenti interuallo cursitandum? Quoties nec otium est curandi corpora? Quoties dum inediâ exhausti, æstu & labore languentes & lassi reuertuntur, plures reperere opperientes qui iam iam morientibus opem implorarent, quos nefas erat deserere? Hinc ad noctem sæpè impransi, & per tuguria vagati, vix spatium quietis & cibi vtcumque capiendi habuere. Quibusdam ex assiduo cursu & sudore attritæ fuerunt plantæ & vlceratæ; nec tamen à concursatione & contentione cessare tantisper licuit. Sæpè labore & vigiliis fessi, vix in cubili se reclinauerant, cùm rursus excitati nocturnos labores diurnis coniunxere; vt plerosque non tam pestis confecerit, quàm labor.

At quantò in carceribus copiosior messis, vbi & inopes, & morbis grauibus, & teterrimis, & contagione noxiis laborantes, & mœrori intabescentes? Hos Socij & verbis solari, & subsidiis leuare, & obsequiis recreare, hos sedulò curare, in eorum libertate redimendâ omnem operam atque industriam ponere, pro suppetiis conferendis Sodalitia excitare, & id genus alia auxilia, quę suprà meminimus, adferre. Quibus omnibus hoc agunt, vt viam sternant seruandis miserorum animis, quos beneficiis istis sibi conciliant. Vt enim iis plurimum tribuimus, à quibus plurimùm diligimur; ita his officiis delinitos ad omnem pietatis disciplinam facilè componunt. Sacella in carceribus exstruunt, Sacramentorum vsum persuadent, exercitationes quotidianas in sua tempora distribuunt, ad legendas communiter Litanias, & D. Virginis Rosarium, aliasque preces alternis recitandas, inducunt: sed ante omnia prauam iurandi consuetudinem, etiam censore constituto, tollunt. inter quos fortè offensiones gliscunt, eos in mutuam gratiam reponunt, damnatos ad supplicia æquo animo subeunda ritè & more Christiano comparant. Vnum quod omnium sit specimen, lubet oculis subiicere, ipsis historiæ verbis ex fide annumeratis. *Cùm per totum orbem terrarum*, inquit Sacchinus, *promulgatum à Paulo Quarto Iobeleum ad pacem Ecclesiæ impetrandam, concordiamque inter Christianos Principes, Goæ quoque propositum hoc anno esset, destinatis quadraginta ad præparationem diebus; eo tempore, quoniam inter alia pia opera etiam eleëmosynarum erogandarum fiebat mentio, auctore Consaluo hæc eleëmosynarum inita ratio est; vt quibus diebus ieiunabant, quiuis cibariorum sibi destinatorum partem ad vinctos in carcere transmitteret. Octo decémve ad perferendos cibos delecti Fratres: qui vbi primùm adiuere carcerem, non fame dumtaxat infelicia corpora, sed magis fœtore ac sordibus vidêre confici. Turba erat miseranda omnis, sed præcipuè ægrotorum commouebat aspectus: qui multi iacebant humi abiecti alto fœdóque in situ, vnde intolerabilis exhalabatur mephitis. Hac igitur nouâ & charitatis & humilitatis segete læti Socij, alijs*

detentis in carcere solatio est.

Lib. 3. num. 137. & 138.

aliis deinceps diebus vnà cum cibis scopas, paleas, corbes, aliaque id genus ad purgandas euehendasque sordes portabant. Tum summâ alacritate purgare carcerem aggressi, sordes alij eruebant, alij corbibus auferebant in mare, quod non modicè ab custodiâ distat: alij vasa, & quidquid eâ egebat curâ, mundabant. Ita opitulati corporibus, ad curandas animas vertebantur; quæ eò faciliùs expiari se, doctrinâque Christianâ & monitis salubribus sinebant imbui, quò magis fuerant impensis corpori obsequiis præparatæ. Hactenus Sacchinus. Atque hic finis est eorum quos Societas suscipit laborum; huc spectat quidquid agit & molitur. Nihil illi durum, nihil inuium, vbi affulget spes lucri animarum. mors ipsa in votis est, dum æterna ab aliis depellatur. Vnà velit & vinculis & carceribus mancipari, in eumdem squallorem conijci, eodem situ fœdari, si hoc ad vindicandas in libertatem animas conducat. Nónne hoc nostri agunt? qui vt milites nauticosque homines in extremis præsenti ope iuuent, naues conscendunt, vnà cum illis & tempestatum discrimina, & ab hoste pericula subeunt, & cum iis in voluntarium quodammodò carcerem se compingunt: in quo neque morborum virus & contagia possint euitare, neque hostilium tormentorum vim euadere, vt non aut membris mutilentur, aut in frusta, vt subinde factum, discerpantur. Et dubitari poterit, an verus hic & sincerus sit amor, qui illos in curandâ salute alienâ vsque adeò sui reddit immemores? Sed hæ angustiæ tantam virtutem non capiunt; orbem illa terrarum habet pro campo, neque vllis finibus coërceri potest. Ergo videamus, quos labores in barbaris remotissimisque nationibus Societas, & quo fructu, hactenus sustineat.

milites & nautas in mari non deserit.

CAPVT DVODECIMVM.

De Societatis in Gentium conuersione laboribus & fructu.

HActenus de variâ Societatis industriâ, quâ variis quidem orbis regionibus, sed præcipuè succurrit Europæ; ad cuius angustias reliquiæ Christianorum redactæ videbantur, eæque per hæreses, schismata, Mahumeticam impietatem, miserandum in modum accisæ atque conuulsæ. Hæc tamen tanta pars terrarum visa est angustior charitati, cui vnus non sufficiebat orbis. Domesticis quidem suis atque contubernalibus vitæ exemplo, opportunis monitis, vigilique curâ prodesse, nec aliam laborum mercedem ab illis exspectare, quàm ipsorum emolumentum; & magni & liberalis est animi, virtutemque pretio suo æstimantis. Non sibi suisque tantùm, sed popularibus ciuibusque natum se credere, vrbemque totam quasi familiam vnam putare, singulorumque siue damno siue bono non aliter tangi quàm suo, omniumque commodis studere; etsi grandius etiam illo priore sit opus atque præstantius, humanum tamen adhuc est, & eius viri qui societatem non tam legibus quàm amore mutuo vinctam, ac sincerâ Religione florentem, præcipuum æstimat vitæ humanæ fructum ac dignitatem. Iisdem verò mœnibus, quibus circumdati sunt ciues, virtutem non concludere, sed per eiusdem Regni aut Imperij spatia diffundere; augusti prorsus

Charitas Societatis non est angustis limitibus arctanda.

&

& heroici est animi, neque arctari se patientis vnius aut oppidi muris, aut prouinciæ limitibus quasi *Gyaræ scopulis, paruâque Seripho.* Plus vltra nihilominùs, plus vltra quasi giganteis quibusdam passibus prosiluit Iesv Societas. Illud nempe Isaiæ oraculum, quod Filio Dei Duci suo tribuitur, sibi quoque dictum putabat: *Parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israël conuertendas.* Tu quidem strenuum animum adfers ac promptum, Societas mea, vt primigenium Ecclesiæ spiritum resuscites. Eueniet. Roma metropolis & caput mundi innouatam se mirabitur. reuiuiscet ignis quem veni mittere in terras. redibit antiquus primæ iuuentutis vigor, quo panis ille vitalis, velut olim primæuam Ecclesiam, ita nunc Christianorum animos pascet, cælestique succo vegetabit. copia concurrentium ad hunc vitæ fontem numero erit maior. amplissima templa, augusta Regum opera, turbam non capient. vastissimam camporum planitiem occupabunt conciones, in quibus vicena millia ab vnius ore quandoque pendebunt. Summos Pontifices interpellabunt Reges, Principes, vrbes, vt è vobis morum ac vitæ magistros obtineant. *Sed parum est vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israël conuertendas.* Quadraginta millia ex hæreseos fæce ad Ecclesiam reducta ab vno Augerio in Galliâ, & illic, & in reliquo Septemtrione ampliùs tria & viginti millia vno anno, ex eâdem fæce à vobis educta, & multa quotannis millia educi parum est. Quantum in Germaniâ prouinciarum, vrbium, municipiorum; quantum in Poloniâ à vobis in auitâ Religione seruatum; parum illud omne est, quantumuis magnificum & immortali laude præmioque dignissimum. Rigæ in Lithuaniâ vno anno à septem Sacerdotibus viginti hominum millia prouectæ ætatis audita se de delictis suis accusare & conscientias expiare, qui id numquam antè fecerant, præter eos qui ab hæreseos erroribus asserti sunt; Conimbricæ ter mille & ampliùs, alibi bis mille à Ferdinando Suaresio commotos, vt loris & flagris seruile de se supplicium sumerent, quia se indignæ peccatorum seruituti subiecerant; Benedictum Palmium vnâ concione multis meretricibus persuasisse, vt obscœnas voluptates verterent in cælestes, quas ex sui victoriâ deinceps peterent; odia in amorem, bella intestina in amicas paces vertere; eos qui mutuæ vitæ insidiabantur mox officiis inter se vestrâ operâ certare; parua hæc mihi sunt; exigui isti tantis animis sunt limites. laborum vestrorum, & orbis terrarum, eamdem metam posui. *Ecce dedi vos in lucem Gentium*, vt opera vestra barbaris gentibus longè lateque sit saluti.

Isaiæ 49.

Fructus multiplex operæ Societatis.

Has Ducis sui voces exaudire sibi videbatur Societas, quem meminerat totius vniuersi Seruatorem esse, se cohortem esse eius nomen ideò præferentem, vt quà latissimè patet eius imperium, in terris ipsi militaret: signa igitur Ducis sui toto orbe circumferre se debere, & congredi cum quibuscumque populis quos vel Oceanus submouet, vel inaccessæ rupes diuidunt, vel ineluctabiles siluæ occultant. Ardua profectò & plena laboris bella, cum rerum naturâ priùs oportere luctari, eamque expugnare, quàm ad difficilius prælium peruenias. Non illud dico prælium, in quo tubarum clangores Martem accendunt, in quo tor-

Societas per orbem vniuersum Christi *nomen circumfert.*

mentorum emicant fulmina, telorum volant procellæ, fulgurant gladij; implicatæ inter se acies, puluereæ nubes, trucidantium clamores, morientium gemitus, noctem, lucem, luctum, corpora, arma, mortes horrendâ confusione permiscent; quo vertuntur in cineres oppida, quo Reges & populi in vincula rapiuntur; non hæc, inquam, bella prædicamus. Nam quæ tandem illa est gloria quam pariunt mutuæ carnificinæ? quibus nescio an quidquam sit humano generi ignominiosius. Belluarum est ista rabies, non hominum; quamquam nulla belluarum feritas tam immanis est, quâ crudelior non sit humana. Aliud igitur bellum Societas sub Duce suo gerit, non in perniciem eorum quos aggreditur domatque, sed salutem: quo non corpora vulnerat, sed animos; nec vitam eripit, sed adfert: quo non muros, non oppida expugnat, sed humanam voluntatem; tantò maiore gloriâ, quò hæc arx, vt ita dicam, omni arce & castello est munitior. Quippe voluntas humana sub quocumque dominatu, sui iuris est; non ferro, non flammâ ad deditionem cogi potest; nec libertatem amittit in vinculis, neque sub iugo patitur seruitutem. Itaque labor est operosior, augustior gloria, vel vnius hominis vicisse animum, quàm populos omnes solâ vi armorum in parendi necessitatem compulisse. Vtque hoc opus est humano maius, ita eius scientia omnis ex alto petitur: vires & arma suppeditantur è cælo, quæ nihil aliud sunt quàm charitas, numquam explenda nisi mortalium omnium salute. Hæc barbaros, hæc Reges, hæc populos amicâ violentiâ capit, suisque vinculis implicat non inuitos, sponte captiuos trahit, non aliâ re æquè quàm hac seruitute suâ lætos. Neque hæc barbarorum est stoliditas aut inconsulta leuitas, sed graue, sed maturum consilium, ingeniisque non barbaris dignum: dum enim vident à Societate patriæ, parentibus, propinquis, perpetuum exsilium anteponi, maria tam infesta quàm vasta traijci, ad terras aliis sideribus subiectas impigrè aduolari, arenas ardentes percurri; ferrum, flammas, vndas, mortes contemni, perque tot labores ac pericula non aurum, non gemmas suas, sed se peti, vnam suorum animam pluris à Societate quàm omnes Indiarum opes æstimari, sese in siluis & montibus ad salutem quæri, ibi ægris atque calamitosis solatia prima impendi: dum hæc inquam, vident & sentiunt, beneuolas primùm aures, mox animos isti legi haud grauatè præbent, quæ tantæ magistra est charitatis, tantæque virtutis; quam quia inter suos numquam viderunt, meritò cælestem putant. Et quamuis Euangelicis vocibus vehementer obstrepat libidinum licentia, scelerumque impunitas, & consuetudo in alteram iam versa naturam; plus tamen apud illos potest Christianæ legis æquitas, tanta præsertim charitate commendata, quam fatentur nec satis admirari nec capere se posse.

Quale bellum Societas orbi indixerit.

Talibus præsidiis satis instructa inermis hæc militia, quæ orbem pro campo habet, Orientem, Meridiem, Occidentem felicissimè inuasit, plusque terrarum, quàm vmquam Græcorum simul & Romanorum Imperatores, victoriis suis breui tempore peragrauit. Sed qui victi sunt, non ducuntur in pompâ catenati, neque miserabili deiectoque in terram vultu sortem suam accusant; sed eodem, vt ita dicam, cum victoribus

ctoribus curru vehuntur, lætissimè triumphantes, quia CHRISTO subacti sunt. Tum demum Reges ita captiui regnare se credunt, tum demum populi libertatem se consecutos sentiunt, cùm seruire cœperunt tam nobilem seruitutem, Regnisque & Imperiis beatiorem. Tam gloriosarum expeditionum antesignanus è Societate fuit Franciscus Xauerius. Is Ioannis Tertij Lusitaniæ Regis rogatu in Indiam Orientalem nauigauit, & cum eo non fortuna Cæsaris, sed spes & salus Orientis. atque inde salutiferum hoc bellum est auspicatus, quò Alexander Macedo, Indiam scilicet debellaturus, ne sua quidem pertulit signa. Is igitur pares tantæ expeditioni animos adferens, imò vniuersum terrarum orbem charitate complexus, & inexplebilem animi impetum corporis celeritate propemodum assecutus; quidquid pænè est Regnorum, insularum, vrbium in Oriente, lustrauit, instruxit, & CHRISTO magnâ ex parte subiecit. Nemo illum vmquam cessantem vidit: laborem labore, cursum cursu incitabat, vt alia quies illi placere non videretur, quàm nouus labor. Quæ autem pericula non exhausit? maria Syrtibus, piratis, naufragiis infamia, instructa telis agmina, saxa ex ardentibus montium visceribus contorta, terræ perpetuis pænè motibus trementes, incolæ suis terris immaniores, pellexerunt ingentem illum animum, & ad se inuitarunt, non terruerunt. Omne discrimen securitatem illi augebat, quia spem alebat ac fiduciam in illum, cuius nomen & cultum toto Oriente propagabat. Quot vbique aras, quot fana dæmonum euertit? quot superstitiones extinxit? quàm ingentem vbique hominum turbam ad CHRISTVM adiunxit? Neque vulgus tantùm Christianis sacris imbuit conuertitque, sed multos etiam primæ nobilitatis viros ac matronas, multos impiorum sacrorum antistites. Hinc in Iaponiam, vltimum Orientis Regnum, per immensam & priori propemodum æqualem Oceani vastitatem primus traiecit. Tres illic Reges & innumerabilem multitudinem à dæmonum castris ad CHRISTI signa traduxit. Mox cùm videret vberrimam in proximo spem messis Chinense Regnum, quo subacto Iaponia faciliùs videretur CHRISTO subigenda, quippe quæ Chinam reueretur veluti Orientis magistram; adeò eius cupiditate exarsit, vt, quamuis aditus omnis capitalis pœnæ lege peregrinis esset obstructus, ipse tamen vel sanguine suo vastissimum illud spatiis & populis Regnum Euangelio patefacturum se speraret. Oceanum ergo remensus, Indiam & Socios reuisit. hinc Chinense Regnum petentem non antè animi defecere quàm vita; sed dolentem se deijci quasi in operum suorum primordio adhuc stantem, cùm rebus gestis ita spatium temporis excesserit, vt quæ solus gessit, non vnius viri sed Ordinis totius, non decennij sed sæculi laborem putes. Contendit Thomas Bozius, ab omnibus simul hæreticis, qui iam inde à Simone Mago primipilo suo innumera millia conficiunt, non tot Ethnicos ad legem CHRISTI qualemcumque ipsi fingunt, quot ab vno Xauerio ad CHRISTVM, esse perductos. Hæreticos quippe id numquam egisse, vt Gentes à CHRISTI cultu alienas CHRISTO adiungerent, sed tantùm laborasse vt peruerterent Christianos, verisque ac genuinis fidei seminibus spuria zizania (vt cum Euangelistâ loquar) superseminarent.

Xauerij labores & fructus in Indiis.

De Signis Ecclesiæ lib. 6.

narent. Ceterùm fama tam vtilium Xauerij laborum in Europam perlata, Catholicis ab hæresi miserè afflictis ingenti fuit solatio ac voluptati. Iulius III. Summus Pontifex, S. Ignatio nonnulla illis auribus digna de rebus Indicis referente, lacrymas præ gaudij voluptate tenere non potuit.

Illustres conuersiones per Patres, qui Xauerium secuti sunt.

Subsecuti Xauerium Socij, perque Orientem sparsi, tanti Apostoli vestigiis strenuè institerunt, hodieque insistunt, & vno quandoque anno trecenta hominum millia in solis Indiis ad CHRISTVM adduxerunt. Non omnes quidem anni tam vberem habuere messem, sed tamen plurima semper millia singuli numerarunt; idque iam ferè per sæculum. simul enim Societas erat confirmata, simul in extremis terrarum finibus apparuit; simul sacris Orientis spoliis onusta, de impietate & idololatriâ gloriosissimè cœpit triumphare. In Indiis porrò & Iaponiâ CHRISTO manus dedêre, cum vxoribus ferè ac liberis, aliisque Optimatibus, Reges plurimi, Rex Supanorum, Bazani, Soloris, Sionis, Labonamæ, Manibanes, Tambæ: è quibus postremus quoties in hostem iret, in ipsâ galeæ cristâ conspicuum gestabat IESV nomen, aureis maioris formæ litteris expressum; ab eo vno sibi suoque exercitui animos & robur, hostibus terrorem & cladem, haud immeritò pollicitus.

Soliers de rebus Iaponiæ varijs annis.

Præter hos, Reges Bungi, Saxumæ, Omuræ, Tosæ, Arimæ, Gotto, Mino, à Sociis ad CHRISTVM sunt adducti. Ex his Saxumanus, simul atque sacro Baptismo erat ablutus, rectâ perrexit in fanum antiquæ impietatis: ibi suâ manu confregit idolum, mox faces delubro subiecit. Rex Omuræ Bartholomæus quadraginta idolorum templa demolitus est, ne vestigium quidem priscæ impietatis superesse passus, tametsi Regnum suum in manifestum discrimen conijceret. Hic ille est, qui primus Regum Iaponiorum salutiferâ vndâ tinctus est. is deinde, & Rex Bungi Franciscus, qui aditum in Iaponiam Religioni Christianæ maximè muniuit, & Rex Arimæ Protasius, totidem sanguinis Regij iuuenes nepotes suos (vt latiùs Libro II. narratum est) ex vltimo Oriente legatos Romam ad Summum Pontificem Gregorium XIII. miserunt.

Legatio Iaponica ad Gregorium XIII

Sed quis hic finis esset, si tantùm enumeraremus Regum parentes, vxores, liberos, consanguineos, Principes viros ac feminas, Ioguios, Brachmanes, Bonzios, aliosque superstitionum & impietatis sacerdotes, Societatis operâ CHRISTO auctoratos? quis dignas Religione quam suscipiebant virtutes commemoret? quàm nobilia sæpè & Christiani roboris plena ediderunt certamina, siue Regij liberi, dum inuitis aulâ & Regibus; siue nobilissimæ matronæ, dum reluctantibus nequidquam maritis; siue Principes viri, vxoribus muliebria arma lacrymas & blanditias frustrà obijcientibus, CHRISTO nomen dederunt? siue etiam cum tyrannorum rabie luctati, maluerunt honorum, opum, vitæ iacturam facere, quàm Fidei & Religionis? Quot millia ardentes rogos, nec minùs ignibus vrentes aquas, fœdas corporum lacerationes, longas in tormentis immanissimis mortes, deliciis & auitis honorum titulis prætulerunt? quot millia palàm se Christianos professi, dum alios viderent viuos exuri, ad idem se tormentum obtulerunt, attonitâ nec virtutem

Virtutes Ethnicorum ad fidem conuersorum.

tan-

tantam capiente barbarie? Quænam autem illa puerilis ætatis miracula ad gladios, secures, cruces properantium, & in mediis incendiis CHRISTI caussâ exultantium? Interim furente iam plusquam annum quinquagesimum hac in Societatem & Iapones Christianos procellâ, pergit nihilominùs inuictis animis Societas, siue Christianos veteres confirmare, siue nouos sub CHRISTI signis conscribere, siue barbaræ immanitati sanguinem dare. Atque vt sentias illum Martyrum sanguinem & sanctos cineres fecundissimam esse nouorum Christianorum sementem; ab anno millesimo sexcentesimo tertio vsque ad annum currentis sæculi vigesimum secundum (quo toto tempore quidquid comminisci potuit tormentorum, in Christianos exercuit ingeniosa crudelitas) ad Christiana sacra interim suscipienda à Societate sunt inducti ducenta triginta nouem Iaponum millia trecenti triginta nouem. An maior numerus tranquillo & felici rerum cursu sperari posset? Nec pauciores, vt opinamur, ab illo anno vsque ad hunc quadragesimum indefessus Societatis labor, vulneribusque ipsis & mortibus semper animosior, inter easdem pertinacissimæ persecutionis furias CHRISTI Ecclesiæ aggregauit. Sed cùm litteras ad hæc vsque tempora omnium annorum non acceperimus, numerus certus iniri non potuit: de multis sanè millibus quotannis ad CHRISTVM transeuntibus satis constat. ita vt persecutio quamuis furori suo penitus obsequatur, totamque rabiem effundat; adhuc tamen Christianorum numerum augeat magis quàm diminuat, & barbaram immanitatem citiùs fatigatura videatur Christiana constantia, quàm constantiam immanitas.

Sed ex Indiis & Iaponiâ cum Societate idololatriæ debellatrice tendamus in Chinam: quam sanguinariis legibus obseratam ingredi potuisse, ingentis instar fuit victoriæ; nec minoris, inter quotidiana vitæ pericula, & indicta exsilia, stabilem gradum & sedem figere. Ingenti hîc opus fuit & patientiâ & prudentiâ, ne inconsultus feruor simul cum Societate spem omnem istius tam nobilis tamque immensi Regni exterminaret. Itaque sterilius fuit solum, cùm industria plenè explicari non posset. Non ita tamen sterilis fuit hic ager, quin aliquæ fruges, nec pœnitendæ, fuerint collectæ. Tres sanguinis Regij Primores sacro fonte sunt abluti, triumque Regum nominibus appellati. Item mater trium Regum cum filiâ & nepote, & qui omnium instar fuit Paulus, vnus è præcipuis Regni, vt vocant, Mandarinis, cum aliquot aliis aut paris aut non multò minoris dignitatis Proceribus. Paulus is ingenti animo rem Christianam complexus, Societatis & Ecclesiæ in Chinâ nascentis quasi robustissima quædam columna fuit: vtpote qui prudentiâ suâ & auctoritate, omnes in eam machinas vel auertit vel infregit; Regis ætatem teneram non litteris tantùm, sed Christianis præceptis ita imbuit, vt ad Regni gubernacula admotus, omnia confestim idola è regiâ exturbarit. Censentur Pequini, Regni metropoli, quinque & triginta Christianorum millia, inter quos Eunuchi Regij quinquaginta, ducenti è sanguine Regio, quadringenti qui doctrinæ titulo sunt insigniti. Vicinis Regnis nihil deest ad fidem Christianam capessendam, nisi instruentium copia. Ad extremum, vsque adeò mutata est illic subitò rerum facies, vt osten-

Variæ conuersiones in Chinâ.

Trigaultius de rebus Sinensib. variis locis.

 tetur

tetur è propinquo ſpes maioris fructus, quàm hactenus in toto Oriente fuit collectus.

Variæ conuerſiones in Africâ. In Africâ, ac præſertim Æthiopiâ, partim cum Ethnicis, partim cum ſchiſmaticis congreſſa Societas, ingentia ſpolia ab vtrâque impietate retulit. Illic Rex Monomotapæ à Diuâ Virgine per quietem admonitus, vnà cum matre ſacro fonte aſperſus eſt à Conſaluo Silueriâ; ab eodem Rex Inambanes: præter hos, Montis Leænæ, Benienſium, Mogoris, Biſſauorum, Guinalenſis, Bigubenſis, Begasbenſis, Tateniæ Reges ad CHRISTVM à Societate perducti ſunt, & cum Regibus ferè Regna. Certè Regem Inambanes ſecuti ſunt vxor, liberi, Proceres, populus denique Regni vniuerſus: Regem Monomotapæ trecenti Proceres. Vſque adeò gentibus omnibus eſt inſitum, Regum intueri exempla, & pænè pro lege habere. Meritò itaque pluris æſtimat Societas Regem vnum quàm multa millia conuertiſſe: per hos enim via facilis & prona populis aperitur ad Fidem; & ſecuritas eſt à metu, qui ſolet eſſe Euangelij remora, ipsâ ſuperſtitione inexpugnabilior.

Curſus fidei Catholicæ in Abaſſiâ. In Abaſſiâ, primario Æthiopiæ Regno, quod totum ſchiſmate infectum eſt, varius fuit, & adhuc eſt, Catholicæ doctrinæ curſus. Ipſi ſubinde Imperatores Romanam Eccleſiam agnouere; templa expiari, rituque Catholico luſtrari, imò & noua exſtrui iuſſere: ſed ferè ſucceſſores (vt temporarium eſt Æthiopum ingenium) ſerenam illam tranquillamque Eccleſiæ faciem, velut ſubiti turbines horribilibus procellis inuoluerunt. Sed numquam lætior fuit, quàm cùm anno huius ſæculi vigeſimo tertio Abaſſiæ Imperator Salthamus publicè atque in oculis omnium profeſſus eſt Catholicam fidem, inque Romani Pontificis leges ac decreta iurauit: idemque fecere germani eius fratres, liberi, nepotes, & propinquorum ingens turba, Magiſtratus, omniſque ferè Æthiopiæ Nobilitas. viri præterea eruditiſſimi, Cœnobitæ & Eccleſiaſtici innumeri, tres inſuper exercitus Imperatorij, Regnorum denique Dambiani, Goiamæ, Tygræ, Amaræ, Bagamedræ incolæ propè vniuerſi. Ex Ethnicis Aganenſibus, qui Imperatori parent, quampluri-mi quoque baptiſmum ſuſcepere. Sed hanc ſerenitatem rurſus fœdauit inopina tempeſtas; quę tamen iucundiorem reddet tranquillitatem, ſolitâ viciſſitudine, vti ſpes eſt, ſecuturam. Noſtri interim pauci numero, ſed animis multorum inſtar, tantæ multitudini, quæ ſupra numerum eſt, excolendæ dies noctesque inſudant: neque nihil curſum promouent, etiam dum tempeſtati, vt atroci ita ſubitæ, tamquam periti gubernatores conſtanter obluctantur, vitam antè deſerturi quàm clauum cymbæ tam infeſtis fluctibus ventisque iactatæ. Ceterùm ex Ethnicis huic Imperatori ſubiectis, trium circiter annorum ſpatio, CHRISTO per baptiſmum initiati ſunt bis & quadrageſies mille nongenti octoginta nouem. ex quo numero de aliis annis coniectura ſit.

Ex litteris annuis ſcriptis.

Conuerſiones variæ in Indiâ Occidentis Sed in Occidentem aliquando traiiciamus, & Societatem videamus per alteram illam mundi partem, aut alterum potiùs orbem, Ducis ſui IESV ſigna cum ingentibus vbique victoriis feliciſſimè circumferentem. Ac Mexicana quidem ditio, ante Hiſpanorum aduentum, humanis victimis, quarum ingens numerus dæmoni quotannis mactabatur,

tur, infamis, iam tota ferè CHRISTO ſubiecta eſt: quare diffundit ſe in circumiectas regiones Societas, & dæmonis regna per incredibiles labores & pericula continenter laceſſit, conuellit, expugnat. In Cinaloâ & nouâ Biſcaiâ eius tyrannidi ſubduxit ſpatio triginta annorum facilè octoginta animarum millia. E proximis Cinaloæ populis ſexaginta nouem millia ſimul baptiſmum aliquando petiere. Alibi in eodem terrarum tractu vnus è noſtris trium annorum ſpatio duodecim millia ſacro Baptiſmo ſolus luſtrauit, alteraque duodecim millia interim ad Baptiſmum comparauerat. In Regnis Peru & Chili multa etiam quotannis Ethnicorum millia adducit Societas ad CHRISTVM, multa millia in Philippinis inſulis. In Braſiliâ Societati luctandum diu fuit cum gente efferatâ pronâque ad cædes, & humanorum corporum voratrice, nec minùs in crapulam ac venerem proiectâ, belluis denique quàm hominibus ſimiliore. Sed tandem mitigauit immanem illam barbariem; & in Chriſtianam manſuetudinem vertit, conſtantia immanitate potentior. Nec oræ maritimæ populis ad CHRISTVM adductis contenta Societas, in mediterraneas regiones altiùs paulatim & altiùs penetrare pergit, & in ſiluis ac montibus barbaros quærere, quos blanditiis, munuſculis aliiſque illecebris ad vitam & ſalutem inuitat. Quâ induſtriâ magnos barbarorum greges è luſtris & auiis antris ferè quotannis educit & in pagos diſtribuit, hominumque commercio aſſuefactos, Chriſtianis moribus excolere non ceſſat.

Guilielmus Hotton è Mexico an. 1617. P. à Brugis ann. 1618. è Mexico.

Nec minor ferè cum Paraquariis fuit lucta, è quibus tractus vnius indigenæ tantâ rabie carnes humanas appetunt, vt nec amicorum corporibus parcant. Sed non vbique eadem eſt feritas: magna pars gentis vltrò Societatem, à quâ ſalutis viam doceretur, expetiit. Iam à viginti annis ſcripſit inde Prouincialis Paraquariæ, Societatem expeti ab aliquot centenis Indorum millibus, ſed quorum votis tunc obſtabat operarum penuria; nunc ſuppetiæ identidem ſubmiſſæ innumerabilem Indorum multitudinem CHRISTO ſubiecerunt, & adhuc indies ſubiiciunt.

Ita labores non quietis, ſed nouorum laborum ſunt cauſſa; qui Societatem non retardant, ſed incitant & inuitant. Flebat Alexander dum alios orbes ſupereſſe intelligeret, quos nondum ſubegerat; quòd nempe per plurium cædes & ſanguinem publicus ille gentium latro ambitionem ſuam non ſatiauerat, quæ illum captiuum magis trahebat, quàm ipſe Reges & populos: ſed exultat, ſed omnibus incedit lætitiis, ſed gaudio triumphat Societas, dum populos adhuc ignotos detegi intelligit, in plures etiam orbes charitatem ſuam diuiſura, ſi plures orbes ſupereſſent. Et verò quænam à celeberrimis iſtis noſtrorum temporum naucleris inuenta eſt ora Societati adhuc inacceſſa? imò quot populos ſagax eius charitas prima non inuenit, & laboribus ſuis excoluit? Nimirum Societas tum demum ſibi videtur Societas IESV, quando exemplo Ducis ſui nullum laborem animarum cauſsâ reformidat. atque vtinam quaſi in breui tabellâ imaginem illorum poſſem complecti, quos hi IESV milites in his expeditionibus exhauſerunt. Quoties ſub dio pernoctarunt, inediâ, vigiliis, fatigatione confecti? quoties vrentem

tem ſolem, quoties acerbiſſimam hiemis ſæuitiam paſſi? quoties barbarorum tela pro ſtipendio corporibus ſuis exceperunt? quoties pro vitâ, quam illis adferebant, mortem recepere? quoties tædioſiſſimis nauigationibus, quoties aliquid maris furiis infeſtius inuenere hæreticos, à quibus gregatim iugulati ſunt & ſparſi in fluctus? quoties per ſiluas, tigribus & leonibus infeſtas, ad populos his belluis immaniores penetrarunt? quoties per abrupta montium, & horrenda viſu præcipitia, ad aſperiores ſaxis ſuis gentes perreptarunt? quoties omni humanâ ope deſtituti, per denſiſſimas ſiluas, perque rubos tam denſos, vt non veſtium tantùm ſed & calceorum fruſta iis adhæreſcerent, laceri toti & cruenti ad eos quos petebant eluctati ſunt? numquam lætiores quàm cùm in mediâ barbarie nihil haberent præter Deum ſolatij. Quos tam eximios Societatis labores videtur Deus remunerari voluiſſe, & ſolari tam nobilibus de barbarie & impietate, totque in omni orbis plagâ victoriis, vt & multitudo numerum, & gloria felicitatem omnem humanam excedat.

EXERCITATIO ORATORIA.

ORATIO PRIMA.

Character operarum Societatis IESV.


N ludis hiſce ſæcularibus ſi ludere libeat, quid ni ego mihi proponam auguſtiſſimam illam Ezechielis Prophetæ quadrigam, turbines inter & nubium igniuomarum volumina, imaginem Societatis noſtræ, quaſi ex difficili partu prodeuntis, & inter aduerſa creſcentis, ob oculos ponentem? Traxit me huc Scriptor eximius: qui cùm nonnulla in curru illo, tot myſteriis inſtructo quot ornamentis, Societati noſtræ parallela contempletur; tum in primis mihi auctor exſiſtit, vt in myſtica illa animalia oculos conuertam, in iiſque characterem militaris huius Inſtituti curioſâ obſeruatione recognoſcam. Igitur apiculæ inſtar pauca delibabo, colludens, & alludens. ac illud principio ſtatuo, tamquam apud ſacros Scripturæ interpretes compertiſſimum; in curru illo, conſueto priſcæ militiæ more, bellicum quiddam, quod ſceleratis & nefariis impiorum machinationibus cladem & excidium minetur, adumbrari. Mira profectò rerum facies. Vt ſcias, vnde nata ſit Societas, & quid ferat; patet cælum, &

Velaſquez Tom. 1. in Epiſtolam ad Philippenſes c 2. v. 10. annot. 9.

——— *ſubitâ face rumpitur æther.*

videas ventum ab Aquilone violentum & præcipitem, impellere nubem horribilem & vaſtam, per modum globi ignei, micantem fulgure, & duriſſima quæque deprauatis mortalium moribus portendentem. Nubes hæc in ſimilitudinem currus erat efformata, quatuor rotis altitudinis horrendæ, & ignitis illis quidem, atque vitâ præditis, & benè oculatis diſtincti, vt in igne præceps celeritas, in ipſis oculis diuinæ Proui-

Prouidentiæ vigilantia excubare videretur. Ante harum ſingulas ſinguli Cherubini, leonis, bouis, aquilæ, hominis iucundâ ſimul varietate (monſtra dixeris, myſterium eſt) ſpeciem inuoluentes: nam leoninis toris induti, atque vngulis calceati vitulorum, flammantes toti & ſcintillantes, bis geminas geſtabant alas, quarum binis velabant femora, binis autem volabant in morem aquilarum, eâ corporis & vultus humani compoſitione, vt quatuor orbis partes ambulantium facies reſpicerent, quaſi in omnem terram ſe militum illorum conatus extendere niteretur. Supra animalium capita, quà cælum ſeſe inſtar cryſtalli pellucidum aperiebat, ſedes & vehiculum apparebat aurigantis Dei-hominis, cuius Maieſtas vaſtam illam prudenti moderamine impellebat molem, & animalia frenabat, in vnum Imperatoris ſui nutum explicatis alis ſemper intenta. Ante Deum foculus ardebat, in quo ignis ille conſumens diuini Amoris, quem talibus adminiſtris venit mittere in terram felicior orbis Phaëthon, longè lateque flammas ſuas eiaculabatur.

Facilè, ni fallor, hîc agnoſcet quilibet ſincerus rerum æſtimator, per currum illum Diuinitatis inflammando orbi comparatum, Societatem IESV vel ipſo nomine ſuo inferis formidandam, adumbrari. quæ minimis ſed arduis initiis exorta, in eam magnitudinem excreuit, vt velociſſimis acta rotis, & lætiſſimo curſu, IESV ſui gloriam (nobiliſſimum pompæ ferculum) per calcatas dæmonum ceruices, per tot hæreticorum & infidelium turmas felici Marte ſuperatas, per innumera ceraſtarum capita contrita, ad omnes oras parteſque vniuerſi, reluctante nequidquam Erebo, circumtulerit adorandam. Hic eſt currus ille igneus Iſraëlis, quem Eliſeus olim plorabat ereptum; nunc vterque orbis ſingulari Dei beneficio, afflictis Eccleſiæ rebus gaudet è cælis aduectum: in quo ſi acies quæras & milites, quibus triumphos ſuos quotidianâ acceſſione multiplicat, inuenies (abſit verbo inuidia) delectum Angelorum, qui ſub animalium formis produnt, quid ab iis ſupremus Imperator in hac militiâ requirat. Quid enim in alatis illis & igne cæleſti ſuccenſis iuuenibus ſimilitudo animalium demonſtrat, niſi ſub leonis, bouis, aquilæ inſignibus exuuiiſque humano corpori adiectis, ſublimes Cherubinos, & cæleſtes ſpiritus, acerrimâ quadam agitatione, & diuino ſpiritu, in Conditoris ſuis obſequium concitatos deliteſcere? Itaque, quemadmodum beatæ illæ mentes, magnæ illius Mentis puriſſimæ quædam velut ſcintillæ, & ſempiterni luminis facibus accenſæ, quas ſecundos ſplendores magnus ille Gregorius cognomento Theologus indigetat, animos noſtros à rerum aliquarum ignoratione purgandi vim habent, eoſque illuminandi & cumulatiſſimè perficiendi: ita Socij IESV Angelicæ puritatis æmuli, totique origini ſuæ, id eſt Deo, affixi, à quo igneos & celeres virtutis motus, ſplendidiſſimoſque radios hauriunt, abſumptâ voluptatum colluuione, in fornace illâ ſupremi & caſtiſſimi amoris excoquuntur; donec probè illuminati & perfecti, lucem ardore mixtam aliis communicent, non minùs illuſtres ſplendore virtutis, quàm diuinitus inflammati feruore charitatis. At quàm inæquali officiorum partitione id agit Societas? eâdem planè varietate, quâ Spiritus

Societas IESV currui Ezechielis cõparatur.

Orat. 38.

illi ſanctiſſimi obſequia ſua diuidunt. Ecce tibi Dux ille cæleſtis militiæ inuictiſſimus Michaël fortiſſimè pro honore Regis gloriæ dimicat: talaria deferendis ad Virginem lætiſſimis nuntiis nectit Gabriel: pauperem Tobiam curat Raphaël, idemque tabellarij munere perfungitur. Alius tutelam Principis in faſtigio collocati, alius ſordidati in lacernâ ac ſquallore mendiculi patrocinium ſibi vendicat; neque tamen inferioris cuſtodia quidquam derogat æqualium dignitati. Nam quemadmodum, quod de igneis ſtellarum corporibus tradit Plinius, *ſidera quæ affixa dicimus mundo, non illa, vt exiſtimat vulgus, ſingulis attributa nobis; & clara diuitibus, minora pauperibus, obſcura defectis, ac pro ſorte cuiuſque lucentia adnumerata mortalibus:* ita in imparis conditionis munere par nobilitas perſeuerat, & æquali de ſucceſſu lætitiâ perfunduntur. Intuere modò, nouos in terris dicámne Angelos? certè in mundi ſalute procurandâ ſedulos Dei adiutores. Inuenies in hac Societate, qui pro Dei ſui gloriâ, & Eccleſiæ defenſione, cum hæreticis & ſchiſmaticis ore & calamo diſertiſſimè decertent: Michaëlem hi referunt. Alios qui ad Indos, Æthiopes, extremos hominum Iapones, terribilibus circumuallatos cuſtodiis Sinenſes, & remotiſſima quæque terrarum, lætiſſimum Euangelij nuntium deferant: Gabrielem illi adumbrant. Alios qui pauperum ſatagunt, humilium & abiectorum animas purgant, infirmos in xenodochiis & ſordibus conſolantur, populum pro concione erudiunt, iuuentutem in litteris & elementis Chriſtianæ pietatis inſtituunt, ſimili omnes cum iis qui Magnatum & Purpuratorum conſcientias curant, non tantùm promptitudine & alacritate, ſed etiam doctrinæ & ſapientiæ laude ſpectandos: Raphaëlis iſti veſtigia ſectantur. Diſcrimen eſſe poteſt in munere, non in fructuum vbertate, & apud ſupremum Muneratorem æſtimatione. vt quod Romanus ſapiens ſuo more prudenter expendit, hîc locum habeat: *Inæqualitatem ſcias eſſe vbi quæ eminent notabilia ſunt. non eſt admirationi vna arbor, vbi in eamdem altitudinem tota ſilua ſurrexit.* Sanè *quocumque miſeris oculum, id tibi occurrit, quod eminere poſſet, niſi inter paria legeretur.*

Lib. 2. cap. 8.

Seneca Epiſtolâ 33.

Si quid elucet in ſingulis, hoc ita eximium, vt propè ſit omnibus familiare. Tam munifica in eos Dei largitoris fuit manus, vt bonorum inter eos communitas pretium non tollat, ſed accumulet; lucem non minuat, ſed accendat. Fortitudinem in aggrediendo miraberis in vno? viri ſunt omnes, imò iubati leones, ad omnia pericula impauidi, & generoſi fortuitorum contemptores. Quid peſtiferâ lue & virulentâ corporum contagione apud homines formidoloſius? non æquè rogi & incendia, adeoque nec mors ipſa deterret; in hanc tamen ſe præcipitare geſtiunt alacres, vt æſtuantes noxio viſcerum ardore conſolentur, ſacris præſidiis muniant, & ritè expiatos felici æternitati tranſſcribant, meliore vitâ præmiandos. Quid animoſius, quàm terrâ marique, inter denſata Ducum & militum funera, pulchrè cadentibus ſuæ periculo vitam aſſerere immortalem? Hîc ingrediuntur lubentes volenteſque infidi elementi, cum claſſiariis Regis Catholici, incertam tempeſtatem; non cum ventis dumtaxat, & fluctibus, & irati Oceani inſanis perturbationibus parati concurrere, verùm etiam inter Batauorum roſtratas naues

Societas res arduas ſuſcipit.

ties & tormentorum boatus intrepidi ſtare, nullo alio palmario ſibi propoſito, quàm ſalutis animarum. Iſtic inter armatas acies inermes ipſi ſeſe ingerunt, metum mortis pugnantibus excutiunt, inter tela & enſes & fumantium baliſtarum emiſſam grandinem celeres auxiliatores volitant: nihil pallor & exſanguis trepidatio in leones hos poteſt: ſtant inter cruenta certamina ipſis pugnantibus fortiores, cadentibus aduoluuntur, deficientes in ſpem dulciſſimam erigunt, ſaucios ſolantur; vulnera animorum ſalutari linguâ demulcent, dum corporis obligare non poſſunt; & ſacerdotali poteſtate, impertitâ noxarum condonatione, glorioſæ reſurrectioni parant, pro Rege, fide, Deo, iuſto bello occumbentes, ſed mox meliori ſorte æternùm Dei munere victuros. Quis leones neget è cladibus ipſis victorias ſuas adſtruentes? non prærupti montes, non turbulentiſſimæ tempeſtates, non maria, non monſtra, non incultarum regionum horror; non hoſtium violentia, nulla cæli aut ſoli truculenta facies, nullus aut ærumnarum aut crudeliſſimæ mortis metus, incitatum ſemel à Deo induſtriæ curſum valet retardare. Has vires ſubminiſtrat charitate ſtimulata fortitudo, quæ à D. Ambroſio cum Tigri fluuio comparatur, qui paradiſum deliciarum Dei perennibus aquis irrigat: atque vt iſte fluuiorum omnium velociſſimus ſonitu magno curſuque fertur, ſic illa mirabili pernicitate in Dei voluntatem rapitur, & obſtantia quæque proruit atque demolitur. Videas hos Heroës pro Dei & Religionis cauſsâ, inter fulgura & coruſcationes, inter excuſſam vim procellarum, inter iactus fulminum, veluti ruentis in ſe cæli pondus inconcuſſo quodam vigore ſpiritus excipientes, adeóque prouocantes. Quod nonnemo de primis ſurgentis Eccleſiæ Duodecimuiris dixit, quorum vitæ rationem imitatione conſequi, & in ſe exprimere conantur; partiuntur inter ſe orbem terrarum, victorias & ſpolia definiunt; per abrupta montium, & diſiunctiſſima quæque regionum, animis velut igneis quadrigis rapti volitant: feruntur nunc penè extra ſolem & ſidera, nunc per ſquallentes arenarum tractus, nunc per ardentes vehementiſſimo ſolis appulſu regiones, nunc per æterno frigore rigentes plagas, in quibus nullum humani cultus veſtigium, cum ardoribus, algoribus, ſiti, fame & ſexcentis aliis incommodis pugnaturi. Perueniunt deinde ad numeroſiſſimas gentes, pugnant nudi, laceri, inermes contra Reges, Satrapas, ſacerdotes idolorum, populos immanitate barbaros: perſuadent impiis Religionem, auariſſimis paupertatem, omni libidinum genere inquinatiſſimis caſtimoniam; &, quod ſtuporis plenum eſt, contritis dæmonum ſimulacris, templiſque falſorum numinum exciſis, CHRISTI in crucem ſublati vexilla in clariſſimâ luce terrarum defigunt. Fulgurent barbarorum mucrones, tonent minæ, ruant armorum fulmina; præſtò ſunt qui excipiant, qui toto pectore mortem induant, & vincant moriendo. Non defuerunt præterito ſæculo Nerones, Domitiani, Decij, Diocletiani, atque ex veteri illâ immanitate Sapores, Mammuchæ, Dunaani, qui conatus ſanctos tormentorum procellâ, cruoriſque humani fluctibus obruere ſtuduerunt; ſed glorioſiſſimi facinoris conſcientiâ erectus animus, contemptor deliciarum, pœnarum irriſor, ſui victor, ex ruinis triumphos ſuos inſtaurauit,

Generoſitas Societatis.

Horat. l. 4. Od. 4.

Duris vt ilex tunsa bipennibus,
Nigræ feraci frondis in Algido,
Per damna, per cædes, ab ipso
Ducit opes animumque ferro.

Lib. 1. Orthod. explic.

Martyres Societatis.

Infinitum putauit magnus ille Theologus Didacus Payua de Andrada, numerando percensere, quot huius Sodalitatis viri, in hoc docendi Euangelij atque Indos ab impietate auocandi munere, verberibus cæsi fuerint, quot vinculis & carceribus constricti, quot inediâ ferè consumpti, quot denique ob CHRISTI nomen variis cruciatuum generibus interempti, qui ex catastis, ex crucibus, ex rogis, aliisque exquisitissimorum suppliciorum carnificinis, læti & integri euolarunt in cælum. O fortia pectora! ô generosam an fortunatam mortem, quæ naturæ debita CHRISTO consecrata est! ô purpurata Martyrum examina! vos fortissimi dum vixistis, nunc postquam à nobis excessistis sanctissimi milites, nobis hoc decus, hoc fortitudinis exemplum pro stimulo reliquistis. Vobis pro diademate & coronis candentes carbones fuerunt, pro margaritis vulnera, pro exquisitis dapibus ieiunia, pro amœnis hortis saxa & solitudines, pro tepidis ac delicatis balneis stagna glacie rigentia, pro felicitatis fastigio scrobes profundi: tunc maximè erecti, cùm capite deorsum verso infra terram semisepulti, mortuis quàm viuis propiores videremini. Actum est vobiscum præclarè, ô beatissimi: nam inter palmarum vestrarum fructus mortui, properantem spiritum effudistis in victoriâ. Vobis verò (dicam & ego) tot sunt tumuli quot oræ terrarum, tot laudes quot ora gentium, tot triumphi quot pompæ virtutum. Stat ipsa triumphorum vestrorum moles magnificis insculpta litteris, vestro ipsorum cruore feliciter exarata, amplis illuminata gloriæ sideribus, quibus, vt luceant, faces succendet æternitas. Intereà vester sanguis nobis pro semine est; ex quo innumeri leonum catuli, robore & constantiâ præstantes, inclyti heroës, inimicis formidandi, animo inuicti, ferro & acie inuulnerabiles procreantur, quibus periculorum iliadem & plura etiam quàm Herculi monstra metus obiiciat: sed magno animi motu, erectâque contentione, insiliente in nouos Samsones spiritu Domini, cuius afflatu concitantur, in laruas illas inuehuntur. Vsu familiari comperimus, electrum *attritu digitorum* (Isidori verba sunt) *acceptâ caloris animâ*, paleas vestiumque fimbrias rapere: sic illi velut attritu rerum aduersarum diuino calore animati, vim & vigorem excitent oportet. Apage ab hac Societate leonum quos metus prohibet, quos obiectu periculorum ac difficultatum à bono & honesto deterret degener sanguis. Vt ad magnos labores se vocari meminerit quisquis IESV militat, monet egregius Ductor Ignatius.

Constit. 4. parte litt. A.

Constantia Societatis in laboribus, boui similis.

Et quoniam altera fortitudinis pars in stabili laborum perpessione, ex omnium Philosophorum æquè ac sanctorum Patrum sententiâ, consistit; à bobus, quos laborum patientes symbolica veterum agnouit litteratura, vitulinos pedes, tamquam insigne indefessæ tolerantiæ, in partem ornamentorum suorum adsciuerunt. Latini Pacati audax semper mihi visa fuit adulatio, dum ita Theodosium egregiis districtum negotiis Principem alloquitur: *Gaudent profectò diuina perpetuo motu, &*

ing.

iugi agitatione se vegetat æternitas; & quidquid homines vocamus laborem, vestra natura est. Vt indefessa vertigo cælum rotat, vt maria æstibus inquieta sunt, & stare sol nescit; ita tu Imperator continuatis negotiis, & in se quodam orbe redeuntibus, semper exercitus es. Quod illi de Theodosio, hoc mihi de Societatis operariis dicere liceat. Acclamabunt certè ipsi Domorum & Collegiorum parietes, è quibus segne otium & inertiam perpetuo exsilio facessere, plusquam Atticâ seueritate, prudens iussit Legislator. testes accedent summi Sacrorum Antistites, qui celerem igneamque naturam, velocissimi sideris more, semper procurrentem mirati sunt. pro me sententiam dicent ciuitates, prouinciæ, Regna, maria, & vastissimæ regiones, quæ eorum sudoribus irrigantur, studiis excoluntur, percurruntur pedibus, illustrantur scientiis, assiduitate denique ad omnem honestatem & diuini cultus (qui firma basis est cui Imperiorum & vitæ priuatæ simulacrum insistit) amorem efflorescunt. Hoc nimirum est cum bobus arandi munus sedulò exercere, & ad messem amplam agri Dominici glebas cogere vel inuitas.

Præclarè, nisi fortè in boue (quod animal iugo natum est) venerari malis singularem ad parendum maiorum placitis alacritatem: quâ præ reliquis stare se gaudet, & porrò perseueraturam præsagit Societas. Alij in paupertatis voluntariæ quasi matris sinu conquiescunt Ordines Religiosi; alij solitudinis amore capti taciturnitatem in primis complectuntur; nonnulli in austeritate vitæ & studio extenuandæ carnis plurimum præsidij collocatum existimant: sunt qui decantandis Deo laudibus primas dant partes. præclarè omnes gratâque Deo obsequiorum varietate. quorum plerisque vti neque carent Socij ornamentis, ita disciplinæ suæ caput ponunt in sponte incitatâ & expeditâ ad omne officij genus obedientiâ, quæ laudem habet piæ promptæque voluntatis. *Malus est ager*, inquit Plinius, addo & ego, animal iugale, *cum quo dominus luctatur.* Sed ductilis ad omnia facilitas: quæ legum accuratissima obseruatrix, legem nescit, terminis non arctatur; quæ neque contenta angustiis professionis, largiori voluntate fertur, & ad omne quod iniungitur, ex Bernardi doctrinâ, spontanea, vigore liberalis, alacrisque animi, modum non considerans, collum subdit perlibenter, in infinitam se extendens libertatem, iucundâque obsequendi gloriâ oblectat gubernantem. Et quid cum talium virorum promptâ manu non efficiat, quicumque demum sacrarum æquè ac profanarum legionum copias in hostem ducit Imperator? Hæc palmaria virtus via est ad lectissimos exquisitissimosque triumphos. ab hac fluit ille concinnus ordo, quo in militum disciplinâ, in robore fortissimi exercitus, nihil venustius, nihil ad victoriam accommodatius. *Sine ordine*, inquit Aristoteles, *inutilis erit acies*, ardorque bellantium in vanum cedet: contrà ordinem efficere ἀπερισμάχους, inuictos, insuperabiles, sapienter dictum est à Plutarcho. Hinc in aureo Cantico Ecclesia, vel quælibet sanctaCongregatio, dicitur *vt castrorum acies ordinata*, hoc est victrix, & gratiæ velut manu compta & composita, quam nullius inimici furor exsuperet. O pulchra Sociorum castra! in quibus quisque ordinem suum tenet, nec locum deserit, nisi iussus: at si imperia Moderatorum euocauerint, omnibus hoc insigne

Obedientia Societati commendatissima.

Lib. 18. c. 5.

De Præcept. & dispens.

Obedientia via certissima ad victoriam.

Lib. 4. Polit. cap. 13.

In Arato.

Arist. lib. 3. Polit. cap. 4. ſigne decus, nobiliſque animi character, ἄρχειν καλῶς, benè obedire. Boues vocaui: fulgura ſunt, de quibus Iob mirabile quiddam prodidit, quòd ad mittentis arbitrium ibunt, & reuertentia dicent, Adſumus. tam videlicet effusè geſtiens ad obtemperandum in germanis Societatis filiis contentio eſt, vt auditâ militiæ ſuę teſſerâ *obedientia*, priùs propè rem ipſam confeciſſe videantur, quàm de illâ faciendâ cognouerint. Præſentiunt enim bonæ mentes eorum deſideria quibus cum integritate famulantur, vt loquitur Ennodius. Siue ergo à Præſidibus ad humilia obeunda, ſiue ad maiora & ſublimia inuitentur: nullo officiorum diſcrimine, vna omnibus vox eſt: Adſumus. nec tardiùs perficitur imperium quàm accipitur. æquè iucundis imperatis delectari, quàm arduis difficillimisque rebus, Sociorum propria laus eſt. I. vnum euocaſſet magnum illum Xauerium ex remotiſſimis Aſiæ, & vltimis Indiarum finibus. quanta celeritas! Ex iis in peſtem, in hoſtium globos, in ignes & incendia, in ſtrictos mucrones, in cædes & vulnera, in humanæ carnis auidos dentes, vnius nictus oculi immiſit quamplurimos. Quàm cæca & intrepida promptitudo! Hoc Celerum manipulo, niſi fallor, orbem percurrit Ignatius.

Obedientia Societatis prompta.

De Vitâ Epiphanij.

Societas aquilæ ſimilis ingeniorum acumine.

Quæris modò quibus armis inſtructos voluerit? doctrinæ ſuauitate, quæ ingenij melioris fructus eſt. Ita ad aquilas tranſeo, tertium ex multiformi animalium habitu petitum emblema: de quibus in arcanis ſuis Pierius Valerianus ſic ſcribit: *Pindarus cùm aliis plerisque locis, tum præcipuè Nemeis, ingenij promptitudinem & velocitatem per aquilam oſtendit; ſumptâ ab eo comparatione, quòd prædam etiam valdè procul diſtantem mirâ pernicitate nanciſcatur, viſuque ita polleat, vt profundiſsima quæque proſpectet: quæ omnia ingeniorum acumini ſunt accommodata. Idem, cùm Bacchilidis & æmulorum ſuorum gloriam eleuat, coruos illos, ſe vnum aquilam iactat, quòd promptiſsimo ingenio nihil non concipiat, quantumlibet arduum, & à terrâ marique remotum, mox & ſtyli velocitate quæcumque conceperit aſſequatur.* Sanè aquilam (vt nomen etiam interpretemur) ab acutè videndo dictam, nonnulli ex veteribus aſſerunt; vtpote qui aquilam quaſi aculam, ab acumine dictam autumant, quaſi longiſſimo interuallo minutiſſima diſcernentem. Non multùm fortitudo & laborum tolerantia cum ſingulari obedientiæ facilitate coniuncta, nouis hiſce gloriæ diuinæ propugnatoribus profuiſſet, niſi ingenij felicitas ſcientiarum arma ſuppeditaſſet. Eam ob rem optandum, vt qui in Societatem adlegendi ſunt, viri ſint non ſolùm vitæ probitate, ſed etiam litterarum eruditione præſtantes: quorum vita ſit perpetua vitiorum cenſura, norma morum, clariſſimarum virtutum imago, vox autem iuge quoddam ſapientiæ cæleſtis oraculum, ingenium velox, pectus ſapientiæ & virtutis ferax, mens acris, præcelſa, & volucribus (vt ita dicam) flammis ſemper accenſa. Quod quia vniuerſim in omnibus aſſequi difficile viſum eſt (raros enim inuenias qui vtroque hoc inſtrumento inſtructi ſe offerunt) eos admitti placuit adoleſcentes, qui bonorum morum & ingeniorum probatâ indole ſpem facerent, quòd, vbi magnarum artium fontes ebiberint, exercitio virtutis ac doctrinæ in probos ſimul ac doctos viros ſint euaſuri. Accedente iam ergo ad naturam ſedulâ inſtitutione,

tutione, ex his Tironibus quos viros exſpectes? quàm diſertos? quàm prudentes? Itaque ſcientiâ ſimul ac virtute exculti, præſtantiâ animi & *Societatis* intellectus acumine & ſollertiâ vera diſcernunt à falſis; inueſtigant, *doctrina.* capiunt, cognoſcunt omnia, & in omnium doctrinarum ac bonarum artium palæſtrâ non infimum ſapientiæ munus gerunt. Quidquid in ſtudiis humanitatis floridum, quidquid in Philoſophiæ ſtadio laborioſum, quidquid in arcanis naturæ reconditum, quidquid in Mathematicis diſciplinis difficile, quidquid in lucidâ illâ diuinitatis caligine obſcurum eſt; quomodo docendo ſcribendoque pertractent, ſilente me loquuntur exarata volumina, quæ bibliothecas benè magnas complent omnigenâ rerum varietate. Mitto eos qui caſtiores Muſas amant, & Parnaſſo digni ſunt Poëtæ: Hiſtoricos non memoro: terſæ Latinitatis auctores ſilentio inuoluo: oratores, inquam, diſertiſſimos, à quibus ſublimitas in verbis, grauitas in ſententiis, decor in perſonis, motus in affectibus peti poteſt, diſſimulo: reliquos prudentiæ ciuilis & profanæ choragos prætereo, quorum flores, ludi, gratiæ, veneres & documenta minora cenſeantur, niſi apparatus inſtar dignioribus deſeruiant. Pluteos obi, euolue libros, claſſes illas altioris eruditionis perluſtra, in penitiora illa ſublimioris cognitionis adyta penetra; occurrent in quibus ſubtilitatem in inueniendo, in dicendo perſpicuitatem, in diſputando vim admiraberis, ſiue contra Sectarios argumenta contorquent, ſiue Ariſtotelis præcepta diſcutiunt, ſiue rerum naturalium multiplici cauſſarum nexu conuolutam ſeriem, & quidquid ſupra naturam ad cauſſarum fontem & principium propiùs accedit, exponunt, ſiue de ſummo Bono philoſophantur. Sunt qui vitia & virtutes ſuis coloribus depingunt, definiunt, diſtinguunt, medentur affectibus, mores inſtituunt, ſaluberrimis præceptis vitam regunt, magno ad benè recteque agendum adiumento. Neque enim hæc vmbratili in ſchemate, veterum Philoſophorum more, quiſquam vmbras pro veritate ſectatus proponit. procul hæc bractea, auro puriori hîc locus eſt; quod ad rationes ſuperiores regulasque æternę veritatis, ſolidæque doctrinæ, examinat, quæ in apice ſcientiarum ſedet Theologia: præ cuius luce profanæ eruditionis phaleræ nihil aliud videntur quàm marceſcentes vanitates, vt appellantur à D. Ambroſio. Tamen quando huic Dominæ & Reginæ ancillantur, Lib. 6 Hexaemeron. quantum claritatis adferunt & ornamenti! hîc librorum ſacrorum, hîc orthodoxorum Patrum, & decretorum Eccleſiæ accurata cognitio: hîc diligens interpretatio Scripturarum, hîc ſublimium quæſtionum diſerta, ſubtilis, &, ſi opus, coloribus oratoriis quaſi quadam veſte ſermonis ornata, enucleatio: hîc de actionibus Chriſtianis ſollers & prudens diſcuſſio. Quippe non ſtultæ hominum opinioni & vaniſſimæ oſtentationi indulgent, ſed ingenij ſui cenſus omnes in ſacrum Numinis, cui famulantur, ærarium ingenuâ deuotione conferunt, vt probent ſe non intempeſtiuæ & ſuperbæ ſapientiæ famam venari, ſed generis ſui aſſerere notam, quâ ſagaces inueniendis idoneis ad pietatem prouocandam fouendamque ſubſidiis, vni ſua ſtudia immolant Deo, & variarum rerum notitiam ad rerum cæleſtium fructum ſincero pectore dirigunt, fideles bonorum Domini diſpenſatores.

Sed

Sed de aquilarum naturâ ſatis. reliqua eſt hominis effigies, in quam tot illuſtrium virtutum ſymbola, quot in cælum ab Aſtronomis tranſlatæ animalium lucentium formæ,quæ in ſiderum poſitione deſcribuntur, conueniunt. Nam ita compoſita erant myſtica illa Ezechielis animalia, vt à vertice genuum tenus corpus humanum referrent, cui ab humeris iuba leonis dependebat, infrà bifida vngula vitulinum quid ferebat in pedibus: qui quia non tam terram calcare, quàm volatu celeri deferri debebant ſupra ſordes & puluerem, aquilæ ſuas alas dederant, quarum duabus aërem verberabant geſtientium in morem, duabus corpus tegebant. Addo ego & manus: eoſdem enim eſſe aſſerunt viri eruditiſſimi cum Seraphinis Iſaiæ, qui ſolium altitudinis immenſæ in argumentum amplitudinis ac ſupremæ Maieſtatis circumſtabant, manusque ſub pennis complicatas ferebant. Sed quis hîc homines requirat, cùm ſectatores eſſe dixerim Angelorum? imò verò quos Angelos, niſi humanos, requirit Homo-Deus huius exercitus Imperator? qui cùm è ſinu Patris, magnus ille viſcerum partus, vt eum magnificè compellat Syneſius, egrederetur in terras; vt homines caperet, mortale corpus induit, & beneuolentiæ conciliatricem humanitatem tamquam eſcam obiecit, quâ traherentur. Pia & religioſa calliditas! quam eius Socij feliciter imitarentur; quorum itidem ſollertia eſt ad omnium ſe mores effingere & accommodare, omnia munia obire, omnes perſonas ſuſtinere, omnibus omnia fieri,& ſimilitudine officiorum quaſcumque gentes, etiam bellicoſiſſimas & inter feras ferarum more educatas, imò Thyeſteis dapibus & humano cruore ſaginatas, demulcere, ſenſimque ab immani illâ barbarie, ad Chriſtianæ Religionis manſuetudinem decusque pellicere. Adulationis vitium caue ſuſpiceris. Amoris ingenioſi verſatilis ars eſt & induſtria, quæ ſuaui hoc velut faſcino inuadit reluctantes, & ſibi ac Deo reſtituit. Hic eſt ille dolus bonus & ſalutaris, quo Doctor Gentium Paulus Corinthios ſe cepiſſe gloriatur. Hoc Ignatius rebelles animos flexit, hoc Xauerius barbaros ſpiritus mitigauit, hoc Anchieta prioris ſæculi Thaumaturgus Braſilos humanis carnibus veſci ſolitos ad naturæ & rationis leges reuocauit: hoc apud Sinas Riccius Crucis ignominioſæ adorationem perſuaſit: hoc alij infiniti contumaciſſimorum etiam in Europâ noſtrâ corda expugnarunt. Pueros eos pueri experiuntur, viros viri, afflictos afflicti: cum ruſticis ruſtici, cum militibus milites, cum nautis nautæ, Religioſâ morum vrbanitate inſinuante officioſam gratiam, & pares affectus repoſcente. Aureum profectò rete ad capiendas animas! quod enim delectat, perſuadet; & amabile fit, quidquid ſimilitudine morum blanditur. Modò demittunt ſe ad ima, modò erigunt ſe ad ſumma, modò tenent ſe in mediis: nec aliud cauent æquè, quàm ne diſpari vitæ ratione & conſuetudine hominum à ſe voluntates auertant. Itaque externam faciem & habitum omnibus perſimilem habent, animum Deo ſeruant; ad eum omnino modum, quo optimus morum magiſter Seneca Lucilium ſuum ad homines virtuti conciliandos inſtruebat: monens ne quid oſtentaret in habitu aut genere vitæ, quod nimiùm in oculos incurreret; aſperum cultum, & intonſum caput, & negligentiorem barbam deuitaret. *Satis*, inquit,

Societas hominis ſimilitudinem exprimit morum vrbanitate.

Epiſt.1.c.12. *Societas cum Apoſtolo, ſancto dolo homines capit.*

Epiſt.5.

inquit, *ipsum nomen Philosophiæ, etiamsi modestè tractetur, inuidiosum est. Quid igitur si nos hominum consuetudini cœperimus excipere? Intus omnia dissimilia sint: frons nostra populo conueniat. Non splendeat toga; ne sordeat quidem. Id agamus, vt meliorem vitam sequamur quàm vulgus, non vt contrariam.* Quamobrem? *alioqui quos emendare volumus, fugamus, & à nobis auertimus. Illud quoque efficimus, vt nihil imitari velint nostri, dum timent ne imitanda sint omnia.* Caussam habes ex Stoicâ veterum disciplinâ, quæ multùm à ratione petita est, cur modus viuendi in Societate sit communis. Itaque ne Ethnicorum quidem habitus displiceat, nec toga litteratorum, aut prætexta Magistratuum, apud exteras nationes profana sacris hominibus videatur; vt morum ac cultus conspiratione faciliorem ad omnes aditum adepti, concordiâ consuetudinem, consuetudine affectum, affectu vim quamdam ineluctabilem, dominatricem animorum, quâ nihil est in rebus humanis imperiosius, lucrentur. Obliquandus est sinus in ventum, noscenda humorum temperies, opportunè insinuandus amoris aculeus, blandimenta quibus capi quis possit, exploranda: omnia denique ad flexanimæ humanitatis leges componenda, nihilque quod terreat permittendum ei, qui corda ad virtutem emollire contendit. Quod adeò suis cordi voluit esse peritissimus animorum venator Ignatius, vt præmium aliud laborum nullum suis statuerit præter ipsam beneficentiam, & auxilium Dei caussâ proximis impensum. Venale obsequium pretio suo suspectum est, liberale prouocat ad amorem. Itaque homines nostri cum animalibus illis manus non explicatas, hoc est auidas, protrudunt; sed modestè intra alas continent, memores se gratis dare debere quæ gratis acceperunt; nec postulando, nec admittendo stipendium, vel eleëmosynas vllas (legis sacrosancta verba adfero) quibus officium quale quale ex iis quæ Societas iuxta nostrum institutum exercere potest, compensari videatur. Obtrudunt sponte auxilia, sui copiam minimè faciunt pretiosam, vilem operam promiscuè offerunt sine discrimine: dicunt cum Lactantio, *Nos aquam non vendimus, neque solem mercede præstamus*: vnam salutem vestram spectamus ac Dei gloriam, cuius vnius incremento beamur. Has artes docuit zelus animarum, quæ præclarissima nota est viri Apostolici: animas, inquam, fratrum diligit, CHRISTI peculium; pro quibus etiam, si res ferat, anathema fieri cupit: omnes in eo defigit curas & cogitationes, vt alias pelliciat, alias formet, alias ex Orci faucibus eripiat. quærit in compitis, quærit in carceribus, quærit in xenodochiis. nunc in publicâ luce concionatur, nunc pagos & solitudines lustrat, vt miseram aliquam ouiculam per agros palabundam suis humeris reportet ad gregem. Quacumque proficiscitur, sub hac amoris veste quem defert, ignem spargit & faces, omnes omnium mentes desiderio Creatoris incendit: & illas quidem parturit, illas lactat, illas educando promouet in firmitatem & robur adolescentiæ; alias educatas & roboratas exquisitis vestit ornamentis. omnes fouet, omnes amplectitur, omnes in Domini IESV capit visceribus; omnibus omnia factus, in eius imitationem qui factus est pro nobis in similitudinem carnis peccati.

Societas gratis se impendit.

Lib. 5. Diuin. instit.

En fortes amoris milites, en aſſiduos & laborum patientes, en promptos & ad omne Ducis imperium expeditos, en ſagaces & fideles, &, ſi aſtu opus eſt, piè ſollertes: quibus præſidiis incumbentem ſibi negotiorum molem exceperunt, exceptam fortiſſimè ſuſtinuerunt; ſuſtentatam cum laude & gloriâ geſſerunt. Immutarunt peruerſiſſimos rerum ſtatus, ſuppoſuerunt, frementibus inferis, flagitiis caſtimoniam, rapinis charitatem; impietati religionem; perditæ ac profligatæ licentiæ diſciplinam. Dederunt rebus nouis auctoritatem, pondus antiquis, obſoletis nitorem, obſcuris lucem, faſtiditis gratiam, dubiis fidem, meliorem omnibus ordinem atque naturam. Quis delectus, Deus immortalis? quæ belli fulmina, qui flos militiæ, quæ Eccleſiæ præſidia, qui tutelares & vindices? quorum ſinguli in viros ſummis rebus pares formati, audeo dicere, pro acie cenſentur. Nec mentior: nam, fremente inuidiâ, fauente cælo, bonis omnibus plaudentibus, vnus aliquis tot interdum hoſtium victor exſiſtit, quot ab exercitu benè numeroſo iures domari vix poſſe. Quid iam, coactis in vnum viribus, tota ſimul tot virorum dicam an Angelorum Societas? quas non ſtrages edet, quæ non excidia errorum & vitiorum procurabit? quæ auxilia laboranti Eccleſiæ feret? Feret? imò iam tulit, vt Vatis Ieſſæi oraculo iampridem videri poteſt pronuntiatum, qui pluuiæ nomine ſingulare ac largum ſitienti Sanctorum terræ beneficium conferendum promittens, tantumdem facit ac ſi dicat, vaſtitati omni, quæ ſiue ab aduerſariorum depopulationibus, ſiue ab exſuccâ ſterilitate & agrorum lue, graſſabitur, ſolatium à paternâ prouidi Dei curâ & ſolicitudine ſubmittendum. Sed quâ ratione? quaſi equos illos diuinos, qui Ezechielis currum admirabilem traxerunt, præ oculis haberet, *Animalia tua*, inquit, *habitabunt in eâ*: quorum nempe leonina fortitudo nihil cum mollitie, bouina patientia cum ægritudine, aquilina ſapientia cum oſtentatione, beneuolentia humana cum fictione commune habet. En præclariſſimum de Societate vaticinium. Hebræum *haiath*, pro quo Vulgatus *animalia* vertit, Ptolemæi ſapientes *ordinem* ſiue *ſtationem militarem* interpretati ſunt: Arias Montanus, linguæ ſanctæ peritiſſimus, *ſocietatem* facit: à quo non longè abit Pagninus, qui *congregationem* legit. luculentiùs Genebrardus: *Tui electi, tuum peculium, tui greges & copiæ, tuæ oues, quarum tu es paſtor, habitabunt in eâ*. paulò aliter, ſed æquè generoſè Chaldæus: *Viuificationem tuam collocaſti in eâ: præparaſti exercitus cœtuum Angelorum, vt benefaceres pauperibus Dei*. Accipio omen. quaſi Societatem IESV diuinitus inſpiratus Vates eminus proſpiceret, inter innumera hæreſum, ſchiſmatum, errorum ac vitiorum diſcrimina, magno Eccleſiæ bono naſcituram; Pæanem non vanus augur iam tum cecinit, & fidelium ſpem ſingulari delectus auxilio defendendam, confirmandam, perficiendam pronuntiauit. Quid ita? quia Societas tua habitabit in eâ, tua caſtra & militare robur, animalia tua, tui greges & copiæ, tua peculiaris congregatio, tuæ oues quarum tu es paſtor, & quas tuo charactere inſigniri voluiſti: tui milites, quorum tu es dux, exercitus cœtuum Angelorum ſiue ſpirituum; qui adminiſtratorij & adiutores tui ſunt, dum egregiâ morum probitate, ardenti gloriæ tuæ zelo, indefeſſâ diuini

Societas Eccleſiæ ſubſidio deſtinata.

Pſalm. 67.

diuini verbi prædicatione, vtili librorum elucubratione, omnibusque tandem virium & ingenij neruis, fessis Christiani orbis rebus & incommodis subueniunt, improbitatem profligant, tuo nomini trophæum spoliis hostium graue quaquauersum erigunt fidissimi triumphantis Dei-hominis baiuli & portitores. Sunt certè hæc longè maxima fauoris argumenta, tum mortalium necessitati, tum Sociorum commendationi ab inexhausto bonorum omnium fonte in sublunarem hunc mundum deriuata, quibus fructus iam vno sæculo respondit copiosissimus, & porrò (si quid de cælo admonemur) omnibus retrò sæculis cumulatiùs respondebit.

Sed longior sum quàm volebam: filum ergo contraho, & vos compello, cælestis huius quadrigæ iugales animæ: Nolite arbitrari hæc à me dicta, vt blandiar arrogantiæ, & conscios imbecillitatis humanæ spiritus inani fastus supercilio in tumorem erigam; sed vt quisque sui officij & nobilissimæ vocationis descriptas norit rationes, in quas vires excrescere, quâ patientiæ laude præstare, quâ obsequendi gloriâ eminere, quâ scientiarum accessione ornari, quàm sollerter hominum se moribus insinuare, quàm strenuè pietati operari debeat. Ita segnem me & quasi fucum inter apes adhortari soleo: In Dei ære & peculio sumus toti, quotquot Societati Iesv nomen dedimus: nostrum est acceptas à Deo gratiæ & naturæ dotes in Auctoris obsequium conuertere, & alacri animo in consuetudinis humanæ commercium, in Reipublicæ Christianæ decus & solatium, in procurandam hominum salutem, adeoque pænè in ipsum transire contubernium Angelorum. Hoc est, scenam eamdem quam Ezechiel vidit, attonito ad hæc miracula, quà latissimè patet, mundo, omnium oculis quotidie videndam obijcere. Hoc agamus, Socij, in id toto pectore incumbamus: assuescamus rationes ponere cum Deo, voluntatem Domini exquirere, pro benè gestis gratias agere, ad aram recurrere, illic omnes coronas appendere, ex quibus diuinæ gloriæ currus splendores suos in ornamentum accipit. Ita fiet, vt, affixis sempiterni Numinis tholo mille hostium spoliis, post tot in Europâ, Asiâ & Africâ congressus, tot pugnas, tot victorias, post tot messes Orientis, tot vtriusque mundi decora, post tot industriæ monumenta, quot plagæ solis ortu atque occasu lustrantur, leones suos, boues suos, aquilas suas, homines & filios suos, sine degeneri maculâ sanguinis, se parente dignos agnoscat Ignatius.

ORATIO SECVNDA

Parænetica ad imitationem primorum Patrum in functionibus Societatis.

EA est æterni Numinis prouidentia, RR. PP. vt, cùm nouum aliquem in Republicâ Christianâ cœtum cogit eorum hominum, qui improbitati bellum indicant, qui pietatem aut stantem propugnent, aut collapsam erigant, qui afflictis ac prostratis Ecclesiæ rebus opem auxiliumque afferant; eumdem & optimis saluberrimisque legibus fir-

 met,

met, & illuſtribus informet exemplis. Cùm enim mens noſtra, iam inde ab origine generis noſtri, iis inuoluta ſit tenebris, vt neque planè, quæ ad ſalutem atque incolumitatem humanæ vitæ conferunt, perſpiciat; neque, ſi perſpexerit, id tamen, quod optimum cenſet, ſemper poſſit ac velit amplecti; neceſſe eſt omnem vitæ noſtræ rationem ſanctiſſimarum legum adminiculis temperari, vt ad ſolidam perfectamque virtutem contendamus, ac, ſi quando aberrare contigerit, illuc, vnde non decuit abire, reuertamur. At verò quoniam à naturâ eam hauſimus inconſtantiam, vt quæ ſummâ contentione ac ſtudio amplexi ſumus, quaſi ſeneſcente primo illo animi vigore, paulatim deſeramus; ſæpenumerò contingit, ea quæ à maioribus præclarè ſancita fuêre, poſterorum incuriâ collabaſcere; niſi eorum qui nos præceſſerunt illuſtria glorioſaque facta identidem ob oculos verſentur, noſque tamquam ſtimulis quibuſdam ad veram laudem atque honeſtatem continenter excitent. Tanta nimirum horum adiumentorum vis eſt & efficacitas, vt nulla ſine iis, quantumuis piè religioſeque condita familia, ſtabilis eſſe poſſit ac diuturna; nullius aliquando diſciplina, ætatis vitio labefactata, niſi per hæc, ad priſtinam reuocari ſeueritatem; nulla, niſi his munita præſidiis, integra ſteterit hactenus atque incorrupta. Teſtis eſt hæc ipſa, in quâ Dei munere vitam degimus, minima Societas, quæ centeſimum modò annum agit, ex quo ab optimo ſanctiſſimoque Parente ſuo cæleſti inſtinctu condita, à Summo ſacrorum Antiſtite publicâ, eâque apud omnes homines grauiſſimâ, auctoritate corroborata eſt. Quid eam à primis ſtatim incunabulis in vltimas terrarum oras propagatam; quid glorioſos illos vbique gentium labores ſuſcipientem, quos vitæ ratio præſcribit; quid inter innumera, quæ pro animorum ſalute aſſiduè ſubit pericula, hucuſque præſtitit incolumem, niſi ſacroſancta legum ſalutarium obſeruatio, & eorum, quæ pauci illi viri è quibus primùm coaluit, præclarè geſſerunt, ſtudioſa imitatio? Atque vtinam hac ope atque auxilio multos videat annos ſæculares, ætate prouecta, ſed viribus atque animis integra! Ad leges quidem quod attinet, quibus omnis Religioſæ vitæ diſciplina continetur; confidere licet, Moderatores numquam defuturos virtute ſapientiâque præſtantes, qui ex earum præſcripto ſibi commiſſos gubernent. At verò illud nobis etiam atque etiam cauendum eſt, ne ab illâ aberrantes ſemitâ, quam maiores noſtri ſuis ſignauêre virtutibus, Matrem noſtram, quæ nos alit atque complectitur, quam decoram adeò ac vegetam accepimus, vitio noſtro deteriorem ad poſteros tranſmittamus. Aberit ab ætate noſtrâ illa labes, ſi in primos illos Societatis huius propagatores mentis aciem frequenter intendamus, eorumque facta pulcherrima animis noſtris perpetuò infixa hæreant, non inani cogitatione voluenda, ſed diligenti imitatione exprimenda. Quod dum vnicuique noſtrûm commendo, exiſtimetis velim RR. PP. meam me potiùs conuenire conſcientiam, meamque damnare ſocordiam, quàm iis, qui contento curſu ad abſolutam perfectamque virtutem properant, calcar addere.

Exemplorum vis etiam in ſtabiliendis Ordinibus ſacris.

Horum imitatione IESV *Societas efflornit.*

Vt doctrinæ, ita operis cuiuſque, perfectionem tribus his rebus, naturâ, arte & exercitatione comparari, homines iam olim ſapientiſſimi tradi-

Naturâ, arte, exercitatione,

tradiderunt. Nouerant quippe naturam, quantumuis idoneam atque præſtantem, quantumuis expeditam, atque ad omne id quod honeſtum eſt propenſam, artis tamen præceptionibus deſtitutam, grauiſſimis obnoxiam eſſe erroribus; arte verò ac diſciplinâ inſtructam, ſi exercitatio abſit, inertem atque otioſam cenſeri. Quæ tria perfectionis adiumenta, etſi fateri cogimur ita neceſſariò requiri, vt ſine iis nihil omnino excellens, nihil eximium ſperari poſſit; acutius tamen neſcio quid hac in re illi perſpexiſſe viſi ſunt, qui tribus illis quartum adiunxere præſidium, imitationem. Nemo enim aliquando homo repertus eſt naturæ præſtantiâ, agendi cognitione, exercitationis aſſiduitate in re vllâ omnes perfectionis numeros complexus eſſe, qui non aliquam eius rei formam ſibi propoſuiſſet quam imitaretur, aut ab alio expreſſam, aut mente conceptam, tacitâque cogitatione à ſeſe efformatam. Quod vt in iis artibus, quæ in ſolâ conſiſtunt cognitione, minùs alicui perſpicuum ſit; in iis certè, quæ in actione verſantur, nulli non manifeſtum eſſe poteſt. Quis enim aliquando ſtatuam aut ære fudit, aut cælo ſculpſit è marmore, in quâ nihil abſolutæ & perfectæ artis deſideraretur, niſi is qui ſummos in vtrouis genere artifices diu multumque imitatus fuit? Quis vmquam pingendi peritiâ nobilis, argutias vultuum & varietates, receſſus vmbrarum ac depreſſiones, ab his exſultantes luminum eminentias, venuſtatemque totius operis, erudito penicillo ita repræſentauit, vt adæquare naturam videretur, niſi qui ſub præſtantiſſimo aliquo ætatis ſuæ Timanthe aut Apelle manum tabulæ admouit? Quis cum laude Rempublicam adminiſtrauit, niſi qui ab iis exemplum ſibi ſumpſit, qui, quibus rebus vtilitas Reipublicæ pararetur augereturque, cùm tenerent, ad eam moderandam vſum & ſcientiam, & ſtudium ſuum, magnâ virtutis & innocentiæ famâ contuliſſent? Quis in bello veterum Imperatorum virtutem maiore gloriâ ſuperauit, niſi qui ſub clariſſimorum Ducum diſciplinâ tiro parere priùs didiciſſet, quàm imperare; exercitum ſequi, quàm ducere? Quid, quòd ipſe ſcientiſſimus formator hominum Deus impreſſerit nobis propenſionem imitandi maximam? quæ vel in pueris ſeſe prodit, qui, quæcumque fluunt in aures, obijciuntur oculis, veniunt in manus, imitatione conantur exprimere. Sed ad iſta, quæ quotidie oculis noſtris obuerſantur, animum minùs aduertimus. Illud verò ingenitæ procliuitatis, quâ ad imitandum ferimur, fructum magnopere commendat, quod de Theſeo puero antiqui tradiderunt. cùm orbe pacato, debellatiſque vbique terrarum monſtris, Hercules aliquando Trœzenem ad auum Theſei maternum diuertiſſet, benignè pro eâ famâ, quæ non Peloponneſum modò & Græciam, ſed vltimas orbis oras impleuiſſet, exceptum fuiſſe; accubiturum deinde, leonis illud ſpolium, victoriæ virtutiſque monumentum, ex humeris depoſuiſſe. quo viſo terriculo, reliquos quotquot aderant diffugiſſe pueros, ſolum Theſeum ſtetiſſe impauidum, raptiſque, vnde proximè licuit, armis in exuuias illas tamquam in verum leonem irruiſſe: cumque demum crebris audiſſet vſurpari ſermonibus ea quæ Hercules plurima fortiter ac laborioſè geſſerat, ferunt in puerili pectore iam exarſiſſe cupiditatem Herculeæ gloriæ æmulam, vt dies noctéſque

opus quoduis perficitur:

quibus iungenda imitatio.

Hæc necessaria in artibus,

in Reipub. administratione,

in militiâ;

estque indita à naturâ ad eam propensio:

nihil animo volueret, nisi quo pacto Herculis secutus facta, parem orbi operam probaret suam. vsque adeò vt dormienti eadem obuersarentur simulacra, quæ interdiu mens acris & inquieta versarat, donec vix ex ephebis egressus, idem gloriæ curriculum ingressus est. Quòd si tantum valet aliorum imitatio exercitationi adiuncta, in iis artibus ac rebus quæ ad vsum vitæ communis pertinent, vt vel mediocri ingenio præditos supra vulgus efferat; quisquámne erit, qui hæc tantumdem posse negabit iis in rebus, quæ in finem honestissimum pulcherrimumque referuntur; maximarum scilicet virtutum acquisitionem, animorum incolumitatem, diuinæ gloriæ incrementum, præmia illa quæ nulla temporis oblitterabit iniuria, quæ propria sunt eorum qui se virtuti diuinæque gloriæ consecrarunt? Atque hic campus noster est, hæc Respub. nostra, hæc quæstuosissima Societatis negotiatio.

vtilis etiam ad virtutem.

Finis Societatis & institutum.

Condidit nos sapientissimus ille rerum omnium effector Deus, non vt ignauorum pecorum instar, ad humillima quæque nos abijceremus; sed vt in solem ac puluerem prodiremus: animum infudit cælestium donorum capacem: à reliquorum mortalium numero, ad hoc quod sectamur vitæ institutum secreuit: leges dictauit sanctissimas: spatium aperuit latissimum, in quo nostra desudaret industria. Vtinam verò amplissimis illis explendi muneris nostri præsidiis, quâ par est curâ, sedulitate, solicitudine, vteremur! neque quemquam aliquando aut ignauia ab officio retardaret, aut quietis amor seduceret, aut animi imbecillitas & remissio deiiceret! Pictores Deus nos esse voluit, fictores, sculptores: non vt fugaces tabulis colores illineremus, non vt fragiles ex argillâ statuas fingeremus, aut saxo sculperemus; sed vt imaginem illam, quam præpotens Opifex animis hominum impressit, dum lucis huius vsurâ fruimur, illustrium virtutum pigmentis in nobisipsis aliisque perficeremus, neque eam pateremur aliquando vitiorum sordibus obsolescere: vt teneram pueritiam, instar mollis ceræ tractabilem, Christianæ doctrinæ rudimentis, omnique morum honestate institueremus: vt eorum pectoribus quibus ætas est maturior, quâ publicis, quâ priuatis congressibus ac sermonibus salutarem Numinis timorem, virtutis amorem, & flagitiorum omnium odium acerrimum insculperemus. Respub. nobis commissa est, in quâ Regina ratio tamquam in editâ arce residet, vt in ceteras animi functiones, tamquam ciues, supremum dominatum obtineat: excubandum continenter, atque cauendum ne pulcherrima ista Reipub. forma in nobis, aliisque qui nobis animorum moderatoribus vtuntur, perturbetur; ne sceleratissimæ conspirationes oriantur, quibus, deiectâ ratione, indomitæ atque infrenatæ cupiditates imperium occupent. Bellum gerendum est acerbum, periculosum, diuturnum, in quo non antè missio speranda est, quàm huius vitæ castris egressi, victores spolia cælo inferamus: hostes instant & vrgent teterrimi atque crudelissimi; expugnanda impietatis castra, aperiendæ sunt abstrusæ vaferrimi cacodæmonis insidiæ, dissipandæ vitiorum copiæ, amentatæ in prauorum dogmatum proseminatores hastæ torquendæ. Neque vno tantùm loco nobis in acie standum est; sed quacumque sol habitabiles oras illustrat, velut expeditis velitibus occurrendum est, quotiescum-

tiescumque ad Dei gloriam & salutem plurimorum pertinere censuerint illi, quorum nutu & arbitrio gubernamur. Hic finis est Instituti nostri, hæ exercitationes: quas tum suscepimus, cùm Societati nomen dedimus: hic campus, in quo totius vitæ nostræ cura, labor, industria versaretur: hæc Sparta quam nobis religiosissimi illi Decemuiri, & primi huiusce Familiæ auctores, per omnium rerum humanarum despicientiam, per ærumnas maximas, per paupertatis incommoda, per discrimina laborum ornatam tradidere; ornandam porrò etiam à nobis, si ad ipsorum exempla oculos aperiamus, & quibus itineribus ad vitæ sanctimoniam contenderint, inspiciamus, nec ab eorum ardore virtuteque degeneremus, in quorum labores ac fructum sine laboribus introiuimus. Quàm claris, quàm illustribus exemplis illi nobis præluxerint, ignorare omnino non potestis, qui & à maioribus accepistis, & ad posteritatis memoriam litteris mandata frequenter legistis. Ne tamen omnia silentio inuoluam, tantisper modò adeste animis, dum in pauca confero, quem in primo nascentis Societatis exordio vitæ cursum tenuerint, vt inde coniecturam faciatis, quibus adiumentis ea adoleuerit, atque ad hanc, quam cernimus, maturitatem peruenerit. Postquam delectus ille Sociorum manipulus (quos non magis communium studiorum tractatio, aut necessitudo contubernij, familiarisque vsus coniunxerat, quàm instinctus quidam diuinus afflatusque, animorum saluti honestissimâ sanctissimâque pactione, obligauerat) Parisiis Theologiæ metam attigisset; exardescente inter Hispanos Gallosque bello, visum est iis qui Lutetiæ substiterant, bellicis tumultibus cedere, atque in Italiam Venetiasque contendere: quo loco eos Ignatius (qui valetudinis caussâ in Hispaniam abierat) instauratis viribus, rebusque in patriâ confectis, sese præstolaturum receperat. Non commemorabo hoc loco, quo pacto in hoc itinere à laboribus & incommodis Apostolicam vitam fuerint auspicati, omni ope auxilioque humano destituti, solâ paupertate & ærumnis opulenti, squalore pædoreque obsiti, fame ac fatigatione exerciti, vegetæ tamen mentis vigore robusti. vnum hoc mihi propositum est in memoriam reuocare, quodnam illorum in celeberrimis vrbibus Italiæ studium fuerit, quænam in luce ac frequentiâ hominum occupationes, quænam in animorum salute procurandâ diu noctuque exercitationes. Suspicaretur fortasse quispiam in rebus ab iis cum dignitate gestis peregrinus atque hospes, quique eorum propositum vulgi opinione ac sensu metiretur, eos in Optimatum sese amicitiam primùm insinuasse; deinde prima in templis suggesta, prima in gymnasiis circumspexisse subsellia, è quibus facundiam suam multiplicemque eruditionem in coronâ doctissimorum hominum planam facerent. Sed hæc illi in postremis habenda arbitrati sunt: alia mens fuit, alia cogitatio. Erant quidem, erant omnes eximiâ doctrinâ, excellentis acumine ingenij, raris muneribus ac donis naturæ instructi, quibus magnam sibi perfacilè potuissent apud homines gloriam comparare: sed modestiâ, submissione, suique despicientiâ instructiores. eam nobis viam laboribus suis strauerunt, per quam ad veram sempiternamque, quam vitæ nostræ ratio spectat, gloriam niteremur. Quocumque accedebant,

Exempla quibus primi Societatis Patres præluxerunt.

pro

pro contubernio ſibi deligebant aut publica valetudinaria, aut mendicorum receptacula; vt in his, poſt diurnos labores, inter pauperes diuerſati, & pauperum paſti more, congruis etiam cœnæ exciperentur cubilibus, quæ fatigata membra non ad quietem allicerent, ſed nouis moleſtiis exercerent: in illis verò tum ceteris miſericordiæ vacabant officiis, tum expiandis animis operam dabant, muniaque, quantumuis abiectiſſima, non modò non reformidabant, verùm etiam vltrò ſibi depoſcebant, miráque alacritate exſequebantur. Quid hîc memorem, vlceribus ac ſanie fluentia corpora, quorum ſpecies oculis animiſque obiecta nauſeam procreare potuiſſet, nudis eos manibus contrectaſſe; ſuorum complexu corporum, dum lectos ſternerent, excitaſſe iacentia, & in ſtratis eadem reclinaſſe? quid omnia corporis animique ſolatia opportunè quibuſuis ægris adhibita? quid nocturnas apud egentiſſimum quemque vigilias? quid eorum corpora, quorum animos ad extremum vſque ſpiritum piis cohortationibus ac precibus proſecuti fuerant, ſepulchro, quod ſuis manibus effoderant, Chriſtiano ritu tradita? Erant occupationes illæ eiuſcemodi, quæ etiam robuſtiſſimum quemque fregiſſent: ſed incredibilis ille diuinæ gloriæ, vbique amplificandæ, proximorumque iuuandorum ardor, omnis immemor quietis, pari charitatis æſtu atque exuberantiâ in ſanos iuxtà ac ægros deriuabatur. Nam è noſocomiis in publicum digreſſi, imbecillem ætatem vicatim collectam, in foro, in compitis, vbicumque id loci ſuaderet opportunitas, Chriſtianæ doctrinæ rudimentis patienter inſtituebant. Mox ad rudem plebem, vt prouectioris ætatis, ita ſalutarium monitorum magis indigam, conuerſi, è ſaxo aliquo aut ſcabello tamquam ſuggeſto, populum voce, geſtu, pileo conuocabant. Confluebat ille frequens, rei nouitate, peregrinâque inſolentiâ inuitatus; riſum ſibi aut animi oblectationem, non fructum, tamquam à ioculatoribus aut agyrtis, non concionatoribus, pollicebatur: ſed poſtquam eos ſummo ardore animi, inſigni oculorum maieſtate, maximâ vocis ac laterum contentione, de Deo rebuſque diuinis verba facientes audiuit; poſtquam propoſitis cæli præmiis, aut intentatis inferorum ſuppliciis, in pectore ſuo quiſque virtutis ſtudium, & acre odium vitiorum ſenſit exardeſcere; tum demum agnouit quod genus hoc eſſet hominum, quorum præceptis ſaluberrimis ſobrias cogitationes momento ſuſciperet. His perfuncti laboribus, cùm nihil in concione niſi ſibi quemque commendarent, nihil à circumfuſâ multitudine niſi ardens propriæ ſalutis deſiderium poſtularent, nihil pro ſe ne vltrò quidem oblatum admitterent, ſed oſtiatim ſtipem in victum emendicarent, ſub noctem ad ſua ſeſe hoſpitia, nullâ re niſi paupertate & incommodis inſtructa, reciperent; magnos vbique animorum motus excitabant. Huiuſmodi fuere maiorum noſtrorum Religioſæ vitæ primordia, rerum arduarum quas pro Deo & Eccleſiâ ſuſcepturi erant argumenta, difficillimarum expeditionum proluſiones: quæ quàm vberes & copioſos fructus iam tum protulerint, teſtes ſunt florentiſſimæ vrbes Italiæ, eorum indefeſsâ operâ & induſtriâ excultæ; teſtis ipſa vrbium Domina, quæ primam illam virtutem, tamquam in orbis theatro expoſitam, admirata eſt; teſtis Italia vniuerſa, quæ breui tempore

fructus quos retulerunt.

pauco

paucorum Patrum partim vitæ innocentis exemplo, partim docendi hortandique assiduitate, ingentem animorum commutationem factam, ac præcipuè saluberrimam illam nascentis Ecclesiæ consuetudinem, Confessionis ac cælestis epuli frequentandi longo sæculorum interuallo vidit reuocatam; testes Principes amplissimi, Reges potentissimi, Pontifices religiosissimi, qui è pusillo illo numero certatim aliquos expetiere, qui in Regnis suis atque Prouinciis eamdem pietatis sementem facerent; testes denique tot adolescentes ac viri natalibus, indole, ingenio, eruditione, rebusque gestis præstantes, qui primorum Patrum virtute & illustri ac peruulgatâ famâ concitati, in eorum mox Societatem adscribi summis votis efflagitarunt. Tantum nimirum incredibilis illa atque diuina virtus potuit in animis hominum efficere, vt omnes in admirationem raperet, vt alienos conciliaret, vt in aulis etiam inter delicias enutritos ad rerum humanarum despicientiam, ad laborum atque ærumnarum consortium, ad solidarum denique virtutum studia prouocaret. Et nos, qui idem illud, quod ab his auctoribus promanauit, vitæ institutum amplexi sumus, qui legibus nostris ad eorum exempla dirigimur, ad hos labores non excitabimur? ad huius gloriæ consortium non adspirabimus? eritque aliquis ita languidus ac degener, vt eorum vestigia, quæ ad memoriam posterorum sempiternam fixa reliquerunt, consectari recuset? Themistoclem certè, cùm adolescentiam infamiæ ac turpitudinis notis inustam exegisset, alienâ ferunt imitatione in virum clarissimum magnumque Græciæ lumen, mediumque Asiæ & Europæ vel spei vel desperationis pignus, euasisse. Nam laudis & gloriæ stimulis agitatus, cùm noctes frequenter duceret insomnes, questus est Miltiadis trophæa identidem sibi ante oculos versari, atque ita animum exstimulare, nullam vt quietis partem capere posset. Nos verò quo animo erimus? an, sicui torporis aliquid è vitâ antè actâ adhæserit, aut inertiæ desidiæque somnus obrepserit, an, inquam, gloriosissima maiorum nostrorum trophæa ac monumenta soporem hunc non excutient? trophæa, inquam, quæ non in campis temporum iniuriis obnoxia, sed in posterorum animis fixerunt. Quòd si Romanorum sapientissimi id præclarè instituerunt, vt in conuiuiis egregia virorum illustrium facta carmine comprehensa ad tibiam à maioribus natu decantarentur, quò ad ea imitanda iuuentutem alacriorem redderent; quid aliud Moderatoribus nostris viris prudentissimis propositum fuisse putamus, cùm parentum nostrorum gesta litteris consignari voluere, quàm vt iis nos stimulis ad imitationem incitarent? Id nisi facimus, atque in imitatione omnem curam, operam, industriam nostram ponimus; abolenda nobis eorum sunt monumenta, conuellendæ imagines, memoria deponenda, ne assiduè nobis degenerem vitæ conditionem exprobrent. Fortes plerumque à fortibus propagari cernimus, & in animantibus quoque egregia parentum indoles in sobole elucescit: prouidendum nobis est igitur, ne nobis probro sit ac dedecori à tam illustri virtute degenerasse. Auertat id supremus ille militiæ nostræ Imperator, à quo nomen circumferimus: auertant ij ipsi parentes nostri iampridem Superis adscripti: qui dum hæc infima terrarum contemplantur, & Societatem

Adhortatio ad imitationem.

tam numerosâ prole gaudent esse propagatam, suas esse partes intelligunt, quâ pollent auctoritate, Deum in caussâ nostrâ interpellare; vt iisdem quibus ipsi præcessere vestigiis insistentes, in eiusdem gloriæ communionem venire possimus.

ORATIO TERTIA.

De institutione & propagatione Sodalitatum B.V. MARIÆ, deq; vario per eas à Societate collecto fructu.

Habita ad Sodales Supremi Concilij Senatores, aliosque Optimates Mechliniæ anno sæculari.

SOcietatis nostræ diuinitus institutæ, & Apostolicæ Sedis auctoritate confirmatæ, centesimus hic annus est; quo, veteri receptâque consuetudine, memoria decursi temporis renouatur, & functionum, quibus ea creuit, recognoscuntur fructus, gratiæque secundùm Deum aguntur Superis: quorum adspirante fauore, eam, quâ non absque stupore fruimur, maturitatem sunt adeptæ. Quod si fieri in ceteris par est, quo me animo esse oportet in hoc meo Parthenio munere? quas agere gratias Virgini, cuius patrocinio & tutelâ, cùm hæc nostra Sodalitas, tum orbe toto propè innumeræ floruerunt? quo affectu gratulari non tantùm præsentibus, sed iis etiam, ad quos peruenire mea vox non poterit, tam vberi tamque vario percepto fructu? Nolui ego vnus ingratus esse in Virginem; nolui in Sodales à Virgine adoptatos inhumanus. Hæc caussa fuit Parthenium hunc cœtum hodiernâ die cogendi: quem cùm video, fateor dicendi me nouo quodam & inusitato desiderio excitari. Adeste animis, & quem magnæ Matris honor exigit, fauorem beneuolentiamque commodate. Quæ pollicitus duo sum, Virgini gratias, & vobis gratulationem, tum demum præstabo, cùm ostendero, quibus initiis, & quàm singulari Dei munere coaluerint Sodalitates hæ Partheniæ; beneficiaque recensuero, & quæ in singulos per eas propria, & quæ communia in Ecclesiam congessit vniuersam.

Sodalitates vnde dictæ. Marcum Porcium, illum sapientem, gloriari solitum accepimus, Quæstore se, receptis sacris Idæis Magnæ Matris, conflatam Sodalitatem, in quâ victu & poculis ætatem cum æqualibus oblectarit suam: vnaque, quantum aliunde intelligo, caussa fuit cogendi hunc cœtum, voluptas corporis, specioso inumbrata religionis pallio. Qui enim coibant, Sodales se appellabant ex eo quòd soli non ederent, quodque simul plures, collatis, vt quidam volunt, symbolis, genio indulgerent. Mansit ea res, delataque magnâ comprobatione ad exteros fuit, tamquam idoneum socialis vitæ vinculum, & ad nos vsque propagata: quorum in vrbibus frequentes vulgò visuntur ciuium cœtus, Porciani illius æmuli, vnde & nomina mutuantur sua. Quibus ego cœtibus concedam non repugnanter cetera, si modò nomina ista, quæ etsi ab illâ origine, iam tamen pridem sanctiora vsu facta, cœtibus iis vindicauero, qui Matris verè Magnæ, non Pessinuntiæ nescio cuius, ab Attalo ostensæ, sed æternæ

De

Dei consilio electæ, iucundissimâ tutelâ gloriantur. Quid vindicare me dico nomina origini alienæ imputata; quæ si conuenire his cœtibus non minùs quàm propria contendam, nemo possit reprehendere? Nihil profanis, nihil vanis debeamus: Sodales esse, & in Sodalitates coire dicamur, quia simul edimus, non cibos quibus farciuntur saginanturque corpora, sed puriores alios, quibus immortales æterneque mentes recreantur. Quis non vegetior intellectu, quis non promptior affectu, quis non spiritu feruentior, auditis cohortationibus quæ habentur, exemplisque quæ præbentur obseruatis, ex his cœtibus ad munia sua partesque hominis Christiani discedit? Quid de epulo dicam diuinissimo, cuius ferculum vnicum, CHRISTI caro integerrima; potus vnicus, eiusdem sanguis pretiosissimus; quibus omne deliciarum genus continetur? cùm toties ad id epulum communiter adhibeamur, nónne iure meritissimo Sodales ab hoc etymo nuncupabimur?

Cur cœtus Partheny Sodalitates dicantur.

Video hærere me in orationis meæ vestibulo; tenet me nominis nostri ratio, sed interiora iam pridem ad se vocant: quò si placet sequi, ducam quâ duxit viâ auditores suos Vindex noster, idemque sapientissimus Magister CHRISTVS, qui ductam à vilibus & contemptis initiis admirabilem Ecclesiæ suæ maiestatem ac magnitudinem cùm ob oculos vellet ponere, eo consilio, vt quàm plurimos ad eam tamquam ad diuinum quiddam alliceret; assimilauit grano sinapis, quod cùm minimum sit, in arborem sensim excrescit patulis diffusam ramis, quibus volucres cæli succedere, in iisque nidos concinnare per Syriæ Palæstinæque campos, hisce nostris feliciores, perhibentur. Quod veniâ vestrâ fiat, eidem grano Partheniam ego hodie Sodalitatem comparabo: quam à minimo ortam, breuissimo temporis spatio adeò se altè extulisse, adeoque longè & latè diffudisse in omnem orbis partem, videmus, vt admirationem audientibus, nobis autem iucundissimam excitet voluptatem. Quid fingi humilius potest molitiunculis puerorum prima Latinitatis elementa condiscentium? quibus vt nulla maturitas, ita cogitationes de rebus diuinis, officioque Christiani hominis, suscipi solent inconstantes & imperfectæ, minimeque dignæ quas viri exercitati rerum vsu, doctrinisque expoliti, audiant, nedum æmulentur. Atqui his tam præclari operis inceptoribus debemus id omne quod geri videmus & audimus à tot Imperatoribus, Regibus, Dynastis, Purpuratis Ecclesiæ Patribus, infulatis Præsulibus, ceterisque Reipublicæ Christianæ luminibus, ac denique ab infinitis numero Congregationibus, toto diditis & dissipatis terræ ambitu. Audite hoc, A.V. iterum dicam, & ad gloriam dicam (pudeat fortassis inceptionum diuinarum rudes, me sanè non pudet) puerulis prima Rudimenta balbutientibus res hæc tota Parthenia debet, quod piscatoribus nihilo spectabilioribus acceptum refert Ecclesia vniuersa. vt vel eo argumento à Deo se esse probet, cuius est proprium maximis quibusque rebus moliendis auctores adhibere, nullâ homines aut generis, aut sapientiæ, aut experientiæ famâ commendatos. quò clariùs omnes perspiciant, non humanas esse molitiones, sed diuinas. Ex Belgio hoc nostro (audite Belgæ, & in Deum gloriam refundite) ex Belgio hoc, inquam, nostro Ioannes quidam Leonius

Ecclesia similis grano sinapis.

Sodalitatum initia parua.

Ioannes Leonius Sodalitatibus dedit initium.

trans Alpes tulit ſemen, quod puriſſimo Romano ſolo, medios inter pueros, quos præceptis Grammaticis ſuſceperat inſtruendos, ſerere aggreſſus, induſtriæ laborisque ſui, quantum ſperare fructus numquam poſſet, in ipſo ſatu animaduertit. Vidit ſiquidem pietatis in Deiparam, aliarumque virtutum, tenella quidem illa, ſed ſincera prouenire germina; mox & ſurculos grandiuſculos ſuccreſcere, arbuſculam denique fieri, omnino pulchram, viſendamque incremento raro, & crebris quaſi baccis primitiarum virtutum. Non poſſum hîc longiori oratione exſequi paruulorum obſequia, quibus Virginis Deiparæ, matris iam ſuæ, tutelam & opem, ſibi Eccleſiæque nitebantur demereri: non poſſum munia, quæ vel vnum in locum coacti ſimul omnes, vel partiti temporibus locisque ſuis ſinguli, obire ſatagebant. verbo dicam, ea factitabant, quibus oculos omnium in ſe conuerterent, ipſumque excirent Eccleſiæ ſummum caput Gregorium XIII. qui cœtum nouellum, teneramque arbuſculam rigandam cenſuit ne exareſceret, rigauitque ampliſſimis priuilegiis: quibus velut exhilarata, radices in vnâ Vrbe egit omnino altas, paresque oneri ſperatæ molis, ac ramos per orbem, quam longè lateque Chriſtianus eſt, denſiſſimos patentiſſimosq; diffudit: vt iam nullus propè ſit in terris locus, quò non pertigerit Sodalitatis illius, humillimis initiis ortæ, præclarum aliquod & illuſtre monumentum. Quod vt fieret, curæ ſemper fuit hominibus noſtris, eſtque etiamnum commendatiſſimum, vt quò myſteria Religionis orthodoxæ, eôdem ſecum Virginis cultum ferant: quem cùm ſciant diuiniſſimo hoc Sodalitatum Partheniarum inuento contineri augerique maximè, niſi ad has vnà cum Religione propagandas omnem operam, omne ſtudium, omnes denique cogitationes conuerterint, muneri ſuo factum eſſe ſatis neutiquam arbitrantur. Iaponum vltimo ſubmotorum Oceano ſeueriſſimis legibus & decretis omnes circummunitæ oræ aduerſus Chriſtianos tenebantur; penetratæ ſunt, audente & monſtrante viam Xauerio: quem mox ſecuti ex hoc noſtro orbe per immenſa æquorum ſpatia ſtrenuiſſimi Socij, vnà cum ſacris Religionis Chriſtianæ altera Sodalitatum ſacra, non paulò feliciùs, quàm ſua propinquo Latio fabuloſus Æneas, intulerunt. Igitur & Iapones vltimi hominum iam his cœtibus dant nomina: & cùm luce palàm non poſſint, ſilentio & per tenebras coëunt ad Sodalitates, tamquam ad Chriſtiani roboris palæſtras, in quibus vires colligunt, quas ad cruces, ad rotas, ad ignes, ad tormenta omnibus retrò ſæculis inaudita, fortiſſimi athletæ conferunt & conſumunt. Quid Indiis vtriſque ad orientem occidentemque ſolem eaſdem oſtenſas apertaſque referam? Ab vno Gregorio Ciſnero nauiſſimo viro trecentas conſtitutas, Annales noſtri prodiderunt. Quo quid poteſt ad nominis immortalitatem pulchrius commemorari? quid ad veram gloriam magnificentius? Non ille quidem vllam ſui nominis commendationem ſpectauit; viuet tamen memoriâ ſæculorum omnium, neque erunt tam ingrati illi quibus laborauit, vt de tanti viri incredibili pietate conticeſcant. Vix ipſe mihi impero ne excurram, & debitas tantæ virtuti perſoluam laudes; ſed veſtra me reuocat exſpectatio, quam poſtulare intelligo, vt de reliquis terrarum oris breuiter exponam, quàm frequentibus

Sodalitas B. Virginis breui tempore lattiſſimè diffuſa.

tibus fuerint & ipsæ Sodalitiis, ab æmulis in hoc genere Sociis celebratæ. Sic igitur paucis habetote: Societas hæc nostra vna animis & voluntatibus, diuersissima locis ac muneribus, primo suo sæculo tantum incrementi cepit, vt domiciliis iam habitet omnino octingentis: quorum ex pluribus frequentissimâ excursione vicina lustrat dissitaque loca, quæ operâ non minori, quàm si propria habeat, procurat & excolit. Atqui domicilium omnium scitote esse nullum, quod non aliquot sub nomine Deiparæ cœtus cogat: maiora, senis ferè septenísve gaudent. quos si libeat ad calculum omnes reuocare, comperietis conuentuum posse aliquot millia numerari, quibus eadem instituta eædemque leges impertiunt communem quamdam vitam ac vigorem; vt quod ramis ab eodem quasi prognatis eductisque trunco vsuuenire cernitis, eodem vt omnes succo nutriantur & augescant, id conuenire intelligatis Parthenicæ arbori nostræ. *Quantus sit Congregationum numerus.*

Agite verò, quoniam ad arboris similitudinem rediimus, hæc nostra tam ampla quas habeat opportunitates, mecum recognoscite. De Ecclesiâ velut amplissimâ arbore dixit CHRISTVS: *Volucres cæli veniunt, & habitant in ramis eius*. Idem in nostram quàm aptè quadret, an non animaduertitis? Nam siue volucres cæli eo loci homines significant, cùm sanguine & dignitate, tum eruditione & virtute conspicuos, quos innumeros accepit fouitque inde à primis incunabilis Ecclesia; siue etiam eos qui cæli commercia consectantes, animum à terrenâ contagione auocant; quis non intelligit, sacros hos cœtus in huius gloriæ communionem admittendos? ad quos conuolant indies tot genere & dignitate illustres, tot omnibus exculti disciplinis, tot virtutum ornamentis conspicui, tot cælestis vitæ imitatione singulares. Non hîc ego veteres eruderabo, remotosque à memoriâ horum temporum: sed quorum adhuc virtus aut viua spirat, aut sacris impressa locis, monumenta seruat numquam intermoritura. Quis te sileat, magne Ferdinande, Romanorum hoc nomine Imperator Secunde, nuper cælo dignate? quò te euexit incredibilis tua pietas, omnibus testata officiis, in Virginem præsertim Deiparam. de quâ tibi conciliandâ cùm cogitares, sciresque gratissimum id fore, si numero accederes Sodalium eximiis illi obsequiis deuinctorum, diu multumque dubitasti quò te verteres, quibus potissimùm te adiungeres, qui pater esses omnium; donec consilium reperisti plenum sapientiâ. Accipite quid repererit ingeniosus amor, dignum memoriâ posteritatis sempiternâ. Statuit se diuidere & impertiri, quâ ratione posset, quàm plurimis. Per Austriam suam vtramque, per Vngariæ Bohemiæque Regna, per Stiriam, Carinthiam, Carnioliam, quotquot essent sub Virginis nomine constitutæ Sodalitates, tot fieri postulauit voluntatis suæ testes, omniumque tabulis inscriptum legi Ferdinandum Secundum Virgineum clientem. Nec suarum contentus ditionum tabulis, prouinciis etiam remotissimis supplicauit: Belgio in primis nostro, cuius in vltimis finibus celeberrima Congregatio Duacena Ferdinandi adscripto nomine etiamnum gloriatur. Ferdinandum Ferdinandus, patrem filius mox secutus, is cuius clementissimo atque adeò optatissimo imperio se nuper subdidit Romanus orbis, consilium *Viri illustres qui Sodalitati nomen dederunt.*

idem iniit Virginem ſibi demerendi. Quare cùm variis per Germaniam Sodalitiis, tum nuperrimè Louanienſi in Belgio adſcribi glorioſum ſibi fore exiſtimauit. Liceat nunc mihi hoc boni ominis cauſsâ interfari: Quod glorioſum duxiſti, Auguſtiſſime Cæſar, id ita quidem, vt tu duxiſti, glorioſum eſt, quia coniunctum cum laude eximiâ; ſed & glorioſum, vt ego interpretor, quia quot apices tui nominis impreſſos ſeruant religioſiſſimæ illæ chartæ, tot exſtant exſtabuntque obuenturæ tibi diuinitus ſecundiſſimæ fortunæ notæ certiſſimæ, tot emerſuræ ex horum temporum denſis nubibus ac procellis clariſſimæ tuæ lucis infallibiles teſſeræ. Quarum de fide ne dubita; apparebit & illuceſcet breuì illa dies, quâ te laureatum, ſubactis hoſtibus, gratulabundus aſpiciat & excipiat orbis. Teneant me diutiùs & abripiant, niſi reſiſtam, meritiſſima Auſtriacorum duorum nomina: quod idem vereor ne mihi contingat, ſi alios commemorare cœpero totius Europæ ſpectatiſſimos. Plurimorum in primis litteris linguisque celebrantur Boïcæ exempla pietatis: quæ ne altiùs repetam, à Guilielmo Duce ſapientiſſimo iuxtà ac ſanctiſſimo, quàm multa quamque præclara, quaſi per traducem propagata, in liberis & nepotibus ad hæc vſque tempora licuit admirari? Sed quid ego tam anguſtis limitibus orationem circumſcribo? Nuper exhibitus mihi Sodalium ampliſſimus ſyllabus animum planè conſternauit. Vidi Principum in eo, tamquam in ſtellato quodam firmamento, eximia quædam expreſſa lumina, quorum ſplendori intentis oculis incredibili voluptate perfruebar. Creſcebat ſenſus, dum cum Principibus viris matronas Principes certantes de pietate in iiſdem tabulis cernerem: legebam Auguſtas coniuges Mariam & Eliſabetham; illam Maximiliani Cæſaris, hanc Caroli Galliarum Noni: quarum in veſtigia Auguſtas Reginasque alias deinde ingreſſas, animaduertebam excitaſſe etiam in eo ſexu admirabilem æmulationem. Ab aulis auertebam ad Eccleſiam oculos, & quis in eâ ſacrorum Principum appareret ſenſus, auebam cognoſcere: cùm ecce tantus vbique ſplendor perſtrinxit oculos, vt, ita me Deus amet, cum priori illâ maieſtate in contentionem adduci velle videretur: ſecundorum enim occupatum tenebat ſplendor gentilitius, præſertim cùm ad generis ac dignitatis ſplendorem accederet tam eximia diuinarum rerum intelligentia; à quâ æſtimari diligique tam impensè Sodalitatum inſtituta, vt eadem ipſi tam frequentes tamque auidè amplecterentur, id verò multò maximè recreabat. Quot ibi Antiſtites ſacrorum, quot Nuntios Pontificios, quot Patres Purpuratos magnâ meâ voluptate in tabulas Parthenias relatos ſuſpexi? vt nunc alios infinitos prætercam, quos aut ſapientia, aut natalium lux, aut explorata virtus immortalitati commendauit. Vrgent me anguſtiæ huius temporis, quibus circumſcribere opus pænè immenſum, mihi quidem moleſtum, ſed iuſtas ob cauſſas neceſſarium.

Hæ ſunt igitur illæ volucres, quæ non impulſu naturæ, nihil arbitrantis, ſed rationis lucisque è cælo euibratæ prouocatione & ductu, ad ramos arboris noſtræ Virgineæ conuolarunt. Sed quid magnum eſt aduolaſſe, niſi in iiſdem habitent, vt arboris tutelâ commodisque perfruantur? Habitationem appello in adeundis Sodalitiis aſſiduitatem, coniun-

coniunctam cum obseruantiâ earum legum, quibus se singulæ communiunt & tuentur. Vtinam quidem possim de omnibus qui nomina illi dederunt sua, quod de plurimis verè possum affirmare, assiduos in eius cœtibus frequentandis & esse, & fuisse. Verùm eripiunt hanc mihi voluptatem initæ à multis vitæ rationes; quæ rerum publicarum grauissimis negotiis implicatæ, optimis voluntatibus tantum solent otij inuidere. Quis Regum & Imperatorum districtas tot curis mentes, quis Præsulum obnoxias & intentas suis sacris, adesse semper postulet? ne id postulandum quidem semper ab his minoribus, quos caussæ suæ sibi vindicant, resque domi aut foris necessariæ. Possum tamen ex Belgio nostro, quantumuis multos, præcipuos viros nominare, qui in maximis occupationibus religioni sibi ducant Parthenium cœtum suâ vel ad vnum diem præsentiâ defraudare. Audio deinde, plurimis in prouinciis assiduitatis virorum Principum vsurpari exempla omnino quotidiana, quæ coràm inspecta acriores subdant imitationis stimulos, litteris consignata æquos rerum æstimatores rapiant in admirationem. Audio denique in primario Christiani orbis theatro consessum reperiri, illi non absimilem quem olim Iugurtha Regum purpuratorum sibi visum fuisse affirmauit: eosdem tamen eâ animi submissione Virginis obsequium professos, vt, si vel vnicâ vice à Virgineo cœtu abfuerint, legitimas absentiæ caussas per aliquem domesticorum confestim Præsidibus exponant. His verè magnis dum animum oblecto, orationem ad se reuocat promiscua clientium Deiparæ frequentia; in quâ tamen non vulgaria se produnt virtutum decora. Quid agam igitur temporis angustiis exclusus? hoc, si vobis probatur, consilio me expediam: neutris me dabo, & vtrisque: ipsi potiùs Instituto, vnde omnia manant vtrorumque ornamenta & commoda, breue sed plenum dignitatis elogium impertiam & finiam. Nihil hoc Instituto vel ad speciem pulchrius, vel ad vsum fructuosius, vel ad tutelam, si occupetur, certius. hoc continentur honestatis Christianæ omnia decora, hoc virtutum, quæ summos infimosque ornent, omnes thesauri, hoc denique præsidia, quibus tot infesta casibus, tot exposita periculis defendatur asseraturque salus sempiterna. Hoc qui nacti, felices & beati. Quorum vos de numero cùm esse video, quid ni faciam quod proposui ab initio; nactis gratuler, gratiasque Virgini, per quam nacti estis, agam immortales?

Sodalitatis fructus in regularum obseruatione consistit.

Sodalitatis elogium.

Gaudete igitur hoc tam excellenti bono, cuius magna quidem percipitis quotidie commoda; sed tum demum se prodet præcipua eius vis, cùm fatalis vos poscet hora, sarcinasque colligere, & per difficilem hostibusque infessam funestissimis viam, hinc emigrare iubebit ad incertam æternitatem. quem sensum creditis eâ horâ oboriri iis, qui totius vitæ decursu ad arborem quam descripsi identidem conuolarunt, fixeruntque in eâ quasi nidum suum? Ego certè existimo fieri non posse, quin ex solâ recordatione tam constantis suæ pietatis, capiant præcipuam quamdam voluptatem, quæ dolores temperet, vertatque in fiduciam metus, quos subijciunt aliorum mentibus perplexissimæ in tam ancipiti re ac tempore cogitationes. Quis animus Populensis Ducis (exemplum de innumeris vnum interpono) quis, inquam, animus piissimi

Sodalium in morte solatium.

ſimi illius viri à Medicis iam depoſiti, quàm tranquillus & ſerenus fuit? cùm teſtaretur palàm nihil tum ſe ex omnibus quæ in vitâ expetiiſſet, habere charius aut pluris facere, quàm clientelam Virginis, in quam ſe recepiſſet cùm Sodalitatem iniuiſſet: huic ſe proinde Sodalitati omnia quæ habebat bona debere, & referre accepta dictitabat. quod filio in primis ſuo perſuaſum cupiebat: quem vt eamdem Sodalitatem iniret, initâque Virginem in matrem eligeret, etiam atque etiam hortabatur. Idem vobis conſilium moriens dedit CHRISTVS, cùm ex cruce Ioanni, tamquam primo Sodali Parthenio, vobiſque in Ioanne, oſtensâ Matre, *Ecce*, dixit, *mater tua*. cœpiſtis nihilo quàm Ioannes ſegniùs vobis hanc Matrem demereri: eius porrò veſtigiis inſiſtite, & ab eâ nullis rerum temporumque limitibus circumſcriptam beatitatem exſpectate, quæ tot iam pridem felices fecit, fecit orbem vniuerſum: cuius mutatum per tot Sodalitates vultum, & neſcio quibus virtutum radiis sereniorem quoties intueor, toties eas referre gratias geſtio, quas nemo per omnem æternitatem meritis eius pares valebit.

Sed quamuis impares, accipe tamen, Virgo, quales quales ex intimâ depromptas mente, intimoque ſenſu. nullus iam locus eſt in terris, nihil in vllo loco ſanctum, quod non vltrò Sodalitatibus illis tuis, aut omnia ſe, aut plurimum certè ſui, debere fateatur. Fatentur quotquot viuunt adſtrictæ votis Familiæ Religioſæ, fatentur pænè omnes, plurimum ſanctimoniæ ex ſacrariis illis tuis ad ſuæ acceſſiſſe vitæ rationes. Ex iiſdem agnoſcit orbis Chriſtianus, arceſſiuiſſe ſe Eccleſiæ Antiſtites; Imperia, Cæſares; Regna, Reges; Reſpublicæ, Principes; Ciuitates, Magiſtratus; Concilia, Senatores; Tribunalia, Iudices. Te intuentur, tibi gratias agunt, vrbium paſſim prouinciarumque & Regnorum innouati vultus: quos cùm luror haberet languorque miſerabilis, ſuperueniſti, velut Pandora quædam, ô Virgo; apertisque nouæ pietatis tot apothecis, vnde petere tanto malo remedia poſſent, oſtendiſti; perierant, reſpirarunt. Gratias agunt, per Sodales hac ipsâ non amplâ in vrbe mille & trecentos, per aliorum Collegiorum Prouinciæ Flandro-belgicæ, anguſtis limitibus circumſcriptæ, duodecies mille; per innumeros denique toto diſtributos terrarum orbe: quorum omnium addictiſſimæ tibi mentes, propenſiſſimæ in te voluntates, quod nullis verbis ſatis poſſunt, quanto poſſunt affectu gratulantur.

ORATIO QVARTA,

Inuitatio ad ſpirituales delicias, feriis Antecineralibus: dicta Louanij ad Academicos.

Guſtate & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus, Pſalm. 33.

QVod inter cetera faſtidientis palati commenta poſuit Philoxenus, eas nimirum carnes eſſe ſuauiſſimas, quæ carnes non ſint; eosque piſces gratiſſimos, qui minimè piſces; id cuiuſmodi ſit, eorum iudicij facio, quos palato plus ſapere quàm corde dicebat Plato. Ego tamen fretus

fretus eo rerum diuinarum gustu, quem vestra per hosce dies satis prodidit assiduitas, in re dispari veritatem hanc adstruere conabor, nullas epulas suauiores esse, quàm quæ non sunt epulæ; nullum conuiuium gratius, quàm quod minimè conuiuium. Quâ in re hoc me reficit ac recreat, quòd plerosq; vestrûm hisce diebus cælesti voluptate perfusos causſæ meæ præiudicasse non dubito. Nec vereor ne quis ex hoc numero, cùm sibi cæleste manna à me proponi viderit, ad ollas Ægyptias, porrum cepasq; sit aspiraturus: & si fortè quispiam ita animo comparatus fuerit, is ex me audiet illud D. Augustini: *Quære bonum tuum, ò anima Christiana. Summum bonum, hoc est bonum tuum. quære ergo bonum tuum. Quid illi deest, cui summum bonum bonum est? Sunt & inferiora bona, quæ aliis atq; aliis bona sunt. Pecori quid bonum est, nisi implere ventrem, carere indigentiâ, viuere, & gestire? Tale tu bonum quæris? coheres Christi, quid gaudes? quia socius es pecorum? Erige spem tuam ad bonum bonorum omnium.* Oblectamenta quæris, hoc præsertim tempore? hinc solum & solidum exsistit gaudium, cuius æterna tibi futura possessio: *Cui*, vt ait Bernardus, *omnis aliunde iucunditas comparata mæror est, omnis suauitas dolor est, omne dulce amarum, omne decorum fœdum, omne postremò quod aliquem delectare possit, molestum.* Hoc itaque mihi propositum est, vt contentione institutâ inter diuinas epulas, illas, inquam, quas pietate ac virtute præditi in hac vitâ prælibant; & profanas istas, quibus hoc tempore se immergunt, atque adeò ingurgitant abiectissima ventris mancipia; porcorum siliquas has esse ostendam, si cum illo pane diuino in contentionem veniant, quo in domo Patris cælestis, Ecclesiâ, inquam, Christianâ, strenui abundant mercenarij. Quod cùm luce meridianâ clarius esse perspexeritis, tum demum varios inter epulantes vos huic mensæ conuiuas adhibebo; vt & ipsi gustetis, & ex aliorum discumbentium voce, vultusque alacritate, discatis, quàm suauis sit Dominus; hortaborque vos cælestis Sponsi verbis: *Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi.*

In Psal. 101. Quid homini Christiano bonum?

Epist. 114.

Cant. 5.

Agedum ergo, producat iam profana illa Babylon (quicum mihi futura est hodierno die concertatio) clientem aliquem suum, puta Apicium, aut Heliogabalum, aut, si mauult, Assuerum Persarum Regem, qui omnem illum apparatum pompamque conuiuij centum octoginta dierum explicet: aut si parum splendoris habere videtur, quidquid vnius alicuius studium industriaque commenta est, vnum aliquod lautum atq; adipatum cogitatione saltem ex omnium quæ celebrauit antiquitas, symbolis coaceruet: nec ferculis tantùm, sed & coronis, vnguentis, aromatibus, concentu musico, ludis conuiuialibus, pretioso denique cœnaculorum ornatu ad luxum fastumque instruat. Vincam tamen voluptate, suauitate, splendore, vincam infinita ferculorum millia, vno Deo in epulas exhibito; vnico quidem illo, sed qui abundè numeri ac varietatis dispendia compenset. Si tamen varietas exigitur, primùm, omne delectamenti genus in hoc vno certiùs inuenitur, quàm in aëreo illo Israëlitarum cibo, cælestibus olim prodigiis notissimo. Deinde ipsa epulandi diuersitas multorum est instar conuiuiorum. Aliter enim quodammodò ipso fruimur per augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, aliter per pias commentationes, & rerum cælestium contemplationem, aliter

Mundi voluptas vana.

Deus omnium deliciarum instar.

per inculpatæ conſcientiæ tranquillitatem, aliter per amorem infiniti illius boni, aliter per alienæ ſalutis procurationem. His enim modis omnibus anima cæleſti pabulo recreatur. Teſtis hîc mihi in primis erit illa ſolennis Eccleſiæ vox: *O ſacrum conuiuium, in quo* CHRISTVS *ſumitur! mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Deinde pro conſcientiæ tranquillitate ſtabunt illa Chryſoſtomi verba: *Quid tibi de præſentibus iucundum videtur? nónne lauta menſa? nónne diuitiæ? hæc tamen ſuauia, ſi interiori voluptati comparentur, amara videntur: nihil enim ſuauius bonâ conſcientiâ.* Pro oratione ſententiam dicet Bernardus, *Orando*, inquiens, *bibitur vinum lætificans cor, vinum ſpiritus, quod inebriat, & carnalium voluptatum infundit obliuionem.* Denique pro zelo animarum CHRISTVS ipſe teſtis locupletiſſimus: *Meus*, inquit, *cibus eſt, vt faciam voluntatem eius qui miſit me, vt perficiam opus eius.* & quod illud opus, niſi Samaritanorum ſalus, quam tanto procurabat ardore, vt præ illâ exhauſti corporis ſolatium paſtumque repudiaret? Et in his omnibus anima Deo ſuo fruitur, idemque Deus varium eſt iiſdem pietatis exercitiis ac multiplex condimentum. Hæ ſunt igitur cæleſtes epulæ: quibus vel ſic tenui guſtu prælibatis, erítne ex abiectiſſimis huius mundi ſiliquis, quod palato noſtro poſſit arridere? erítne ex omni voluptatis officinâ, quod offenſione diuinâ, certâque noſtrâ pernicie, redemptum volemus? Age tamen, & ne Babylonem indictâ cauſâ damnaſſe videamur, detur aliquis defenſioni locus. Adornet illa triclinium ſuum: aut, ſi mauult, illud à Cleopatrâ cliente quondam ſuâ mutuetur: in quo, teſte Athenæo, omnia auro gemmiſque elaborata fulſerunt: parietes aureis velis obducti, pauimentum totum floribus ad cubiti altitudinem miro artificio conſtipatum, ſuperextenſis retibus, ne flores violarentur. Magna hæc profanis oculis, & ad veram lucem caligantibus, oblectamenta poſſunt videri; re tamen verâ futilia ſunt artis commenta, ſi cum iis conferantur, quæ in pulcherrimo hoc vniuerſo quotannis nobis exhibet rerum natura. Fac tamen ita ad ſtuporem artificum omnium induſtriam deſudaſſe, vt ex æquo cum ipsâ certet naturâ. Imò verò quia hanc æquare non poteſt, demus illi cœnaculo pulcherrimam verni temporis faciem, dum formoſiſſimus eſt annus. Vileſcent tamen hæc vniuerſa, ſimul ac illius triclinij, quod nec oculus vidit, nec in cor hominis adſcendit, vmbra aliqua per ſpeculum & in ænigmate contemplantis oculis fuerit obiecta. Teſtis mihi Siluanus ille, quem accepimus poſt longam diuinarum rerum contemplationẽ, cùm iam mentem à rerum humanarum contagione penitus auocaſſet, oculos ſtudioſiſſimè comprimere ſolitum, ne, vt aiebat, rerum infimarum deformitas cęleſtis illius cœnaculi admirabile ſpectaculum perturbaret. Sed quid ais, vir ſancte? deformis tibi videtur hęc rerum vniuerſitas, nobiliſſimi architecti tam nobile monumentum? Fateor, inquit, eſſe tale ac tantum, vt nulla id aſſequi poſſit induſtria, nulla eloquentia ſatis pro dignitate explicare: ſed tamen hæc tam formoſa rerum creatarum ſpecies ſub adſpectum cadit etiam brutorum; imò hæc formoſa Deo tam vilia ſunt, vt iuratis etiam eius hoſtibus communicentur, ne dicam in eorum vſus prodigantur. O quantò nobiliora ſunt ea quæ electorum ſorti atque hereditati reſeruantur

Homil. 63. ad Popul.

Serm. 18. in Cant.

Ioan. 4.

Triclinia olim ornari ſolita.

lib. 4.

Cæli meditatio iucunda.

uantur! O quàm mihi sordet humus, dum cælum intueor! Sed leuioris momenti est illa de loco tricliniòque velitatio: ad epulas ipsas ac delicias gradum faciamus. Instruat itaque profana Babylon mensam suam, non dicam argenteâ vitreâque supellectili, sed murrhinis, aureis, gemmeis poculis; totam denique superbiæ pompam explicet: puriùs ex ipso fonte lateris CHRISTI per vulnerum eius recordationem ab Elzeario sanguis hauritur: dulciùs è virgineis diuæ Matris vberibus per misericordiæ contemplationem à Bernardo lac sugitur: vberiùs ex ipso torrente cælestis voluptatis, piâ commentatione degustatæ, desiderij sui sitim exstinguit Augustinus. Ingerat illa irritandæ gulæ quot & quanta volet fercula; etiam illam, si lubet, Vitellij patinam, quam Mineruæ clypeum vocauit, & in hac scarorum iecinora, phasianorum & pauonum cerebella, linguas phœnicopterorum, murenarum lactes, aliaque portenta luxuriæ, iam tota animalia fastidientis, & certa membra ex singulis eligentis. Speciosa sunt hæc nomina, sed re totâ destituta. Nisi obsonia ista fames condierit, frustrà mille coquorum industria saporem illis conciliabit; si verò hæc adfuerit, æquè mucidum panem atque hæc portenta condiet. Minùs etiam ad conciliandam orexin facient aut splendor conuiuiorum, aut peregrini nemoris aucupia, aut ab extremo littore petita maris excrementa. At verò in Deo rebusque diuinis talis sapor est, vt ait Augustinus, quem nullâ ex parte minuat edacitas, nulla fastidiat satietas. Hæc præcipua dum obtinemus, leuioris momenti superest de parergis quibusdam velitatio; cuiusmodi sunt flores alieni temporis, rara hiemis oblectamenta, profanis conuiuiis inferri solita. Sed vt flores floribus opponam, superabunt iidem illi flores hiberni diuinâ venustate atque oblectatione perfusi. Testis mihi citabitur Theophilus ille Cæsariensis, qui cùm Dorotheam adultâ hieme ad cælestis Sponsi nuptias cruentâ morte properantem, in hanc sententiam orantem audisset: Tibi, bone IESV, tibi, dilecte mi, oppigneratam pono animam: tu illam dignare cælestibus thalamis: deduc illam ad nuptiales epulas in illis tuis æternùm amœnis cælorum viridariis; ille non absque sarcasmo: Age bella CHRISTI sponsa, & cùm ad Sponsi tui paradisum perueneris, rosas mihi ac mala inde transmitte. Faciam, inquit illa, omnino faciam. Nec mora. Vix ad cælestes nuptias introducta erat CHRISTI sponsa, vix à supplicij loco digressus Theophilus, en tibi è beatis mentibus lepidissimus pupus latus Theophilo pungit, & in partem seducto, qui vix tria verba formaturus videbatur, summâ eloquentiâ legatione suâ perfungitur, rosas porrigit ac mala, & confestim ex omnium se conspectu subducit. Tum ille priori suâ dementiâ castigatâ, cælestisque conuiuij suauitate degustatâ; Me, me, adsum, inquit, duc lictor: Christianus sum, iunge funera: quid moraris? ad cœnam illam nuptialem cum Dorotheâ votis omnibus affectuque contendo. En voluptas, en fructus florum alieni temporis. Quid tale spectauit vmquam infamis Babylon? Promat itaque nunc, si volet, cetera: vilescent tamen vniuersa, vel hoc ipso quòd in lucem producentur. Promat, inquam, vnguenta, & quidem, secundùm Athenæum, suis membris aptata singula: vngat Ægyptio pedes & crura, Phœnicio

Conuiuiorum luxus varius.

Flores alieni temporis in conuiuijs.

Dorothea post mortem flores Theophilo mittit.

Vnguenta in conuiuiis.

cio maxillas, ſiſymbrio alterum brachium, amaracino cilia & cæſariem, ſerpillino genua & collum; nos curremus in odorem vnguentorum Sponſi cæleſtis: cuius nomen, ſuauiſſimum, inquam, illud IESV CHRISTI nomen, velut oleum effuſum, neſcio quâ ſuauitate delibutos ad ſe rapit, omniumque dominatur affectibus. Implicet illa porrò coronis floreis, myrteis, nardinis caput, frontem, collum, pectus; CHRISTVS qui replet in bonis deſiderium noſtrum, coronabit nos in miſericordiâ & miſerationibus. Promat illa profanum ſuum ac plerumque laſciuum melos; obtundet veriùs quàm recreabit aures diuinæ citharæ modulis aſſuetas: cuius ſuauitatem ſi cognoſcere deſideratis, D. Franciſcum, ſi placet, conſulite. Quanto hunc gaudio redundaſſe accepimus, cùm nocte quâdam oranti cæleſtis cithara Angelico plectro pulſata omnem animi mœrorem abſterſit? quas tum ille voces iactabat teſtes interioris ſolatij, identidem illud Prophetæ vſurpans: *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi: in domum Domini ibimus*? quæ ſuſpiria, quæ vota in cælum iaculabatur, cupiens diſſolui & eſſe cum CHRISTO? Fruſtrà nunc voluptas acroamata conuiuialia, fruſtrà mimos, hiſtriones, aretalogos producat; cùm ſciamus illud à D. Auguſtino verè pronuntiatum: *Dulciores ſunt lacrymæ orantium, quàm gaudia theatrorum.* Cedant ergo ſolidis caduca, veris falſa, ſacris profana gaudia: cedant Babylonis epulæ cæleſtibus deliciis. Ibi enim ſaturitas panis, teſte diuino Codice, Gomorrhæi incendij fomes, ibi

Venus in vinis, ignis in igne furit:

hîc frumentum electorum, hîc vinum germinans virgines. Quid? quòd illæ terreæ voluptates, ſi nimiùm indulſeris, plus ipsâ fame, non rarò diſcruciant. Te verò, bone IESV,

Te qui guſtant eſuriunt,
Qui bibunt adhuc ſitiunt,
Deſiderare neſciunt,
Niſi IESVM *quem diligunt.*

Legimus quidem nocturnas illas comeſſationes tamdiu interdum protractas,

Donec ab heſternis proſpexit ſedibus alter
Caſtor, & heſternas riſit Tithonia menſas:

neminem tamen audiuimus exſtitiſſe, cui vſque adeò grata eſſet illa pergræcatio, totâque nocte congeſta ventris ſaburra, vt auroram præmaturam eſſe infamium epularum diremptricem criminaretur. Vincant ergo rurſum ſpirituales epulæ; vincat earum guſtus atque ſenſus. Namque ecce tibi D. Antonium, quem ineunte nocte ſæpè orationem ingreſſum, aurora in eodem veſtigio oppreſſit, querentem etiam cum lacrymis ſe ab hoc epulo tam ſuaui ad curas diurnas nimis immaturè diuelli. En magnum illum Arſenium, qui cùm à tergo ſolem occidentem reliquiſſet, tamdiu orationis ſuauitate immotus fruebatur, donec eum ſolis orientis radij prohiberent in cælum ſuſpicere. Sed, inquies, teſtes mihi producis rerum humanarum inexpertos, horridæque ſolitudini magis quàm palatiis aſſuetos. Non ſunt hi teſtes omni exceptione maiores. Poſſem hîc ego magnum Arſenium vtriuſque

fortu

Coronæ & muſica in conuiuiis:

Pſal. 121.

in Pſal. 127. *Spirituales voluptates ſuauiores.*

Ezech. 16.

Bernard. in Iubilo.

Antonij & Arſenij voluptas in orando.

fortunæ conſcium obtendere, eiuſque teſtimonio grauiſſimo & maximo controuerſiam definire. Sed age, ſanè Reginam Eſtherem potiùs audiamus in illo rerum humanarum faſtigio deliciis omnibus affluentem: *Domine*, inquit, *qui habes omnium ſcientiam, & noſti quia oderim gloriam iniquorum, & deteſter cubile incircumciſorum, & omnis alienigenæ: tu ſcis neceſſitatem meam, quòd abominer ſignum ſuperbiæ & gloriæ meæ, quod eſt ſuper caput meum in diebus oſtentationis meæ, & deteſter illud quaſi pannum menſtruatæ, & non portem in diebus ſilentij mei, & quòd non comederim in menſâ Aman, nec mihi placuerit conuiuium Regis, & non biberim vinum libaminum: & numquam lætata ſit ancilla tua, ex quo huc tranſlata ſum vſque in præſentem diem, niſi in te Domine Deus Abraham.* Rectè atque ordine non minùs feciſti, quàm docuiſti, matrona ſapientiſſima. Quid enim ad ciſternas diſſipatas confugiant, quibus ad fontem viuum patet acceſſus, ex quo omne conſolationis & oblectamenti genus abundè promanat? facilè id loquitur affectus conuiuarum cæleſti huic menſæ accumbentium. Videte nunc igitur quantâ cum voluptate *iuſti epulentur & exultent in conſpectu Dei, & delectentur in lætitiâ.* Et vt infinitos ſilentio præteream, vnicam intuemini Catharinam Senenſem amore diuino ebriam: illam, inquam, contemplamini, poſtquam CHRISTVM toto pectore totiſque medullis hauſerat, ſui impotentem, & grato certamine cum diuinâ conſolatione totius corporis iactatione, voce geſtuque luctantem (vt in flumen depreſſis ac demerſis vſu venire ſolet) & quaquà poteſt vitæ viam indagantem, donec tandem, nimiâ diuinæ dulcedinis inundatione rupto corde venisque vitalibus, amori mortique ſuccumbat; licet poſt horas aliquot vitæ fuerit diuinitus reſtituta. Viderunt non vno tempore hæc dulcia tormenta grataque pericula viri non minùs eruditione quàm vitæ ſanctimoniâ conſpicui, Ephræm Syrus, & Franciſcus Xauerius. quorum hic exæſtuante diuinâ conſolatione ſolitus exclamare: Satis eſt, Domine, ſatis eſt. ille verò: Recede à me Domine parumper, quoniam vaſis huius infirmitas exuberantem dulcedinis tuę copiam ferre non ſuſtinet. Sed amabo, vir ſanctiſſime, ne tantæ voluptatis influxum ſiſtas: en aridum cor noſtrum: ſi pectus leuare deſideras, habes hîc quos beare poſſis: nobis labia tua memoriam abundantiæ tam inuſitatæ ſuauitatis eructent: nos auido corde diuinum illud nectar hauriemus. Audimur, & audimus: O *quàm magna*, inquit, *multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te!* Deus bone, ſi tanta hîc eſt gaudiorum affluentia, quo tandem modo, imò quàm abſque modo inebriabuntur electi tui ab vbertate domus tuæ! quàm torrens futurus eſt ille torrens voluptatis! ſi tantæ ſunt exſilij noſtri deliciæ, quantæ futuræ ſunt ipſius patriæ! O verè *beatus*, & millies beatus, *qui manducabit panem in regno Dei!* Imò beatus, qui corporis huius limitibus adhuc circumſcriptus, profanæ tamen voluptatis illecebras proculcans, liberâ mente in amœnum illud Elyſium ſubinde euolat, æternumque illud conuiuium momentaneâ ſaltem & adumbratâ fruitione auſpicatur. *O ſacrum conuiuium, in quo* CHRISTVS *ſumitur*, & cum CHRISTO deſideriorum noſtrorum votorumque compendium! ſi intellectum paſcere deſideramus,

Eſth. 14.

Eſtheris iudiciũ de voluptatibus mundi.

Pſalm. 67.

Voluptas ſpiritualis variorum Sanctorum

Pſalm. 30.

Lucæ 14.

ramus, hic eſt in quem deſiderant Angeli proſpicere: ſi voluntatem & affectum, hic eſt cuius amore ſponſa languet in Canticis. Si ſenſuum oblectamenta venamur, ſunt & ipſa ſumma, ſed ſpiritualia, ſed diuina. Hîc eſt candor lucis æternæ, ſed quem non capit locus: hîc dulcis melodiæ ſonus, ſed quem non rapit tempus: hîc aromatum ſuaueolentia, ſed quam non ſpargit flatus: hîc mel & manna, ſed quod non minuit edacitas: hîc non membra acceptabilia carnis amplexibus, ſed caſta adhæſio, quam non diuellit ſatietas. Et fieri tamen poteſt, cùm hoc tempore hæc tam ſplendida tamque delicioſa menſa in medio propoſita ſit, tantam eſſe hominum dementiam, vt circa Babylonis triclinia micas & fruſtula mendicent? Abſit hoc à vobis, Auditores: quin potiùs *guſtate & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus.* Dilatate ſinum cordis veſtri, & Deus implebit illum, non profanæ voluptatis ludibriis, ſed caſtiſſimâ ſuauiſſimâque delectatione; non famis ac ſitis irritamentis, ſed ſolidis epulis æterni deſiderij noſtri palato reſpondentibus: quas qui ſemel guſtauerit (liceat mihi cum D. Bernardo philoſophari) neſcio an horribilius pœnaliúſve iudicet inferorum flammis ad tempus excruciari, quàm iis deſertis fæces denuò mundanarum voluptatum ſorbere, ſenſuumque inexplebilem repetere curioſitatem. Sed heu me miſerum! quòd ieiunum cor meum nihil dignum tantâ ſuauitate concipit, quòd inſipidum palatum meum tam bonæ cauſſæ præuaricatur, prohibetque ne guſtum aliquem tantæ ſuauitatis in vos transfundam. Idipſum queritur ac deplorat D. Auguſtinus, ſocordiam ſuam accuſans, dum piâ commentatione recolit quartum Regij Prophetæ Pſalmum, O ſi potiora guſtent ij, qui *volentes,* inquit, *gaudere forinſecus, facilè euaneſcunt, & effunduntur in ea quæ videntur & temporalia ſunt, & imagines eorum famelicâ cogitatione lambunt! Et ô ſi fatigentur inediâ, & dicant: Quis oſtendet nobis bona? & dicamus, & audiant, Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine. O ſi viderent internum lumen æternum! quod ego,* inquit, *quia guſtaueram, frendebam, quoniam non eis poteram oſtendere, ſi adferrent ad me cor in oculis ſuis foris à te, & dicerent: Quis oſtendet nobis bona?* Et quid tandem oſtenderes, Auguſtine? *Quoniam tu mihi Domine dulceſcere cœperas, & dederas lætitiam in corde meo. Nec volebam multiplicari terrenis bonis, cùm haberem in æternâ ſimplicitate aliud frumentum, vinum & oleum. Et clamabam in conſequenti verſu, clamore alto cordis mei: O in pace! ô in idipſum! ô quid dixit, Obdormiam & ſomnum capiam? Quoniam quis reſiſtet nobis, cùm fiet ſermo, qui ſcriptus eſt, Abſorpta eſt mors in victoriâ?* En ſpirituale conuiuium, cui orantes Pſalmoſque ruminantes accumbunt viri ſancti, nec ſe nec voluptatem ſuam capientes. Quid ſimile huius Babylonis, cuius omnis oblectatio fœda eſt, momentanea, caduca; &, quod caput eſt, ſi te largiùs inuitaueris, plerumque animæ pernicioſa, & cum interno cruciatu coniuncta,

Occultum quatiente animo tortore flagellum?

Arridet illa quidem blandiuſculè, gemmis auroque perniciem propinat, pellacibuſque verbis ingeminat, Euge bibe, euge bibe. Sed non veniat vmquam nobis tanta dementia, vt, relictis fontibus Saluatoris, præſentiſſimam animæ noſtræ peſtem haurire malimus; præſertim dum cæleſtis

Senſuum oblectamenta ſpiritualia.

Aug. l. 10. Conf. cap. 6.

Pſalm. 33.

Lib. 9. Conf. cap. 4.

Deliciæ ſpirituales explicari non ſat poſſunt.

ſtis conſolationis venæ nobis ſcaturiunt. Namque ecce præ foribus eſt ſacri ieiunij tempus, id eſt (vt ego quidem interpretor) ſanctiorum deliciarum nundinæ: & erit quaſi hortus voluptatis terra coram eo: *germinabunt ſpecioſa deſerti, & implebuntur areæ frumento, & redundabunt torcularia vino & oleo, & comedetis veſcentes, & ſaturabimini: & laudabitis nomen Domini.* Et ſi fortè non omnibus ſumma illa felicitas obtinget, at certè nemo à Deo ieiunus, nemo famelicus abibit. Quemadmodum enim amœniſſimum illud aſtrum vniuerſi, aërem, ſi purus eſt, perfectè illuminat; ſin autem nubilus aut caliginoſus, non ideò nihil impertit luminis, ſed tantum immittit radiorum, quantum denſitas illa admittit; idemque ſe per rimulas in domum infundit, quantum earum patiuntur anguſtiæ: ita Deus, cuius natura non minùs prona atque expedita eſt ad communicanda diuina ſolatia, quàm ſolis ad ſpargendos radios, tantum nobis impertiet gaudiorum, quantum deſiderij noſtri fames ac ſitis anhelare, aut quantum aperti pectoris noſtri ſinus poterit amplecti. Agite ergo, guſtate & videte, quàm ſuauis ſit Dominus: & quantumcumque vel quantulumcumque ſpiritualium deliciarum vobis communicatum fuerit, tale proculdubio erit ac tantum, vt facilè omnem profanæ voluptatis ſenſum poſſit exſtinguere. Guſtate, inquam, ipſi vos, quàm ſuauis ſit Dominus. Ego enim tametſi id hactenus incompoſitâ meâ balbutie eloqui conatus fuerim; ſi tamen aut cogitatione conſequi, aut verbis explicare me poſſe confidam, fruſtrà ſim. Vos itaque guſtate: & cùm prorumpentes ex vberrimæ conſolationis guſtu lacrymæ iudices incorrupti, inter ſanctiores has ac profanas illas voluptates ſententiam tulerint; tum demum non abſque amoris teneritate ex imo corde ſuſpirabitis, ſerò vos in cognitionem tam inuſitatæ dulcedinis deueniſſe: tunc nihil vobis in poſterum commune cum fluxis & caducis mundi ludibriis eſſe cupietis: tunc denique diuinioribus paſti deliciis, & æternæ beatitatis dulcedine, quantum mortali fas eſt, prælibatâ, hoc epiphonema crebro ſermone vſurpabitis: *Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati ſunt! Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ* Domine: *& torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Dixi.

Ioël. 2.

Deus pro cuiusque capacitate ſe communicat.

Apocal. 19.
Pſal. 35.

ORATIO QVINTA.

De ſcholis, quas magno Reipublicæ bono Societas aperuit.

CVm admirabilem illam viuendi rationem memoriâ nuper repetebam, quam Ignatius ab armis & tubarum clangoribus ad nouum bellandi genus diuino inſtinctu euocatus ſuſcepit; eumque videbam natu grandem, ſtirpe nobilem, rebus fortiter geſtis glorioſum, è caſtris per tot dignitatis & militiæ gradus ad litterarum prima tirocinia deſcendiſſe; neque pro ætatis conditione, ac ſplendore generis, priuatim eſſe inſtitutum, ſed publicè, in ſcholâ, ante oculos omnium, ſquallore paupertatis obſitum, inauditâ prorſus negligentiâ ſui, inter puerorum greges conſediſſe; huc omne principium ſcholarum, quas à Societate aperiri iuſſit, referri poſſe arbitrabar. Sic enim cogitabam, Deum Opti-

Origo ſcholarum in Societate.

Optimum Maximum eximiæ ſubmiſſioni præmium in terris etiam aliquod interdum dependere, quo quidquid præceſſit abiectionis atque contemptus, velut inſperatâ quadam repentinâque luce diſſipetur. Quâ in cogitatione mihi veniebat in mentem, certò credere (quantum quidem fas eſt homini diuini conſilij cauſſam rationemque cognoſcere) hanc Ignatium à Deo tuliſſe mercedem, vt ingeniorum cultus, bonarum artium vigor, honeſta iuuentutis inſtitutio, ornamenta virtutis, præmiorum ampliſſimorum gloria, innumerabilium ſcriptorum doctiſſima monumenta illius ſtudiis virtutique commiſſa creditaque fuiſſe viderentur. Ex quo profectò intelligi debet, quanta in illo ſubmiſſi animi exemplo ſit laus, cùm in extollendo tanta ſit gloria. Quid enim, ſi non populares atque vanas opiniones, ſed ſapientum iudicia conſulamus, ſiue ad dignitatem maius, ſiue ad fructum præſtabilius eſſe poteſt, quàm puerorum mentes, ceu puras tabulas, virtutum ac doctrinarum coloribus imbuere, qui indies pulchriùs effloreſcant; ingenium latens ac pigrum in lucem & curricula mentis extrahere; hortando bonam indolem erigere, emendare deprauatam; vitia quibuſcum naſcimur reſecare, virtutes inſerere; neque iam parcâ manu aut viritim, ſed effuſo ſinu & per agmina diſperſis ingeſtiſque beneficiis ciuitates, prouincias, orbem vniuerſum obſtringere? Et fecit id certè Ignatius cumulatè, cùm in tot tamque diſtractis terrarum oris publica litterarum virtutumque diſcendarum conſtituit domicilia; in quibus ea traderentur, quæ ad beatum Rerumpublicarum ſtatum deſiderare poſſent illi, qui eaſdem erexerunt. Neque enim vllus vmquam eorum, vt id primùm generatim dicam, illud magnopere curauit, vt ædificiorum lapides ad fundamenti firmitatem, aut faſtigij ſpeciem, artificum operâ benè apteque formarentur: ſed hac in re atque curâ cogitatio eorum & mens tota verſabatur, vt ab optimis præceptoribus puerorum animi liberalibus ſtudiis & moribus expolirentur. Hoc vrbium & prouinciarum appellabant firmamentum: hoc conditarum legum auctoritate ſpectabant: hoc vrgebant publicis priuatiſque ſermonibus: hinc dicebant ornamenta pacis, hinc belli præſidia peti oportere. neque fieri poſſe credebant, vt non labem faceret, ac graui ruinâ conuelleretur Reipublicæ moles, ſi in altum aſſurgeret hoc priùs fundamento minimè ſtabilita. Nequeo vetera illa ſapientum, quàm grauia ſint, hac de re iudicia memorare: nouum tamen atque in Belgio datum ab Alexandro Farneſio fortiſſimo Imperatore, quem ætas noſtra vidit, cùm in medium profero, nolo me tam parum intelligentem quiſpiam exiſtimet, vt, quantum commendationis habeat, non attendam. Tua quidem ſunt omnia, Heros inuictiſſime, & dicta ſapienter, & facta generosè: at cùm dicere ſolebas, te Societatis conſtitutum in aliquâ vrbe Collegium arci munitionibus validæ, & à milite omnique apparatu bellico inſtructiſſimæ, anteferre; vehementer metuo, ne extollendi nos inflammatus cupiditate libentiùs hoc in nos contuliſſe videaris, quàm veriùs. Magna enim erat tua de nobis exiſtimatio, beneuolentia in nos ſingularis: cumque in propugnandâ Religionis atque Regis cauſsâ triumphale per Belgas ſignum explicabas, in pugnarum tuarum & triumphorum fructum ipſa quoque

Scholarum fructus.

Alexandri Farneſij iudicium de Societate.

que Societas, te iubente, veniebat. Quocircà ſubuereor, ne ingenium illud tuum, tametſi peracre & ſpectatiſſimæ virtuti par, tamen ad belli artes à naturâ factum, in hoc Collegij ſcholarumque noſtrarum præconio amore leuiter præſtrictum fuiſſe videatur. Minimè, inquit: imò verò quid arces vrbibus conferant, quid in iis milites bonâ diſciplinâ exercitati valeant, noui: neque tamen bellicæ artes, in quibus me non inficior mediocriter eſſe verſatum, ita penitus ab iis quæ ad humanitatem pertinent, ſunt diſiunctæ, vt, quid iuuentutis quotidiana in ſcholis exercitatio ciuitatibus conducat, conſequi non poſſim. Vt hoc capere me conuincam: tolle hanc arcem, tolle hoc præſidium vrbibus, conſtitue nihil eſſe curæ, vt diſcendi ſcribendique labore exerceantur ingenia, iaceant Humanitatis ſtudia (quem quaſi gradum atque aditum ad ceteras diſciplinas facere omnes debent) nemo vocem geſtumque ludicrâ atque vmbratili meditatione moderari doceatur, nullus ſub hæc pietatis ſenſus, nulla virtutum teneris animis cupiditas inſtilletur; iam omnem ſacri profanique Magiſtratus auctoritatem, iam humanarum diuinarumque legum interpretationes, iam omnem in regendis ciuibus æquitatem iſtâ ratione præcluſeris. Cùm enim illi ex iuuentute exceſſerint, & qui paruerant hactenus (quamquam de illis hoc vti verbo non debui, qui Magiſtrorum ſoluti imperio, non niſi effrenatis cupiditatibus paruerunt) verumtamen cùm qui paruerant, imperabunt, cùm pro ſalute publicâ ſtandum erit, cùm tenendus imperij clauus, cùm terrores, iniuriæ, minæ, vulnera, exitia propulſanda, vllúmne florentis beneq; conſtitutæ Reip. veſtigium retinebitur? Cùm milites adeò inexercitati fuerint, ſatíſne validis arcibus & propugnaculis ciuitatem inter furioſorum hominum incurſiones, circumuallatum iri exiſtimamus? formidoloſiſſimorum temporum obortâ tempeſtate, auguramur fore, proſperum vt curſum nauis teneat, iis ad gubernacula conſidentibus, qui non modò procellas ac turbines non prouidere, ſed, quia in tenebris vitiorum & ignorantiæ ſemper iacuerunt, ne lucem quidem virtutis ac ſapientiæ ferre poterunt? Reipub. corpus cùm vulneribus confoſſum ac morbis debilitatum languebit, ſatíſne peritè obligari confirmarique poſſe credimus à Medicis tam parum inſtructis, vt ad cetera vulnera, quibus publica ingraueſcunt mala, hanc quoque mortiferam plagam infligant curationis ſuæ? Non poteſt dici ſatis, ne cogitari quidem, quantum perturbationis ac ſceleris, quæ direptiones, quæ peſtes, quæ naufragia euentum huius conditionis meæ ſequerentur. Quapropter illud maneat & fixum ſit, primæ ætatis inſtitutionem, ſi Rempublicam ſaluam volumus, funditus eſſe neceſſariam. Quam quidem neceſſitatem cùm ſemper magnam, tum ſanè haud paulò maiorem ſub exortam Societatem, miſerrimorum temporum acerbitas fecit. Etenim vt illorum memoriam repetamus (neque verò cum moleſtiâ ſuſcipitur præteriti morbi recordatio, quando eſt omnis iam pridem ægritudinis diſcuſſus dolor) vt, inquam, repetamus ſuperioris ſæculi primordia & ſtatum; magnus ſine dubio doctrinarum artiumque liberalium erat neglectus, magna hinc conſecuta Religionis ac diuini cultus incuria, inclinatio rerum & temporum magna. Vos templorum aræ atque exedræ appello ac teſtor,

Societas inſtar arcis muniтiſſima.

Scholarum neceſſitas.

quæ tum erat à Sacerdotibus, quæ à ſacris Oratoribus ſolitudo? quàm rara tribunalia arcanis conſcientiæ retegendis deſtinata? quæ hominum eruditorum raritas? quàm pauci potenti illo atque magnifico dicendi genere in concionibus aut languentem populum incitare poterant, aut effrenatum moderari? Qui interim hæreticorum feruebant impetus? qui latratus? quæ animorum nutantium iactatio? qui quaſſati Imperij metus? quæ rerum impulſarum ſuſtinendarumque præſidia? Vix vſquam vigebant in vrbibus litteræ: ſumma paſſim erat non vitæ ſolùm, ſed orationis Latinæ fœditas: incorruptam ſermonis integritatem diſcerpſiſſe barbaria videbatur: veteres illi ornatiſſimique ſcriptores iacebant in tenebris, indigno ſitu obducti, ac propemodùm exeſi: poëſis, illa inuentionum parens,ac deliciæ litterarum, ab hebetatis, fractis, contuſis, tardis ingeniis ſpernebatur: oratoria facultas, illa regendarum vrbium præſes, & ſcientiarum omnium ornamentum, formam ſui & imaginem vbique requirebat. O tempora illa probri & dedecoris noſtri plena, quibus furioſus vnus & alter gladiator, linguâ, manu, vitâ omni inquinatus, cùm in concionem fucatâ quadam eloquentiâ armatus veniſſet, & id temporis inſolita ornatè loquendi ratio admirabilitatis multum haberet, ita primo ſtatim aditu audientis populi ſtudia voluntatesque ſibi conciliaſſe dicitur, vt,niſi de loquacitate ratio, de impietate Religio, veritas de mendacio per ſe ipſa omnibus tacentibus triumpharet, os omnibus oppreſſiſſe, & palmam de manibus noſtris extorſiſſe videretur! O ſpectaculum illud non modò hominibus, ſed ipſis etiam templorum parietibus atque ſubſelliis luctuoſum, ſtetiſſe nonnumquam ad aras eos homines ac perlitaſſe, qui non dico dignitatem ſuam mediocris ſaltem doctrinæ exiſtimatione vtcumque ſuſtinerent, ſed qui ea quæ ritè pronuntiare tenebantur, omnino non intelligerent.

Sacerdotum indoctorum contemptus.

Ecqua erat illa labes, cùm ſacri Ordinis amplitudo atque maieſtas, quam tantam olim fuiſſe meminimus, vt Imperatores ſceptra & laureatos faſces illi ſubmitterent, hucuſque reciderat, vt (ſi quis fortè ſtomachari cœperat) inter parata conuitia Sacerdotis nomen locum aliquem inueniſſe, ſuâque contumeliâ non vacare putaretur? Fuit illud quidem, fateor, fuit hæreticorum & perduellium hominum acerbitati & impotentiſſimo furori tribuendum: qui quia Romanis ſacris ac delubris atrox & teterrimâ perfidiæ maculâ imbutum bellum indixerant, tum præcipuè in homines aris deuotos impudentiùs debacchati ſunt: vt, cùm illorum auctoritatem & famam apertè palamque peſſumdediſſent, tum quidquid eſt in ſacrificiis auguſtum atque diuinum, eâdem machinâ impetuque conuellerent: tamen. ſed cohibebo me, neque committam, vt petulantiſſimorum hoſtium impietas iuſtam exprobrandi cauſſam habuiſſe videatur. Itaque litteris apud iuuentutem obſoletis,obſoleſcebant vnà cum illis non ipſa tantùm Humanitatis ſtudia ſed etiam pietatis.

Virtutum & litterarum cognatio.

Magna eſt enim illorum inter ſe & propinqua cognatio, magna neceſſitudo, vt neque virtutis plerumque guſtum habeant qui litteras, quibus imbui penitus debuerant, non guſtarunt; & diuinarum rerum ſuauitate capi ſe ſentiant, qui nuſquam ſuauiùs, quàm in ſtudiis conquieſcunt. Nam vt omittamus de hiſce temporibus cogitand-

tando recordari, vno adſpectu intueri poſſumus peregrinas gentes, quæ quò minus habent litterarum, eò plus habent inhumanitatis, & ad tardas languidasque pecudes propiùs accedunt. Et apud populum illum, barbararum omnium victorem dominatoremque nationum, de quo meritò dubites fortiórne olim fuerit ad gerendum, an ad ſcribendum ornatior, qui dies illi benè ſcribendi, idem finem pariter attulit benè rem gerendi: neque priùs bellica illa fortitudo neruos ac robur perdidit, quàm eloquentia ſucco & ſanguine deſtituta contabuit. Iam verò ſi ſcholæ noſtræ hoc attulerunt commodi & ornamenti, quòd Græcis Latinisque litteris ſuus redditus ſit vigor; ſi tanta doctorum hominum nunc eſt copia, vt non, quemadmodum olim, initiati ſacerdotiis, ſed ſacerdotia initiatis deſint; ſi ex hoc primùm fonte profluxit, quòd in templis, in roſtris, in curiâ, in omnibus Reipublicæ partibus ampla atque excelſa eloquentia dominetur, & ad omnes hæreticorum impetus, quaſi murus quidam, eximia rerum humanarum diuinarumque ſcientia opponatur; quid eſt, quòd felicitati temporum noſtrorum gratulari, Deoque ſolennes gratias habere dubitemus? Mihi quidem, cùm identidem incurrit in oculos ille à Societate tam vtiliter ſuſceptus in ſcholis labor, maximarum lætiſſimarumque rerum perfuſus cogitationibus effloreſcit animus, & (quoniam difficile non eſt loqui, cùm gaudeas) ipſa per ſe redundat oratio. Cùm enim ſcholarum noſtrarum commoda neque mediocria neque pauca diſpicio, cùm me per orbem vniuerſum latè longeque effero, cùm tot nationes diſciplinis atque artibus excultas obeo (nullus eſt tam diſſitus in terris locus, quò non celeriter penetret animus, qui ſe cogitationum ſuarum impetu lætitiâque abripi patiatur) cùm Vrbem illam terrarum principem ac dominam, & quamdam quaſi cæli coloniam ingredior: cùm hîc memini Gregorium Quintumdecimum imperium diuino proximum exercuiſſe, Sanctorum faſtis Societatis noſtræ conditorem Ignatium ritè inſcripſiſſe; eumdemque prorſus locum, eamque gymnaſij partem, quâ Rhetoricæ auditor conſederat, in aram ac templum illud auguſtum & ingens eſſe commutata, in quo excitando Eminentiſſimus Cardinalis Ludouiſius eius nepos non modò Principum, ſed Regum planè magnificentiam adæquauit: cùm nunc beatiſſimum populorum omnium Patrem & Moderatorem Vrbanum VIII. Pontificem Optimum Maximum proſtratus veneror ac ſuſpicio, à quo, tametſi ille mens & lingua CHRISTI non eſſet, tamen propter incredibilem rerum omnium ſcientiam oraculum petere orbis poſſet; cui Academia Romana eius opibus ornatior, ſapientiæ laudem & patrocinium debet; cuius eloquentia & poëſis illo melle eſt dulcior, quod apes in eius gentilitiis ceris ponunt: cùm deinde auguſtiſſimum Purpuratorum Patrum concilium ingreſſus, neque, vt Cyneas olim Regum, ſed quemdam Heroum cæleſtium conſeſſum intueri mihi videor: cùm hinc per Regna & Prouincias euagatus, in tot illuſtriſsimos Antiſtites cogitationem intendo, qui innumerabili Sacerdotum cœtu præſidioque ſtipati, de ſacrorum procuratione, de alienæ ſalutis tutelâ, de refrenandâ improborum licentiâ, de erroribus confutandis, de ethnici moris & ritus impietate abolendâ, de Eccleſiæ gloriâ,

Scholæ Societatis quid contulerint.

Greg. XV. ſcholam ſuam in templum conſecrari curauit.

Vrbani VIII. laus ex ſcientiâ & litteris.

riâ, de Regnorum pace, de tuendâ augendâque vitæ ſanctimoniâ perpetuò cogitant: cùm mecum ipſe reputo tot paſſim Oratores in concionem aſcendere, in hominem mentes influere, fidem facere, animos commouere, pro ſtudiis & plauſibus gemitus & lacrymas audientium excitare: cùm Cœnobia religioſiſſimorum virorum frequentiâ vbique completa video, qui laudes æterno Numini debitas diu noctuque concinunt, qui temporum & morum corruptelæ ſubueniunt, qui cæleſtem iram placant: poſt hæc, cùm ad potentiſſimorum Regum palatia & curias me conuerto, cùm illic video tot fortiſſimos ampliſſimosque viros, cùm bellicis laudibus, tum eruditionis gloriâ excellentes, partim populis iura deſcribere, legationes obire ac renuntiare, inteſtina bella componere, futurorum felicem exitum è præteritorum memoriâ petere, in cauſſis reisque defendendis ætatem laudabiliter conterere; partim periculoſis turbatisque temporibus non corporis tantùm, ſed multò etiam magis animi robore bella gubernare, quam ex litterarum ſtudio prudentiam ſibi compararunt, rebus adminiſtrandis impendere, trepidos nonnumquam ac nutantes exercitus eloquentiæ maieſtate à turpi fugâ ac defectione reuocare, maximorum denique conficiendorum negotiorum viam rationemque peruadere: ad extremum cùm bibliothecas excutio, cùm ſcriptas de Deo ac diuinis commentationes, ſacrarum interpretationes Litterarum, Religionis noſtræ controuerſa capita benè ſapienterque ſtabilita, tot de iure dicundo, tot de re medicâ, tot de Philoſophiâ doctiſsimos in lucem editos libros, tot hiſtoriarum præſtantiſſima monumenta, tantam ſcientiarum omnium ſupellectilem hoc vno ſæculo conquiſitam circumſpicio: cùm hæc aliaque ſexcenta mihi ante oculos pono, an non, vbi ad ſcholas animum retuli, ad principium & fontem ſuum reuocaſſe videor vniuerſa? Niſi fortè quis putet omnes illos ab facultatibus paratiſsimos tunc primùm muneribus ſuis pares derepentè fieri, cùm ad ea prouehuntur; neque vlli opus eſſe batuere antequam pugnet, parêre antequam imperet, in arenâ proludere antequam in aciem pulueremque deſcendat. Narrare ſolebat Antiphanes, neſcio vbi terrarum, in Vtopiâ, voces hieme prolatas hiberno Aquilone concreſcere, & quaſi gelu vinctas detineri, earumque ſonum tum demum articulatè ad aures accidere, atque in publico perſonare, cùm verno Zephyro vti cetera reſoluerentur: mihi verò adoleſcentum voces in ſcholis veriùs obrigeſcere atque adſtringi videntur; at vbi ingenij maturitas, & prudentiæ lux, & quaſi calor quidam acceſſerit, tum demum rigore illo diſſoluto, in grauiſſimorum munerum tractatione longè lateque perſonare. Quoties ipſi audiuimus cùm ſeria de rebus diuinis atque humanis tractatio incidiſſet, viros clariſsimos in has voces erumpere? Audiui in hanc rem aliquid à Magiſtro meo puer, quo mentem meam ad id re ipsâ præſtandum vehementer impelli ſentio; quod, dum animâ ſpirabo meâ, pectori huic infixum inhærebit. Reuiuiſcat Sebaſtianus illud Luſitanicæ gentis æternum deſiderium: & audientur, quas olim à præceptore Ludouico Conſaluo, Societatis noſtræ viro ſapientiſſimo, ſalutares voces puer excepit; in penetralibus & ſecretis adytis, in conſeſſu Principum, in Senatorum conuentu, in Regni Comitiis audientur: audiemus

E ſcholis Societatis magni viri.

Antiphanis ſententia ſcholis accommodata.

Reges & Principes Societatis diſciplinâ exculti.

diemus loquentem Regem, earum nationum quibus Religionis lux nondum affulsit, procuratorem solicitum, acerrimum scelerum vindicem, bonorum omnium studiosissimum defensorem. Si ex omni Imperatorum numero intuenti iam singulos vnus sit deligendus, qui singulari in Deum pietate, qui magnitudine animi, qui rebus benè præclareque gestis excelluit, qui in mediis atrocissimorum bellorum fluctibus non iactatus, non abreptus æstu, summâ semper tranquillitate vixit, qui demissione animi, qui vitæ castimoniâ, qui admirandâ in coniuratos etiam hostes beneuolentiâ orbi præluxit, quem Ferdinando II. anteponendum iudicemus? Nihilne verò illi disciplina nostra atque institutio contulit? Elucebat in puero indoles iam tum Imperio digna; at erat bonis præceptionibus conformanda. latebant in illo prudentiæ & fortitudinis semina; at labore & cultu educenda. habebat eius animus aciem suam, quâ intueri rectum posset; at debebat ab eruditione lumen accipere. Magna mihi esset memorandi copia, si alios Inuictissimos Principes, & Excellentissimos Heroas, qui suam in litteris ac moribus institutionem Societati acceptam referunt, percensere vellem numerando. si me intra Germaniam tantùm continerem; tamen me dies & vox ipsa deficeret in eorum laudatissimâ iuuentute celebrandâ. Dicerem Leopoldos, Carolos, Maximilianos Austriacos: laudarem Bauariæ Serenissimos Duces: proferrem è Septemuirûm Electorum numero Suicardos, Georgios, Anselmos Casimiros, priùs scholarum nostrarum auditores, postmodum Moguntinæ Ecclesiæ præsidia, Imperij decora, columina Religionis: dicerem in Comitiis Ratisbonensibus, quæ exacti sæculi anno quarto supra nonagesimum coëgit Rudolphus Imperator, sedisse maximi animi, summi consilij, singularis constantiæ viros omnino quadraginta, qui in illo nobilissimo conuentu (quo ea sunt comparata aduersus Turcas belli subsidia, quibus quadraginta Germanorum millia collecta sunt) suo iure suffragium tulerunt, quique olim Collegij Germanici quod in Vrbe habemus, alumnos se fuisse cum voluptate recordarentur. Quæ, aliaque quæ à me in hanc rem dici possent, cùm ad animum meum refero; angustis mihi videtur circumscripta regionibus Aristotelis gloria qui Alexandrum, Plutarchi qui Traianum, Frontonis qui Antoninum, Arsenij qui Honorium, Ausonij qui Gratianum, rudibus annis instituerunt, si cum eâ, quâ Societatem optimi maximique Principes afficiunt, conferatur. Neque verò adolescentiam illo litterarum ornatu atque præsidio instruere satis fuit Ignatio, nisi eamdem vt ætate, ita iudicio magis confirmatam, è ludo atque pueritiæ disciplinâ ad Philosophiam, ac præcipuè sublimem illam diuinarum rerum cognitionem, ad quam studia cetera diriguntur, pari fide diligentiâque deduceret. Nam quemadmodum qui longè lateque peregrinantur, alibi multo hærent tempore, alibi non item; vbi domum aduenerint, ibi demum consistunt, & quietem capiunt: ita in ceteris omnibus disciplinis alibi breuiùs, longiùs alibi immorandum; in illis verò rebus immortalibus ac diuinis, & Religionis nostræ arcanis perscrutandis contemplandisque, tamquam in extremo diuturnioris viæ termino, planè conquiescendum.

Etiam altiores scientias suos docere voluit Ignatius.

Atq; hæc in Academiis docendi prouincia quin Societati nostræ conueniens sit ac propria, dubitabit nemo, qui secum ipse cogitauerit, illam

non priùs natam esse, quàm Summi Pontificis auctoritate in Academiâ Romanâ, in illâ terrarum & veritatis arce, sapientiæque domicilio, publicum docendi munus singulari eruditionis & ingenij præstantiâ sustineret. Quid? adeóne hospes huiusce Ordinis, adeóne ignarus quispiam esse potest Instituti ac prærogatiui iuris nostri, vt nesciat quid Iulius III. quid deinde Pius IV. quid postremò Gregorius XIII. Romani Pontifices Societati contulerint potestatis? Num quis aliquando illud aut non audiuit aut legit, id illorum decretis atque concessu nobis licere, vt auditores nostri in iura dignitatemque Doctorum adscisci per nos possint? Atque hîc vehementer vos oro quæsoque, vt quod à me modò dicitur, & ignorari à nullo potest, non ex oratione verbisque meis, sed de se æstimetur: illos nimirum principum disciplinarum gradus, Magistri titulos, primores laureas, solennem in album censúmque Doctorum cooptationem ex vnius Pontificis auctoritate iudicioque promanare. Dubitabimus enim, cùm Athenis olim aduersus docendi sentiendique libertatem & corruptelam Sophocles legem illam sapienter tulerit, vt ne Philosophorum vllus sine decreto Senatus ludum aperiret; quin & illud multò magis caueat is, qui gentes omnes, vt rectè integreque doceantur, singulari curâ prouidentiâque complectitur? Est hæc igitur optimè stabilita nostra illa Academiarum instituendarum regendarumque ratio, quam non serò aut labentium annorum cursu excogitauit, quæsiuit, arripuit Societas, sed statim cum ortu ipso hausit, suscepit, exercuit. Nam quid ego illa diuina atque immortalia Tridentini Concilij iudicia commemorem, quibus tamquam gradibus mihi videtur Societas in cælum ascendisse, non solùm intra Regnorum & Prouinciarum sedes aditum sibi facilem comparasse? An aliquid ad Societatis tum primùm nascentis doctrinam orbi testandam dici excogitarique potuit illustrius, quàm illud? statutum illic fuisse omnium iudiciis eôdem concurrentibus, vt inter Theologos primus Salmeron, postremus Lainius sententiam diceret; ille ad earum rerum, quę disputandæ agitandæq; proponebantur, illustrem explanationem, hic ad moderandas temperandasq; sententias. Ille verò dies qui fuit, cùm Concilij Patres communi consensione cauerunt, ne in eum diem publici conuentus indicerentur, quo Lainius, quem quartana febris inuaserat, minùs valeret? Itáne frequentissimus ille consessus, & orbis terræ theatrum, ab vnius hominis ore & oratione pendebat, vt eo absente vel ad consilium dandum in rebus difficillimis, doctrinę, vel ad perorandum eloquentiæ subsidia desideraret? tantámne vnius ingenium lucem adferre Concilio potuit, vt, qui instinctu afflatuque diuino concitabantur, ij, priusquam de rebus in controuersiâ positis certi aliquid statuerent, vellent cognoscere quid vni & ægro quidem homini videretur? O eximiam illam & inauditam de te, Laini, orbis vniuersi existimationem! quam etsi fatear nullâ satis eloquentiâ deprædicari posse; hoc tamen dicam, & ita dicam, vt me Academiæ omnes, si fieri possit, exaudiant; meritò gratulari me posse illam à maioribus nostris partam gloriam iustis veluti tabulis, & erciscundæ familiæ iure, ad posteros conseruatam amplificatamque peruenisse. Quis enim admirari satis possit illam tam vastam tamque diffusam Suarezij eruditionem, quem communem huius ætatis Magistrum appellare viri sapientissimi non dubitarunt: quem Complutenses

Pontifex Societatem Romæ docere voluit.

Societas etiam gradus confert in Theologiâ.

Societas statim ab initio magnam habuit doctrinæ opinionem.

Concilij Tridentini de Lainio iudicium.

Suarij laus & aliorum Theologorum.

ſes Doctorem eſſe cupiebant ſuum, Romani ſuum vindicabant, Salmanticenſes repetebant, Conimbricenſes verò ſuum eſſe deſiderabant? Quis pro dignitate commemoret illam in Vaſquezio argumentandi vim, confutandi in Bellarmino robur, in Molinâ copiam explicandi, ſcribendi in Leſſio claritatem, in Cornelio interpretandi candorem ſingulari cum pietate coniunctum? Quis illa quæ poſteris reliquerunt ingenij monumenta dignè recenſeat, quæ in Academiis, in gymnaſiis, in templis, in Conciliis, in tribunalibus, in bibliothecis, in pectoribus denique doctiſſimorum hominum viuent, auctorum memoriâ ſempiternâ? Tantâ doctiſſimorum hominum copiâ cùm floreret Societas, & in ea incidiſſet tempora, in quæ omnium ſcelerum & deprauatarum opinionum maturitas eruperat, quæ Imperatorum, quæ Regum, quæ aliorum Principum exſtiterunt in nos ſtudia? quàm rarâ & longè communem egreſsâ modum benignitate id egerunt, vt Academiæ aut nouæ per nos erigi poſſent, aut collapſæ rurſus inſtaurari, aut frequentatæ reddi numero doctrinâque florentiores? Nam vt de florentiſſimis Academiis, quæ in Hiſpaniâ, Italiâ, Galliâ, Germaniâ, Belgio, magno iuuentutis ad lectiones etiam noſtras concurſu celebrantur, nihil dicam, ac de iis tantùm loquar quas illi nobis commiſerunt: ac primùm in Imperio Romano pedem figamus; Ferdinandus I. pius admodum Imperator, vt litteras, quæ cum Religione diffugerant, reuocaret, euocauit nos primùm ad Viennenſem, è quâ totos annos viginti conſtabat neminem ſacris initiatum prodiiſſe; deinde etiam ad Pragenſem: quarum nos in perpetuum Moderatores eſſe voluerunt partim Mathias I. partim Ferdinandus II. cùm in laceræ Germaniæ colligendo naufragio, litteriſque ab interitu vindicandis, toti verſarentur. Ferdinandus III. à Nortlinganâ victoriâ ad Auguſtam Vindelicorum obſidione cingendam conuerſus, inter triumphi ſui decora hoc quoque non minimum eſſe cenſuit, quòd Academiam iſtic prioribus ereptam poſſeſſoribus curæ noſtræ fideique permitteret. Ferdinandum I. à quo ſanguinem virtutemque hauſerant, imitati ſunt Sereniſſimi Archiduces Carolus ac Leopoldus, quorum ille Græcij, hic Molshemij, adminiſtrandas nobis tradiderunt diſciplinarum Vniuerſitates. Sereniſſimi verò Bauariæ Duces Albertus, Gulielmus, Maximilianus, cùm viderent ſine ſummâ virtute atque doctrinâ perfidioſæ & conſceleratæ ſectæ ſeditiones vel iam ardentes extingui, vel orientes opprimi non poſſe; ſperarunt ſe prouincias ſuas contra impetum quemuis fraudemq; tartaream reddere inexpugnabiles poſſe, ſi præſidium Ingolſtadio atque Heidelbergæ de noſtris hominibus imponerent. At quæ poſſit Carolo Cardinali à Lotharingiâ par oratio inueniri? qui poſteaquam Tridenti egregiam de Societate exiſtimationem conceperat, vt Caluinianis furoribus arcem firmiſſimam obiiceret, vnà cum Carolo Duce inuictiſſimo Muſſiponti munifico ac regio planè animo Academiam nobis dedit omnibus præſidiis communitam. Quid ego de Cardinalibus Truchſeſio, quid de Paſmanno dicam? aut quis de talibus Eccleſiæ ornamentis & propugnaculis ſatis dignè loquetur? quorum alter Dilingæ, alter Tirnauiæ, ne peſtifer hæreticorum afflatus ad iuuentutem aſpiraret, Academiis nobis traditis occurrendum putauerunt. Quid de Cardinale Turnonio Galliæ Primate? qui ad ſopiendas de Religione altercationes recèns inſtitutam

Academiæ variæ Societatis curæ commiſſæ in Auſtriâ, Bohemiâ, Germaniâ,

in Bauariâ,

in Lotharingiâ,

in Hungariâ,

in Galliâ;

ſtitutam à ſe Turnone Academiam, plurimiſque ornatam prærogatiuis, Societati perpetuò gubernandam tradidit. Neque verò poſſumus in illos Antiſtites ſatis vmquam grati videri, qui Moguntiæ, Treuiris, Herbipoli, Paderbornæ, Olomucij, Poſnaniæ, nos Academiis ſuis præeſſe voluerunt. Vobis quoq; hac de cauſâ gratias, quantas poſſumus, agimus, Colonienſes. nam ſatis ornatè agere nullo modo poſſumus. Iam verò ſi in Hiſpaniâ, in ipſis Regni Comitiis deliberatio fuiſſet habita, quid ad Regium in nos animum declarandum maximè faceret; an magnificentius aliquid atque præclarius nobis accidere potuiſſet, quàm id quod per ſe Philippus IV. fecit, cùm Madriti Lyceum illud auguſtiſſimum nobis tradidit, in quo potentiorem diſciplinæ tutorem ac Mæcenatem habere non poſſunt, quàm eum, qui Imperij magnitudinem ſolis ortu atque occaſu metitur? Henricus quoque Luſitanus Rex & Sacerdos, cui nihil tam charum aliquando, quàm Societas noſtra videbatur, ad Regni & Sacerdotij firmamentum, Eboræ eamdem onere iſto perhonorifico augeri ornarique voluit. Et, tu Parmenſium Dux Sereniſſime Farneſi, quantum nobis crederes, oſtendiſti, cùm non minùs bello quàm pace clarus, Palladis bellatricis per te, per nos verò ſapientis parmâ Parmenſem vrbem tuam tutam eſſe voluiſti. Immortalitati nomen etiam ſuum hoc æterno beneficio dedicauit vir ſummus Ioannes à Vega, qui ex Caroli V. apud Pontificem Maximum Oratore Siciliæ Prorex factus, magno Regni totius bono Meſſanæ vrbe opulentâ & portu opportunâ, vt Academia à nobis conſtitui poſſet, impetrauit & auctoritatis & orationis ſuæ diuinâ quadam grauitate. Tu verò, beate Borgia, cùm Academiam Gandienſem tuis ipſe fundabas opibus, quid cupiebas? quid optabas? qui ſenſus erat gymnaſij tui, cùm vnum conditorem te & diſcipulum habebat? quæ tua mens, qui ardor animi, cùm Ignatij Parentis noſtri cohortatione ad maiorem in Theologico ſtudio ponendam operam te incitari ſentiebas? Nempe iam tum Religionis ſanæque doctrinæ diuulgandæ deſiderio inflammabaris: & quidquid Ignatius Academiarũ inſtitutione, quidquid erudiendæ iuuentutis laboribus moliebatur, id quoque præcipiebas animo, ac videbas quantum ex illo diuino conſilio in Reſp. boni redundaret.

Aliæ in Germaniâ, in Hiſpaniâ, in Luſitaniâ, in Italiâ.

O Deus immortalis (tibi enim tribuam, quæ tua ſunt: nec verò poſſum vnius Ignatij ingenio tantum dare, vt res tantas, tam varias, tam opportunas in illâ turbulentiſſimâ tempeſtate orbis Chriſtiani ſuâ ſponte diſpexerit) tu, cùm illius animum à ceteris cogitationibus ad vnam ſalutem Eccleſiæ contuliſſes, eumdem adoleſcentiam informandi præcipuo quodam ardore incendiſti: tu in hac re aggrediendâ clariſſimum lumen illius menti prætuliſti: per te vidit, non potuiſſe Rempublicam in tantâ temporum improbitate aut faciliùs aut commodiùs portum ſuorum malorum aliquem inuenire, quàm ſi Magiſtri teneris & adhuc innocentibus animis pulchritudinem dignitatemque virtutis continenter obiicerent. Quare gaudet orbis vniuerſus tuo iſto tam excellenti bono, & fruitur cùm Societatis labore, tum honeſtate & eruditione inſtitutæ iuuentutis; eoque cùm gratias tibi agit & habet immortales, tum hoc vnum optat, vt ab iis quos firmatâ iam ſtirpe virtutis florentes videt, fructus vberes capiat ac diuturnos.

EXER-

EXERCITATIO POETICA.

ODE DE CLARIS CONCIONATORIBVS, FRANCISCO STRADA, BENEDICTO PALMIO, PETRO CANISIO, EDMVNDO AVGERIO, QVI EVROPÆ PER HÆRESIM PERICLITANTI INSIGNEM OPERAM NAVARVNT.



Vditis? acri classica murmure
In arma gentes impia suscitant:
Eheu! cruentus decolores
Voluit aquas Arar & Garumna,
Quà Rhenus ingens, quà mare Balthicum,
Pinguesque campos Danubius secat,
Commota sæuo Marte tellus
Sanguineis trepidat sub armis.
Incumbit orbi nox Acherontia:
Ferale portentum! imminet, imminet
Cocytus eluctatus atris
Vorticibus, superasque tentat
Inuadere auras: scilicet impio
Lutherus ausu prælia concitat,
Gentesque commissosque Reges
In scelus exitiumque vertit:
Iam nunc atroci turbine patrias
Subuertit aras, templa solo ruens
Caluinus: aude, stringe ferrum:
Pœna comes minuet furorem.
In sacra Reges surgite prælia:
Iniurioso proruat impetu
Sacræ columnam veritatis
Hæresis impietasque victrix?
Frustrà minatur sub duce transfugâ
Cædem & ruinam exercitus insolens:
Ite, ite; pugnacemque in hostem
Auspicibus capite arma Diuis.
Cælo obstrepentes sponte ruunt suâ.
Contra tonantem Centimanus Gyges,
Cælumque conuellens Typhœus,
Terrigenæque stetêre Fratres.
Sed quid superbus profuit impetus?
Vno scelestos fulmine perculit:
Iam Pelium frondosum opaco
Pœnitet imposuisse Olympo.

Lentè in nocentes vindice dexterâ
Trisulca torquet tela Diespiter:
Si pergis irritare, iustos
Criminibus geminabit ictus.
Hæc Strada sacris vocibus intonat:
His incitatus Palmius Italas
Perstringit Alpes: te Canisi
Mosa suis stupuit sub antris,
Rhenusque turpi sanguine turbidus:
Hunnus docentem Barbarus horruit,
Et fautor errorum Batauus:
At melior coluit Sicamber.
Non tela vibrat, non rutilo caput
Includit auro; non adamantino
Thorace loricâve tectus,
Non clypeo, ruit arma contra:
Sed bellicoso pectore prodigus
Pulchri cruoris spiritus emicat:
Hoc erubescendos coërcet
Militis & populi furores.
Hoc vnius iras sustinet hostium,
Et pertinacem pugnat in hæresim.
In vulnus assurrexit ensis?
Voce manum retinet minacem.
Talis per vdam (credite vatibus)
Porrectus herbam, quà tenerum atterens
Gramen citatus lambit Hebrus,
Flumine nil metuente sisti,
Canebat Orpheus Eurydicen pius:
Motusque cantu est illacrymabilis
Orci tyrannus, quin & ipsis
Cum furiis gemuere manes.
Tunc Hebrus vrnam pressit, & vuidum
Caput reflexo sustulit alueo:
Fleuêre cum siluis cupressi, &
In numerum saliêre colles.
Non semper ensis, non furor impius,
Non missa certo spicula pollice
Lauru coronantur superbâ:
Caussa suos numerat triumphos.
Testis furori cedere nescius
Edmundus, acris militiæ rudis;
Sed voce formidatus vnâ,
Quâ populum domuit superbum.
Quis ille, Diui, pectoris impetus!
Seu bella tetris flagitiis mouet,
Seu vocibus mauult acutis
Hæreticos aperire nexus;

Seu sacra gentes numine percitas
In bella ducit: non secùs horridi
Martis micantes in cateruas
Cogit equos tuba rauca cantu.
Hic nempe linguâ & consilio potens
Accendit iras: agmina Numini
Infesta coniurasse cerno
In scelus & patriæ ruinam.
Eheu! Sacerdotum & nece virginum
Cœptis litatum est: clangite buccinis.
Si sæuit irritata raptis
Impatiens catulis leæna,
Ducet choreas, carmina diuidet
Segnis iuuentus? tinget & ebrium
Fuso pauimentum Lyæo
Ad calidas furiosa rixas,
Trementis inter vulnera patriæ
Arasque Diuûm, proh! miserabili
Versas ruinâ? sera tantum
Posteritas scelus expiabit:
Lentas auorum nil meriti luent
Iras nepotes: sistite patriæ
Cladem, inuerecundumque ferrum
Cælituum prohibite templis.
Nî culpa nascens ense reciditur,
Neglecta magnis creuerit auctibus:
Ludo fatigauisse inerti
Indecorem, ah! pudeat iuuentam.
Deo dicatum fundite sanguinem,
Hinc laurus olim debita vos manet:
Hinc nomen, æternique honores
Emeritæ venient senectæ.
Dulce & decorum est pro Superis mori,
Et teste cælo viuere: plus nihil
Optare, nil patrare virtus
Ipsa potest. Satis ille vixit
Qui prima templo victima concidit.
Vixisse lapsâ qui potuit Fide,
Arasque Diuorum iacentes
Stare super, cadit ante mortem.

ALEXIS, IDYLLION.

Corydoni gregis ſui calamitates, agrorum ſterilitatem, luporum inſidias, luem graſſantem deploranti, Galeſus omnia ab Alexi filio ſuo in melius commutanda prædicit.

Allegoricè ſignificatur, populum Chriſtianum hæreticorum inſidiis, & pernicioſâ lue, oppreſſum, Societatis ab IGNATIO inſtitutæ, doctrinâ in melius reſtituendum.

DVm tibi ſolennes alibi longo ordine pompas
Purpurei Romæ Proceres per compita ducunt
Sancte Pater, tuaque Auſonij grauiore Poëtæ
Plectro facta canunt, nos inferiore Mineruâ
Non animis (neque enim ſtudiis concedimus vlli
Aut animis, tantùm vires maioribus auſis
Sufficiant) quando non omnia poſſumus omnes,
Hoc ſaltem tenui modulamur arundine carmen.
Tu modò ſeu dominam ſeptem cum collibus Vrbem
Terrarum quondam cernis caput, & tua læto
Templa Patrum populique vides feruere tumultu;
Seu procul Eoo pulſatas æquore terras,
Sinarumque vides fines, & Iaponis aruis
Chriſtiadûm duros pro Relligione labores
Aſpicis, & vires cælo certantibus addis;
Seu vaſtas ſiluas Braſilûm, curaſque tuorum
Sole ſub occiduo, & magnorum plena laborum
Fluminaque tractuſque maris terraſque tueris,
Accipe naſcentis, duce te, præconia cœtus,
Præcipuè ætatis curam puerilis, agreſti
Expreſſam, gregis exigui ſub imagine, verſu.
Paſtores ouium, Lycidas ſeniorque Galeſus,
Et Corydon, patremque ſuum comitatus Alexis,
Ibant ad primi ſurgentia lumina ſolis,
Ducebantque pecus ſtabulis, & carmine mœſto
Arentes herbas, & ſiccis gramina campis,
Suſpenſaſque diu pluuias, & noxia brumæ
Frigora, & immodicos æſtiuis menſibus ignes
Flebant, ah, miſeri, & Superos meliora rogabant.
Hîc Lycidas tenues cerâ dum nectit auenas,
Exploratque ſonos digitis, aptatque canendo,
Incipit imparibus Corydon ſua carmina cannis:
Quid meruiſtis oues placidum pecus? impius agris
Dente lupus prædam, cumeris vulpecula clauſis
Inuenit, & magnos paſcunt armenta leones:
Vultur edax pullos, pullos rapit vnguibus vncis
Miluius, accipitri timidæ ſunt præda columbæ.

Quid

Quid meruistis oues placidum pecus? at neque vobis
Exustæ nimiis cæli feruoribus herbæ
Iam præbent alimenta: altis in montibus humor
Deficit, occulti lædunt in vallibus angues.
Quid meruistis oues placidum pecus? inuia fetas
Antra tegunt tigres, siluis aper arduus altis
Errat, inaccessis habitant in rupibus vrsi:
Arboribus volucres, aut summi vertice saxi,
Aut inter dumos secura cubilia ponunt.
Quid meruistis oues placidum peeus? at neque vobis
Tuta die campis statio est, & ouilia ferâ
Nocte lupi vastant, ouium sub vellere tecti.
Quid meruistis oues placidum pecus? icta veneno
Cerua leuis fontes, dictamnum saucia telis
Quærit, & agrestes norunt sua gramina capræ:
Ipsæ etiam volucres herbas nouere salubres;
Et sua sunt gruibus, sua sunt medicamina coruis.
Quid meruistis oues placidum pecus? at neque vestris
Nota malis medicina; ipsos cum matribus agnos
Dira lues tamen vrget: opem Deus æthere ab alto
Ni ferat, inficient ipsos contagia tauros,
Forsitan & miseros pecudum post fata magistros.
Plura parabat: at in medio sermone Galesus
Os oculosque Deo plenus, quo sæpè doceri
Olim venturos rerum & prædicere casus
Sueuerat inspirante senex: Quæ me ad mala rursum
Abripis, ah, quænam hîc iterum discrimina cerno?
Ecce venit, venit extremâ metuendus ab Arcto,
(O pueri seruate gregem) venit anguis ab Arcto
Ignem oculis, ignem patulo de gutture spirans.
Tuque prior cape tela manu, te poscit, Alexi,
Iste labor. simul hæc, puerum simul accipit vlnis,
Imponitque sinu lacrymans, atque oscula figit.
Fortunate puer, ergo tibi fata dederunt
Præcipuè talem terris auertere pestem?
Dicite, io, lætum, Pastores, dicite carmen.
Ille quidem spumis, & nigri tabe veneni,
Hercynios propter saltus, & flumina Rheni,
Inficiet pecus infelix, & pascua læta
Pannoniæ, & septem labentem cornibus Istrum,
Atque Ararim, Rhodanumque, & turbida stagna Lemani.
Sed tu perge ferire puer, & mittere tela
Aduersum, & calamos (calamis ea bella gerentur)
Stringe manu: nec tu fumantia sulphure fœdo
Ora, nec exsertæ metuas tria spicula linguæ.
Tantùm aude: sperata manum fortuna sequetur.
Dicite, io, lætum, Pastores, dicite carmen.

Tunc tibi cura sit in geminas discernere partes
Prima gregem, & medicas affer languentibus herbas,
Pestis & vlteriùs ne serpat dira, caueto.
Dicite, io, lætum, Pastores, dicite carmen.
Nec tibi turpe puta, sero iam vespere siluis
Errantem, & latè per deuia rura vagantem,
Ad stabula & caulas ouium, & præsepia nota,
Aut humeris agnum, aut manibus gestare capellam.
Dicite, io, lætum, Pastores, dicite carmen.
Quas tu deinde, puer, segetes, quàm densa videbis
Gramina, & in lætis pecudum quot millia campis!
Quas si quis numerare velit, priùs æthere puro
Noctibus hybernis rutilent quot sidera, dicat,
Quot folia in siluis, tumido quot in æquore fluctus,
Littore quot conchæ, quot sint in amore dolores.
Dicite, io, lætum, Pastores, dicite carmen.
Tunc tibi deuoti comites, tua per mare magnum
Auspicia & freta per ventis agitata secuti,
Incultos & adhuc illæsos vomere campos
Incipient curuo paulatim scindere aratro,
Atque vagum cogent stabulis pecus; & tua plenæ,
Orbe procul nostro, complebunt horrea messes.
Dicite, io, lætum, Pastores, dicite carmen.
Mox etiam steriles agris euellere truncos
Cura sit; inque locum meliores insere plantas.
Nulla tibi æstatem foliis, & frigore solo
Defendat, vacuoque arbor se vertice tollat.
Dicite, io, lætum, Pastores, dicite carmen.
Si qua tamen campis sterilis sese extulit arbor
Fronde virens densâ, lætoque vberrima succo,
Non ea continuò durâ resecanda bipenni;
Sed cape fecundâ stirpem de matre recisam,
Atque impone oculos, aut fissis insere ramis.
Dicite, io, lætum, Pastores, dicite carmen.
Sic florere pyris ornos, sic crescere fagis
Castaneas, sterili platano sic mitia poma:
Quin etiam sæpè & trunco consurgere eodem
Prunos, & cerasos, lapidosaque corna videbis.
Dicite, io, lætum, Pastores, dicite carmen.
Nec tibi solicito mentem coquat anxia cura,
Quæ quibus inserere, atque oculis committere fas sit
Germina; namque tuos cælo Deus ipse labores
Prouehet, & cœptis aderit fortuna secundis.
Dicite, io, lætum, Pastores, dicite carmen.
Sed neque cùm celsâ cæli statione receptus
Desuper altus humum, & penitus penitusque iacentes
Sub pedibus terras cernes; simul omnia rerum

Tanta-

Tantarum accipient finem primordia: seri
Nascentur, tua qui subeant in fata, nepotes,
Et pascant pecus, & calamis pugnare laborent,
Si qua subinde gregi minitetur vulnera serpens,
Et calamis tua facta canant: & fors mea quisquam
Ex illis, tibi quæ cecini puer aurea dicet
Carmina, & in teneræ describet cortice fagi.
Cùm tua vicenis post læta exordia lustris
Olim, haud immemores, celebrabunt festa coloni,
VRBANO *rerum Domino; quo Præside, terris*
Aurea succedent proscripto sæcula ferro.

LOIOLA, IDYLLION.

De frequenti vsu Confessionis & Eucharistiæ (quæ singularia sunt remedia nequitiæ & infirmitatis humanæ) ab Ignatio & Societate IESV reuocato.

IGnauâ pastor recubans Anorectus in vmbrâ
Carpebat somnos; & iuxtà languidus Ocnos
Cum domino seruare relictas immemor agnas,
Deliciæ domini canis, & benè pasta iuuenca,
Securum longâ proflabant nocte soporem,
Vix tandem clari vigiles ad lumina solis.
Tandem aruis affusa dies, quæ damna pararit
Nox inimica, gregemque lupus nocturnus oberrans,
Ostendit. tum verò animo indignatus amaro,
Et serò iam multa querens, Anorectus Erastum
Conuenit, & verbis sortem accusantibus inquit:
Infortunati nimiùm sua quos bona torquent
Pastores. quandoque gregem seruantibus astris,
Securis facilem licuit captare soporem,
Et sua compositâ modulari gaudia cannâ.
Sed quondam hæc. placidum iratus Deus abstulit æuum:
Sidera sunt aduersa. lupus prædator ouili
Insidians, quoties vesana lacessit edendi
Indomitum rabies, spargit laniatque trahitque
Attonito mutum pecus, exanimumque timore.
Ipse inhians prædæ siluâ se condit opacâ,
Insidiasque struens, vicino rupis ab antro
Irruit, & victor nemus & sua lustra reuisit,
Visceraque immani lacerans trepidantia rictu
Incumbit super, & gustato sanguine gaudet.
Quæ potuere lupi rabidos vitare furores,
Illas pestis oues campo rapit. improba circùm

Errantum

Errantum latè pecudum contagia serpunt:
Nempe venena placent aliis, quæ fortè per herbam
Sparsa legunt, magni cæca argumenta doloris;
At reliquis tetrâ exesum rubigine corpus
Debilitat scabies, & putria membra resoluit.
Hinc capreæ, vitulique petulci, armentaque tota,
Nescio quo tristes animos correpta furore
Transiliunt sua septa, piosque audire recusant
Ductorum monitus; dum rupibus omnibus errant,
Præcipitesque ruunt vno impete per conualles.
Quid sequeris, quid stulte fugis, sæuosque luporum
Grex meus incurris dentes, custode relicto?
Vix paucas ego nunc deserto in littore ducam
Tristis oues: alias morbi furor abstulit omnes.
Audiit, & gemuit; atque hæc respondit Erastus:
Infelix Anorecte, quid ô suspiria fundis
Nequidquam, & miseri quæris solatia luctus,
Dum caua vix tenui spumant mulctralia lacte,
Otiaque indulgens captat manus? adde laborem,
Manè vigil primo pecus inspice: fallor, an vncâ
Forfice læsa cutis pastorem accusat auarum?
Nempe sat esse putas pretiosam vellere lanam,
Et pauidos spoliare greges, & viuere rapto?
Sæpè eadem pecori exitio pecorisque magistro
Res fuit, & similes tenuerunt viscera morbi.
Inspice solicitus, tacitè ne pustula serpens
Pestiferum tegat occulto sub vulnere virus.
Huc ferrum medicasque manus; penitusque latentem
Impiger vlceribus saniem exprime, ne qua supersit
Ipsa etiam lentè insinuans se pestis ad ossa.
Dissimulata lues crescit: scrutare latentes
Ergo mali caussas, iterumque iterumque reclude.
Sæpè sub integrâ pestis latet abdita pelle.
Hoc quoque præcipiens te nunc, Anorecte, monebo,
Dirus vbi optatâ pecori latet anguis in herbâ,
Hinc longè fugere: hic aconita salubribus herbis
Admiscet nocitura gregi, & contagia spargit.
Nec tu pro cytiso, tenerâ pro graminis herbâ,
Et spinis paliuri & acutâ carice pasce
Ieiunum pecus; aut inter vepreta relinque,
Hîc vbi siluestres tantùm sint pabula dumi.
Prima tibi sit cura ouium, natasque benigno
Ne pudeat te ferre sinu, dum firmior ætas
Ire suis teneros doceat cum matribus agnos.
Errantes etiam iactâ compescere glebâ
Iuuerit, & notâ languentes cogere voce
Quò lubet, ignotam ne grex per iniqua sequatur

Tesqua

Tesqua viam, trucibusque lupis rapiendus aberret.
Hæc omnes te cura dies noctesque moretur:
Hoc age. Sic quondam Hesperiis celeberrimus oris
Pastores Tolola suos persæpè monebat,
Omnium amans Tolola, misertus ouilia passim
Insiliente lupo & variis occumbere morbis,
Dum nemo medicas adhibet languentibus artes;
Dum nemo scabiem, nemo mala vulnera curat;
Nemo fontis aquas, nemo cerealia præbet
Pabula, queis Pastor verbis solennibus vtens
Præsentem facit esse Deum. Quis Numinis illud
Negligat officium? quis oues (quas pascere non iam
Lacte, sed expresso magnus vult sanguine Pastor,
Ille Patris Virtus & Filius) omnium egentes
Ire sinat, neque prima malis medicamina curet?
Hæc magnus didicit monitis cœlestibus olim,
Hæc docuit natos Tolola, gregumque ministros:
Hæc nati docuere, & qui nascentur ab illis.
Hæc Tololæi quondam per sera docebunt
Sæcula, lustratumque ferent præcepta per orbem.
Hæc iam rura sonant, & oues, ouiumque magistri,
Hæc quisquis virtutem oculo non cernit iniquo
Inuidus, euentisque potest gaudere secundis.
At nisi depositis præsens Tolola fuisses
Temporibus, nunc extorres, nunc lucis egeni
Pastores cæcis longè erraremus in vmbris,
Sordida quærentes miseri solatia victus,
Dilectâ procul à patriâ, gregibusque paternis:
Iussáque consuetos modulari fistula cantus
Singultanti animâ suspiria mœsta sonaret.
Iam rediit decus antiquum, iam pinguia florent
Pascua, iam maior teneros vigor incitat agnos;
Et nuper tonsis succrescunt vellera fetis,
Et multo distensa tumescunt vbera lacte.
Pascite, fertilibusque recidite gramina campis
Grex ouium, & vituli comites, armentaque tota;
Pascite, plura dies vobis reditura reponet.
Ista Tololæi præcepta salubria cunctis
Dum canerent terris, mouêre cacumina siluæ,
Et rupes & saxa, vetustaque robora quercus
Auditum venêre; suisque exiuit ab antris
Iam mitis leo, iam medium lupus inter ouile,
Cum pardis vrsisque suaui carmine victi,
Efferaque humanos didicerunt pectora mores.
Audiit hæc patiens referentem Anorectus Erastum:
Vnicus ingratis implens latratibus auras
Obstrepuit canis; & meditantem plura, coëgit

 Commis-

Commissos tibi, Daphni, greges assuetaque rura
Visere. Sub noctem prato rediturus Erastus,
Ite mei, posthac felix pecus, ite valentes,
Ite domum, dixit, saturis cum matribus agni:
Vesper adest, aderit mala nox, ad septa redite:
Post iterum campos & pabula læta petemus.
Per noctem intereà, dum crastina fulserit Eos,
Mox satianda fames reuocatas ruminet herbas.

PARNASSVS CHRISTIANVS
S. IGNATII AVSPICIO ADSVRGENS.

ELEGIA I.


MOns sacer est, bifido montis stat vertice lucus,
Sunt quoque qui luco numen inesse putant.
Numen inest, sed quod mendax sibi Græcia finxit,
Atraque Lethæo Nox Ioue feta tulit.
Scilicet Ascræis habitantur culmina Musis,
Et Phœbo niueâ sunt potiora Paro.
In medio fons est: fontem vicina coronat
Laurea; non hederæ cultaque myrtus abest.
Vatibus hæc sedes, hîc illis carpitur ætas;
Dumque canunt, Musas ad sua plectra vocant.
O quoties aliquis dum tentat pollice chordas,
Tende meam dixit, tende, Thalia, chelyn?
Dumque suos numeris recitat leuioribus ignes,
Est Venus, est Veneris multus in ore puer.
Quis furor imbelles in vota arcessere diuos,
Et dare nequitiæ libera frena suæ?
Cæli cura sumus, cælo sunt carmina curæ,
Et Deus ingenium Vatibus ipse facit.
Huc ades, ô Pietas; Helicon lustrandus & Ascra,
Et magno posthac sunt habitanda Deo.
Nec modò nobilium secessus & otia Vatum,
Doctaque quæ ludent carmina, crimen erunt.
Profuit infestos flammis lustrare penates,
Hinc erit & bifido purior aura iugo.
Si tibi fax desit, sanctos Ignatius ignes
Sufficit, ac pulchro pabula digna rogo.
Conficit ille suis Arctoas ignibus hydras,
Ille suo Cyprias opprimit igne faces.
Quod, precor, euenit? Parnasso incendia lucent,
Afflantur sacrâ culmina tota face.
Lustrantur fontes, luci lustrantur & antra,
Et laurus flammâ ter crepitante sonant.
Nulla Medusææ memoratur fabula lymphæ:
Quæ salit, è CHRISTI *vulnere lympha salit.*

Et quo ſueta fuit latè mendacia vatum
Spargere, Gorgoneum fama requirit equum.
Altera nunc ætas veniet, pudibundaque diſcet
Muſa verecundo caſtiùs ore loqui.
Cum Phœbo valeant Clio, Cliusque ſorores:
Cum MARIA IESVS *Numina vatis erunt.*

ELEGIA II.

VLtima felicis venit iam temporis ætas
Aurea, quam roſeis aduehit hora rotis.
Fallimur? ecce tibi cælo delapſa ſereno
Viſa fuit claram ducere ſtella facem.
Flammarum videas longos clareſcere ſulcos,
Donec in aërio fixa ſtet vna polo.
Omen habe, dixit Pietas; & in omine lucis
Diſce piis naſci candida plectra lyris.
Dux reget ille modos niue virgine purior Agnus,
Lilia qui caſto carpit odora iugo:
Quique petrâ ſaliente ſacras ſacer elicit vndas,
Caſtalis vnde lauet plectra fideſque chelys.
Cerne, per alta cauaſque procul fugit auia valles
Lympha volubilibus lapſa relapſa viis.
Antè peruſta ſiti riguis gaudete fluentis
Arua, fluet tali diues ab amne Ceres.
Aſt ego, dum fugiunt riui, pede fixus in vno
Sacra Sionei culminis arua premo.
Hîc ego tot Diuas numero, tot Numina ſpecto,
Quot Muſas Helicon, & lyra priſca ſonat. Olim tres tantùm Muſæ Varroni.
Speſque Fideſque Chariſque chorus canit vnicus Agnum,
Vt tribus vnus amor, ſic tribus vnus honos.
Ars tribus vna, tribus labor vnicus artis IESVS,
Quem reſonat numeris Diua ter vna ſuis.
Quin etiam ſi fortè nouem quis plectra requirat,
Quot priùs Aonidum turba nouena tulit:
Suſpice, ſidereo chorus hinc, chorus inde theatro
Increpat argutis ter tria plectra lyris.
Omnibus vnus amor, canor omnibus vnus IESVS,
Omnis in hoc nomen muſica ritè cadit.
Digna Deo Pietas. quid enim niſi cantet IESVM?
Omnis in hoc vno nomine grata chelys.
Hîc nuſquam immundæ Veneri ſacra Muſa, nec Orco eſt:
Carmine in hoc nullus nomen Adonis habet.
Eſte procul Cyprides citharæ; vos damna pudoris,
Molle quibus vulnus, vos procul eſte faces.
Nil niſi cæleſtem canet omnis ephebus amorem:
Caſta decet caſtos plectra ſonare modos.
Sic iubet Ignatî pietas, ea cura iuuentæ
Conſulit: hiſce choris ipſe choragus erit.

Societatis operarij.



Omnibus omnia.

QValiter in ſpeculo facies, motuſque relucent,
Aduerſaſque refert læuis imago notas;
Haud aliter formas hominum ſe vertit in omnes,
Omnibus *vt ſolers* omnia *fiat amor:*
Caſtus amor, caſtis quem mentibus indit IESVS,
Ignatî ſacro quæ priùs igne calent:
Omnia diuerſæ capit hic ſimulacra figuræ,
Omnia compoſitis reddit imaginibus.
Nec tamen in ſimiles trahit aſſentatio mores:
Nec ſtudet occultis ille nocere dolis.
Fallere neſcit amor, numquam ſibi diſſidet ipſe,
Ingenio ſimilis ſit licet vſque tuo.
Aſſumet tecum, tecum ſua gaudia ponet,
Cum puero ludet, cum ſene triſtis erit.
Inſtitor extremis merces accerſis ab Indis?
Impiger ignoto littore quæret opes.
Si victor redeas, lætos canet ille triumphos:
Tecum per terras; per mare, bella geret.
Deſertas etiam ſiluas monteſque pererrat
Fidus amor, tamquam barbarus ingenio.
Nempe vt poſſit amor ſimiles ſibi reddere cunctos,
Diſſimilis toties redditur ipſe ſibi.

Socie-

Societatis est agere & pati fortia.



In vtrumque paratus.

STat promptus aras victima tingere
Cruore taurus, promptus & aspero
Sudare sub iugo, & malignam
Vertere humum sterilemque glebam.
O queis paternus feruet adhuc cruor,
Et prisca virtus, magnanimum genus,
Propago Loiolæ, ite, quà vos
Facta trahunt generosa Patrum.
Pulchrum labori iungere sanguinem,
Et strenuorum more Quiritium
Patrare magna, perpetique,
Numinis arbitrio paratos.
Vtrumque poscit gloria nominis
Vtroque parti: nec benè scribitur
Honoris heres, quem Parentum
Facta piget cumulare factis.
Inuicta virtus nititur arduo
Ad alta cliuo: pergite posteri
Sudoris imbre sanguinisque
Irriguum satiare campum.
Fusus labores nobilitat cruor:
Vtroque gaudens Christiadûm seges
Laurusque palmarumque messem
Grata suis referet colonis.

Societatis functiones.



Caussas mille salutis habet.

Est aliquid certas morbi cognoscere caussas,
Et medicas illis applicuisse manus.
At non sola graues conuellunt corpora morbi;
Innumeris etiam mens iacet ægra malis.
Adde quòd (afflictis quæ sunt solatia membris)
Nulla sit occultum quæ leuet herba malum.
Docta licet veniat comitata Machaone turba,
Túque adsis medicæ Phœbe repertor opis:
Ars tua nil prosit, vis est medicamine maior,
Non habet hîc succus, non habet herba locum.
Vna salus sacras venit exoptata per artes,
Quas verus medicæ tradidit auctor opis.
Sciuit, & hunc vsum docuit Loiola medendi,
Postque tot Hippocrates non leue nomen habet:
Seu tumefacta graui turgescant ilia fastu,
Seu tibi dirus opum viscera rumpat hydrops,
Turgida seu tristi tibi bilis inæstuet irâ,
Siue Dionæus serpat in ossa calor,
Mille agitent morbi, mille vlcera, mille dolores;
Illa domus caussas mille salutis habet.

Socie-

Societas in proximorum ſolatium gratis ſe effundit.



Omnes ſitientes venite ad aquas, venite, emite abſque argento, & abſque vllâ commutatione. *Iſaiæ* 55.

PRodiga res amor eſt : gratis ſua munera fundit;
Impenditque ſacras quas malè condit opes.
Sponte ſuâ vitreis ſic proſilit vnda ſcatebris:
Ite, redundantes promite fontis aquas.
Ille fluit, multiſque vias ſecat vndique riuis:
Quaque fluit, circùm lætior herba viret.
Ite quibus ſiccas vrit ſitis aſpera fauces,
Prodigus ille ſuas ſponte miniſtrat aquas.
Nequidquam argentum, mutandaque pignora fertis;
Munus erit, fontis munere velle frui.
Ceſſatis? facilem, quiſquis cupis, excipe lympham;
Arentemque leua, dum potes, amne ſitim.
Ipſe ſibi diues, communes ſemper in vſus
Curret: neglectas nec malè perdet opes.
Quin hominum extremos Iapones, Braſiloſque rigare
Perget, & ignoto limite quæret iter.
Quas non in terras Socij penetraſtis IESV?
Quæ loca, quæ veſtri eſt indiga roris humus?
Qui ſapis, oblatam medico bibe fonte ſalutem:
Et dic: Æternùm ſic tibi lympha fluat.

Vita

Vita actiua contemplatiuam iuuat.



הירידה עוזרת למעלה

אל תעמיד במרומים רגליך
אם לא תשים בתחתיות פעמיך
הן משני מפלשים המאזנים
זה יורד ארצה זה עלה לשמים
כן גם אם תכניע פלס לבבך
הרימות משקלת תאותך
לך צפונה לך ימה משמי קדם
אחר נעלית שירדת טרם

Descensus iuuat ascensum.

Immensi, è terris, peragranda est machina cæli:
Gratior è turpi magnus Olympus humo.
Ecce petunt imam labentia pondera terram:
Atque alia attollunt pondere pressa suo.
Sic meliùs depressa graui mens pondere surgit:
Donec in optato fine quiescat amor.
Perge per extremas gentes; maria omnia tenta:
Ipse suo tollet pondere ad astra labor.

Exercitia S.P.Ignatij ſpirituali otio vires acuunt.



Operoſa quies.

NOn nihil eſt quod ago, quamuis nihil eſſe videtur:
Vt reparem vires, otia feſſus amo.
Otia membra leuant duro permixta labori:
Alternâ gaudent cura quiesque vice.
Ipſa ſuas vires reparat natura quotannis,
Et ſapere exemplo nos iubet illa ſuo.
Sed tamen vt durum eſt, æternum ferre laborem;
Sic procul à nobis deſidioſa quies.
Otia nos operoſa iuuant, magnoque labore
Neſcio quid maius continet illa quies.
Scilicet aut ſerras acuo, aut malè firma repono
Fulcra, ſuæ rurſum ſubiicienda trabi.
Ergo interrupto dum capto labore quietem,
Dum reparo vires, fit labor ipſa quies.
Sic Ignatiadûm mens delectata receſſu
Dum ſibi, dum Superis tota, Deoque vacat,
Otia quæ tractat, grauiora negotia crede:
Hoc vacat illa minùs, quò magis illa vacat.
Nunc limat Meditans obtuſæ mentis acumen,
Nunc ſedet, & vires comparat inde nouas.
Nunc fruitur Superis, totoque hîc pectore Numen
Concipit, atque operi par redit inde nouo.
O vtinam ſic ſæpè vacem, ſic ſæpè quieſcam!
Vtilior longo eſt iſta labore quies.

Exercitiorum ſpiritualium ſolitudo feruorem auget.



Clauſus magis æſtuat.

DVm licet, à turbâ ſtrepituque foroque recede,
Augendi curam quiſquis amoris habes.
Lætus ages, cùm ſolus ages, optataque Sponſi
Ante oculos facies ſideris inſtar erit.
Exſilies, cupidisque vlnis tua gaudia ſtringes,
Grataque percuſſi vulnera cordis ales.
Illius ex oculis flagrantibus igne, repentè
In tua diuinus pectora tendet amor.
Tunc diſces, quantum congreſſus poſſit amantis,
Quid valeant tacito mutua verba ſono.
Seu te ſpectabit, ſeu quid tibi dixerit, vret;
Verbaque quæ fundet ſingula, vulnus erunt.
Tum flammæ impatiens, tunicâque à pectore raptâ,
Vror, io, dices, lux mea conde facem.
Quin potiùs magis vre: iuuat, mea vita, quòd vror:
En patet in flammas mens mihi tota tuas.
Si iuuat hoc, ſimul ac fuerit tibi mente receptus,
Hanc facito vt claudas, fortiùs vret amor.
Quæ benè clauſa manet, magis ac magis æſtuat vnda:
Si patet, in fumos protinus humor abit.
Et tua flamma ſuas agitat quibus euolet alas;
Si qua patet mundi rimula, diffugiet.

Libel-

Libellus Exercitiorum dux certiſſimus ad eligendum vitæ ſtatum.



Hac monſtrat eundum.

IN varias diſſecta vias ſe ſemita pandit,
Et longis circùm flexibus errat iter:
Cumque tibi dubius centum diuortia trames
Præbeat, è centum eſt vna tenenda via.
Si ſemel incerto per deuia calle feraris,
Certa tuum cingent mille pericla caput.
Hæc vrſis inſeſſa, feros tegit illa leones,
Hîc fallit cæcos ſubdola foſſa pedes.
Ad caput illa redit crebro perplexa recurſu,
Iſta viatorum ſilua cruore madet.
O! quis in hoc ductor diſcrimine fila miniſtret,
Aut Ariadnæo ſtamine ſignet iter?
Nocte Pharos inter Mareotica ſaxa regebat
Lumine deprenſas officioſa rates.
Iſacidas fluctus inter ducebat Erythræ
Deſignans facilem præuia flamma fugam.
Parce queri: tibi iam poſitis Ignatius armis
Cæleſti rutilam prætulit igne facem.
Paruus mole liber, ſed rerum pondere magnus,
Non dubiâ cupidum ducet ad aſtra viâ.
Ne violis, ne crede roſis: hac monſtrat eundum,
Sæuit vbi in teneros plurima ſpina pedes.
Hoc duce nec Pharios ignes, nec fila requires:
Certior hic Creſſo ſtamine ductor erit.

Quies Exercitiorum ſpiritualium iuuat ad ſui cognitionem.



Virgil. Eclog. 11.

—— Nuper me in littore vidi
Cùm placidum ventis ſtaret mare.

Theocr. εἰδ. 6.

Ἦ γὰρ πρᾶν ἐς πόντον ἐσέβλεπον, ἦς δὲ γαλάνα.

Οὔτ' αἰνησαίμην, οὔτ' ἐν λόγῳ ἄνδρα τιθείην,
Οἶδ' ὅτα τοὺς πάντων ἀστρονόμων κανόνας·
Οὐδ' εἰ Ἀριστοτέλους μὲν ἔχοι σοφίην τε νόον τε,
Παίονα καὶ νικῷ, φάρμακα πάντα ἰδών·
Οὐδ' εἰ κόσμον ἀριθμῆσαι καὶ πείρατα γαίης,
Καὶ μετρεῖν δύναται τοῦ ἀμέτρου τὰ μέτρα·
Οὐδ' εἰ πᾶσαν ἔχοι σοφίην, πλὴν γνῶναι ἑαυτόν.
Εἰς ἄκρον σοφίης οὗτος ἀνὴρ ἵκετο,
Ὅστις δὴ τίς δ' ἐστι, τίς ἔσται, τίς γένετ', οἶδε.
Καὶ γὰρ ἀριθμῆσαι γαῖαν ἀπειρεσίην
Τί χραίσμει, σαυτὸν μετρεῖν ἀγνώστῳ ἐόντι;
Σαυτὸν ἀρίθμησον πρῶτον, ἔπειθ' ἕτερα.
Χθὼν ὅσα πᾶσα τρέφει γνῶναι τί χρήσιμόν ἐστι
Φάρμακα, νοῦσον ἔχων εἰ δοκέεις ἄνοσος;
Πολλὰ μάτην λέξεις περὶ ἀνδρείας τε φόβου τε,
Σαυτοῦ, δειλὸς ἐών, εἰ δοκέεις ἀγαθός.
Ἀλλ' ἄγε τὴν σαυτοῦ πεδαύσας γνῶσιν ἐρήμης
Εὐχῆς ἡσυχίῃ παῦε φρενῶν ταραχάς.
Καὶ τότε, ἐν δὲ γαλάνᾳ οἷον βλέπεις οὗτος ἑαυτὸν,
Ὡς σάφα σε γνώσῃς, σου προτέρην ἄγνοιαν
Μεμψάμενος, δόξεις τ' ἄλλος σοι ἔμμεναι ἀνὴρ
Ἣν νόμισας, καὶ ἐρεῖς, μηδὲν ὅμοιον ἔχειν.

In

In ſeceſſu Exercitiorum ſpirituales opes inueniuntur.



Sine teſte beatior.

Eſt mihi, ſitque precor, non grandi mole libellus,
Vnus amor domini deliciumque ſui.
Ne tamen ex noſtro pretium penſetur amore,
Omnis amor libri eſt vtilitate minor.
Ille animum multis neglectum exercet, & inde
Congrua quas tradit nomina rebus habet.
Illius auctorem qui te, Loiola, recenſet,
Fallitur: è cælo, quò docet ire, venit.
Diua Parens, toties non fruſtrà viſa clienti,
Materiam libro præbuit, ipſe manum.
Si tibi, quæ debet, puræ ſine crimine vitæ
Cura foret, toties nemo legendus erat.
Erraſti? reget ille gradum, cæloque reducet,
Et cæli, amiſſas crimine, reddet opes.
Non tamen in turbâ, ne forſan neſcius erres,
At ſolo patitur Numine teſte legi.
Crede mihi, fies ſine teſte beatior *vllo,*
Plurimaque, in turbâ non tibi danda, feres.
Hic Deus, ipſe Deus tibi ſe præbebit, & vltrò
Omnia, quæ poſcis, ſed ſine teſte, dabit.
Sic quicumque petit quod humus celauerat aurum,
Inuentum, nullo teſte vidente, fodit.
Solicitos ſemper dat conſcia turba timores:
Solus habe, tutò ſi quid habere voles.

Exomologesis.



Fert lingua medelam.

EHeu quàm diro lacerum mihi vulnere corpus!
Pænè ossa tetro nuda spectantur sinu.
Nec dolor est, nec plaga recens; multosque per annos
Obducta putrem contegit saniem cutis:
Illa etiam fœdâ miserum prurigine vexat
Densâ intumescens parte ab omni pustulâ.
Destituit me vox, æquataque vulnera membris
Ad ipsa pænè fata languentem trahunt.
Quid queror? ah! nulli cruciant mea membra dolores,
Nec purulentum contegit vulnus cutis:
Vulnus habet mens sola; nec vlla est cura medelæ,
Nec ægra medicas patitur adhiberi manus.
Ipsa mihi grauiùs medicina dolore timetur:
Tam dulcis ægram plaga mentem conficit.
Ah miser! ah nescis! non te manus aspera tanget:
Tibi sola ferre lingua medicinam potest.
Pande animi labes; mox mystica verba salutem,
Et sana culpas monita plangenti dabunt.
Vulneribus non sola canum fert lingua medelam:
Loiola in huius muneris partem venit.

Commu-

Communio generalis.



Si potuit manes arcessere coniugis Orpheus, *Virgil. 6. Æneid.*
Threïciâ fretus citharâ fidibusque canoris,

Cithara IESV Euchariſtia. *Anagr.*

SI potuit Orpheus coniugis manes piæ
Reuocare merſos inferis,
Digito loquaci Thracias pulſans fides,
Gratoque fretus carmine,
Cùm rector Orci, & dira Furiarum agmina
Ceſſere victa cantibus;
Cur cithara IESV *numen humanis malis*
Nequeat benignum flectere?
Illi tetendit artifex neruos amor,
Clauisque conſtrictâ fide
Crucis potenti carmen inſonuit chely,
Quo ſciſſa rupium iuga,
Quo vindicantis cecidit ira Numinis,
Et legis æternæ rigor;
Quo iuſſa pandi mœſta tenebrarum domus
Manes remiſit inferis.
Nunc cithara IESV *nequeat Euchariſtia*
Laxare pœnas debitas?
Et expiandos flammeo manes ſpecu
Diuûm aggregare cœtibus?
Lytrum illa pendit, cùm Deum dat in cibum,
Tantique pretium ſanguinis.

Soda-

Sodalitas B. Virginis.




Hac iter ad Superos.

NOx erat, & flammis vincebant sidera noctem,
Inque meis oculis totus Olympus erat.
Hei mihi! dicebam, quantum nos inter inane est!
Ad vos è terris quis mihi monstret iter?
Nec tenui lacrymas: lacrymis via libera facta est,
Quòd nullo scirem teste madere genas.
Iamque refulgebat stellarum lacteus ordo,
Illa tot à flammis semita nota suis.
Illa olim vanis toties cantata Poëtis,
Credita ad ætherei ducere tecta Iouis.
Hanc ego suspiciens, salue, ô pulcherrima, dixi;
Te mihi quam quæro, quis neget esse viam?
Esse viam, formosa suos quâ Mater alumnos
Æterni faciat tecta subire Dei?
Hac certè ad Superos iter est: dumque vbera Nato
Præbuit, effuso lacte notata via est.
Ah! quis adhuc patriis temerarius erret ab astris,
Lactea virgineo si patet igne via?
Hæc ne te lasset, potabere lacte, viator;
Ne quà te fallat, lumine nota suo est.

Concio-

Concionatorum munus.



Vos mentes fingite linguâ.

QValis informem genitrix refingens
Quem priùs luci dedit vrsa partum,
Ore confusos faciliq̀ue linguâ
Digerit artus:
Talis, informi malè nata partu
Pignora agresti nemorum recessu
Præco diuinus renouata linguæ
Munere format.
Cernis? en cultu rediere mores:
Efferos turbæ posuêre ritus:
Pulchra virtutis facies renidet,
Vindice linguâ.
Hæc potest, cælo miserante, apertos
Reddere abstersis oculos tenebris:
Hæc sacræ lucis iubar æuiternum
Pandere menti.
Pergite ô vastum, Socij, per orbem,
Et rudes doctâ recreate linguâ:
Pergite æterno similem Parenti
Fingere prolem.

Societas doctrinâ & exemplo viam salutis ostendit.



Enn. apud Cic. lib. 1. de Offic.

Quasi lumen de suo lumine accendat, facit, vt nihilo minùs ipsi luceat, cùm alteri accenderit.

Ferte faces, flagrat Ignatius, diffundite lucem,
Siue per Eoos, siue per Hesperios.
Vos ô, vos Socij, cælo quibus auspice, magni
Ardere Ignatij pleniùs igne datum,
Vos agite: errorum mortisque oppressa tenebris
Lustretur vestro quælibet igne plaga.
Sed geminam præferte facem; fax altera virtus,
Altera doctrinæ sit pia suada tuæ.
Felices populi, vestro de lumine lumen
Accensum quoties sub sua tecta ferent.
Non Ægyptia nox illis cælumque diemque,
Et sibi se ex oculis, omniaque eripiet.
Non illos Erebi insidiæ, mundusque, Venusque,
Ipsaque cum Styge mors, in scelus omne trahet.
Aurea lux cæcas trahet ad cælestia mentes,
Et certum ad Superos lumine pandet iter.
At vos Loiolæ soboles diffundite lumen:
Qui rapiet, vobis hic nihil eripiet.
Nam neque fax raptæ patitur dispendia flammæ,
Mille licet sumant hinc alimenta faces:
Nec vobis sparsæ decrescet gloria lucis,
Igne licet vestro flagret vterque polus.

Insti-


Inſtitutio Barbarorum.



Hi feros cultus hominum recentum
Voce formabunt. *Horat. lib. 1. Carm. Od. 10.*

VEnuſtus ille, ſcitulusque puſio,
Vultu decorus aureo,
Ait fuiſſe fructus vnus arboris
In æſculetis Atticæ,
Illic fuiſſe montis in cacumine
Vernis comatus frondibus
Inter virentes ilices. & hoc negat
Negare Mercurî manum:
Cui par loquaces iunxit Amphion fides
Eburneæ potens lyræ.
His ille poſt-puellus acceptam refert
Pulchri figuram corporis.
Proin triumphat, ſeque comparat ſibi,
Quem gnaua Doctorum manus
Ad ſanctiores expoliuit regulas
Cultu reformatum nouo.
Nam quòd loquaris, igneamque diuitis
Vim ſuſcitâris ingenî,
Hi quà palæſtræ more, quà docto cati
Sermone fecerunt ſuo.

Inſtitutio iuuentutis.




Ἄχρις οὗ μορφωθῇ ΧΡΙΣΤΟΣ ἐν ὑμῖν.

Donec formetur CHRISTVS in vobis. *Gal.* 4.

Ἀστραγαλιζόντων τύπος ἀβρὸς, ἀειστονόοιο
  Κρεὶ Πολυκλείτου κήδεα λυγρὰ δέδω.
Ἡλίους πολλοὺς, καὶ πλείονας οὐχὶ σελήνας,
  Ὕδρυμα τῆς Κύπριδος γλύψατο Πραξιτέλης;
Ἐν δὲ διαγλυφομένην Νέμεσιν, τὸ γλυφεῖον ἀμέτροις
  Φειδιακὸν καμάτοις ἔτλαε πλειονάκις;
Οὐχὶ κ' Ἀλεξάνδρου τὴν μορφομένην δύγε πρόσωπον
  Λύσιππος χαλεποὺς ἐξετέλεσε πόνοις;
Εἴθε γλύφοιεν ἑοῖσι βίου τε, λέγειν τε, φάος τε,
  Γλύμμασι! τῶν τελέθοι οὔνομα ῥ' ἀθάνατον.
Πραξιτέλην τέλος οὐδὲν ἔοι ἐπικλείμενον Ἀοιδοῖς
  Οὐδὲ γένοιτ' ἶσόν σοι Πολύκλειτε κλέος.
Ἀλλ' ἀλαπαδνὰ μόνως δαιδάλματα γείνατο χειρῶν
  Ἀνδρομέων, καὶ πάντ' ἄπνοα, πάντα κόνις.
Ὑμεῖς νεόγλυφοι μεγάλου ἑταῖροι μὲν ἸΗΣΟΥ,
  Τῶν μορφιζόντων πάντοθι κλειότεροι.
Κεῖνον ἐς κακίαν κοῦρον, καὶ τ' ἤθε' ἄμορφον
  Σύμμορφόν τ' ἀρετῇ γλάπτετε, τῷ τε καλῷ.
Νεικέμεν αἰνύμενοι κακότητα μὲν ὥστε γλυφείῳ
  Μορφοῦντες κέλομεν στήθεσι χειρόβιον.
Πλάττετε τρισμάκαρες, καὶ γλάπτετε, ὦ νοογλύπται,
  Ἐν τοῖσιν κεκρύβου θαύματα πλεῖστα πόνοις.
Οὐ μορφὰς μορφοῦτε βροτῶν, μορφάς τε θεάων,
  Ὑμμέων ἀλλὰ πέλει γλύμματα χειρόθεος.

Scholæ

Scholæ altiorum ſcientiarum.



Diuinæ Palladis ædes.

SCientiarum præſes & arbitra,
Idea recti, candida Veritas,
Delapſa cælo, Cherubini
Numquid adeſt agitata pennis?
Adeſt, & ardet ſub penetralibus,
Loiola, veſtris degere, commodas
Hîc nacta ſedes, quando IESV
Luce videt radiare poſtes.
Videre magnos hîc videor Sophos,
Et plena multo pectora numine,
Rerumque naturæque fontes
Auſa adytis penetrare apertis.
Regina cunctos ſed ſupereminet
Excelſioris quæ ſapientiæ
Arcana pandit, æuiternam
Diua Dei ſpeculata lucem.
Hîc illa claris ſcilicet atria
Patent alumnis: te duce & auſpice
In arte non vnâ refulget
Diſcolor ingenij venuſtas.
Fecunda magnis magna parens viris
Palæſtra IESV*: victa ſtupet ſuos*
Natura fetus, quos vel vno
Parturiit generoſa ſæclo.

Institutio puerorum.




Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos. *Deut.* 32.

PVeri, tenella turba,
Quibus ardor est amori
Superûm dicare mentem,
Nitidoque flore morum
Decorare ver iuuentæ;
Auidi gradu citato
Solitas venite ad ædes.
Rudibus beata Diuûm,
Puerique facta IESV,
Et amabilis MARIAE,
Facili explicabit ore
Docilis magister æui:
Veluti Tonantis ales
Super Othryos cacumen
Tenerum magistra pullum,
Vacuum secans inane,
Docet explicare pennas,
Humiles secuta campos;
Posito timore, sensim
Rhodopésve Caucasíve
Super alta terga ducit:
Radios deinde Phœbi
Medio flagrantis axe
Oculo nihil tremente,
Rapidos superque Cauros,
Pluuios superque rores,
Propiùs iubet tueri.
Quoties iubar Tonantis,
Quod hic orbis expauescit;
Quoties amoris ignes,
Quibus æstuant amantes,
Penetrare dat magister?
Cui sacra tradit ille
Documenta, nouit altam
Super astra ferre mentem:
Solidâque luce plenus,
Procul à fugacis æui
Nucibus crepundiisque,
Nebulisque vanitatis,
Animum locare cælo,
Solidasque amare laudes.
Agedum tenella turba
Pueri, caterua dulcis,
Memori tenete mente,
Memori tenete linguâ
Documenta sanctitatis.

Schol-

Scholæ Humaniorum litterarum.



Luditque fauis immista iuuentus.

NArcissi lacrymas, fundamina prima fauorum,
Corticis & lentum quærite gluten, apes.
Sugite materiam mellis violasque rosasque:
Qui venit hinc, prolis gaudia fructus habet.
Dicite apes teneræ, quàm dulce est ludere melle,
Inter nectareos Dædala tecta fauos!
Quæ tamen hos lusus, quæ dulcia gaudia præbent,
Matribus hæc tanti mella parasse fuit.
Vidi ego sic iuuenes curâ gaudere Magistri,
Queis fuit alterius dulce labore frui.
Quæque priùs cytisi sapientia amarior herbis,
Visa est Hyblæis dulcior esse fauis.
Visa nec immeritò: namque & sua mella Camœnæ,
Et sua facundi Tullius oris habet.
Nec frustrà circum Thebanas Attica cunas
Lusit apis, vatem pascere læta suum.
Ludite, io, iuuenes, distentis ludite cellis,
Visite Aristæi cerea regna noui.
Nil opus est paruas lassare volatibus alas:
Arte fauos apibus condidit ille suis.
Sed quid ego dulces veneror, quas discitis, artes?
Artibus his quiddam maius habere licet.
Prima Deo sacris virtutis cura Magistris:
An poterat melior Palladis esse comes?

Scholæ

Scholæ Catechisticæ.



Ἄφετε τὰ παιδία ἔρχεσθαι πρός με. Λουκ. κεφ. ιη.

Μητέρος ἔλθ' ὑπὸ τὴν πτερύγων, μὴ εἴργετε, σμικρὰ
　Ποίμνη, ὑφ' ὧν ἐχυρῶς πᾶσά σ' ἔπεστι λαθεῖν·
Πρόσδραμ'· ἰδοὺ πᾶσαι, σε μὲν αἱ θάλπωσι κρυβεῖσαν,
　Εὐρεῖαι δὲ πτίλων σφᾶς ἀναπλοῦσι πτύχες·
Προσκαλέει σε πτεροῖς καὶ φωνῇ, καὶ, τὸ βάδισμα
　Σπουδοῦσα βραδέως, στῆθος ὕπαι καλέει.
Ὡς δὲ γέμει κηδέων τε, πόθων τε, καὶ οὔτι κεν ἕλκει
　Ὄμματι μὲν τέρπνου, οὐ δὲ τροφῆς στόματι!
Καὶ ὁ ἔρως τε, φόβος τε τὰ τήκει γυῖα, φιλοῖ τε,
　Ζῇ θ' ἔθεν ἀμνήμων εἵνεκα τὴν ἰδίαν.
Κἂν δ' εἶεν ἀλλοῖ' ἀλλοῖον κατὰ σπέρμα νεοσσοί,
　Ἴσῳ ὅμως μήτηρ πᾶσιν ἔρωτι τιθεῖ.
Πᾶσι τιθεῖ τ', ἄγεταί τε, δι' οὗ τ' ἀναλώματα σιτεῖ,
　Καὶ ἅλις εἰν ἀγέλῃ οὖσα μάκαιρα δοκεῖ.
Τῇ δ' ὁμοιοῦν σὸν ἔρωτα, Θεοῦ τέκος, ἀξιόοσκες,
　Σωτὴρ ἀνθρώποις ἔθ' ὅπου ἦλθες ἔμεν,
Ὦ Σολύμη, φωνῶν, καθάπερ τις ἀλεκτορὶς αὐτῆς
　Παῦ ὑπὸ πτερύγων ὧν ἀγκροῦσα τρέφει,
Ποσσάκις ἤθελον αὖ σέ τε, καὶ τὰ σὰ τέκνα, Θεοῖο
　Τέκνα, πτερῶν ὑπ' ἔμεν καὶ καλυβῆμεν ἐμῶν;
Ὡς φάτο, καὶ κλαῖεν. Σὺ δ' ἀθώη πεῖρα, καὶ οὔπω
　Τῆς τ' εἰδυῖα βλάβης, τήν τ' ἀπάνευθε δόλων,
Παιδία τυτθά τε, θηλαμινῶν τά τε πλήθεα, αὐτοῦ
　Ὧν ὁ Θεὸς γλώσσης οἷ δρέπει αἶνον ἄπο,
Δεῦτε κακῶν τόπον ἐς πατέρων· τί γὰρ ὤφλετε; ταύτας
　Ὕμμεες ἐς κεφαλὴν χεῖρας ὑπεκλάβετε.

Ταῦθ',

Ταῦθ', ὅστις με φιλεῖς, πρὸς ἐμ' ἐλθεῖν αἰὲν ἐᾶτε
Ζῶντα, θανόντος ἔπι φροντίδα γ' ἐσσόμενα·
Καὶ γὰρ ἔγωγε λαβὼν μετ' ἀνάστασιν οὐρανὸν, ἄνδρας
Τάττω, ἐμὴν τούτοις δωσομένους διδαχήν.
Τοὺς Λοϊόλα τὸ μου ἑταίρους κατ' οὔνομα λέξει.
Τοῖς, ἴθι, πᾶν ἔθνος δὸς τὰ σὰ τέκνα τότε,
Πίστις ὅτ' εἰλικρινὴς, Ἐλπίς τ', Ἀγάπη τε, καὶ ἑπτὰ
Τάνγε διδασκόντων, δῶρα διδόντα χάριν,
Νικητήρια κακίης Ἀρετὴ, καλά τ' ἤθεα, πάντας,
Τῇ ἐδίδασκον ὁδῷ, ἄξει ἐς ἄκρα πόλου.

Sinite paruulos venire ad me. *Luc.* 18.

NE prohibete; veni maternas parua sub alas
Turba; sub his tutò tota latere potes:
Accurre; en patuli, qui te foueantque tegantque,
Se plumarum omnes explicuere sinus.
Inuitat pennis, inuitat voce, graduque
Lentè festino sub sua membra vocat.
Vt desideriis, & vt est plenissima curis!
Vt neque somnum oculis, nec capit ore cibum!
Hinc amor, inde timor tenuatos macerat artus,
Proque suis viuit non memor ipsa sui.
Sintque licet varij vario pro semine pulli,
Omnibus æquali mater amore fauet;
Et fauet, & fouet, & sua per dispendia nutrit:
Sat grege felicem se putat esse suo.
Huic similare tuum non dedignaris amorem,
Nate Deo, terris dum reparator ades;
O Solyma! exclamans, veluti gallina sub alas
De se progenitum cogit alitque gregem,
O quoties volui, teque & tua pignora, Diuûm
Pignora, sub pennis esse tegique meis?
Dixerat, & flebat. Sed vos innoxia turba,
Necdum tincta dolis & sine fraude cohors,
Infantes animæ & lactentum millia, quorum
Ipse sibi laudem perficit ore Deus;
Quid meruistis? adeste malis pro patribus: has vos
Frontibus impositas suscipitote manus.
Hos, me quisquis amas, ad me sinite vsque venire
Viuentem, curæ qui morientis erunt:
Namque ego, cùm vitæ & cælis ero redditus, olim
Destino, qui mea dent his documenta, viros;
Quos Loiola meo Socios de nomine dicet:
Tum quæque his sobolem gens, age, trade tuam.
Vera Fides, & Amor Diuûm, his doctoribus, & Spes,
Dandaque per septem mystica dona salus,
Et victrix vitiorum & moribus integra virtus,
Cunctos, quâ docui, ducet ad astra viâ.

Initium Catechiſmi Crux.



A teneris aſſueſce Cruci.

Altera natura eſt vſus, ſi priſca merentur
Dicta fidem; & legem condit agendo labor.
Nec minùs vt duris aſſueſcas, proderit vſus;
Quodque negas ferri poſſe, ferendo feres.
Ecce rudes vſu diſcunt elementa puelli,
Quæque nigræ Cadmus pignora ſtirpis habet.
Difficile æquoreas nautis penetrare per vndas,
Vſus inexpertos ni docuiſſet, erat.
Et ſua dat præcepta Fides, elementaque ſcribit,
Crux quibus eſt ſacri dogmatis auſpicium.
Illa tui vel ſigna Ducis, vel imago laborum:
Macte puer, duras diſce ſubire cruces.
Eſt tibi ſors paſſer, tenui quem fune coërces,
Cogis & ad motam ſæpè redire crucem.
Continet hic ludus teneræ documenta iuuentæ:
Lex data quæ volucri, conuenit illa tibi.
A teneris aſſueſce Cruci, *dabit vſus amorem:*
Vt tibi fiat amor, quod fuit antè labor:
Quòve Crucem repetes ſignato ſæpiùs ore,
Hoc magè ſit votis officioſa tuis.

Præcipua Catechiſmi lectio Deus vnus & trinus.



Sic trinus & vnus diſcitur.

DVctrice quid non efficiet manu
Et firmiori pollice præuio
Directus infans? en Magiſtri
Auxilio teretiſque pennæ
Formatur vnus, qui pede triplici
Conſtat character? nil adeò graue,
Quin arte comprendat magiſtrâ
Cerea mens docilis iuuentæ.
Arcana, quamquam pluribus abdita
Fuére ſæclis, quæ Triados latent
Sub inuolucro; ſi docentis
Vox præeat teneris ab annis,
Iam matris almo paruulus è ſinu
Balbutienti voce canet puer,
Quæ noſſe nequidquam laboret
Iunctus Ariſtoteles Platoni.
Qualis, priuſquam limitibus ſuis
Diſcreta mundi machina conſtitit,
Seſe ipſe contemplans ſupremus
Intuitu Pater æuiterno
Verbum (beatæ mentis imaginem)
Cæleſte gignat: qui pariter tremens
Tellusque & æther tres in vno,
Inque tribus veneretur vnum.

Catechiſta peccati turpitudinem explicat.



Teneras mentes hæc terret imago.

Heu genus infelix, lucisque inimica propago,
Sole cadente nigris terram quæ peruolat alis:
Obſcuræ volucres, atráque hærentia pelle
Corpora, & annoſas ſaxis aut rupe recisâ
Induta exuuias, & tetris hirta lacertis,
Infame à triſti ducentes veſpere nomen.
Hinc ſi fortè fauis propior ſucceſſerit vna,
Complet apum teneras mæſtâ formidine cellas.
Fit murmur, ſtridentque alis, ſedemque relinquunt
Vnanimes: fuga ſola placet, pudet horrida vultus
Spectra pati, rictusque feros, morſusque cruentos.
Tantum illis odium, tanta eſt diſcordia brutis.
Fœdius eſt aliud monſtrum, grauiusque timendum
Mentibus innocuis, quas impigra cura Magiſtri
Horrendam ſceleris faciem & furialia membra
Noſſe docet. nil tale vmquam confine timori
Gignit humus, Stygiæ eructant hæc monſtra paludes:
Vipereos figunt morſus, fœdiſſima ventris
Proluuies, atque ora putri ſtillantia tabo.
Quàm primùm hæc teneris ſpecies ſe mentibus offert,
Occupat oſſa tremor: fugiant ſi ſpectra, reſumunt
Attolluntque animos; ſi perſtent, protinus omnes
Præſidium ſpectare fugæ. hoc tutamine conſtat
Certa ſalus, pulchramque parit victoria laurum.

Catechi-

Catechiſta pueros ab inferno deterret.



Sic cautum pueris.

SEdula res amor eſt : ignes & ferrea teſtor
Quæ vidi patrios cingere ſepta focos:
Dum flammam cinxit, puero bene cauit. at ipſe
Frendebam artifices in mea damna manus.
Sæpè dabam lacrymas, quòd ſic arcerer ab igne:
Sic tamen arceri vita ſalusque fuit.
Nam quoties flammâ ductus pueriliter aureâ
Senſiſſem exuſtas igne furente manus!
Turba ſumus pueri ſimplex & neſcia damni,
Vmbraque neſcio quæ nos ſpecioſa capit.
Hoc tamen eſt leuius, quàm ſi labamur in ignes,
Quos ſcelus & nigri regia Ditis alit.
O miſerum! tantus ſi quem deceperit error,
Par illis non eſt vlla querela malis.
At benè conſuluit cæcæ Loiola iuuentæ,
Omnibus auxilio promptus adeſſe ſuo.
Ille rudes animos, & adhuc ignara malorum
Corda vetat damno tam propè ſtare ſuo.
Ille Stygis flammas, purgandaque crimina flammis
Vt vitent, facili ſpem docet eſſe fugâ.
Nec docuiſſe ſat eſt: exemplis fortiùs vrget,
Verbaque ab exemplis non leue pondus habent.

Catechiſta docet pueros orare ante refectionem.



Non capit antè cibum.

FIt facile, à primis ſi quid condiſcitur annis:
Naturæ vires doctor & vſus habent.
Adſpicis ad pueri nutum ludentis, in altum
Diſcat vt erecto corpore ſtare canis?
Nec capit ille cibum, dominas niſi ſupplice geſtu
Et ſibi munificas hæſerit ante manus.
Vidit amor; viſumque ſuos conuertit in vſus,
Credidit & pueris hæc valitura ſuis.
Diſce puer, dixit, precibus placare Tonantem:
Nec niſi adorato Numine liba pete.
Præuia crux epulas, crux pocula præuia ſignet:
Paſcitur his animus non minùs atque dape.
O benè! quòd monitis pueri ignorantia ceſſit,
Frenaque iam præceps debita orexis habet.
Loiolæ pueris amor ingenioſe colendis,
Præmia ſoliciti magna laboris habes.
Moribus ingenuis formata eſt flexilis ætas,
Vt recreet canos culta iuuenta ſenis.

Caſta

Casta conuersatio.



Tangor, non tingor, ab vndâ.

ODE Πινδαρικὴ FABVLOSA.

Strophe.

Tangitur vndique cygnus, non tingitur,
Olor procul hinc Ledæus abesto.
Nec tibi, Regia Stheneli proles,
Cygne, per Eridanum Phaëthonta peremptum
Ploranti, patet hic lacus;
Qui numquam cæloque Iouique
Te credis, missi memor ignis ab illo:
Hunc incendia Sodomæ nil metuentem
Inter contraria flammis flumina Cupidineis

Antistrophe.

Plurima subleuat auræ vis, sæpè petentem
Polos, prope diuûm tecta, volatu.
Nunc, mediis quasi rubus in flammis
Integer, aut medio Gedeonis in imbri
Vellus nil madidum, velut
E terrâ nil terreus exit
Fons, siccus medios ita pernatat amnes.
Tempe per tua volucres concute pennas,
Arsit quem Phyllius, & tu factus olor, ex Hyrie

Epodos.

Nate puer; cole, quod saluum te nescia mater,
Flendo dum liquitur,
Tuos stagnum fecit in vsus.
Et vos discedite cygni,
Veneris qui iuga collo ducitis; Idalius
Iunctos maternis curribus hinc Stygias
Vos agitet puer in paludes.
Tantùm illibati nant hoc in flumine cygni.

Fructus

Fructus conuersationis Sociorum cum proximo.




Dulcior inde
Vt redeat.

QVisquis amas castos vitæ sine crimine mores,
Loiolæ cœtum, cui socieris, ama.
Nec pigeat monitis præbere fidelibus aurem,
Factaque præceptis consona ritè sequi.
Illi te facili ductu transscribe regendum,
Exiguique morâ temporis alter eris.
Vidi, qui nullâ fuerat tractabilis arte,
Paulatim mores hîc posuisse feros.
Huc veniat, nullo impurus violabitur igne:
Huc veniat, nullas quæret auarus opes.
Qui cadit è cælo nimbis pluuialibus imber,
Cærula, si nescis, æquoris vnda fuit.
Eductam medio suspendit in aëre Phœbus;
Hinc dulci nubes roscida manat aquâ.
Ergo quòd pecori, quòd labitur vtilis herbis,
Munera congressus sunt ea, Phœbe, tui.
Quisquis es in sacrum te, cùm vacat, ingere cœtum:
Huic solis, pluuiæ laus tibi cedet aquæ.

IMAGO

IMAGO PRIMI SÆCVLI SOCIETATIS IESV.



LIBER QVARTVS.

SOCIETAS PATIENS, SIVE DE ADVERSIS QVÆ SOCIETATI CONTIGERVNT.

CAPVT PRIMVM.

Singulari Numinis prouidentiâ, & paterno amore, aduersa in Societatem immissa.



MALE querulum est in rebus aduersis genus humanum; quando non nisi amicum & fortissimum quemque rebus arduis asperisque exercet Parens ille magnificus, virtutum non lenis exactor. Superiorum consule exempla ætatum. Quos Deus optimos esse, quos clarissimos vult, ærumnis obiicit; in occasiones intentus, quibus suorum virtus enitescat. Hanc dum explorat, in lucem protrahit: dum probat, perficit: dum vexari agitarique sinit, claram toto orbe atque illustrem facit; quæ sine aduersario marcesceret alioqui, & ingloria suis periret in tenebris. Societas IESV magnum satis orbi documentum est, ita validè concussa, ita vndique impetita & agitata, vt ferè non multò minus prodigium sit, omnino potuisse consistere, quàm in eam quam cernimus molem vno sæculo excreuisse. Sed nimirum quod ille ait: *Non est arbor solida, nec fortis, nisi in quam frequens ventus incursat: ipsâ enim vexatione constringitur, & radices certiùs figit.* Libétne vltrà Dei consilium expendere? dum suos exercet, in hoc laborat, vt se dignos faciat. at maiores nostros dignos se, dignos præterea IESV nomine facere placuit: ne aut gratis accepisse viderentur tam honorificam appellationem, aut gerere otiosè. IESVM enim

Amicos exercet Deus: Senec. de Prouid. c. 1.

Ibid. cap. 4.

ideò & Societatem IESV:

pati ſi oportuit, eos quid exſpectare par fuit, quos eodem nomine viſum inſignire? agendo igitur & patiendo fortia orbi oſtenderent, vocatos ſe non magis in ſocietatem nominis, quàm in ſocietatem paſſionum eius: tantoque fortaſſe duriora ſcirent toleranda, quantò differentius nomen hereditaſſent. Quare deſinant tandem arrogantiæ notam nobis inurere, qui expendent primi ſæculi Patribus nomen iſtud, omen ſemper & præſagium fuiſſe impendentium ſibi quoque Dei cauſsâ calamitatum: nec materiam vanitatis, ſed virtutis incitamentum, exemplumque in arduis, ſolatium in aduerſis. Hæc è Manreſano ſeceſſu inſignia Ignatius extulit: hæc è cæleſti viſo hauſit: quo propitium quidem fore IESVM didicit; ſed cum cruce interim quaſi ad ærumnas præire. Exinde probra, contumelias, vexationes, aduerſa omnia Domini veſtem appellare ſolitus: quâ hanc profeſſos militiam indui optabat, ſimulque meminiſſe, cui ſe Duci, quibúſve modis probare deberent: atque in omnibus laborare vt boni milites CHRISTI IESV. Si fortes eſſent; in caſtris periculoſa fortiſſimis imperari: ſi virtute animoque præſtantes; lectiſſimos in arduas expeditiones mitti: ſi vitæ contemptores, ad vulnera mortemque intrepidi; iſtiuſmodi primâ in acie collocari. interim de imperio Ducis queri neminem: de iudicio delectuque omnes ſibi gratulari. Nec illa Macedonum pulchra phalanx, omnium Alexandri bellorum comes & ſocia, ſe vmquam præ ceteris doluit exerceri. nec illa ſub Gedeone trecentorum militum exigua manus, ſe præcipuè queſta eſt hoſtibus obiici, aut immenſæ multitudini in victimam & prædam dari. Periculi contemptorem quemque faciebat tam honeſtum de ſe iudicium Ducis, imò Dei. Digna eſt immortalitate alterius Ignatij, ſanctiſſimi Martyris, è vinculis & cruciatibus illa vox: Nunc incipio CHRISTI eſſe diſcipulus. quaſi tum primùm deprehendiſſet veteranus miles, præclarè de ſe CHRISTVM ſentire. Habet profectò (quæ Dei benignitas eſt) habet & Societas IESV, quòd de Ducis ſui iudicio ſibi gratuletur. Nec degener eſſe, nec ignaua primo ſæculo probata eſt. Sordida puluere non indecoro, vulneribus & ſanguine formoſior, inuenta eſt digna, quam ſuam IESVS agnoſceret. Habent & vnde gaudeant maiores noſtri; quòd ante alios digni habiti ſunt, in quibus ſpem atque indolem ſtirpis totius exploraret, an meritura videretur poſteritas omnis pro nomine IESV contumeliam pati. Ingens beneficium; Doctori Gentium tum quoque promiſſum diuinitus, cùm primùm iuſſus eſt coram Gentibus & Regibus nomen iſtud portare: quòd ea calamitas virium noſtrarum quoddam experimentum eſt, & diſciplina virtutis; ſiue poſt feliciter ſuſceptos ſuâ cauſsâ labores, conſummatæ virtutis complementum, diuinæque indicium approbationis. Id Xauerius, id inclyti tolerantiâ viri agnouêre. Quorum ille dicere ſolitus, ſuſpectum eſſe, diu carere aduerſis; idemque videri ſibi atque non fideliter CHRISTO militare. iſtis verò triſtes ærumnæ, & ærumnis addita feralis mors, laborum merces eſt optata ſæpè, ſæpè quæſita; & digna emi ſanguine ſuorum operum corona. Quid aliud quàm pœnam atque ſupplicium dicerent cæci mortales? iſti rerum benè geſtarum præmia vocant. Nec falsò; quando & ſuis priuatim apud Deum meritis noua hinc fit acceſſio;

Philipp. 3.
Hebr. 1.
2. Tim. 2.
Iudic. 7.

cessio; & præclara publicè ab se inchoata opera, certiora capiunt incrementa. Semina diceres, & terrâ priùs obrui debere, eò latiùs exuberatura, quò grauior hiemis præcesserit inclementia. Circumferte oculos, si placet, quà per orbem diffusa Societas est; vaticinanti tandem credetur Ignatio. Euentus docet nusquam creuisse feliciùs, quàm vbi vulgò fuit depressa magis; nusquam etiamnum lætiùs florere, quàm vbi duriùs fuit agitata. Grati agnoscimus: insectationes hactenus pro laudibus fuêre, & clades ipsæ pro incrementis. Quis vel emendas non censeat, aliorum culpa si absit & offensa Numinis? qui obesse crediderant, profuêre: & quod demoliri laborabant, prouexerunt opus: non tam mole iam suâ, quàm illorum agitatione solidè firmatum. Segnia, ignaua, contempta sunt, quæ nemo excitat, nemo iactat aut mouet: otio ac desidiâ elanguebunt. Clara, & in æuum duratura, gaudent perpetuo motu. Sol sideraque, semper irrequieta; viuida semper & integra sunt: nec vmquam effulgent gratiùs, quàm cùm priùs sub opacâ nube latuêre. Sed à cælestibus ad humana descendat cogitatio. Quæ res alia Regnorum Rerumque publicarum exitium est, quàm sine motu alta quies, sine bello pax atque securitas, sine aduersis nimia felicitas? hinc otium existit: hinc abundantia earum rerum quas primas mortales ducunt. atque hinc nasci vitia necesse est, quolibet hoste magis formidanda. O benigna in Societatem æternæ Mentis consilia! quàm prouidè per aduersa, noxia remouit! ne illam aut è quietis rebus ignauia, aut ex secundis insolentia caperet. Si florentem conseruare, beneficium est, quo id pacto certiùs facere potuit? si propagare, quo potuit feliciùs? In lucrum omnia & commodum vertit. Sinistro rumore atque sermonibus quid factum, nisi vt verè innotesceret? iudiciis & quæstionibus, nisi vt cum laude approbaretur? iactatione tam multiplici, nisi vt, facis instar, clariùs reluceret? exsilio & fugâ, nisi vt, dum alias quærit sedes, diffunderetur latiùs? Stat igitur inuicta hactenus: vtrique fortunæ par: suis erudita successibus, quæ aduersa vulgus nominat, in beneficiis habere. Id nunc agit hoc triumpho sæculari: orbi testatum vult, amplecti se illa vt Dei dona, vt paterni amoris pignora, vt incrementorum suorum certissimas caussas: omnis vt retrò posteritas, in tristibus afflictisque rebus magis quàm in lætis spem, fiduciam, gaudium ponat, quamdiu de Societate IESV se dicet.

feliciùs creuit, vbi grauius agitata.

id nunc grata agnoscit.

Age verò quisquis nobiscum ortas primo sæculo tempestates intuebere, quid nisi vndique turbatum mare ingredi te credes? en quantum ab Aquilone insurgit malum! quàm atra nox ponto incubat, quàm densæ tenebræ! procellæ vndique & decumani fluctus: nullo littore fida statio est. conspirant in vnius exitium cymbæ, recentis adhuc & necdum satis firmis laterum compagibus aduersus inimicum imbrem & infundentes se vndas. Obruendam igitur aliquando censuere sæculi prudentes, tantasque tempestates non euicturam. idem & nostri (fatendum est) spem inter metumque, timuere non semel: nec minùs anxiè ad Deum confugêre, quàm ad IESVM Apostoli in nauiculâ dormientem. Sed nimirum etiam hac cymbâ IESVS vehitur. quod igitur illi *Cæsarem vehere & fortunam eius*, id nobis IESV nomen portare securitas

 est,

est, simul & periculi caussa. Tanto vectore cur diffidat, spémve abiiciat trepidis in rebus? cùm opportunum fuerit, *imperabit ventis & mari, & fiet tranquillitas magna*; nouis interrumpenda tempestatibus, ne in perniciosiorem nobis malaciam vertat: verùm vt semper solicita, prouida semper & circumspecta, semper intenta periculis, inter angustos vtrimque scopulos, syrtes inter & breuia, gnara omnibus prouehi ventis, inoffensum teneat diuinæ gloriæ cursum.

CAPVT SECVNDVM.

Ante confirmationem, vniuersam Societatem exstinguere conatus dæmon in capite Ignatio.

Turba in Ignatium,

ODium Satanæ, malè sibi metuentis à nouâ cohorte, prima & verior turbarum caussa. Quid non egit ne coalesceret? quam adultam non tam facilè opprimendam intelligebat, in Ignatio Ductore vnâ operâ omnem laborauit exstinguere: in capite totius vitam corporis, messem in semine, in radice arborem, in fonte riuos. Ignatium igitur palàm, Ignatium clàm atque ex insidiis aggressus est; nunc improborum hominum odio & apertâ vsus impietate, nunc piorum quoque virorum sæpè non prudenti zelo, specie recti deceptorum. Pro omni telo infamia placuit: eam Ignatio insignem si inurere posset, neminem cum illo initurum societatem. Itaque in Manresano secessu quamdiu delituit sibi vni intentus, non tantùm suam illi integram constare famam passus est, sed & præclarâ sanctitatis opinione augeri prætereà vulgarique. at vbi de adlegendâ cohorte agi persensit, vbi de faciendis quæstibus animorum; tum enimuerò Ignatij famam lacerare, vitam proscindere, dicta factaque omnia in inuidiam & criminationem vocare; calumniis, vinculis, carceribus, iudiciis id agere, vt, protritâ vbique auctoritate, qui infamem hominem sequeretur, nemo esset. Quocumque pedem inferebat Ignatius, sinistri illum rumores vel iam præcesserant, vel prosequebantur; nec conquiescere sinebant, nisi ab agendâ Dei caussâ ipse quiesceret, inflammandisque hominibus ad pietatem. Compluti primùm, deinde Salmanticæ, mox Parisiis, exinde Venetiis ac Romæ, quasi serie quadam illum insecutæ criminationes. Ter Compluti, non magno temporis interuallo, in illum habita quæstio veneficij atque hæreseos: initio ferè dissimulanter, nisi quòd semel ad quadraginta dies in publicam missus custodiam est. Compluto digressus Salmanticam, nihilo mitiùs excipitur: etiam illic datur in tetrum carcerem, iterum suspectus hæreseos; iniectâ collo prægraui catenâ, sed in quâ triumphasse perhibetur. Vtrobique honestissimâ quidem sententiâ declarata innocentia est; obex tamen moraque iniecta magnis conatibus, quando non nisi post quadriennium de diuinis rebus cum populo agere Quæsitorum decreto permissus est. Inter caussas hæc fuit ex Hispaniâ excedendi. Sed non inferiora illum Parisiis manebant certamina. Hîc nimirum obstruendi erant aditus, ne è florentissimâ iuuentute delectum ageret nouus Ductor.

Compluti & Salmanticæ,

Vix

Vix inchoauerat Parisiis Ignatius consueta sibi pietatis officia; cùm subitò magni exstitere motus ob tres Academicos eximiæ spei, ad Euangelica consilia traductos. hoc primum quasi classicum fuit. Inde maleuolis sermonibus apud Matthæum Ori Quæsitorem sacrum citatur absens; sed vltrò accurrentis fiduciâ calumnia concidit. Mox grauius à Pennâ Magistro illi dedecus comparatur, publicum virgarum supplicium, in eâ Academiâ seditiosorum & improborum iuuenum turpissima ad ignominiam nota. Quod si succederet, actum esset de Ignatij consiliis, obscuratum nomen, eleuata auctoritas; adolescentes ab eius sermone congressuque, infamiæ metu, sponte refugerent. Quis inuidi hostis non agnoscat inuentum? sed contrà omnia ceciderunt. Decreta supplicij turpitudo palàm in illustriorem eius laudem decusque conuersa est. Penna exinde aliique ex Academiâ conciliati Doctores, Gouea in primis, cuius postmodum amicitia, ad aperiendas nostris hominibus Indias, apud Lusitanum Regem admodum fuit opportuna. Imò, quod agebatur, vt ab eius consuetudine auerterentur adolescentes (ex quibus nimirum diuino consilio conflanda Societas erat) contrà factum est. ex eo tempore conciliati sunt magis, Ignatij virtute publico iam comprobatâ testimonio, & longè latèque manante famâ. Igitur non ita multò pòst Faber & Xauerius, & alij deinceps, in eius se perpetuam disciplinam curamque tradidere. Societatis primordia huic fortasse procellæ deberi, non incongruè dixeris. *Parisiis.*

Quid igitur? in nobilissimâ iuuentute tam securè aduersum se conscribi milites patietur humani generis hostis? & (quoniam ita res ferebat, vt Parisiis abiret Ignatius) triumphabundum scilicet excedere sinet? Vltima tentare aggreditur, totisque viribus de integro iamiam discessurum adoritur: si res aptè caderet, vnâ eâdemque operâ omnia eius consilia atque instituta euersurus. Temporum occasione captatâ, quòd admodum seuera in Sacramentarios constituebantur iudicia, libellum Exercitiorum vnà cum Auctore in suspicionem hæresis maleuoli vocant. Neglexit insanam criminationem is quem suprà dixi Quæsitor Matthæus Ori; quòd niti fraudibus omnia calumniisque intelligeret: libellum postulasse, excussisse, approbasse contentus. At negligendam non existimauit Ignatius: iterum ac tertiò Quæsitorem adit, rogat cognitioni caussæ det operam; nihil obtinet. instat tamen, suspecta credo tempora reformidans; ac tandem cum scribâ Doctoribusque nonnullis pænè importunè innocentiæ testimonium impetrat. Prudens consilium comprobauit euentus. præsagiisse diceres orituras in Vrbe tempestates.

Sed hoc nimirum opus, hic labor erat. ad Vrbem, destinatam diuinitus natalem huic Ordini sedem, integrâ famâ ne accederet, callidus hostis agebat; tantò acriùs, quantò propinquior fiebat Ignatius, Venetias iam tenens. Nouam igitur eâ in vrbe aggreditur commouere procellam. Spargitur in vulgus rumor, hæreticæ prauitatis aliquoties in Hispaniâ conuictum, elapsum è custodiâ, profugisse in Galliam: effigiem eius ab Hispanis Inquisitoribus publicè concrematam. Parisiis quoque, quòd iuuentutem peruersâ doctrinâ inficeret, ad sacra tribunalia dela- *Venetiis.*

tum fugâ præuertiſſe Magiſtratuum conſilia. Vulgabantur hæc omnium ſermonibus, iactabantur in circulis; iamque ad Apoſtolicum Nuntium erant delata. Sed irrita rurſùm Satanæ cecidere conſilia; vltrò iudicium poſtulante Ignatio, non tam de ſuâ, quàm de Sociorum exiſtimatione ſolicito, ne qua naſcenti familiæ adhæreret infamia: quando ab Auguſtino ſcriptum meminerat, nobis neceſſariam eſſe vitam noſtram, aliis verò famam noſtram, diuini honoris procurandi potens inſtrumentum.

Sed hæc præludia quædam hactenus, & præuiæ quodammodò velitationes ad decretoriam pugnam. Romæ, in conſpectu orbis terrarum, in oculis Summi Antiſtitis, de ſummâ rei erat decertandum: Romæ iacienda erat alea, ne, firmatis aliquando almâ in Vrbe radicibus, longiùs inde progreſſa Societas, toto orbe diffunderetur. Spes erat nondum omnino maturum nouæ Religionis partum aut præfocari poſſe, aut inſigni ſaltem infamiâ pollui, quæ illius aliquando pro Dei gloriâ conatus omnes labefactaret. Oritur igitur fœda tempeſtas, funeſtior ceteris terribiliorque; quæ quoniam in Ignatium decima eſt, decumanum meritò fluctum appellem: extrema certè omnia minari eſt viſa. Eaque iudicauere maiores noſtri tum fuiſſe tempora, de quibus in itinere apparens Ignatio IESVS ſpoponderat *Romæ ſe propitium fore*. Initium turbarum, detecta à noſtris in concionatore quodam Auguſtino Pedemontano hæreſis Lutherana fuit. Hîc ille furere, familiares ſuos opulentos homines concitare, ad euertenda noui Ordinis fundamenta rabie accendi. Calumnia ſtruitur vulgaturque (vetus fabula) Ignatium Socioſque probris omnibus notatiſſimos in Hiſpaniâ, Galliâ, Venetiis hæreſeos flagitijque compertos: ſed elapſos è Iudicum manibus, ad corrumpendam iuuentutem ſpecie pietatis Romam denique perfugiſſe. Apponitur ad hæc falſus teſtis: qui, quòd olim familiaris Ignatio, eius arcana introſpexerat propiùs, ad ſimilitudinem veri aptiùs cenſebatur dicturus. is vulgo iam credita, ſuâ prætereà firmat delatione, & apud Vrbis Præfectum accuſat inſontes. Fluebant ex ſententiâ omnia: credulas vbique nacti erant aures. ardebat, reſtinguente omnino nemine, odij atque inuidiæ in noſtros homines ingens flamma. abſtinebant congreſſu etiam anteà amici. increbreſcebat quotidie rumor, in Vrbe ſermonibus, apud exteras quoque nationes nuntiis ac litteris, teneri denique Ignatium Sociosque manifeſtorum ſcelerum hæreſiſque conuictos; videlicet vt quas noxij variis locis effugiſſent pœnas, eas iuſto Dei iudicio Romæ perſoluerent, in celeberrimo orbis theatro. Quid ad ignominiam fingi atrocius poterat? quid in naſcentem familiam pernicioſius? Exitum vultis? is fuit, quo illuſtrius argumentum diuinæ in hanc familiam prouidentiæ vltrà requirere nefas ſit. Conuictus in iudicio, actusque in exſilium falſus teſtis, victoriæ initium fuit. quam in reliquos conſpirationis nefariæ principes dum perſequitur Ignatius, prodigium acceſſit. Quis enim neget eſſe prodigium auctore Numine factum, vt in ipſo articulo ferendæ ſententiæ in Vrbe reperti ſint omnes ferè antehac Ignatij Iudices, ex Hiſpaniâ Ioannes Figueroa, Matthæus Ori è Galliis, & Venetiis nuper Gaſpar Doctius? Iudices dixi, an certiſſimi eius innocentiæ

Romæ.

centiæ testes, quasi diuinitus submissi in tempore? Horum igitur non iam litteris, sed ore ac verbis magnificè commendata Ignatij virtus, publicâ sententiâ à Præfecto Vrbis tum omni suspicione liberata est, tum egregiè communita aduersum calumniatores, quorum longè dispar exitus fuit. Hæreseos ipsi flagitiorumque postmodum conuicti, in se retorsêre, quam Ignatio fuerant machinati perniciem. Alter iudicium ignis fugâ præuertit, effigiemque suam pro se Iudicibus concremandam reliquit: æternis tenebris vinculisque alter mandatus. tertius breuî pòst inopinato consumptus morbo miserè interiit, huius se peccati grauiter insimulans. vltimus denique, concionator ille sceleris architectus ac princeps, occultus Lutheri assecla, positâ tandem personâ, ad hæreticorum castra (quod ipsum fuit supplicium longè grauissimum) sese recepit. At Ignatio quanta hinc gloria! optanda certè Societati procella fuit. illustris facta est, quæ latebat in obscuro; innotuitque, iactata sermonibus. Imò & de Satanæ conatibus hoc iudicio debellatum credidit; tum demum à Pontifice Maximo confirmationem sperare ausa. quam (licet extrahente ad annum Guidiccionio Cardinale) tandem obtinuit: siue probatæ iam virtutis testimonium, siue præmium fortiter superatæ tempestatis.

CAPVT TERTIVM.

Post confirmationem sæpiùs exagitata Societas; & quæ turbarum caussæ.

INter sacros Ecclesiæ Ordines Apostolicâ iam auctoritate adlecta Societas tantillum quietis sperare poterat, tamquam iactis solidè radicibus, ventorum tempestatumque securior. sed mox eo honore nonnisi elatam positamque se vidit *in signum cui contradiceretur.* Certatim excitata aduersantium studia; dubio procul fraude atque inuidiâ Satanæ: qui, quam primo in ortu elidere nequiuerat, vbique terrarum persequi statuit, nondum desperatâ victoriâ semel omnem opprimendi. Lubet hîc excitatarum toties procellarum quas deinceps narraturi sumus caussas ex Orlandino semel exponere sigillatim. *Necesse,* inquit, *non est turbarum huiusmodi caput ab Satanâ auctore repetere: qui suum dominatum exercens in regno vitiorum, quidquid honesti sanctique inter mortales apparet, in ipso statim exortu conatur opprimere. Nota sunt in sanctam* CHRISTI *Ecclesiam nascentem ac teneram, nota in peculiares cœtus commota bella; siue olim Monachorum, siue posteà Mendicantium: contra quos non alieni modò à fide Catholicâ, sed qui huius defensionem sinceramque custodiam maximè profitebantur, acerrimè exarserunt. Igitur Satan cùm tantum oderit bonos, & ad elidenda honesti semina tam vigil excubet, tam violentus assurgat; mirum non est, si in Societatem immani quâdam & inexplebili rabie sese infert, nempe in eum Ordinem, qui bellum aduersus eum adeò fusum & graue suscepit, inter Ethnicos, inter hæreticos, inter Catholicos tanto conatu, tot machinis, tamque aptis ad euertendam diri monstri tyrannidem. Hominum porrò (vt missos faciam prorsus ab Christiano nomine alienos) genera duo potissimùm sese*

Part. 1. Hist. Societ. l. 15. num. 34.

Prima caussa, odium Satanæ:

Secunda, malitia hæreticorum & improborum: *aduersaria præbuere, hæretici, vitiosique Catholici. Quorum item in aperto caussa est. Quippe virtuti cum vitio numquam magis conueniet, quàm calori cum frigore: & quemadmodum hæc, si propè admoueas, pugna cooritur; ita, nisi remoueas te ac seiungas, sed prodeas in aciem, & vitium aggrediaris, exsistet pugna stabitque, donec altera pars alteram ad sui similitudinem commutet, ac victoriam ferat. Quod cùm ita sit, si quando tempus incideret, quo tempore Societati pax esset, pro deterrimo equidem interpretarer indicio. Nam quamdiu quidem instituta sua retinet, argumentare, si pugnam non vides, vel iam debellatum cum mundo, eique similem factum, quod optandum potiùs quàm sperandum est; vel eam suo loco motam, & factam similem mundo, quod Deus auertat. Præter hæc duo genera, certos quoque homines interdum aduersarios* *Tertia, æmulatio.* *habuit hic Ordo ex aliis Religiosorum Ordinibus. Ac ne id quidem potest prudentibus mirum ac præter opinionem videri. Non enim protinus cum profano vestitu perturbationes animi exuuntur; numerosisque in cœtibus, hac procliuitate & infirmitate naturæ, illâ impugnatione Satanæ, quis bonos & æquos præstet omnes & concordiæ studiosos? Adhæc hominum ingenia, pro institutione vsuque, atque adeò habitu corporum, adeò diuersa sunt, vt non minor sit in animi vultu quàm in faciei figurâ varietas. Hæc illos studia, alios delectant alia: nec pronius quidquam est factu, quàm vt quisque quæ iudicio ac sententiâ improbat, etiam voce ac sermone condemnet. Igitur assueti suis institutis viri, cùm quædam noua caput extulere, consequens videbatur, vt, cùm sua amarent probarentque maximè, ab iis discrepantia refutarent. Nam quotus quisque est tantâ vel charitatis amplitudine, qui alienos complectatur ac suos; vel æquitate sapientiæ, qui res vti sunt, in suo quamque genere, neutram in partem præiudicij inclinatus ponderibus, iusto libret examine? Accedit quòd Societas non solùm à veteri Religiosorum formâ habebat multa diuersa, sed, vt Instituti poscebat ratio, exteriora quædam insignia, & stata seueritatis experimenta non assumpserat: commouetque nescio quem sensum, si quem videas eadem tecum profitentem conditionibus non iisdem implicitum, & quasi stadium idem decurrentem non pondere pari grauatum. Docet quidem prudentia non idem à quouis petendum. Sed tamen ipsi Baptistæ magni discipuli peræ̀grè ferebant, quæ ipsi assumebant ieiunia, non item ab Apostolis suscipi. Hæc autem in exoriente Societate conspecta, multò poterant vehementiùs commouere, quòd vitæ genus ab ipsâ susceptum etiam probabatur in vulgus. Super hæc recentis huius assectæ disciplinæ cùm totos se in proximorum dedidissent vtilitates, nullumque prætermitterent pietatis ministerium, quorum multa Religiosorum veterum multi tractabant; nisi egregia quædam pietas pænè obstupefecisset sensum, necesse erat eos compungi. Paucorum enim est illa Apostolici* Philip. 2. *pectoris generositas,* Dum omni modo, siue per occasionem, siue per veritatem CHRISTVS annuntietur; & in hoc gaudeo, sed & gaudebo. Luc. 9. *Quin potiùs ex intimâ erat scholâ* CHRISTI *qui dicebat:* Vidimus quemdam in nomine tuo eijcientem dæmonia, & prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum. *Amat plus nimio naturæ contumacia, quod singulare existimetur ac proprium. Ex hoc autem capite oriebatur duplex præterea metus, ne & studiis Religiosos ad Ordines adspirantium, & liberalitate benignè facientium aliò auersâ, ipsi aliquando cùm disciplinæ, tum vitæ subsidia desideraturi essent. Quibus rebus qui miratur quempiam fuisse commotum,*

is

is naturam hominum ignorat, nec statum animaduertit, in quo CHRISTVS *Dominus suam reliquit Ecclesiam: cui ad vincendum maluit suppeditare vires, quàm pugnæ caussas, & victoriæ decus adimere. Par caussa ludimagistrorum nonneminem incitauit, cùm scholis quas Societas publicabat, & lucra ipsi interuerti, & aditus ad crescendum intercludi putarent. Fuere etiam è Præsulibus quidam aduersi, nomine quidem ac specie, quòd iura Societati ab Apostolicâ Sede concessa potestatem eorum conuellerent: sed vt reuerà his omnium leuissima fuit caussa dolendi, ita non multos priuata quæpiam perturbatio transuersos egit. Pars maxima intellexere, ad leuandas eorum conscientias missum id à Deo subsidium.*

Itaque summa capita vt perstringamus, tria quædam præcipua sunt. In hæreticis improbisque pertinax odium nominis nostri, & aperta maleuolentia. In quibusdam Catholicorum, vt modestissimè dicam, zelus non secundùm scientiam, præfestinatumque iudicium non cognitâ caussâ, coniunctum cum ignoratione vitæ rerumque nostrarum. In aliis quibusdam æmulatio impatiens lucis alienæ; præsertim vbi periculum est, ne de quæstu suo commodisque decedat aliquid. His ferè è fontibus inde ab initio illa in Societatem odia fluxere, hinc illa bella enata, quibus toto iam sæculo iactata est: neque tranquillitatem magis sperat, quàm suos inter fluctus Petri nauicula. quâ cum impeti agitarique ab hæreticis, vexari ab improbis, commune est Societati nostræ; id per impios ministros agente Satanâ, illam vt deprimat, cuius ope non parum extolli Ecclesiam videt; exosam, inuisam, execrandam vt reddat, quâ diuina bonitas vti dignata est, non infimo suæ gloriæ instrumento; irritosque illius reddat conatus, cuius, ob eruditionem pietatemque præstantium virorum, tanti fieri cernit auctoritatem. Et miramur, si in illam Reges & Principes, si liberos in illam populos, si in illam celeberrimas Vniuersitates sacrosque Præsules concitare est conatus? Illudit mortalium mentibus ingenti vmbrâ; verâ an falsâ, perinde habet: & de nihilo terribiles obijcit rerum tristium species ac timendarum. Regibus vitæ pericula, & nescio quem timorem funestæ cædis: quam per Regulam Iesuitis imperari (vide quò progrediatur calumnia) Gustauus Suecorum Rex etiam nuper asseruit. Populis rumores ingessit turbatæ semper Reipublicæ & pacis, ab istis hominibus motuum omnium turbarumque auctoribus, assentatoribus Principum, & pessimis consultoribus; quorum consiliis accepta referunt, si qua duriora sunt Magistratuum imperia atque edicta. Vniuersitatibus Præsulibusque imminutionem obijcit potestatis suæ atque auctoritatis, violationem priuilegiorum iuriumque suorum, in quæ scilicet per fas & nefas inuolare laboret Societas, vlli subesse nescia aut cedere; vnius nixâ auctoritate Romani Pontificis, cui ex voto & sponsione singulari totum orbem subiugare conetur, prodere Regna atque Imperia, subijcere Regum colla, vniusque istius Summi Antistitis stabilire Monarchiam. Dici non potest, quantis hæc amplificata figmentis sparsa fuerint in vulgus, quàm traducta inuidiosè. Per regiones circumducemus Lectorem, breuibus multa complexi, quæ Annales nostri prolixiùs dabunt.

Inuisam reddere conatur Satanas.

Silu. de Petrasanctâ in Epist. Molin. cap. 9.

CAPVT QVARTVM.

Motus in Italiâ aduersus Societatem.

Turbæ leues Romæ:

IN Italiâ (vt inde ordiamur, vnde in reliquas ſparſa Prouincias eſt) quoties in confirmatam Societatem deinceps quoque mota tempeſtas? quoties Romæ, poſt cauſſam tam ſæpè deciſam, imploratis iterum iterumque tribunalibus, ipſi quoque Ignatio laborandum fuit, ne qua Societati vix ortæ aſpergeretur labes, & maleuolorum ſermo partas iam laudes & bonum nomen obtereret. Leuibus quidem primò ex cauſſis, quaſi malè ſopitis igniculis ſub doloſo cinere; ſed erupturis aliquando, nî maturè opprimerentur, in magnum incendium: aut turpi ſaltem fumo & fuligine ſuſpicionum denigraturis integram hactenus famam Societatis. Nunc ab inſano amatore periculum fuit, frementc turpes ſibi ereptas delicias; viro acri, in Pontificis aulâ gratioſo, nec manu minùs prompto, quàm linguâ. Nunc ab occultis criminatoribus, qui modò Pontificis, modò Cardinalium aures inanibus implerant ſuſpicionibus, auerterantque à nobis. Nunc ab externâ Ludimagiſtrorum petulantiâ, qui noui gymnaſij nomen famamque doctrinæ, quantam poterant, in inuidiam vocabant. auſi & ſuis effuſi palæſtris, cum laſciuiente diſcipulorum turbâ, fores quatere, conuulnerare feneſtras, oblatrare docentibus, mediaſque in exedras petulanter irrumpere. officiebant ſcilicet eorum oculis felicia ſcholarum incrementa, & probata in vulgus docendi ratio; nouorumque magiſtrorum gloriam, vt fit, ſuam interpretabantur infamiam atque contemptum. Sed miſſa faciamus iſthæc leuiora, & nulli ferè Prouinciæ Collegioque non communia. De ſummâ rei Romæ iterum vt decertatum ſit, videamus. neque enim coortas domi procellas diſſimulare eſt animus, quando in iis ſingulare elucet Dei patrocinium ab inteſtinis ſimul externiſque machinationibus ſuam hanc familiam defendentis. Quod viuo Ignatio toties fruſtrà Satanas tentauerat, id eo recenter vitâ functo feliciùs confecturum ſperauit: nec iam per externos rerum noſtrarum rudes, ſolâque fortes maleuolentiâ & nocendi cupiditate, ſed domeſticorum ope, eorumque virorum, qui & ipſi è decem Sociis magnæ auctoritatis doctrinæque præclarâ cum laude in Societatis muneribus multos iam annos erant verſati. His auctoribus ipſos in exitium ſuum armare Socios inſtituit, & cohærentem illam ab vno capite inter ſe ſoluere compagem, antequàm Societatis inſtituta primo iſto generali conuentu ſemel approbanda, nullâ ampliùs poſſent tempeſtate conuelli. Dux fuit Nicolaus Bobadilla, vir acer, magniſque ſuis laboribus egregiè vtilis; ſolitus tamen è liberâ potiùs quadam charitate (ſic ipſe nominabat) quàm exactâ Regularum normâ Religionem metiri. iamque è Profeſſis in ſuam ſententiam traxerat quatuor. Socium nactus erat Pontium Gogordanum, laborioſum hominem, & operarium planè bonum; ſed præfracti nonnihil ingenij. Æternum erit poſteritati exemplum illorum cæca temeritas, dicam, an ambitio. Summam rei manifeſtum in diſcrimen adduxêre.

grauiores à Bobadillâ & Pontio.

adduxêre. Inciderant nempe tempora, de quibus illud poterat vſurpari: *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.* funeſto illo Regnorum Rerumque publicarum fato, vt, poſtquam ingenti labore in altum creuere, in ſe tandem vires vertant & manus. Et quàm propè ab exitio tum Societas abfuit! Exceſſu Ignatij orbata erat capite: inter Patres qui conuenerant domeſticæ erant diſſenſiones, foras quoque perlatæ in vulgus ab ipſis auctoribus, peſſimo exemplo. E primis decem Sociis, qui vniuerſim quinque erant ſuperſtites, duo Bobadillam ſequebantur: nondum erant approbatæ Conſtitutiones, nec ſatis certa viuendi norma: Cardinales ſiniſtris occupati ſermonibus delationibusque; nec minùs Pontifex, qui & ſuâ ſponte non omnino propenſus, & priuato, vt ferè fit, hominum genio ſua adamantium, & quæ ipſi ſapienter inſtituerunt ea putantium prima (erat enim Paulus IV. vnus è primis fundatoribus Clericorum Regularium, quos Theatinos vulgus nominabat) Societatis Inſtituta non probabat omnia, dudumque aliquid in iis mutare moliebatur; ſignificaratque non ſemel, ex noſtro & ſuo Theatinorum Ordine vnum poſſe conflari. Hoc tamen tam difficili tempore inuenti ſunt duo Pontius & Bobadilla (quod primorum Patrum numquam credidiſſet ſimplicitas) qui Societatem vniuerſam perditum irent. Nam conſiliis auidè viribusque collatis, ipſi adiêre Cardinales, obtulêre libellos ipſi, ſuſpicionibus concitauêre Pontificem, acriter aduerſus vicarium Lainium contraque Ordinis inſtituta dimicauêre; vt danda profectò Patribus fuerit opera, ne quid Societas detrimenti caperet. Periculi magnitudinem æſtimare qui volet, indicta extra ordinem propitiando Numini pia opera expendat, qualia extremis in rebus ſolent adhiberi: quotidianas (quod tum nouum erat) Litaniarum preces: aliorum per vices quotidiana ieiunia: ter in die aliorum alio tempore flagella: terna qualibet hebdomadâ à ſingulis Sacerdotibus Sacra: repetitas à pluribus eximio feruore ſpiritus exercitationes; præeunte domi Profeſſorum in verberatione publicâ Lainio, in Collegio Natali, quæ & toti vniuerſim Societati extra Vrbem per litteras mandata. Nec omiſſæ interim componendis motibus humanæ prudentiæ induſtriæque rationes, donec cauſſæ cognitio Cardinali Alexandrino (is deinde Pontifex Maximus Pius V. fuit) demandata eſt. Ex eo die ſuboriri lux cœpta, tempeſtasque concidere. indictum ſilentium turbarum auctoribus, prima factioſorum hominum medicina. mox & aliò amandati ſunt, vbi eorum opera expetebatur, non minùs quàm anteà publicè priuatimque prompta & ſalutaris. Iuſſus interim Vicarij poteſtate, vt priùs, fungi Lainius. Tandem etiam Societatis Inſtitutum, quod quatuor Cardinalibus, iisque Ordinum diuerſorum, cognoſcendum dederat Paulus Pontifex, illibatum eſt redditum. Quo haud ſcio an vllum præſtantius ſit teſtimonium de abſolutâ perfectione Conſtitutionum noſtrarum: nihil mutaſſe è diuerſis Religioſorum Familiis ſapientiſſimos viros, & quidem præoccupatos calumniis eorum, qui intimè notas habere exiſtimandi erant; eo Pontifice, cui iamdiu non omnino probari videbantur. vel ſolum illud tam nobile iudicium, an non ſatis magnum commodum eſt, quod ex eâ tempeſtate Deus elicuit?

Non ideò tamen ſecura erant omnia; nec deductus ab eâ mente Pontifex (quamuis diſſimularet) quâ mutari quædam velle in Inſtituto non ſemel inſinuauerat. non quieturus, niſi, vt in Rep. homo acer paſſim multa mutabat, in eam quoque formam Societatem redigeret, quam animo ipſe comprehenderat. Ea forma duo quædam complectebatur addenda Conſtitutionibus: vt Præpoſitus Generalis non perpetuus, ſed in triennium foret; & pſallendi in Choro induceretur conſuetudo ritu Clericorum. grauiter hæc poſtmodum ſeuereque iniunxit, vſus ſupremâ in omnes Ordines auctoritate. Pugnabat vtrumque cum noſtris vitæ rationibus, & Ignatij mente decretiſque in primis, qui vtrumque multis magniſque expenderat momentis, & à noſtro Inſtituto remouerat. Parendum tamen reuerenter in præſens fuit Summæ in terris Poteſtati, donec iudicio Cardinalium morte mandantis ea iuſſio exſpiraret.

Exagitatur Societas in Mõte Politiano: Dum hæc domi turbantur, inchoatur in Monte Politiano Collegium ſucceſſu optimo, ſed qui in inſignem poſteà tragœdiam verſus eſt. Neſcio an alibi maior nomini noſtro aſperſa infamia in turpiſſimo genere vitiorum; ita ad ſimilitudinem veri adornatis criminibus, vt auerſa à nobis optimorum ciuium voluntas & beneficentia Collegium tandem diſſoluere coëgerit. Feminarum præcipuè ad ſacra myſteria accedentium & numerus & pietas erat inſignis: ergo aliæ intra monaſterij ſepta ſe abdere, Deoque deuouere, aliæ pudicitiam fidemque coniugij colere quàm ſanctiſſimè. Lapis offenſionis hic fuit. nam fruſtrari neceſſe erat vel humana multorum conſilia, vel flagitioſas fœdaſque cupiditates. Inde iis, quibus affinitatum & coniugij præſcindebatur ſpes, nonnulla indignatio; ceteris, qui ab deſtinatis flagitiis deiiciebantur, dolor ac furor. Hi præcipuè admouendas omnes machinas ſtatuunt, vt Societatem è Politiano præcipitem exturbent, & cum infamiâ. Certiſſima illa viſa eſt via, ſua in illos probra coniicere; idque eos inſimulare, quod prohibiti eſſent ipſi per eos. Spargitur in vulgus calumnia impudens de vi intentatâ fugienti feminæ à quodam Ieſuitâ. non Ieſuitæ nomen, non feminæ edebatur: nec vbi aut quando id accidiſſet. Comprehenſo rumoris auctore figmentum euanuit. Vbi facta non ſuccedunt, verum crimen conantur inducere; callidiſſimæ meretriculæ magna præmia pollicentur, ſi quem Patrum ad flagitium pelliciat: ſed, quæ Dei ſuorum pudicitiam vbique protegentis benignitas eſt, irritæ omnes inſidiæ fuere. Tertia ſtruitur techna, quæ plurium ſermonibus magis inualuit, conflauitque infamiam: vnum ſcilicet è Collegio noctu conſpectum, dum furtim ad meretricem ingrederetur. neque iuſtâ res ſuſpicione caruit: noſtrum enim habitum erat ementitus vir quidam ſceleratus, vt demum ipſe morti proximus palàm teſtatus eſt, & nos mox referemus. His aliiſque in dies ſermonibus iam ſimplex populus à Patrum conſuetudine abhorrebat. Adductus & in ſuſpicionem Rector Gambarus ob frequens colloquium cum piâ honeſtâque matronâ; ſorore æmulâ flammas inuidiæ accendente apud fratrem primarium virum. Is ad Lainium ſcribit, Gambarum vt auocet, fama interim, compertum flagitij Rectorem breuî ablegandum; additæ

ditæ aliæ ſuper aliis criminationes, quin & fictæ amatoriæ litteræ. Vim additam memorant, poſitaſque Gambaro necis inſidias: aut ſaltem is vulgatus eſt rumor. quæ demum techna ad fugam eam compulit, ſuccumbentem ſuſpicioni timorique, qui veri criminis expers ſemper fuerat. Miſſi continuò alij, qui Collegio ſarcirent auctoritatem. ſed iam reſtingui non poterat incendium: idque agebant aduerſarij, vt feſſi victique tædio Patres vltrò ſibi conſciſcerent exſilium. Tam multa erant perferenda quotidie, vt iucundè Natalis non id Collegium, ſed domum Probationis vocaret. Iam nihil ſuppeditabatur ad victum: aſſignatum Collegio Præceptoris publici ſtipendium Magiſtratus ſuſtulerat, Præceptore reuocato: ædes quas Sodalitas Grandium conceſſerat in vſus rurſum ſuos liberas eſſe volebat: auerſa omnium ſtudia atque benignitas: nouis inſuper in dies deformabantur maledictis, petebantur inſidiis. Ad extremum, re maturè perpensâ, miſſionem à Senatu petere *& inde* Lainius iubet, & bonâ eorum veniâ è Monte Politiano diſcedere, vti- *diſcedit.* liùs alibi operam poſituros, vbi certatim Collegia expetebantur. Triſte naufragium igitur huiuſce tempeſtatis exitus fuit. illud tamen commodum, quod omnes facilè iniurias triſtiaque compenſet (quis non admiretur inenarrabiles diuinæ Prouidentiæ vias?) quòd per eam ſtationem Robertus Bellarminus Societati datus, tanto totius Eccleſiæ bono. hoc bonitatis & prouidentiæ; iſtud diuinæ iuſtitiæ fuit. Triennio à diſceſſu noſtro tota confictæ infamiæ ſcena retecta eſt. Quidam ciuium, poſt ingentem ſeriem calamitatum, miſerè trahens animam, nullum inueniebat ſæuiſſimæ mortis finem. intellexit immiſſum diuinitus ſupplicium: acciri iubet multos è ciuibus; in quibus fuere Curtius Tauruſius, frater Ioannis Mariæ Tauruſij poſteà Cardinalis, Vincentius Bellarminus, Roberti Bellarmini item poſteà Cardinalis pater, Ioannes Hieronymus Bellarminus Abbas, Ioannes Hercules Minatus, Alexander Buranus, aliique. His omnibus lecto circumfuſis, moribundus ſummo cum doloris ſenſu intermortuis ſingultibus hæc palàm profitetur: *Ego miſer ac perditus is fui, qui habitu hominis Ieſuitæ ementito ad infamiam Patribus conflandam, vt cogerentur Monte Politiano abire (quod, prô dolor! accidit) quaſi vnus ex iis, furtim noctu meretricis domum ingreſſus ſum: vnde iniqua diſſipata in Patres infamia eſt: & propter hoc immane facinus euidenter ſentio Deum eſſe, qui tanto in angore, vti videtis, detinet me, nec ſinit mori. Iam igitur vobis coram omnibus aperio & confiteor indigniſſimum ſcelus meum, voſque obteſtor, vt pro me Deum precemini, vt tantam iniuriam condonare mihi velit, damnumque ac detrimentum remittat, quod ego exceſſu illorum Patrum vniuerſæ huic ciuitati peperi.* Hæc ritè conteſtatus migrauit è vitâ. Res tota mox idoneis ſubſcripta teſtibus firmataque eſt; compertumque, & alios fermè omnes infamiæ auctores miſerrimè periiſſe. Hoc nimirum in repetendo poſtmodum Collegio ciuitatis ſtudia accendit: ſed ante annum M. DC. V. nihil impetrari potuit. Cardinalis Tauruſius, qui primò Politianum venientes hoſpitio exceperat, ante obitum ſuum eos reducere laborabat, vt vna ſeni optimo ea reliqua videretur cura, nec alia ſupereſſe cauſſa longius vitæ ſpatium adamandi.

 Eodem

Eodem tempore turbæ Venetiis.

Eodem tempore, quo motus illi cœperant in Monte Politiano, Venetiis quoque non leuis, minor tamen fuerat perturbatio. Dissimiles exitus quis non miretur? Venetiis facilè composita res Ducis Senatorumque auctoritate, vbi in Politiano non nisi naufragio pacari potuit. Contrà, eo ferè tempore quo de reducendâ in Montem Politianum Societate maximè agebatur, Venetiis educta est. Sed prima videamus. Erant Venetiæ chara admodum Societati sedes, ex quo tempore nauigaturus in Palęstinam Ignatius, à Senatore exceptus illic erat diuino monitu. Venetias item quò conuenirent delegerant primi Patres, vbi, confectis studiorum spatiis, Lutetiâ recesserant: illic gemino in nosocomio ægris primùm ministrarant. Ex eorum numero septem ibidem erant initiati Sacerdotio, atque in eiusdem Reip. oppidis vrbibusque concionum publicarum posuerant rudimenta. planè vt sedem hanc & Remp. adamandi singulares & propriæ maioribus nostris essent caussæ. Collegium in eâ vrbe erexerat ditaratque Andreas Lipomanus, primus Collegiorum in Italiâ fundator, anno superioris sæculi quinquagesimo. Fluebant per decennium ex voto omnia, viuo præsertim Patriarchâ Driedo, qui ad res ferè omnes nostrorum operam feliciter adhibebat. Sed illius obitu versa alea est. Successerat multùm Driedo dissimilis Ioannes Taruisius: hic contrà nisus nihil probabat quod gereretur à nostris; multaque oblocutus, & assiduò spargens noxia, etiam per sacrosancta Euangelia iurasse dicebatur, Societatis homines in Venetâ ditione non diu mansuros. nec dubitauit adiicere væ Clarissimis Senatoribus, nisi fidem sibi habuissent. Triumphabunt hîc, scio, inimici nominis nostri, atque hæc præsagia quædam & omina fuisse dicent earum rerum, quæ quinquaginta ferè pòst annis accidêre; laudabuntque scilicet Taruisij prudentiam, quasi ea iam tum animo prouidisset. Taruisius igitur dudum consilia agitans de eiiciendâ Societate, aut (quæ altera spes erat) de illâ saltem suæ potestati subiiciendâ, multò acriùs ciuium animos concitare aggreditur, per occasionem Sacerdotis cuiusdam præpositi confessionibus Conuersarum, qui magnâ vulgò sanctitatis opinione, sed clàm multa dictu nefaria fecisse deprehensus, supplicio erat affectus. In Senatu igitur, eius instinctu procul dubio (quantum omnes argumentabantur) acerrimè quidam disputant non esse ferendos in Rep. Iesuitas, noxium hominum genus & turbulentum: illos, ceterorum exemplo Religiosorum, intra suos se non continere cellæ ac Monasterij fines, verùm ciuilibus se immiscere negotiis, & ad publicas res porrigere manus: esse Hispanæ factionis, naufragos, extorres, hinc alios, alios inde eiectos: subornare matronas, perque eas quid in Rep. fiat speculari; & per confessiones præcipuè singularum rimari secreta familiarum. Hæc in Senatu quidam cùm disputassent, adderentque diuersi figmenta quàm plurima, inter se pugnantia, nimio criminandi studio (vt est cæca improbitas) alij alios refutabant. Primum bonæ caussæ patrocinium id fuit: alterum, quod deinde (nostris domi huiusce rei omnino ignaris) quidam ex clarissimo Ordine vltrò süscepere, institutâ defensione peramplâ. Deiecti igitur primâ spe Societatis eiiciendæ, illam alteram aduersarij tentant. Negari certè non posse, quin peregri-

peregrinis hominibus periculosè tantum licentiæ concedatur, vt suo arbitratu tam multorum audiant confessiones: recenti exemplo satis superque admonitos, quàm parum cuiquam credendum sit: apponendum saltem custodem ac vigilem qui in officio contineat, nimiamque temperet licentiam; hunc autem non alium quàm Patriarcham esse oportere: nec profectò sinendum, vt istorum hominum nomen, vt gratia, vt potentia in tantum inualescant. Itaque hæc illi cùm dixissent, Senator è primis, qui & ipse acerrimè putabatur aduersaturus, eam contrà defensionem habuit, vt nihil exoptari vltrà posset. Post multa censuit, si quâ de re admonendi Patres essent, id Serenissimo Principi (Hieronymus Priulus tunc erat) commendandum. Ea sententia placuit. Accersitur ad Principem Prouincialis Palmius: ex eo intelligit quæ in Senatu acta dictaque. mox detecto fonte horum sermonum, quem facilè apparebat profluere ex auersâ Antistitis voluntate, ita Principi satisfecit, vt criminationes nihil nisi ad cognoscendam pleniùs Societatem valuerint, augendamque confluentium multitudinem. Multi enim accessere clarissimorum virorum: & qui priùs exteriorem tantùm illius speciem nouerant, vbi per eam occasionem domesticæ quoque disciplinæ præceptis & ordine cognito, eiusdem interiorem formam tamquam animam peruiderunt, pro suâ prudentiâ æstimauere totius quasi fabricæ rationem. Ita non magno negotio, primo in ortu, ea sopita est flamma, Priuli Palmiique prudentiâ, & mutuâ beneuolentiâ vtriusque.

Atque vtinam posteriora tempora Priulum quoque essent sortita! non esset fortasse vnde tam insolenter exsilium Venetum aduersarij nobis exprobrarent; & ij sæpè qui veras eius caussas seriemque aut non norunt, aut in calumniam vertunt. nec tam acerbè in Iesuitas concitare molirentur Reges ac Principes, iactato vbique eius Reip. exemplo, quam sapientissimam prædicant. Sunt quibus operæ pretium visum fuit totos eâ historiâ libros pertexere, ad inuidiam scilicet auctoritatis Pontificiæ, nominisque nostri: cuius criminandi quoties nacti sunt occasionem, sanè quàm liberaliter indulgent. Quo quid proficiunt, si fateri coguntur, non eiectos ab initio proscriptosque Iesuitas, sed suâ sponte abiisse? nec aliâ ex causâ quàm religiosè parendi CHRISTI in terris Vicario, etiam cum vnius Prouinciæ iacturâ? Neque quòd hactenus concessus reditus non est, probro verti debet: non tam illum negari omnino, quàm in aliud tempus reiici Cardinalis Perronius tum Pontifici dixit, ne vlla publicæ pacis esset remora. Restitutâ apud Venetos Pontificiâ auctoritate, suum quoque locum recuperaturos Iesuitas, purgatis tempore suspicionibus: Christianissimum Regem, qui eos Constantinopolim introducere potuerit, non plus negotij habiturum per ditionem Venetam restituendis. Hæc Perronij præsagia tunc erant. ea qui euentu necdum firmata queritur, is meminerit, quemadmodum frugum, ita rerum agendarum quamdam esse maturitatem. Eiecta è Galliis restitutaque tanto cum fenore Societas, vt postmodum referemus, non inferiorem de Venetâ ditione spem facit.

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

In Hispaniâ agitata Societas.

EO lætiores in Hispaniâ fruges cernimus, quò maior illic hibernæ quasi tempestatis antegressa tristitia. Non alia facilè regio nascenti primùm Societati præstantiores submisit viros; non alia tamen in Societatis mores atque instituta inquisiuit acriùs. cunctata diu sua in Regna admittere, quamuis è suis ferè conflatam alumnis; sed nec alia probatam semel perspectamque maiore studio complexa est. Nimirum nec aquila fetum agnoscit, priusquam dubitarit agnoscere. Exercendæ primum Ignatio tolerantiæ tirocinium Hispania fuit: Ignatij vinculis carceribusque suos deinde lætos ibidem successus Faber acceptos retulit; quasi filio præmia virtutis paternæ. Vbi paulatim certæ sedes figi cœpêre, fluctibus turbinibusque agitatæ sunt, aut firmatæ potiùs. Libet è multis Salmanticam, Complutum, Cæsaraugustam exemplum dare. Inchoabatur Salmanticæ domicilium, cursu prospero; cùm ecce repentina tempestas, vnde minimè debuit, à nobili concionatore, Theologiæque Doctore ex S. Dominici illustri Familiâ. Melchior Canus is fuit, memorandus suâ illâ abalienatione ab hoc Ordine, quæ extremâ etiam ætate mitigari vix potuit, cùm ita florentem Societatem videret: exemplum Religiosis hominibus, quò transuersos non agat concepta semel, altiusque demissa in animum sinistra opinio. Fortasse & illud fuit: Cani operâ duas hasce Religiosas Familias inter se committere Satanas tentabat, vt, versis in se viribus, attererent inuicem, mutuamque, in quâ rerum apud populos agendarum acies est, hebetarent frangerentque auctoritatem: eò maiore populi offensione, quò clariora ab iis exspectat charitatis & consensionis exempla, non inconsideratæ æmulationis. Is igitur, quem dixi, Melchior Canus penitus eam opinionem imbiberat, instare mundi nouissima tempora, mox adfore Antichristum; iamque prodromos eius adesse: nostros homines designabat, quos omnino emissarios atque satellites Antichristi palàm & non dissimulanter vbique appellabat: omnes enim istiusmodi asseclarum notas in alumnos nouæ huius Familiæ aptissimè conuenire. Sed non animaduertebat vir bonus, & olim fuisse homines, qui DD. Dominici & Francisci sanctissimas Familias eâdem fabulâ in contemptum vocare conati sunt, eamque iisdem firmare notis, vt apud D. Thomam videre poterat libro Contra impugnantes Religiones. Interim hæc Canus non in circulis tantùm priuatisque congressibus, verùm & è cathedrâ Doctoris, deque suggestu ac pro concione: tantò perniciosiùs, quantò maiori ipse erat doctrinæ famâ, & opinione probitatis. Non populum tantùm, sed & Principes viros nactus est credulos. Sibi cauendum existimabant à nostris: per vicos & compita commonstrabant digitis: ne tradendæ quidem rudibus doctrinæ Christianæ faciebat Magistratus potestatem: vixque aliud supererat, nisi vt tamquam purgamenta vrbis vrbe pellerentur. idque erat apud Academicos agitari & deliberari iam cœptum. Quid faceret hoc rerum

Tempestas in Societatem à Melchiore Cano.
Hist. Societatis 1.p.l.8. num.44.

cap.14.& 25.

rerum diſcrimine puſillus grex? Michaël Turrianus, è Sociis vnus, non ignotus Cano, hominem adit: ſubmiſsè rogat, vt ſuis laborantem initiis Societatem ſuâ malit auctoritate protegere, quàm vexare; erigere, quàm affligere. tum Pontificias adfert litteras confirmationis teſtes, & ſimul quæ ſint recentiſſima Pontificis de hoc Ordine iudicia, qui duos è Societate Theologos ſuo nomine Tridentum ad Concilium miſerit. Nihil ille ad hæc omnia, niſi ſuum illud identidem occinebat, præmonendam fuiſſe multitudinem ne ſe pateretur induci in fraudem: miſerari interim Turriani ſortem, cui ſe amicum dicebat, quòd iis ſeſe imprudens coniunxiſſet hominibus. Non erat igitur hos inter fluctus niſi de prouidentiâ Numinis, ſuos numquam deſerentis, certa ſpes. Enimuerò mox enituit. Ex eâdem ſanctiſſimâ D. Dominici Familiâ, imò & ex eâdem domo (quis credat?) propugnatorem excitauit Doctorem Ioannem Pennam, ſingulari pietate ac doctrinâ virum. Is veritatis ſtudio, diuinique honoris, omnia huius Familiæ inſtituta ſcrutatus, non dubitauit recentem Ordinem iniuriâ vexatum aduerſus collegæ morſus ſcripto etiam litteriſque defendere. Nec modicè ceteri Patres vnius culpâ excitatam doluere flammam: ad eamque reſtinguendam exarſere vniuerſi. Franciſcus Romæus ante omnes, totius ipſe Ordinis Generalis Magiſter, edito ſuis mandato *in virtute Spiritus ſancti, & ſanctæ obedientiæ, ac ſub pœnis arbitrio ſuo taxandis* (ita loquitur) ne quis huic Ordini (quem quaſi præſidiariam manum Dei benignitate ſubmiſſam vocat) aut eius inſtitutis detrahere aut obloqui palàm priuatimque auderet. Paulus quoque III. Pontifex, offenſionum cauſſis maturè opprimendis, Apoſtolico diplomate geminos Antiſtites, Conchenſem & Salmanticenſem, iudices ſtatuerat, tutoreſque Ordinis abs ſe recepti. Ignatius pronuntiatæ nuper in Romano iudicio ſententiæ exemplar miſerat, amplâ ſuis poteſtate factâ quæuis adeundi tribunalia. Verùm omnibus hiſce præſidiis opus non fuit. Nixæ mendaciis calumniæ ſenſim concidêre, partim Ioannis Pennæ ſingulari induſtriâ, partim eorum qui ſuſpecti habebantur perenni ardore in obeundis vel inter procellas muneribus ſuis. Aperuêre tandem oculos malè creduli homines, ſinceriuſque iudicauere de fonte, vnde tanta fructuum manabat vbertas. Ergo ſuſpicionum diſcuſsâ vanitate, tetra illa turbarum nox in diem nitidum lætiſſimumque conuerſa. Nec illud omiſerim diuinæ in Socios prouidentiæ aliud argumentum. Per hoſce dies diuinitus excitata eſt Maria Pimentella Comes Montis-Regij, quæ ſeſe intra Monaſterium quoddam ſub eâdem D. Dominici diſciplinâ collegerat, vt noſtris neceſſaria victui cultuique proſpiceret. An non præclarè ſibi conſtat prouidentia Numinis? ex ipsâ præcipuè Dominicanâ Familiâ defenſionem parantis ſimul & ſubſidium vitæ, vt vtriuſque Ordinis viros tantò ſanctiùs copularet charitas, quantò fraudulentiùs inuidia Satanæ diſtrahere conabatur.

Maior altera minaciorque Toleti exorta tempeſtas: Toleti dicam, an Compluti? certè à Toletanis profecta mœnibus, atque adeò Archiepiſcopi domo, in Complutenſe Collegium deſæuiit, quod eâ tempeſtate in Toletanâ Diœceſi vnicum erat. Suboffenſus dudum, acriùs tandem in Societatem exarſerat Ioannes Silicæus Toletanus Antiſtes. Nec

Alia à Ioanne Silicæo Archiepiſc. Toletano. 1. p. Hiſtor. Societ. l. 11. num. 57.

Nec leuis erat irarum cauſſa, orta à rudibus quibuſdam ac vecordibus Presbyteris, qui etiam bis in die, ſi placet, CHRISTI corporis veneranda myſteria ſuis præbebant reguſtanda, aliosque eiuſcemodi enormes committebant errores. Hos externo cultu noſtris non diſſimiles, ex noſtrorum credidit diſciplinâ profectos. acriter igitur in hoſce Sacerdotes; acerrimè in Societatem exarſit, vt omnium caput & ſeminarium. At veriores offenſionis cauſſæ ab obtrectatoribus & inuidis: inſuſurrabant quotidie in aures Præſulis, Societatis homines in alienâ Diœceſi impunè ad populum verba facere, paſſimque aures arbitratu ſuo confitentibus dare; imò & profiteri, nemini ſe niſi Romano Pontifici in agendis illis partibus eſſe ſubiectos. Tandem exacerbatus Antiſtes, intentato anathemate edicendum curat, ne quis è ſuis popularibus apud noſtros Sacramenta frequentet; ne quis item Parochus ſuis in templis permittat Societatis hominibus aut concionem habendam, aut vllam Sacramentorum adminiſtrationem. Rector Villanoua ad Poggium Pontificis Nuntium Madritum accurrit, opis & conſilij cauſsâ. Non potuit maiore ſtudio, quàm Poggius fecit, cauſſa ſuſcipi. Societatis diplomata Senatui Regio ipſe exhibet. ipſe ad Silicæum cum ſuis litteris, exaratis perſtudioſè, Villanouam remittit: inſtructum prætereà peramplâ commendatione Eleonoræ Maſcareniæ Principis feminæ, magnæ apud Antiſtitem auctoritatis. Verùm ad hæc aliud nihil reſpondit Silicæus, quàm propediem venturum ſe Complutum, coramque acturum, quod facto eſſet opus; videlicet, vt loqui in cauſſis ſolebat quas nolebat confici. Interim ad Complutenſem Canonicum ſcribit, ædes è regione Collegij ad vnam omnes quouis pretio coëmat: non eo tantùm conſilio, quò in eas loci anguſtias redigeret Collegium vnde egredi numquam poſſet; verùm, vt aiebat, quò virginum illic excitaret Cœnobium tantâ altitudine, vt ſolis ac lunæ proſpectum nobis eriperet. Adeò commotus ſemel animus omnes explorat nocendi vias. Ac ſemel iterumque deinde perbeneuolè appellatus de reuocandis edictis, nec animum nec aures aduertere vmquam voluit. Romæ Ignatius, quæ triſtia nuntiabantur, in lætis numeraſſe fertur, atque omen traxiſſe vberrimi aliquando eâ in vrbe futuri prouentus. quod dies ipſa rerumque ſucceſſus poſteà confirmauit. Et in præſenti quidem reddita mox ſerenitas eſt, perlatis à Pontifice mandatis, vt iniqua contra Societatem edicta Silicæus reuocaret. Libétne ſingulare argumentum diuinæ in Societatem Prouidentiæ ex hac quoque procellâ eruere? Silicæi operâ (quod ille minimè cogitabat) in parandis Societati ædibus vſa eſt. Coëmi ille voluerat, ne in poteſtatem noſtram aliquando venirent; & ſic coëmptæ venêre faciliùs: &, quod à tam multis dominis, non ſine magno ſumptu, nec ſine magno ſtrepitu, obtineri potuiſſet, cum vno earum omnium domino facilè tranſactum eſt. atque ædes illæ Archiepiſcopo vitâ functo in noſtram poſſeſſionem omnes ceſſere.

Alia Cæſarauguſtæ. 1.p.Hiſtor. Societatis lib.15.n.65.

Hactenus quos narraui motus, fuere ſine populi tumultu. Cæſarauguſtæ in apertam plebis ſeditionem quorumdam odia erupere. Procella fuit, quâ ante eam diem nulla horribilior, nulla exitu lætiore. Sed nec aliud in Hiſpaniâ domicilium plures à principio ſiue fautores habuit,

habuit, siue oppugnatores. Quicumque legebatur domicilio situs, quasi coniuratione factâ, tum Religiosi, tum Clerici, contrà cooriebantur, vt nusquam totâ vrbe possent Socij consistere. Coëmptæ tandem ædes, in quibus hodieque Collegium degit. Adornatur Sacellum: Sacro primùm faciendo dies dicitur. Prorex, totaque Nobilitas inuitatur. Et hactenus quieta fuerant omnia: cùm ecce tibi pridie eius diei multâ iam nocte rogatum mittit Archiepiscopi Vicarius celebritatem vt differant: Augustinianos de loci vicinitate litem intendere. Responsum est, bonâ etiam Archiepiscopi veniâ eò iam processum, vt dilatio integra non sit: reddendam postridie Vicario pluribus facti nostri rationem. Postridie paulò ante Missarum solennia adest homo ignotus, submissus ab Augustinianis: censuris interpositis eo loco Sacra peragi vetat. Nostri in omnem euentum iudicium Summi Pontificis ritè appellant, raptim pios doctosque viros consulunt, iura atque diplomata inspiciunt. omnes sine dubitatione pergendum censent. Igitur cæremoniâ magnâ Sacrum peragunt Dominicani: ex Hieronymiano Ordine concionem habet præstans Orator. Prorex intererat cum præcipuo flore Nobilitatis: omnia celebritate magnâ, gaudioque spectantium. Interim ad Collegij fores Vicarij edictum affigitur, aditum huius loci, quòd profanus esset, Sacrorum caussâ, propositâ anathematis pœnâ popularibus interdicentis. Nimirum vicini duo Parochi in nos quoque exsurrexerant; quorum vni sanguine iunctus erat Vicarius, suâ alioqui sponte parum Societati beneuolus. Hi omnes, cum Augustinianis conspiratione initâ, ad Societatem Cæsaraugustâ exturbandam vires & opes intendunt. Breuî eò rem adduxere, vt publicâ cæremoniâ Societas probrosò notata sit anathemate, diris maledictisque confixa, proclamata horrendis execrationibus, restinctæ faces in eam accensæ, funestâ modulatione cantatus Psalmus centesimus octauus dirarum plenus: nihil denique prætermissum quod in impios ac detestabiles Ecclesiæ filios inimicosque Dei fieri consueuit. Qui partes nostras pro æquitate caussæ visi erant suscipere illustres quidam & perampli viri, palàm, vt eodem anathemate illaqueati, sacris ædibus pulsi sunt. Interdictus prætereà totâ vrbe Sacrorum vsus, quoad Societas in eâ permaneret; classicum videlicet ad eam violentè exturbandam. Ex eo tempore nihil non dirarum in nostros homines coniectum est: quasi piacula quædam omnibus odio erant atque horrori. addidere probrosas imagines, quibus nostri in compitis, in viarum angulis, in valuis templorum, depicti cernebantur à truculentis dæmonibus abripi ad inferorum flammas. Nec semel procacior turba, vnâ ex fœdis illis imaginibus in hastam sublatâ, facto agmine ad Collegium procurrit; ab effringendis foribus vix coërcita operâ Equitum quorumdam qui in vicino ludebant, & satellitum Proregis. Neque hæc visa satis ad concitandos plebis animos specie Religionis, quod acerrimum telum est. Tribus deinceps diebus funestam supplicationem circa ædes nostras cum lugubri carmine instaurant: CHRISTI è cruce pendentis effigiem auersam & atro tectam velo gestant; inter maledicta & exsecrationes lapides iactant in tecta; misericordiam, misericordiam magnis vocibus identidem inclamant. Quò poterat vlteriùs progredi furor? nec pudor

Ribaden. in Vitâ Ignatij lib 4. c. 14. Maffeius, & alij.

iam nec modus erat. Religionis caussam agi putabat imperitum vulgus. Nihil Apostolici Nuntij nutus, nihil Ioannæ Principis (quæ pro Carolo patre Hispanias moderabatur) valuerat auctoritas. Spectabant omnia ad publicum totius populi tumultum. Ergo Patres grauius periculum veriti, procellam temporis deuitare constituunt, & Gregorij Nazianzeni exemplo, eâ vrbe cedere quam nullâ suâ culpâ, suâ tamen caussâ, tumultuantem viderent. In Senatum adeunt: consilium exponunt: ædium suarum deferunt claues. Fit abeundi potestas à Senatoribus, perinuitis quidem, sed cum amplâ laude probantibus id modestiæ specimen concordiæque. Vixdum exierant nostri; & continuò, quasi eiecto in pelagus Ionâ, procella quieuit. At ecce mirabilem rerum conuersionem. Affulsisse subitam lucem crederes: adeò mutata sunt omnium studia ac voluntates. Archiepiscopus melioribus vsus consiliis, sua ipse decreta refigit, innoxiam Societatem, irritasque declarat censuras suas. Igitur confestim mittitur qui Patres reuocet: venientibus Magistratus omnes effunduntur obuiàm: medios excipiunt, mulisque impositos honoris caussâ vellent nollent, per celeberrima vrbis compita ad Collegij ædes reducunt; publicum dedecus publico item honore compensandum rati. Hic Cæsaraugustanæ tempestatis exitus fuit, tam Ignatij fiduciæ consentaneus, quàm vaticinio Borgiæ: quorum ille, re cognitâ, non nisi lætitiæ signa dedit, omen inde ducens insignium incrementorum: qualia deinde ipsa dies attulit, & incredibilis ciuium beneuolentia. Borgia verò cùm lapidibus appetitam domum inaudisset, dixisse fertur, istos vt colligerent lapides, nouis ædibus exstruendis vtiles fore. Nec sua nocentes pœna deseruit. qui exturbandæ Societatis auctores fuerant, non ita multò pòst suo ipsi Cœnobio pulsi sunt, aliisque ex eâdem Familiâ, sed melioris disciplinæ, Monachis id cessêre, quærere ipsi per aliena Cœnobia sedem coacti.

Hæ tempestates specimen ceterarum in Hispaniâ. Atque has potissimùm priorum temporum procellas ex vniuersâ Hispaniâ deligere visum fuit; propterea quòd censeri possunt quasi specimen quoddam earum omnium, quæ posterioribus annis contigere. complectuntur etiam omne hominum genus, quod aliquando in Hispaniâ sensimus aduersari: Antistites primùm Doctoresque, deinde Clerum, tum Religiosos Ordines, ac plebem denique tumultuantem. Certè Nauiflauiensis tempestas anno huius sæculi quarto, poterit illi Cæsaraugustanæ non omnino videri dissimilis, strepitu saltem atque tumultu. In celeberrimis autem Academiis motus subinde exstituros Martinus Nauarrus Azpilcueta iam olim præmonuit, vir quà pietate, quà doctrinâ scriptisque toto orbe celeberrimus. (1.p.Histor. Societatis lib.14. n.74.) cùm enim Salmanticâ iter haberet, Socios omnes piè deque genu complexus, solicitè dixit, curandum sedulò, vt Salmanticensis Collegij, ac eius quod Parisiis erat, fundamenta quàm optimè constituerentur: propterea quòd eæ vrbes veluti fontes quidam litterarum essent, quò externorum plerique confluerent. addens præterea, cùm tantam Ignatius instruxisset ornassetque classem, *quâ* (vt ille loquebatur pro suo affectu, non comparandi gratiâ) *nulla maior vmquam esset instructa*, magnas Societatis Collegiis Domibusque tempestates non defuturas. Id in Hispaniâ præsertim quàm verum fuerit, nostri olim docebunt

bunt Annales, ſuiſque in triſtibus rebus exempla inde conſiliaque & ſolatia poſteri petent.

CAPVT SEXTVM.

Societati materia patientiæ in Galliâ ante exſilium ſuum.

QVis ignorat quo in ſtatu naſcente primùm Societate Gallia fuerit? quot illic turbis exagitata Religio? quid mirum igitur, ſi hîc acerrimè exercita Societas? Sedem belli hîc delectam diceres, hîc certaminis campum. Caluiniana hæreſis armis & impetu ferox, vt Societatem vidit parantem obuiàm ire conatibus ſuis, mox illam exagitare, occultis primùm graſſata cuniculis, dein modis omnibus perditam atque eiectam velle. Nec fuit exigui temporis hic furor. ſexaginta & ampliùs annorum certamine exſaturare odia non potuit: donec tandem expulſam vidit omnibus Regni finibus, proſcriptos Socios, erectam nomini noſtro feralem pyramidem, perenne, vt ſperauerat, monumentum. *Hæreſis Societati malorum cauſſa in Galliâ.*

In Galliâ igitur de nobis tunc triumphaſſe ſe credidit hæreſis; &, ſi verum fatemur, nuſquam alibi tantum eſt auſa. Illi acceptum ferimus quidquid in Galliâ paſſi ſumus. quis præter illam maleuolorum in nos odia fouit? quis inuidiæ flammas excitauit vehementiùs? eadem illa auitæ Fidei, eadem patriæ communis Erinnys fuit, eadem omnium Societati malorum cauſſa. per ſuos illa mendaciorum Miniſtros ſapientiſſimam partem Vniuerſitatis, grauiſſimum Senatum Regium induxit in fraudem. hinc à paucis Sorbonicis publico decreto damnata Societas, à maleuolis de Regio Senatu eiecta inſuper atque proſcripta eſt. Atque hæc illa ſunt poſita æternitati de nobis trophæa, quæ tam libenter commemorare ſolent inimici nominis noſtri, quæ iactare in circulis, quæ famoſis libellis toto orbe decantare. Enimuerò poſita æternitati. Numquam enim vt excidant poſterorum memoriâ, nobis cura eſt: ne vereantur ſilentio intermori ne ſinamus, nihil narrabimus (frendeat hæreſis) nomini noſtro glorioſum magis.

Sæcularis eſt hic annus ex quo primùm Pariſios ab Ignatio miſſi Socij; primum illud Collegiorum rudimentum fuit. quot agitatum calumniis! eò parciùs tamen, quò intra ſua ſepta ſe continebant modeſtiùs, priuatis adhuc ferè ſtudiorum exercitationibus intenti. Decennio pòſt fundandi Pariſiis Collegij fit poteſtas à Rege Henrico II. ſed agi ad perpetuitatem nihil poterat, niſi ab Regio Senatu Societas Galliæ Regno palàm reciperetur. Id ne fieret, nullum non lapidem æmuli mouere. Igitur à Senatu ad Epiſcopum, atque Doctores Sorbonicos, reiecta eſt cauſſa: à quibus ſcilicet admittendam numquam ſciebant. Epiſcopus enim ſine diſſimulatione aduerſabatur; Doctores quid ſentirent, paulò pòſt prodidêre. Profectum igitur tum quidem nihil, niſi ad patientiæ lucra: cauſſa in deterius prouoluta ſemper, quoad tandem præcipitata eſt. vertente enim anno, poſt minaces paſſim auditas in Societatem voces, quaſi fragores qui futuram tempeſtatem præſignarent; ecce tibi tamquam ex tetrâ nube fulmen erumpit, decretum illud aliquot Sorbonicorum: *Damnatur Societas ab aliquot Sorbonicis anno 1555.*

rum: Sorbonæ enim id adſcribendum numquam cenſuere maiores noſtri. Ab Apoſtolicâ Sede dudum confirmata Societas, tot gratiis, tot immunitatibus donata, tot Regnis Prouinciiſque iam recepta, per Europam Indiamque feliciter diffuſa (quis credat?) damnatur à viris tantâ ſapientiæ opinione, *tamquam in negotio Fidei periculoſa, pacis Eccleſiæ perturbatiua, Monaſticæ Religionis euerſiua, & magis in deſtructionem quàm ædificationem.*

Thuan. l. 37. Hiſt Societ. p. 1 lib. 15. num. 45.

Dici non poteſt quantam rebus noſtris cladem id decretum minaretur. Iam liberè, iuſtâ freti auctoritate, inuehebantur in Societatem concionatores de ſuggeſtis, in cathedris ludimagiſtri, populus in circulis, Senatus in conuentibus, ſeruitia ſcyphos inter & lances. Proximum videbatur, vt flagris cæſi (quod rumor ferebat) pulſique toto Regno faceſſerent Socij. & confecta res erat, ſi perinde credulum Henricum Secundum maleuolorum criminationes inueniſſent. Is nobis tum fuit, quod Diuus olim Ludouicus oppugnatis eâ tempeſtate Diuorum Dominici ac Franciſci Familiis: profeſſus non ſemel, ſibi & Cardinali Lotharingio pænè ſolis relictum Societatis patrocinium, idque deſerturos numquam. Ea ſpes Societatem in Galliâ nutantem alioqui, & pænè conuulſam, retinuit fouitque. Poterat quidem huiuſce decreti abrogatio vrgeri apud Pontificem, cuius in eo quoque agebatur auctoritas. maluit Ignatius ſuâ ſponte concidere, quàm deiici cum fragore. Ita contigit: cùm ſtrepitum initio latè ingentem feciſſet, elanguit ſenſim euanuitque. ipſos dein auctores facti pœnituit. iraſci meritò potuere, quòd falsâ delatione ita ſibi permiſere illudi. Certè quadrageſimo pòſt anno, cùm de eiiciendâ Societate actum eſt (vt infrà referemus) Facultas Theologica pronuntiauit, retinendam in Galliâ. tantum aberat, vt prioris ſententiæ meminiſſe vellet, quâ vt noxiam damnauerat.

Poſt multas difficultates,

Manſit igitur tum quidem in Galliâ Societas: ſed quantâ cum patientiæ materiâ! an non flentes mittebant ſemina ſecuturæ meſſis? Exſpectandum fuit, dum primus ille tempeſtatis ſe frangeret impetus. Mox aperiente ſe quaſi ſereno, tranquillitas paulatim rediit. Ergo (quod è re Catholicæ Religionis, ac Societatis in primis) agi denuò cœptum, vt penitus in omnem Galliam aditum Societati Rex aperiret. Tertias iam litteras eam in rem dederat Franciſcus, qui Henrico patri ſucceſſerat: eam à ſe admiſſam conteſtans, mandanſque Senatui Pariſienſi, vt illam ipſe quoque ſuo ritè Concilio amplecteretur. Tot Regis iuſſa fruſtrata ſunt. Decretum Sorbonicum in primis obtendebatur. Quartis litteris imperat Rex, ſine cunctatione obſequantur, conficiantque negotium. Moram iterum inuenêre. Ad Euſtachium Bellaium Pariſienſem Epiſcopum, quem Societati haud diſſimulanter infenſum norant, cognitionem cauſſæ deferunt, ac Pontificia diplomata mandant exhiberi. Quæ ille in poteſtate vt habuit, quaſi hoſtilia ſigna oſtentans, ad e[illegible] Parochorum concilium vocat, & multum queſtus ſua atque illorum iura per hæc imminui, poſtquam omnium animos concitauit, ſcripto conſignat ſententiam: Galliæ Regno Societas iſta ne recipiatur. Id vbi Franciſcus intellexit, obiecta ſibi iuſſit oſtendi, & quintum omnium que acerrimum Senatui mandatum edidit: Quidquid olim nupérve a[illegible]

Thuanus Hiſt. lib. 37. Hiſt. Societ. p. 2. l. 5. num. 192.

quoui[illegible]

quouis contrà obiectum esset, Societatem in Regnum Galliæ omnino reciperet, nullâ habitâ ratione aut veteris decreti Theologorum Parisiensium, aut intercessionis Episcopi iam aduersantis. Has spes intempestiua optimi Principis mors abrupit. An poterat studiosiùs caussa nostra suscipi? Toties citra contumaciam qui reiectam miratur, is sciat, nonnullos è Senatoribus occultè hæreticos, languentium aut inuidorum studia facilè suas traxisse in partes. & erant eiusmodi tempora, vt, ne exasperarentur animi, pro potestate agendum Regi non videretur.

Successerat Regi Francisco Carolus frater. nouis animis vrgetur *recipitur in Galliam à Conuentu Possiacensi.* negotium, nouisque Principum commendatitiis litteris, vt Francisci Regis voluntatem ratam vellet Senatus. Nihilo plus obtinetur. Piget persequi quot iterum obiectæ sint moræ. Omnia à se vt semel amolirentur, ad Conuentum Possiacensem, qui Religionis caussâ breuî erat Thuan. Hist. lib. 37. indicendus, Societatis quoque caussam reiiciunt. Verùm hîc suâ ipsi spe Hist. Societ. falsi sunt. Recepta tandem Societas est, Cardinalis Lotharingij in pri- p. 2. lib. 5. num. 198. mis, deinde Turnonij, Armeniaci, Guisij, Borbonij item Cardinalium, aliorumque Regni Procerum operâ; eo die (quod memorare iuuat) quo Parisios peruenit Lainius, id temporis Præpositus Generalis: cuius sanè aduentus Societati in Galliâ non gloriosus magis ad famam, quàm ad fructum vtilis, tum illam quasi stabiliisse, & suâ quodammodò manu eo in Regno firmasse videri potest.

Recepti iam erant, augebanturque feliciter nouis quotidie Collegiorum incrementis; sed diu quietis esse non licuit. Parisiis in primis felix noui gymnasij progressus (cui inter alios magnam celebritatem conciliabat Ioannes Maldonatus) vrebat æmulos: ignem istum inuidiosè clamabant quantocyùs opprimendum. Concitatur in nos Academia, leuibus primùm dimicatiunculis, & quasi intra domesticos parietes, sed quæ mox foras totâ velut acie prodierunt. Academiæ Rector (è Me- Hist. Societ. dicorum cuneo hic erat, quorum tunc præcipui vitio temporum religio- p. 2. lib. 8. n. 90. 91. ne dubiâ, & ab Hugonottis non alieni) seuerè interdicit, vltrà ne doceant. Rogatus auctoritatem suam Senatus interponit, iubetque doceri de more. Habetur interim in Academiâ conuentus. quæritur de adsciscendo Societatis Collegio. Dictisque sententiis, agente præsertim Medicorum cœtu, Societas ab Academiâ præcisè excluditur. Perstitere nihilominùs *Lis Societati intenditur ab Academiâ.* Patres in incepto docendi, non minore cum approbatione publicâ. quod nouarum inde turbarum molem consequentibus annis exciuit. Tamquam pro aris & focis Academici pugnauere. Si Francisco Montano In Apolog. c. 22. credimus, nulla vmquam caussa tantâ contentione agitata in Senatu, nulla maioribus librata momentis est. decem ordinum ac statuum nomine, decem insurrexisse Aduocatos scribit. Vehemens atque acerbus ante alios Academiæ Patronus fuit Stephanus Paschasius, exercitatæ in calumniando impudentiæ. Quid non conuitiorum euomuit os illud impudens in sectam, vt aiebat, ambitiosam, & fucatæ religionis plenam? Thuan. Hist. lib. 37. Ausus & Ignatium, nouo impietatis commento, cum Martino Luthero comparare: quasi ambo, diuersâ tamen viâ, eôdem tenderent conspirarentque; vt videlicet, labefactatâ Magistratuum auctoritate legitimâ, disciplinam Ecclesiasticam eneruarent, & diuina atque humana iura

con-

confunderent omnia. Nec impigrè minùs caussam nostram egit Petrus Versorius magni nominis Patronus, multùm laudatâ Societatis origine, eiusque auctore, & acri in Paschasium oratione. Dein Baptista Menilius, Cognitoris Regij partes sustinens, increpitâ initio Patronorum vtrimque acerbitate, in nouos Ordines multa præfatus, tandem contra Societatem perorauit: ausus & à Senatu petere, videret, in quam rem Claromontani Episcopi legatum conuerti posset, vt memoria testatoris alio genere conseruaretur. Verùm caussâ biduum integrum agitatâ, Senatus de negotio ampliùs deliberandum censuit, concessâ interim Societati libertate publicè ludum aperiendi, erudiendæque iuuentutis. Nonis Aprilibus id decretum anni sexagesimi quinti supra millesimum quingentesimum.

Turbæ in Galliâ ab Hugonottis.

Inualescebat interim, distractis in partes Galliæ populis, insolentior hæresis. Turbæ vbique & seditiones. Iam Apamiis communiter cum Religiosis omnibus; iam Turnone nominatim eiecta Societas erat ab Hugonottis, vi atque armis omnia occupantibus. Imminebat vniuersæ Galliæ tempestas immanis, gliscebatque Religionis specie ciuile bellum, quod multis deinde annis nec extingui satis nec sopiri potuit. Hoc tam miserando Reipubl. statu, quæ mala periculaque subierint Socij, quis describat? Hæretici sua ipsorum scelera iis affingebant. hos nimirum volebant credi turbarum omnium incentores; hos perturbatores Gallicani Regni; hostes publicæ salutis, & incolumitatis Regiæ; emissarios Romani Pontificis, cuius vnius auctoritatem perniciosâ suâ extollerent doctrinâ; iuuentutis mores corrumperent, subditos in Reges armarent; quorum vitæ iam inde ab istorum commoratione in Franciâ numquam esset cautum satis. Et duo quædam eodem tempore euenêre, vnde, ventilatis è Theologiâ quæstionibus, ingentem criminationum materiam aduersarij congesserunt aduersus doctrinam Societatis: nefaria scilicet Henrici Tertij cædes; & successio Henrici Quarti, tum quidem à Catholicâ communione alieni: quem, nisi Romana maiorum sacra amplecteretur, Orthodoxorum nemo Regem agnosceret.

Obtentu instaurandæ litis agitur de Societate eiiciendâ. Scip. Dupleix. Thuan. Hist. lib. 112.

Hæc magnis toto Regno motibus dum feruent, in inuidiam vbique vocatur Societas. itaque de illâ exturbandâ iterum agitari cœptum anno M.D.XCIV. Verùm id ne ex professo agi videretur, litis obtentu quæ Academiæ iam olim cum Societate fuerat, fraudem placuit dissimulare. Renouatur igitur lis illa acri contentione, per triginta iam annos intermissa. Decimo tertio Kalendas Maias fertur inter Academicos rogatio, vt litis tot annos comperendinatæ iudicium tandem vrgeatur. Acta caussa Nonis Quintilibus. Pro Academiâ verba fecit Antonius Arnaldus, de Caluini sectâ, calumniator vehemens, infensus nostro nomini siquis alius; infamem in nos habuit Catilinariam, eiiciendos, exterminandos esse toto Regno Iesuitas. non iam de Academiæ tantùm, sed omnium publicâ salute agi. Venisse tempus serius omnino quàm dignum Francico nomine fuit; sed tamen ita maturum, vt differri iam hora non possit. Igitur intra dies quindecim à decreti denuntiatione ad singulas scholas factâ, excedere teneantur; nî faciant, tempore elapso quicumque ex iis reperiretur, nullo iuris ordine requisito, statim tamquam

læsæ

læſæ Maieſtatis & parricidij contra Regem tentati reus damnetur. Hæc aliaque multò atrociora vt in nos decernerentur, quaſi ſententiam ipſe pronuntiaret, impotenter impudenterque deblaterauit Arnaldus. Interuenerant & liti Curiones: pro iis Ludouicus Dolæus triduo pòſt pari vehementiâ dixit; poſt innumera conuitia, orans ad extremum obteſtanſque Curiam, ſi quidem Franciâ non pellantur (quod Academia petit) ſaltem illis Sacramentorum adminiſtratione, omnique aliâ quæ ad Canones ſpectat, ſacrâ functione impoſterum interdicatur. Duretus Societatis Aduocatus, acri iudicio vir, breuiter admodum pro tempore, & ſingulari cum modeſtiâ ad ſingula reſpondit, abſtinens ab omni verborum acerbitate. exſtant hæ actiones vulgatæ typis. ſcriptus & dein à Barnio copioſior libellus defenſionis loco fuit. Eadem poſtmodum accuſationum capita luculentè refutauit Franciſcus Montanus. His adminiculis irriti aduerſariorum cecidere conatus, præualente propenſo in Societatem fauore, vt cum gemitu & acerbitate ſcribit Thuanus, id agens vbicumque poteſt, vt rebus noſtris quàm maximam conciliet inuidiam. Senatuſconſultum factum eſt, quo libelli Academiæ nomine & Curionum vrbis oblati iubentur adiungi liti olim comperendinatæ ante annos triginta, tamquam eius appendices: vt vno ſcilicet eodemque iudicio de iis aliquando à Senatu pronuntiaretur. Nihil vltrà obtinuere. Hîc enimuerò infrenduere aduerſarij, qui certam victoriam iam ſpe deuorauerant. Dum ſententiæ dicuntur, fatetur Thuanus quædam admodum liberè ab iis qui ſe numero vinci dolebant, prolata. Thuanus alter tum Curiæ Præſes, vir antiqui moris & horridæ libertatis, vt prior ait, nobis omnino offenſus (vt ex prolatâ ſententiâ patuit) peracerbè dixit ſibi videri, comperendinatâ cauſsâ, vitam Regis comperendinari. ea vox pro omine deinde celebrata eſt ob Ioannis Caſtelli factum anno proximo, quod mox referemus. Addidit præterea, ſe effetum ſenio vitæ potiùs quàm litis huiuſce finem adſpecturum. ne tamen indictâ ſententiâ moriatur, cenſere vt Ieſuitæ toto Regno expellantur. Eodem tempore Ioannes Paſſeratius Profeſſor Regius ad ſuas lectiones ex more præfationem habuit, ſed amarulentâ in Societatem dicacitate calumniiſque pleniſſimam.

Scipio Dupleix.

Hiſt. l. 112.

Thuan. ibid.

CAPVT SEPTIMVM.

Eiecta è Galliâ Societas, & reſtituta.

DVm hæc tantis Academiæ atque vrbis motibus diſceptantur, annus inſequens extremum cauſſæ noſtræ momentum attulit, atque omnino afflixit. Perficiendi aliquando, quod tam diu agitauerant, hæretici maleuolique viam inuenêre. Nec poterant potentiori telo rem aggredi, quàm tentatâ (vt calumniabantur) à nobis Regis ſalute atque vitâ, in qua omnis tum verſabatur eius Regni ſalus, è quo nos volebant exactos. Nihil hîc adferemus noſtris depromptum Annalibus, ſed è vulgatis vbique famoſis libellis, noſtriſque aduerſus huiuſce facti inuidiam Apologiis; ex ſcriptoribus item externis rerum Gallica-

rum Scipione Dupleix, Petro Matthæo, Andreâ Fauyn, Iac. Augusto Thuano, & aliis etiam nomini noſtro infenſis; vt maior veritati tum ab extraneis, tum ab ipſis hoſtibus, lux affulgeat. nec ideò iſtius exſilij hiſtoriam texere eſt animus (quam Annales noſtri aliquando exactiùs dabunt) ſed ex aliorum ſcriptis hiſtoricam quodammodò apologiam.

Anno M. D. XCV. veſanus ac nefarius adoleſcens Ioannes Caſtellus, incertum quibus agitatus intemperiis, Regis interficiendi conſilium ceperat. Tum primùm Pariſios Rex adueniebat, nondum Pontificio ſolutus anathemate. Immixtus turbæ comitantium Caſtellus, in interius vſque Regis cubiculum penetrat cultro confoſſurus. Sed cùm deſtinata exſequi parat, ictu deerrante (quòd excipiendo ſalutantium quorumdam Nobilium complexu ſe profundiùs Rex inclinaſſet) dentem rupit multo cum ſanguine, nec penetrauit altiùs. Ex hoc facto omnium in Societatem odia exarſere: illam attentati ream parricidij, manum tantùm commodaſſe Caſtellum, vulgatum creditumque eſt. Quo iure, quâve iniuriâ, fruſtrà quæritur: non dabant tempora defenſioni locum. quaſi in flagranti, quod aiunt, delicto deprehenſa fuiſſet Societas, ita in eam conclamatum eſt; *non ſeruato iuris ordine* (verba Harlæi Præſidis ſunt apud Thuanum) *neque partibus auditis, vt in ſeditione & publicâ graſſatione.* Dudum antè concitata erat in nos ab hæreticis ingens inuidia; præoccupati auerſique implacabiliter multorum animi; tempora Reipub. perturbatiſſima, populis, vt diximus, Proceribuſque in partes diſtractis. Nunc autem noui criminis ſumma erat: apud Ieſuitas Philoſophiam audiuiſſe Caſtellum (is ſextum iam menſem Iuriſprudentiæ operam dabat) nec ex aliâ ſcilicet quàm iſtiuſmodi ſcholâ exitialem hanc prodire doctrinam de Regibus mactandis. Dictum verè: *Neſcis quanta rabies oriatur, vbi ſupra modum creuerunt odia.* Suſpicacibus ingeniis id viſum ſatis, vt atrociſſimi facinoris auctor Societas haberetur. Credétne poſteritas, quando in ipſis quoque aduerſariorum Annalibus leget, ne in tormentis quidem nominatam vmquam Societatem ſceleris conſciam? Eodem tamen Senatuſconſulto & Caſtelli & Societatis cauſſam coniungere placuit; illum probroſâ atrocique nece, hanc exſilio damnare, vno eodemque decreto, quaſi intereſſet nihil. Quid enim amplius ſupereſſe (ita in Senatu diſputabant) aut quas vlteriores quærendas aduerſus peſtiferam ſectam probationes? an enim verba ab accuſatoribus data, cùm in cauſſâ Academiæ Regni ſalutem Regiſque vitam verti nuper clamabant? quid morâ illâ artificiosè quæſitâ profectum, quàm vt cædis diu antè meditatæ conſilium maturaretur? Id videlicet ſuperiore iudicio ſe iam tum animo prouidiſſe, Thuanus gloriatus, eamdem de exturbandâ toto Regno Societate ſententiam repetiit; in quam frequens Senatus iit. Decretum ſcribitur, vt Ieſuitæ omnes, tamquam *iuuentutis corruptores, publicæ tranquillitatis perturbatores, Regis Regnique hoſtes,* Lutetiâ aliiſque vrbibus intra triduum à die denuntiationis, toto autem Regno quindecim pòſt diebus excedant. nî paruerint, tamquam in læſæ Maieſtatis reos animaduertendum. bona eorum omnia arbitrio Curiæ mox in pia opera erogentur; ſancitâ inſuper perduellionis pœnâ in eos qui

Caſtellus Regem vulnerat:

Hiſt. l. 132.

Seneca.

Apud Thua. Hiſtor. l. 131.

ideò proſcribitur Societas è Galliâ:

qui ad ſcholas Societatis extra Regnum litterarum cauſsâ liberos miſerint. Nec mora. in incertum exſilium eiecti omnes; tam ſubitâ procellâ, vt veluti ex Varianâ clade (audeo dicere) ne nuntius quidem tanti mali ad vicina Collegia mitteretur. Ipſe Sociorum aduentus, tamquam ex ingenti naufragio miſeræ tabulæ, pro nuntio erat. Neque hîc quies. Nouis iterùm edictis, mandato Senatus Regij, vlteriùs toto Regno ſedibus omnibus exturbantur. Quà ius poteſtatemque extendit Toloſanus Senatus, parêre vetuit, retinuitque Societatem, nihil veritus aut hæreticorum potentiam, aut æmulorum furorem. Complanatur interim Pariſiis reduciturque in aream Caſtelli domus, è quâ percuſſor prodierat. columna erigitur eximio opere. inſcribitur Senatuſconſultum, non tam in exſecrationem nominis Caſtelli, quàm Ieſuitarum ſcilicet; de quorum exſilio perpetuum volebant apud poſteros exſtare monumentum.

Petr. Matth. in Henrico IV. l. 1.

erigitur pyramis.

Scipio Dupleix in Henrico IV.

Hæc illius temporis fœda procella, hoc illud toties decantatum Gallicanum exſilium. quod qui nobis obiiciunt augentque criminosè, velim reſtitutionis ſeriem apud eoſdem Auctores legant: delebunt ex animo facilè omnem iſtiuſce criminis ſuſpicionem. Expetitam denuò fuiſſe Societatem proborum omnium voto, factamque per abſentiam chariorem Petrus Matthæus ſcribit; reuocatam eam, tamquam perditiſſimis hiſce temporibus vtilem Franciæ ac neceſſariam, ob præſtantem eruditionem morumque probitatem, aſſerit Fauyn; ab Regni Proceribus certatim pro eâ actum Scipio teſtatur, & Thuanus ipſe. Nec Societas cauſſæ ſuæ defuit, aut ſupplicandi diligentiam intermiſit. donec tandem Metis apud Regem de eius reſtitutione fortiſſimè actum eſt, captatâ ſanctioris Hebdomadæ peropportunâ occaſione, quam actionum eſſe animam nonnemo dixit: neque tantum conſilio induſtriâque perfici, quantum temporibus negotia ſi attemperes; nihilque tentes omnino, niſi cùm aptè potes & tempeſtiuè tentare. Erat illic Paſchalia feſta celebraturus Henricus. Ignatius Armandus igitur Muſſiponto profectus, cum tribus Sociis. Cùm pro more ſanctioris Hebdomadæ Rex ac Regina in lauandis pauperum pedibus ſolenni cæremoniâ defungerentur, Sacro interfuere. à meridie ad Regem introducti perbeneuolè excipiuntur. Hîc Ignatius cum Sociis in genua procumbens, mox ſurgere iuſſus eſt: &, quod mirere, quamuis prolixas orationes non ferret Henricus, Ignatium tamen Armandum non minùs patienter quàm attentè audiuit de totâ cauſsâ modeſtiſſimè diſſerentem, vrgentemque potenter Societatis reſtitutionem. Exſtat eius oratio ſanè perelegans apud Scipionem Dupleix linguâ vernaculâ, vt habita eſt, quam Latinam Thuanus in hiſtoriâ fecit. Finierat Ignatius; bono omnes animo eſſe iuſſit Rex, addens, Lutetiam cùm aduenerit, effecturum ſe, vt ſibi negotium hoc curæ eſſe intelligerent. placere interim ad ſuum Lutetiam aduentûm Ignatius Armandus cum Petro Cottono præſtò eſſent. Ex eo die pro indubitato habitus eſt noſtrorum reditus. Eiuſdem anni Septembri menſe expeditur Rotomagi Regium diploma. id ſigillo magno firmatum vbi in Senatum allatum eſt, conturbauit ſcilicet animos eorum qui nomini noſtro ſemper fuerant infeſti: itaque promulgationi inter-

In Hiſtoriâ Nauarræ l. 18.

Agitur de reſtitutione Societatis:

Thuanus l. 129.

 cedere

Thuanus l.132. cedere decernunt. Id Regi magnopere displicuisse ferunt: quare ipse cum Reginâ & magnâ Procerum coronâ in Senatum venit pridie Natalitiorum. Hîc Harlæus primarius Præses benè longam & vehementem in nos orationem habuit. Epitome erat conuitiorum omnium criminumque quæ Paschasius aliquando atque Arnaldus in nos declamauerant. Grauiter vehementerque vrgebat, vt Senatusconsultum, quo toto Regno exsulare iussa erat Societas, Rex adhuc ratum habere vellet, neque de restituendis tam noxiis hominibus vllam admittere cogitationem. id obnixè rogare Senatores, adductos solo eius vitæ atque incolumitatis amore. Reginam Proceresque nobis amicos non mediocriter solicitos habuit ea oratio, quam apud Thuanum aliosque integram inuenies.

Petr. Matth. Dupleix, Thuanus. Hist.l.132.

Rex ipse in Senatu pro eâ perorat.

Verùm Rex, sublatis primùm in cælum oculis, ac sereno vultu, quasi caussæ nostræ patronum ageret, neruosam contrà, iudicioque plenam orationem exorsus est. Nulla profectò vmquam instituta actio nomini nostro honorifica magis, nulla theatro celebriori, nulla maiore patrono. Quid ni beneuolorum omnium plausu exciperetur, frendente nequidquam inuidiâ? excepta est vulgataque quamprimùm vario idiomate. Eam vt apud Petrum Matthæum & Scipionem Dupleix reperi, quoniam pulcherrima est vulgatarum sæpè calumniarum Apologia, hîc attexam.

Regis Oratio. Petr. Matth. in Henrico IV. l. 3. Scip. Dupleix in Henrico IV. Mercur. Franc. To.2. ad annum 1611. Gretser. in Lixiuio.

Actis primùm gratiis amplissimo Ordini de eâ quam præ se ferebat curâ ac solicitudine de Regis Regnique incolumitate, dixit: Omnes ab Harlæo allatas rationes, quæ Senatui tam graues tantique momenti esse viderentur, dudum sibi venisse in mentem, aliasque multò plures, quas ipsi non peruidissent. Rem igitur maturè apud se perpensam, & non dies ac menses tantùm, sed annos integros, octo iam aut ferè nouem, in eam cogitationem impendisse. Præteritarum rerum euentibus vsuque tam vario satis edoctum se, quid de futuris prudenter statuere debeat; neque experientiâ rerum aut solertiâ se vinci à quoquam. Quare omnino decreuisse Societatem reuocare ab exsilio, suisque in Franciâ restituere domiciliis. Tum singula breuiter refutare aggressus, subiecit: In conuentu Possiacensi non Iesuitarum ambitionem arrogantiamque fuisse cognitam (quod obiectum erat) sed virtutem atque præstantiam. nec videre se quâ ratione ambitiosos appellent, qui honores etiam dignitatesque in Ecclesiâ ex singulari voto recusant.

Quòd Ecclesiastici iis infensi sint atque aduersentur; iam ab omni æuo ignorantiæ bellum fuisse cum scientiâ. Et verò deprehendisse se, ex quo tempore agere cœperit de iis reuocandis, duo hominum genera maximè obstitisse: hæreticos, & deprauatæ vitæ Ecclesiasticos; atque illud esse quod iis æstimationem auxerit.

Damnatos esse à Sorbonâ; sed tunc, cùm necdum essent cogniti. Vniuersitatem verò meritò dolere posse de eorum absentiâ, per quam factum sit vt vacua ipsa manserit atque deserta; neque destiterint interim adolescentes, nihil remorantibus Senatorum edictis, extra Regni fines litterarum caussâ ad Iesuitas accurrere.

Quòd meliora sibi seligant ingenia; illud esse propter quod Iesuitas tanto

tanto haberet in pretio. se quoque in conscribendis militibus fieri velle delectum optimorum: optareque ex animo, nequis inter Senatores adlegeretur, nisi optimus quisque, & isto honore graduque dignissimus; vt sola vbique virtus dignitatis nota sit atque discrimen.

Quod dictum erat in Franciam intrasse vt potuerunt, publicâ auctoritate non admissos; sic ante eos, alios etiam sacros Ordines fecisse; imò & se in Regnum Franciæ intrasse vt potuit. Illud fatendum esse, patienti longanimitate, probâque vitâ Iesuitas omnia perducere ad felicem exitum. Eâ porrò curâ, quam habent, nequid immutetur in eorum Instituto, multo eos tempore conseruandos quàm integerrimos florentissimosque.

Quod de perniciosâ doctrinâ obiicitur, prorsus nihil se credere. ne vnum quidem à se inuentum ex omni numero tot Collegiorum, imò ne ex dimissis quidem à Societate inuentum hactenus vnum, qui diceret, docere Iesuitas licere Regibus afferre manus. Barrerium cædis consilia agitantem apud neminem de Societate fuisse confessum; imò verò constare, illi dictum à Iesuitâ, non sine piaculo æternæ damnationis eam suscipi posse voluntatem. Esto sanè: accusasset eos Castellus attentati reos parricidij (quod tamen non fecit, neque in tormentis omnibus vel minimum indicium dedit) esto, inquiebat, accusasset; imò & de Societate aliquis eam inflixisset plagam, cuius aiebat se deinceps numquam meminisse velle, omnemque in perpetuum ex animo deleuisse memoriam; ac præpotentem Dei manum (cui sua vita & salus cordi sit)eo facto manifestè agnouisse; esto de Societate vnus aliquis eam plagam inflixisset;an ideò vnius crimen furoremque,culpam esse ceterorum?an fugandos eiiciendosqueApostolos omnes propter vnumIudam?

Pontifici Maximo quòd præ Religiosis aliis arctiùs sint obligati; non nisi de procurandâ ab iis Gentium conuersione id intelligi: seque existimare tam eos iuramento fidelitatis, quod exacturus esset,obstringendos sibi, quàm Pontifici sint obedientiæ voto. Illud interim cautè dissimulare Senatores, nec dicere,quòd Romæ improbetur non tribuisse Bellarminum in scriptis suis tantum potestatis auctoritatisque Romano Pontifici in res politicas, quantum alij vulgò solent Auctores.

Quòd de Ligâ fuerint, exprobrandum non esse: fuisse hanc iniuriam temporum: errasse cum aliis quàm plurimis specie recti deceptos. Imò se credere minori eos malitiâ peccasse, quàm ceteros; sibique se certò promittere, eâdem illâ recti conscientiâ, coniunctâ cum fauore & gratiâ, quam iis facere cogitaret, plus eos sibi deuinciendos, & impensiùs Regiæ Maiestatis, quàm Ligæ obsequiis deinceps fore addictos.

Ad illud quod dicebatur,Regem Hispaniæ illis vti; respondit,se non minùs iis vti velle;neque deteriori conditione oportere Franciam quàm Hispaniam esse. Cùm omnes passim eos vtiles orbi iudicent, se præterea Regno Prouinciisque suis eos iudicare necessarios; & si hactenus tacitâ quasi permissione aut conniuentiâ in Franciâ fuerint, velle se iam vt publico sint Senatusconsulto. Huius facti gloriam sibi à Deo reseruatam. Cùm in Regno atque ditione suâ nati sint, non esse cur subditos velit habere suspectos. Quòd si timor est, ne Regis arcana cum ho-

ſtibus Regni communicent, non ſe plus iis communicaturum, quàm ipſe eos ſcire velit. Permitterent denique prudentiæ Regiæ totum iſtud negotium: magis ardua difficiliaque tractaſſe ſe, & expediiſſe feliciter; ac proinde tantùm laborarent de Regis imperio exſequendo.

Hæc cùm diceret Rex, forti militarique eloquentiâ, omnium ſtupor atque admiratio fuit; non tantùm quòd capita omnia ab Harlæo allata tam recenſeret refelleretque accuratè; verùm multò magis, quòd ita palàm oſtenderet, quantâ beneuolentiâ complecteretur hanc Familiam tot vbique odiis exagitatam. Quę omnia in Senatu acta die Decembris XXIV. quantum, putamus, dolorem inuſſere aduerſariis? adhuc tamen toto triduo moras traxere. in eo laborabant, vt, repetitâ clauſularum exoletarum memoriâ, ſi quâ ratione poſſent, beneficium Regis irritum redderent.

Thuanus l. 132. Petr. Matth. in Henrico IV. l. 3. Id vbi inaudiit Rex, commotior ad ſe vocatos ſtomachosè increpuit; atque è veſtigio ad Tribunal pergere, neque inde priùs quàm confecto negotio exire compulit; addito in ſcriptis decretorio mandato, vt ſine morâ, & ſine appoſitâ vllâ conditione, decreti ſui promulgatio quamprimùm fieret. expenſa examinataque à ſe omnia; mandare, iubere, vt Societas ſuis in Galliâ ſedibus reſtituatur publicâ Senatus auctoritate. Tam expreſſæ Regis voluntati nihil ampliùs refragari ſunt auſi. Regium igitur diploma in acta Curiæ ſolenni formulâ relatum. *Recipitur tandem Societas à Senatu.* Et quod neque Franciſcus, neque Carolus, neque Henricus Tertius obtinere vmquam potuerant, vnus Henricus Quartus perfecit, vt Galliæ Regno publico Senatuſconſulto reciperetur Societas. Vno impetratum exſilio cenſeri poteſt, quod obtineri non potuerat ſexaginta annorum commoratione. Hiſce litteris II. Ianuarij milleſimo ſexcenteſimo quarto expeditis, omnia ad reditum parari cœpta. *Deiicitur pyramis.* Mox & deiecta pyramis, infame monumentum. Thuan. ſuprà. Nec fuit parui moliminis res. Surgebat pyramis inter quatuor virginum effigies ab excellentibus ſculptas artificibus, præaltâ baſi. Solam ex eâ tolli tabulam, in quâ Senatuſconſultum erat aduerſus Societatem, ſatis eſſe, reſtitutâ iam Societate, aduerſarij clamabant: at benignitas Regis totum monumentum funditus voluit aboleri, ne qua palàm exſtaret memoria decreti contra Societatem facti. Maluiſſent æmuli noctu id fieri. Petrum Cottonum interceſſiſſe Scipio & Thuanus ſcribunt, fidenterque pronuntiaſſe, *Henricum Quartum lucis, non tenebrarum, eſſe Regem.* Maio igitur menſe, per otium, in mediâ luce, deſtructa pyramis inſigni eorum dolore, quorum in nos machinæ omnes atque conatus cum hac pyramide ruebant. *Maiora ab exſilio Societatis incrementa.* Vicit igitur omnia improborum odia, abundeque penſauit conſtans Regis beneuolentia. Vetera reſtituiſſe domicilia parum erat; noua addidit fundauitque præcipuis in vrbibus: Flexiæ in primis, altrice ſuâ in domo, quam in Collegium noſtrum conuertit: Scipio Dupleix. Thuanus l. 132. ædes à fundamentis nouas adiecit ingenti mole, pulcherrimâque inſtruxit Academiâ. Quid alia quærimus beneuolentiæ argumenta? fontem amoris cor ſuum teſtamento legauit, & Thuanus. Flexiano in templo noſtro ſepeliri voluit. diceres nobiliſſimâ ſui parte perpetuò apud nos habitare velle. And. Fauyn. Hiſt. Nauarræ l. 18. His adde apertum Societati aditum in Bearniam, auitam ditionem, reducendis ad Eccleſiam hæreticis. adiice illius operâ ſumptibuſque fixam nobis Conſtantinopoli ſedem. præter-

prætereà Gallicano in Regno ita auctum Collegiorum numerum, vt tribus antè Prouinciis aliæ iam duæ sint additæ. Numquid meritò dices pensatum ingenti fenore exsilium? è quibusdam eiectam vrbibus Societatem, vt induceretur in plures? aliquamdiu absuisse, vt maiori desiderio expeteretur?

CAPVT OCTAVVM.

In Germaniâ iisdem turbis agitata Societas, quibus Religio Catholica. E Transiluaniâ triplex proscriptio.

VNam Gallia proscriptionem, plures Germania numerat, & quasi per aceruos. Rem à fonte si arcessimus, vna in Galliis Caluini hæresis erat: in Germaniâ Arianorum reliquiæ, Lutheri incunabula & propriæ sedes, à Caluino submissæ coloniæ; Berengarij, Wiclefi, Hussij fœda progenies, sectarum omnium colluuies atque sentina. Et non ferociùs insurgerent omnes illæ pestes in spargentem se latè toto Septemtrione Societatem, quam suis norant conatibus maximè aduersari? Centiceps Hydra, & secum ipsa discors, in Societate oppugnandâ opprimendâque, capita iunxit & vires. Quid minores libeat turbas persequi? grauiora exsilia in promptu sunt. Plurium Regnorum sedes, totasque sæpiùs Prouincias perdidimus; è Transiluaniâ primùm, deinde Bohemiâ, mox Hungariâ, Morauiâ, Silesiâ exacti; non exiguis interim iactati motibus in reliquâ Germanicâ ditione. *Hæresis multiplex ad Septẽtrionem turbarum caussa.*

Nulla dedit regio documentum certius, quantopere Religionis ac Societatis coniuncta sit caussa. Vbicumque Principes Magistratusque Catholici ad clauum sedêre, floruit Religio, floruit Ecclesia, floruêre Regna: vnaque cum illis Societas nostra floruit doctrinæ laude, nobilium institutione, populi obseruantiâ, Principum gratiâ, innocentiæ existimatione. At vbi Rempublicam inuasêre Lutheri, Caluini, veterumque ex Orco sectarum alumni, mox concitati sunt ad arma populi, turbata Regnorum quies, violata Religionis libertas, & ante omnia exsulare iussa Societas.

Prima curarum Ignatio Germania fuit. E primis nouem Sociis (quemadmodum Libro secundo meminimus) vnum Galliæ Paschasium Broëtum cùm dedisset, vnum Lusitaniæ Simonem Rodericium, Indiæ extremoque Orienti Franciscum Xauerium, cælo Ioannem Codurium; quinque reliquos impendit Germaniæ, & clarissimos viros, Fabrum, Lainium, Salmeronem, Iaium, Bobadillam; & primis Patribus nec virtute nec industriâ inferiorem Petrum Canisium, qui ceteris Germaniæ Apostoli titulum nomenque præripuit. Ac ne priuatim ipse nihil conferret Ignatius, Collegium in Vrbe Germanicum excitauit. Quid, quòd ab extremâ Indiâ Franciscum Xauerium reuocare parabat, vt Septemtrioni ferret opem? Quantam putamus prudentissimo Parenti ostensam diuinitus è Germaniâ messem? sed non nisi post insignes ærumnas laboresque metendam. *Cura Ignatij de Germaniâ.*

Primus de Societate in Germaniam Faber intulit pedem anno ab-

hinc centesimo: Iaius dein & Bobadilla secuti. Curas intendere, operasque multiplicare cogebat extremo in discrimine posita tot populorum salus. Exstrui paulatim cœpta Collegia, arces & propugnacula aduersus impietatem: Bauarorum primùm, dein Austriacorum fauore Principum; sed maiore exinde odio hæreticorum, non ferentium sui cursum Euangelij, vt dicebant, Iesuitarum obiectu retardari. Ergo illi de opprimendâ Societate inire consilia, excludere parandis sedibus, exturbare iam partis. Quis vnius sæculi memoret certamina? Probra, conuitia, contumeliæ, prima & ferè popularia arma fuêre: eò assumpta liberiùs, quò è templis atque suggestu ab impiis Ministris furiosiùs subministrata. Tum sparsi in vulgus infames libelli; super alios alij, sine numero, sine pudore aut verecundiâ. mendaciorum impunitatem promittebat necdum satis nota Societas: credita passim satellitum Satanæ, atque adeò cacodæmonum, esse cœtus, procul exterminandus à ceterorum vsu conuictuque mortalium, & tollendus è medio. Nec vllis aut Magistratuum placitis, aut Principum decretis, satis ea frenari licentia potuit. Quid enim vererentur, qui palàm armorum vi atque terrore extorquere audebant Religionis libertatem, id est, impunitatem scelerum? Hinc illa Germaniæ fœda incubuit bellorum tempestas: in se ipsi ciuilibus armis versi sunt; eò pertinaciùs, quò sanctiùs se furere credebant obtentu Religionis. Iisdem ergo procellis & auita maiorum Fides, & nostra in Germaniâ Societas iactata est; vexata, fugata, expulsa: reducta denuò, suasque restituta in sedes, prout varias in partes se dabat victoria. Eadem belli alea Religionis simul & Societatis alea fuit. An non id abundè doceat vnius Gustaui Suecorum Regis nuperrimus furor? quàm ille latè (vt publica prætercam) nostris quoque in rebus stragem dedit? quanta Collegiorum insecuta vastitas? quæ spoliatio direptioque? quæ Sociorum ærumnæ, diuexationes, proscriptiones, exsilia? longiori narratione aliquando describenda, ad detestationem Suecicæ hæreticæque crudelitatis.

Sed illic hæreticis exosa Societas.

Hist. Societ. part. 2. l. 7. num. 54.

Sed hæc communis quædam temporum atque bellorum iniuria fuit. singularia nobis, nostrisque rebus magis propria, quædam persequemur: nec ea longo hinc disiuncta temporum interuallo, aut vetustis annalibus eruta. hoc ipso sæculo pleraque, & ante oculos propemodum nostros gesta referemus. apparebit, opinor, Societatis caussa cum Religione Regnique felicitate semper coniuncta. Lubet à Transiluaniâ exordiri.

Ex Annuis 1588. & Ioan. Argent. Apolog. cap. 13.

Stephanus Bathoreus ad Regni Polonici assumptus gubernacula, successorem in Principatu Transiluaniæ reliquerat Christophorum germanum fratrem. Is nostri amantissimus, inchoatum à Stephano de aduocandâ Societate consilium perducit ad exitum. It in eam regionem Societas, confirmatur Comitiis publicis; fundatur Collegium & Academia Claudiopoli. Secum Albæ commorari Christophorus iubet è nostris Sacerdotes aliquot, quibus magistris Principis filij (Sigismundo nomen erat) pueritia adolesceret. quod etiam non ita multò pòst moriens, supremis mandatis, admodum Proceribus commendarat. Vrebant hæc interim hæreticos, Caluinistas in primis atque Aria-

Arianos: commouere se tamen non sunt ausi, quamdiu Stephanus patruus Poloniæ Rex orbi concessus. metu premebant iram, fingebantque ad illius se nutum simulatione obsequij. vbi defecit is quem metuebant, nec satis roboris adolescentulo Principi ad resistendum, malè dissimulatum odium aperiunt. Conuitia primùm & probrosa dicta in Magistros Principis: mox in conuentibus passim de nobis exterminandis multa dissertatio.

Iam è pueritiâ Sigismundus excesserat, aderatque dies capiendi de more Principatus solennia. in hoc Procerum conuentu Nobilitas Transiluana, Arij & Caluini impietatis æmula, à duobus, vt fama est, tribúsve dominandi cupidis impulsa, petit à Principe Iesuitas eiiciat, idololatriæ olim explosæ restitutores, Hispanicæ Inquisitionis propagatores, buccinatores Romani Pontificis, iuuentutis corruptores. hæc tum crimina spargebantur. Oblata & à nostris defensio. rogabant ab hisce Comitiis, quæ erant particularia loci vnius, ad publica rem differri, vt pleniùs cognosceretur. Sed irrito conatu. perstat Nobilitas, instigantibus Arianis; quæ & ad illud vsque tempus tributum soluturam præfractè negat. Nec aliter fecit ac dixit, pessimo exemplo.

Vrgent hæretici vt Iesuitæ eiiciantur è Transiluaniâ.

Accelerantur igitur Comitia, ne interuentu Andreæ Bathorei Cardinalis, qui propediem adfuturus dicebatur, disturbarentur omnia; ingerentibus passim aduersariis tundendum ferrum dum candet: hostem impulsum prosternendum: valescere impetu audaciâque consilia, morâ euanescere: occupandum esse tempus quo Regnum collocetur in tuto, exturbatâ Papisticâ disciplinâ. Quid enim, inquiebant, aliud agunt Iesuitæ, nisi vt Romano Pontifici obtemperemus? hósne semper timebimus per secreta colloquia cum Principe, per liberos nostros domi, per argutos sermones in publico? quin, eiectis semel istis speculatoribus, occasioni intentis, liberamus prouinciam periculo, iuuentutem insidiis, omnes metu? Hæc illi in Comitiis. ad quæ & nostri veniendum sibi rati, ne caussæ suæ deesse viderentur; in consessu Senatorum primò, deinde in templo, quò conuenerat Nobilitas, auditi sunt. Oblatus etiam à Catholicis libellus supplex, obtendentibus æquam omnibus Religionis libertatem; petentibusque, suarum ne Pastores animarum tractarentur acerbiùs. Sed frustrà omnia. Religionis & Iesuitarum odium aures occluserat. vicit, vt sæpè fit, deterior sententia.

Postridie alius à Nobilitate ad Principem libellus mittitur: vrgebant denuò, vt idololatria & Iesuitæ eius propagatores è Regno extruderentur. Dilatum in alterum diem à Principe responsum; & tunc quidem datum in hanc formam: A Nobilibus iniquè postulari, à se honestè permitti non posse, vt rectores pueritiæ suæ, sibi à patre patruoque Rege commendati, publicis approbati Comitiis, nullius criminis rei, imò ne leui quidem perstricti suspicione, inuidiâ tantùm Catholicæ Religionis, quam ipse pariter profiteatur, indictâ caussâ eiiciantur è Regno. Æquum esse & Catholicorum Procerum audiri preces; nec sine scelere aut suos illis posse eripi Pastores, aut iuuentuti Magistros, versatos hactenus in eo munere cum summâ omnium approbatione. Hæc inter Gubernator, malorum omnium caput (penes quem & ærarium

publicum & satellitium) per suos, vt ferunt, emissarios concitatâ multitudine minutæ Nobilitatis, varioque terrore expugnatis Catholicorum animis, qui cum Principe sentiebant; ipsum etiam Principem anxium nutantemque, defectionis metu iniecto, vel inuitum adegit subscribere impiis postulationibus. Nec mora: in Peruigilio Natalis Domini, sub horam noctis alteram, nostris in Aulam accitis, exponit Cancellarius Senatus ac Nobilitatis sententiam: solum Principem tantam aduersantium molem sustinere non posse, nisi obteri malit. cupere illum memorem beneficij suorum tueri Magistrorum innocentiam; sed eo in cardine res esse, vt vel Patribus cedendum sit prouinciâ, vel ipsi in perpetuum Principatu. parendum tempori consilio sapientum. magnas esse populi procellas conspirantis in idem: & imminente naufragio, conseruandæ salutis ergô, vel carissimas merces deiici in mare. Suadere se hanc Principi gratiam facerent: offerrent vltrò quod essent amissuri; vt à quibus regendi artes acceperit, acceptam quoque referat regnandi auctoritatem.

... resistere non valet Princeps:

Vix illuxerat Natalis Seruatoris dies, antequam Sacrum facerent, haberéntve concionem, Princeps ipse renuntiat stetisse sententiam, vt ex omnibus cedant ciuitatibus regiis, eamque reuocari non posse. eodem die in Comitio promulgatur edictum consonum orationi Principis. Igitur postridie, Festo S.Stephani Protomartyris, post Sacrum, quod tunc postremum Princeps audiuit, vltimum telum vibratum est in Iesuitas. De mandato Senatus, & nomine Principis, Meggesio Claudiopolim ablegantur, cum mandatis, vt post tres hebdomadas omnino è Transiluaniâ excedant. Hiems erat asperrima, & præaltis vbique niuibus impeditæ viæ. neque hæc moram vllam exorare potuerunt communiter omnibus, nec sua priuatim Patri Lelesio grauis infirmitas. Fuerat is Magister Principis, eoque in munere contraxerat morbum, cuius vis illum ad extrema tum deduxerat. ne quidem opperiri mortem & sepulcrum Claudiopoli permissus est: inhabili quamquam corpore labori & itineri fuit asportandus. Vnicum saltem postulatum concessum est: testimonium publicum abituris. non alias relegationis caussas id habebat, quàm irritatam in nos Nobilitatem studio Religionis: adiecto in aliis rebus honore verborum.

itaque proscribitur Societas.

Ingemuit certè adolescens optimus eiectioni nostrorum: itaque per totum diem memoratur non temperasse à lacrymis. quo die tanta dicitur exstitisse ventorum vis ac turbo, vt & tectum templi, in quo conflatum fuerat infame decretum, & camini culmen ex ædibus Principis deiecerit. Et Principi igitur & nobis cedendum tempori fuit. Coactum se omnino, & non nisi in speciem fuisse assensum, liquidò ostendit, cùm quarto pòst anno, simul ac satis firmasse vires sibi suas opesque est visus, Societatem quamprimùm reuocauit: dissimulato primùm habitu ac nomine, ne manentibus adhuc æmulis reuiuisceret æmulatio; dein palàm, nouis censibus ornamentisque auxit.

Obseruata interim seuera Numinis vltio in proscriptionis auctores. quorum Gubernator ille facilè princeps, & architectus facinoris, statim abire Magistratu iussus; & nihil impetrans è nostris bonis, quibus in-

Puniti auctores proscriptionis.

inhiarat, cùm deſpondiſſet animum, antequam noſtri Claudiopoli diſcederent, eſt mortuus: ſerò, & ſe miſerum clamans, quòd non ſeruaſſet fidem Stephano Regi, Ieſuitis expulſis. Id die tertio à proſcriptione contigiſſe ſcriptum reperi. Saltem ne exſilium quidem noſtrorum vidit, pro quo tanto ſtudio egerat. Alterum memorant dein capitis fuiſſe ſupplicium; pleroſque alios infeliciter vitam finiiſſe. In Annuis Tranſiluan. 1606. Argent. Apolog. c. 13.

Igitur à reditu noſtro in Tranſiluaniam, qui anno prioris ſæculi nonageſimo primo cœptus erat, confirmatus poſtmodum Comitiis publicis; tenebant omnia ſatis proſperum curſum, cùm nouis factioſorum hominum turbis oppreſſa denuò cum Repub. Religio, vnaque cum illis Societas. Cæſari Tranſiluaniam reſignarat Sigiſmundus, in Cæſarem Tranſiluani inſurrexêre, duce Moyſe quodam, gente Hungaro, religione Ariano. Hic Turcicis Scythicisque inſtructus copiis, Tranſiluaniam occupat. Oculatum ſe teſtem P. Ioannes Argentus aſſerit, ab eo cum Claudiopolitanis hac formulâ eſſe conuentum: illi ciuitatem vt dederent, ipſe poteſtatem iis viciſſim faceret diripiendi vaſtandique Societatis Collegium; Patres omnes eiiciendi, raptandi, mactandi. Ex pactis conuentis facta omnia. dedita ciuitas: direptum Collegium: templum à fundamentis dirutum: vaſtatum gymnaſium, quod regio erat extructum opere: expulſi Patres: trucidatus Emmanuel Niger: relictus Georgius Bartholic ex vulnere ſemiuiuus. Omnia eâ feritate, quam Turcarum de gente præſens nonnemo, in ſacros homines & dicata Numini templa, Turcis ipſis diceret eſſe inauditam. Sed mox adfuit vltor Deus. Non totus abierat menſis, cùm horum dux facinorum Moyſes in acie cæſus miſerrimè interiit; læto Tranſiluaniæ fato, niſi vniuerſum ferè Nobilitatis florem, qui ad ſequenda eius caſtra vel inuitus fuerat adactus, miſerando ſuo caſu oppreſſiſſet. Ciuis ille Claudiopolitanus Iudex Regius, & præcipuus tradendæ ciuitatis vaſtandique Collegij auctor, pependit è patibulo. Reſtituta à Cæſaris Commiſſariis Societas, à ciuibus perhonorificè reducta eſt: non aliud ſcilicet ob crimen eiecta, quàm quòd Catholica erat, & Catholicæ Religionis aduerſus hæreſes indefeſſa propugnatrix. Ergo quia noſtrum ſolo æquauerant, Parochiale templum noſtros in vſus cedere coacti ſunt. mox & Ariani Miniſtri omnes ſibi fugâ conſuluere, ſolaque exinde Catholicæ Religionis exercitia obiri cœpta. c. 13. Apolog. *Secunda Societatis proſcriptio è Tranſiluaniâ.* *Puniti auctores.* Io. Argent. Apol. ibid.

Verùm non diuturna quies fuit. Turbulentus alter Tranſiluaniam occupat Stephanus Bockaius, patriâ Hungarus, Catholicis acerrimè infenſus. quos niſi oppreſſiſſet, tutò ſatis dominari ſe poſſe non credidit. Ea res Claudiopoli hæreticis animos fecit Societatem denuò exturbandi. Nulla contrà valuere conſilia aut preces; quamuis tentata ſint omnia. Eodem die templo ac ſcholis, intra triduum domo etiam & vrbe totâ cedendum fuit. id geſtum decimâ nonâ Iunij, anno huius ſæculi quinto. Aduentu Bockaij in prouinciam mitiora Catholici ſperabant. Indicta erant Medienſi in vrbe totius Regni Comitia. Verùm & hîc inſtituitur actio de noſtris toto Regno eiiciendis. Quis miretur Arianos Caluinianosque in eam mox iuiſſe ſententiam? decretum ſcribitur. Monitus interim per amicos mox accurrit Ioannes Argentus, id tempo- Annuæ Tranſiluan. 1606. In Apolog. ibid.

ris Transiluaniæ Viceprouincialis. audiri postulat in eodem conuentu, ne inaudita præter ius & æquum condemnetur Societas. Hîc ille aduersariorum criminationes eâ fiduciâ soluit atque conuicit, vt ne mutire quidem ausi, qui vehementissimè in nos antè fuerant debacchati. Mox & Proceres suæ credulitatis pœnituit piguitque: decretum publicè laceratum est: Societas suo loco stetit. Acerba proculdubio hæreticis & insperata res, Bockaio in primis: tamen pressit ille tum iram alto pectore, sed mox crudeliùs erupturam. Quod illâ æquitatis specie & publico Ordinum decreto non potuit, priuatâ auctoritate & non sine vi postmodum peregit, ac Societatem toto Regno impiè iniusteque eiecit; anno decimo, ex quo à Principe Sigismundo totius Regni decreto in Comitio fuerat reuocata. Sed non feliciùs Bockaio, quàm sua Moysi impietas cessit. à suis lento veneno sublatus dicitur intra mensem; neque diutiùs imperium tenuit à nostrâ è Regno eiectione, quàm à proscriptione Claudiopolitanâ Moyses tenuerat. diceres non dissimile scelus æquali ferè vtrobique passu assecutam Nemesin.

Tertia proscriptio è Transiluaniâ à Bockaio: Annuæ 1606.

Eo sublato, spes reditus affulgebat. verùm Bockaio subrogatus Sigismundus Rakocius omnem sustulit. Is de restituendâ Societate benignè rogatus Archiducis Mathiæ nomine (qui postmodum Imperator) à se facti inuidiam vt amoliretur, ad Comitia Claudiopolitana reiecit. Hîc iterum à Ioanne Argento acta felicissimè Societatis caussa est. quam vbi aduersarij rationibus & æquitate labefactari posse diffidunt, insanis clamoribus & cæco tumultu miscent omnia. Proscribitur Societas, & (quod in primis auara Principis quærebat cupiditas) bonis omnibus spoliatur. Victi audaciâ numeroque Catholici non ideò palàm reclamare destiterunt, apertè protestati, in iniquam istam Societatis proscriptionem se nequaquam consentire. Quam voluntatem suam publico exstare scripto voluere, suis singuli subscriptis nominibus, quod apud Argentum inuenies. Rakocius ipse innocentiæ nostræ testimonium dedit: *Patres Societatis* IESV, *vt bonos & morum integritate graues viros, ex suis Collegiis bonisque non ob vllum delictum, aut notæ alicuius vitium, verùm ad instantiam Romanæ & Catholicæ fidei contrariam opinionem sequentium, esse deturbatos, exclusos, & in alia loca demigrare coactos.*

approbata à Sigismundo Rakocio:

In Apolog. cap. 13.

caussa proscriptionis Religio Catholica.

Ad hunc igitur modum expulsa Transiluaniæ Regno Societas est anno huius sæculi septimo; eò tristiori calamitate, quòd paulatim omnem secum Hungariam, Bohemiam, Morauiam traxerit fœdissimâ strage.

CAPVT NONVM.

Expulsa Societas ex Bohemiâ, Hungariâ, Morauiâ, Silesiâ; item Rigâ in Lithuaniâ.

FVnesta Bockaij coniuratio primos in Hungariâ aduersus Societatem motus exciuit. nimirum vbi proscripta Religio, quis illi locus esse possit? Iniectæ Episcopis violentæ manus, nec temperatum ab eorum sanguine: trucidati Sacerdotes: spoliata templa: polluta altaria: diuina

Motus in Hungariâ contra Societatem. Ioannis Argenti Apolog. c. 14.

diuina & humana omnia contaminata. Zagabriæ Societas & Lincij ſtetit immota. illic retenta ſeruataque à Croatis; hîc ab Auſtriacis Principibus, ipſoque Imperatore Mathiâ, multis decorata præſidiis & ornamentis. Bohemicam tamen ſequentium annorum procellam non perinde effugit; proſcripta tandem ab Euangelicis Ordinibus: quando eodem ferè tempore, eodemque edicto, velut vno afflata fulmine, ex Bohemiâ, Hungariâ, Morauiâ, Sileſiâ eſt eiecta.

Anno labentis ſæculi decimo octauo Conuentum Pragæ habuerant Euangelici Ordines, & defenſores ſub vtrâque: ita ſe appellabant, quòd ſub vtrâque ſpecie ſacra frequentandi myſteria ius ſibi ſumerent. Obtentu libertatis ad arma conclamatum. A templo & concione, pro aris ſcilicet & Religione pugnaturi, procurrunt ad arma. Armati in arcem Pragenſem penetrant; deque iniuriis multa turbulentè queſti, Præſidem Slabatam aliosque Cæſari & Deo fidos Conſiliarios, vi arreptos, per feneſtram in altiſſimam foſſam barbaro facinore deturbant. Quid hoc rerum ſtatu Sociis erat exſpectandum? mitiùs præter ſpem actum eſt. in Collegia fortunasque tantùm, non etiam in corpora ſæuitum. Circumfremuit tamen armorum terror; obſeſſumque ab armatis Pragenſe Collegium: dum intereà edictum ſcribitur infamibus plenum calumniis. Summa erat: Ieſuitæ peſtilens ſecta, omnium Bohemiæ malorum auctores, ſine morâ, triplici Pragâ, Crumauio Bohemico, Neuhuſio, Glatzio, totoque Regno excederent. ita ratum fixumque eſſe vnanimi trium Ordinum conſenſu. perduellium pœna in eos ſancita, qui deinceps inferre pedem præſumpſerint, aut de iis vmquam reuocandis agere in Senatu. Nec mora: affixo ſtatim ad Collegiorum valuas decreto parendum fuit. Confecta interim vulgataque eorum criminum apologia, quæ in decreto nobis obiiciebantur: reſponſumque breuiter ad ſingula capita. epitomen ſuis Laureæ Auſtriacæ Commentariis Iulius Bellus inſerüit. Bohemiam igitur ſic amiſimus. ſed numquid amplo cum fenore, & glorioſiùs dein recepturi? Læta Eccleſiæ, læta Auſtriaco nomini Pragenſis victoria, nobis quoque lætiſſima fuit. non eaſdem tantùm ſedes, victrices Ferdinandi Aquilæ nobis aſſeruere, ſed & ſuis fouendam regendamque auſpiciis commiſère Academiam; adiectis vbique nouis Collegiorum incrementis.

[Iul. Bellus Laur. Auſtriac. lib. 2.]

[*Proſcribitur è totâ Bohemiâ:*]

[Iul. Bellus ibid.]

Non ſtetit intra Bohemiæ fines Euangelicorum furor. Hungariam quoque latè peruagatus, altero mox edicto Socios omnes inde quoque eiecit. Ingens & iſta rerum noſtrarum clades fuit. neque hoc ſatis. abeuntes etiam perſequi placuit, necubi ſecuri conſiſterent. Morauiæ Brunam quaſi ad fidam ſtationem ſe multi receperant. Mox Euangelici Ordines Morauiam Bohemiæ partem ac membrum eſſe cauſſati, definierunt eodem Bohemico edicto dudum comprehenſam eſſe Societatem, quæ in Morauiâ erat. ne quod tamen ſupereſſet dubium, ſextâ Maij anno nuper decimo nono nouum Morauicę proſcriptionis inſtrumentum confectum eſt. Id amici iampridem fuerant ominati; & in tempore Rector prouiderat, imminuto paulatim noſtrorum numero. Biduo pòſt in Peruigilio aſcendentis Domini adſunt proſcriptionis nuntij cum decreto. fortè noſtri menſæ accumbebant. Inopinatò euocatur

[*item ex Hungariâ:* Iul. Bellus Laur. Auſtriac. lib. 3.]

[*deinde ex Morauiâ.* Adri. Meerbeeck in Chronico ad annum 1619. Iul. Bellus Laur. Auſtr. lib. 3.]

Rector à duobus Commissariis; simulque iussi adesse Socij omnes è vestigio, mensis relictis. Tum imperato silentio petulanti plebeculæ, quæ denso agmine circumfundebatur; alter è Commissariis Ordinum mandata exponit, simulque decretum vernaculâ linguâ legendum stentori cuidam porrigit. Eo seuerè imperabatur, claues templi & Collegij absque morâ & tergiuersatione Commissariis traderent: omnes è vestigio Brunâ excederent, intra triduum totâ Morauiâ. propositâ capitis pœnâ, siquis aliquando referret pedem.

Eiiciuntur nostri Brunâ:

Perlecto decreto, declarationem addit Commissarius ex mente Statuum, omni nos possessionum iure ex eo temporis puncto priuari. Tum & aliud scriptum profert ad seniores plebis Euangelicæ; cui scilicet mandabatur, vt prius istud decretum omnino curarent mandandum exsecutioni. quod erat, plebem armare, potestatemque facere in nos tumultuandi, siquam fortè necteremus moram. Non ideò tamen minùs generosè à Rectore responsum: Societatem omnium Ordinum consensu in Morauiam admissam, à solis Euangelicis non posse proscribi; præsertim nullius conuictam criminis sigillatim, imò ne accusatam quidem in decreto. Sed nec inter arma legibus, nec in tumultibus æquitati locus. Negant Commissarij se pedem elaturos, antequam traditis templi domusque clauibus nos exire compulissent. Ne ad mensam quidem redire licuit semipransis: imò vix ad cubicula regredi ad accipiendas chlamydes. quod tandem concessum: sed non sine comite aliquo de plebe, qui obseruaret nequid fortasse prætereà aut efferrent aut abderent. tanta in exsequendo imperio vigilantia erat & festinatio. Imò quasi necdum satis citò eiicerentur, vix furentis plebeculæ impotentia compesci poterat. quæ tanto gaudio indignam hanc barbaramque exturbationem spectabat, quanto mœrore passim per vicos Catholici calamitati nostræ illacrymabantur.

Mercur.Gallobelg. ad ann. 1619. Adrian. Meerbeeck in Chronic. *retrahuntur ex itinere tamquam auctores incendij:*

Iam egressi mœnibus, omni se defunctos periculo credebant; cùm ecce ingens in vrbe excitatum incendium nouam in Socios concitauit inuidiæ flammam. vociferati hæretici Iesuitis auctoribus hæc fieri; sic eos vlcisci discessum suum; iam lætis oculis fumum flammasque spectare incensæ vrbis. retrahendos ex itinere incendiarios, meritoque supplicio afficiendos. Simul sparsa, simul credita calumnia est. tamquam compertâ re, missi confestim equites peditesque, qui perditissimos homines Brunam reducant. Non difficile fuit pedites assequi, nihilque tale opinantes. vbi in potestate omnes habuêre, solicitè à fronte, à tergo, à lateribus custodiunt, nequis elaberetur. insultant petulantibus cachinnis, probris conuitiisque onerant fatigatos iam de viâ & meridiano æstu. Verùm ea militum custodia in vrbe præsidio fuit aduersus tumultuantem plebeculam, vixque continentem manus incendio irritatas. In aream Curiæ vt deuentum, Consul cum duobus Statuum nomine submissis, moram publicâ auctoritate indicit; vetatque quoquam commoueri. Interim detectâ, vt inquiri diligentiùs iusserant, verâ incendij caussâ, euanuit stolida criminatio, liberataque omni suspicione Societas est. Non ideò tamen aut dimissi liberè, aut ad Collegium redire permissi. Eâ nocte ac die proximo (qui Dominicæ Ascensionis erat) in custodiâ

habiti

habiti sunt, non sine ærumnis molestiisque, quas piorum liberalitas subleuabat: tum verò multò magis solata est, illa sacris operandi, & Catholicos eo die salutaribus extremùm reficiendi mysteriis, ex insperato concessa libertas.

Postridie coram triplici Senatu sistuntur omnes, frequentissimâ plebe vndique cincti, quæ rei exitu suspensa accurrerat. Credo vt suis vsurparet oculis diuinam in Socios prouidentiam, quæ tam probrosam ex itinere retractionem, non in testimonium integritatis tantùm, sed & luculentum rerum nostrarum commodum vertit. Nam primò Statuum Commissarius, præmissâ Dominorum Iesuitarum honorificâ appellatione, liberos innocentesque de scripto pronuntiat. Tum publicis sumptibus conduci currus imperat, quibus ad Prouinciæ fines deportentur; seuerâ aduersus plebem additâ denuntiatione, ne quam vllus verbo factóve abeuntibus creet molestiam. Quodque mirum maximè, & præter spem omnium prorsus accidit, fit potestas rem familiarem omnem donandi, vendendi, auferendi; per delectos tamen fidos homines: nostros enim pedem vltrà in Collegium inferre omnino nolebant. Rogatus tandem Senatus innocentiæ nostræ testimonium, pro omni testimonio esse dixit tam contumeliosè ex itinere retractos tam honorificè dimitti; nequaquam impunè laturos, si vel minima criminis hæsisset suspicio. Itaque aduectis curribus, non iam cum tumultu & exprobratione plebis, sed è diuerso cum aliorum admiratione, commiseratione aliorum, omnium modestiâ & silentio, vrbe tandem & Prouinciâ excesserunt. Viennam Austriæ per media Bohemorum latè prædantium pericula incolumes Deo protegente delati.

cognitâ innocentiâ, honorificè dimittuntur.

Hæc Brunensis domus proscriptio fuit; vnum si incendium excipias, per omnia similis Olomucensi: quæ eodem tempore, & propemodum die, nostris illic quoque denuntiata est, indicto intra triduum exsilio è Prouinciæ finibus. Ita & istud pænè momento temporis dissolutum florens Collegium Sociorum quatuor & octoginta: quod Olomucij sexaginta duobus annis sedem iam fixerat. Crimen erat Orthodoxa Religio, proque omni iudiciorum æquitate odium in nos hæreticorum.

Eiiciuntur nostri Olomucio:

Bohemorum exemplum Silesiis placuit; Principibus scilicet Augustanæ Confessionis. Eodem anno decimo nono solenni edicto, quod Briegæ vigesimâ quartâ Iunij proclamatum est, è totâ Silesiâ eiicitur Societas, capitis pœnâ denuntiatâ.

proscribuntur è Silesiâ. Iulius Bellus Laur. Austriac. lib. 3.

Atque hæc de totâ latè Germanicâ ditione hactenus. Iubétne coronidis loco ex immensâ siluâ Polonicarum rerum, vnam saltem Rigensem tempestatem attexamus? Hìc profectò, si vsquam alibi, professa palàm odia; quæ nec oratione Legatorum in Comitiis Regni, nec ipsius auctoritate Regis & præsentiâ iubentis, nec ipsâ temporis morâ placari satis potuerunt. Anno superioris sæculi octogesimo septimo adeò in Societatem exarserat furor hæreticæ ac seditiosæ plebis, inflammatus facibus Ministrorum, vt iam non esset tutum iter die medio per vrbem. palàm exsecrabantur nostros, pestemque omnibus imprecabantur; non in maledicta tantùm effusi, sed in violentas etiam minas, intentu palmarum, ac scloporum strepitu. vnius Stephani Regis metus adhuc con-

Rigensis procella in Lithuaniâ.

tinebat

tinebat furentes. alebatur interim nocendi cupiditas ab hæresi, illâ seditionum nutrice; caussasque Patres aliquando expellendi auidè quærebant. Semel iterumque suscitata quædam flamma, mox resederat: sed apparebat, ingens daturam incendium, si qua denuò exsisteret aura, augenda flabello Ministrorum,quam arte captabant. Moram temporis fraus præuertit. Finguntur criminationes aduersus Societatem communiter & Senatum, quem consilio prudentiorem nostris fauere partibus satis nouerant, & istas in Republ. turbas eliminatas velle. Subornantur bini testes falsi. Rectorem intra Collegij septa à geminis cohortibus in cubiculo inclusum custodiri iubent. multis examinatus quæstionibus, nulliusque rei compertus, libertate donatur. interrogantur interim de Collegio singuli; tamque in eos sæuitum acerbè, vt, nisi diuina adfuisset prouidentia, & quibusdam iniecisset ciuibus mentem, vt arcerent turbam ab improbo conatu, eo die conclamatum fuisset. Mox totâ rei vanitate detectâ,ab vno è falsis testibus suam criminationem retractante, amicis fiducia, hæreticis metus creuit; præsertim vbi perlatæ sunt Regis litteræ iracundæ & graues, quibus factas Societati iniurias seueriùs expostulabat, illasque eo habiturum numero, ac si eis ipse affectus fuisset.

Sed difficile est incitatam semel & in procliue labentem populi rabiem continere. efferatur etiam beneficio. aliud nihil quàm periisse cupit, quem odit: nec impellere desinet, donec ruat. Stephani Regis obitus sanè importunus rei Catholicæ, nostræque in primis, eorum aduersum nos consiliis fuit admodum opportunus. Iam sublato metu, palàm & truculentiùs furere; iam exsilium & extrema minari. Concilium cogitur. publico assensu decernitur de Iesuitis quamprimùm eiiciendis: leniter quidem, si sponte assentiantur; sin minùs, vi atque ferro. Itaque de sententiâ populi exsilium nobis indicitur;tam festinatum ac præceps, vt vix noctis spatium impetratum ad moram. Seditiosi interim, clauibus arreptis, exsultantes gaudio in templum penetrant;sacris operimentis nudant altaria; icones proturbant, euertunt, exscindunt; tollunt omnia pietatis insignia. tum infanda quædam insusurrantes carmina, quasi expiassent ædem, quam dæmoni dicauerant, actum de Pontifice Romano ingeminant triumphum. Religionem potiùs, quàm Societatem, eiecisse gloriari poterant. Interim nequis elaberetur, noctu dispositis armatorum excubiis, Socios omnes domi includunt; ac postridie exceptos fremitu populi, sibilisque exprobrantium atque illudentium, ex vrbe dimittunt in vicinam arcem. Mox, velut insigni obtentâ victoriâ, clamoribus, æris campani pulsu, & aliis quibus incondita multitudo solet, gratulationibus significata lætitia est. Biennium facilè tenuit ea Societatis relegatio: nihil non agentibus apud Regem & Proceres, è Rigensi populo hæreticis, vt in perpetuum amandaremur: donec tandem, summâ Sigismundi Regis voluntate, in publicis totius Regni Comitiis, de restituendâ Rigam Societate decretum est; reditumque à nostris in Collegij possessionem.

Tandem nostri inde eiciuntur.

CAPVT

CAPVT DECIMVM.

De calumniis in Societatem primo sæculo iactatis.

TVrbas, proſcriptiones, exſilia (pauca de multis) primi ſæculi hactenus qui legerit: is quaſi vulnera quædam, is plagas cogitet magno intentatas corpori, nullo non genere armorum; ſed corpori, anno iam centeſimo æquè viuido vegetoque per damna, per cædes: is ſcopum cogitet omnibus maleuolorum telis expoſitum vndique, vndique impetitum; ſed integrum adhuc illæſumque anno ſæculari, & non niſi circumfuſis vndique telis nobilem. Illa quidem validis ſæpè lacertis excuſſa ſunt, & magnâ nocendi vi ac voluntate; vano tamen conatu: vel fracta reſiliêre, vel decidêre irrita; vel ſiquæ plagam facere viſa, non durauere. O qui in faſciculum colligeret tela omnia, ſeræque exhiberet poſteritati! conuitia, inquam, iactataſque primo ſæculo in Societatem contumelias atque calumnias! agnoſcerent poſteri, improborum odia decora fuiſſe maiorum, ſuaſque & ipſi verterent in laudes. Nimirum tranſmiſſa ex hoſtili acie tela ſeruantur inter monumenta paternæ fortitudinis, & exornant atria: quantò magis ſi aduerſo fuerint excepta pectore, ſi loricam perforarint, ſi galeam ruperint caſſo vulnere? non inania interim periculi ſigna, gloriæ trophæa. Et nobis ſanè an non iuſtiùs, quàm ſuos recenſet Nobilitas titulos, calumniarum ſeriem proponere liceret? tamquam parentum titulos; non tantùm non pudendos poſteris, ſed glorioſos? Verùm immenſus foret labor vel perſtringere ſummatim, & ambitioſa narratio. denſiùs ruente pluuiâ & hibernâ grandine, tela iſthæc incubuere. Qui æſtuante pelago aſſilientes in marinas rupes numerauerit fluctus, calumniarum ille velùt fluctuum in nos aſſurgentium numerum ſperet comprehendere. Quæ enim rerum noſtrarum pars manſit intacta? Inde à primo exortu, toto decurſu ſæculi (obite Regna, luſtrate Prouincias, excutite Annales) quidquid à Societate vllo modo profectum eſt, quidquid vel nomine tenus ad eam pertinuit, nónne fœdiſſimè traductum eſt? Auctor ipſe, nomen Societatis Iesv, communis habitus, Regulæ atque inſtituta, regimen, mores, libri, doctrina, ſcholæ, conciones, omnia in acerbiſſimas criminationes vocata. Exploſa noua hæc Religio, tam ſuperbo Iesv nomine, ſine habitu ſibi proprio, Pontifici ſingulari voto conſecrata. Contempta votorum ſimplicium vincula, quæ ſolui poſſent. Irriſa paupertas, tam ſumptuoſis ſcilicet nixa templorum ædificiis, & tam ſplendido ſacrorum apparatu. Tyrannica dicta eſt cæca Obedientia; comparata à Polycarpo Turcicæ Moſcouiticæque parendi neceſſitati. Gratuita Sacramentorum aliarumque functionum adminiſtratio, appellata turpiſſimus quæſtus. Sæpiùs in ſuſpicionem hæreſis adducta doctrina, multiſque ſeuerè examinata quæſtionibus. Scholæ iuuentutis corruptela nuncupatæ; conciones, ſeditioſæ plebis irritamenta, & turbarum pabula. Tota regendi ratio dicta politica, perſimilis Machiauelli inſtituto, atque iſtiuſmodi è fontibus petita. Simulatione, hypocriſi, perfidiâ plena

Innumeræ calumniæ ſunt primi ſæculi:

breuis earum ſeries.

In Hiſtor. Ordi. Ieſuit. p. 44. & 151. apud Steuartium.

eſſe

esse omnia. Doctrinæ probitatisque opinione fucum fieri incautis mortalibus. his duobus præclaris in speciem atque ad ostentationem fulcimentis tantam illam niti molem. sed reuerà nec doctos esse, nec probos: qui sæpè maligno, sæpè stolido & imprudenti, semper importuno consilio (quoniam se ingerunt) publicas res turbent. Affectare interim regnum quoddam litterarium intolerabili ambitione: tinctos leuiter, nec nisi primoribus labris multa degustasse, ex quibus solidè teneant nihil. Imò iam ita velle credi, quòd non aliud Musis sacrarium sit, non aliud humanæ diuinæque sapientiæ adytum, præter sua Collegia: ex istis officinis prodire disciplinas omnes meliore cultu. Denique quidquid agant; falsa multa vt sint, quæ in eos inimici fingunt nimis immania; vitia nonnulla vt euadant, de quibus insimulantur, suspicionem certè vitiorum euasuros numquam. Auaritiæ, superbiæ, ambitionis illorum nomini æternam adhæsuram infamiam, & tot firmatum caussis publicum odium.

Hæc aliaque id genus sexcenta, acri digna Philippicâ, non hac simplicitate narrationis, quoties à Richeomio, Argento, Gretsero, Contzenio, Garasso, Forero, Schondoncho, Costero, Scribanio, aliisque innumeris è nostrâ Societate, multarum palmarum hoc in stadio athletis, victa iugulataque fuere? quoties ab extraneis, veritatis non minùs quàm nominis nostri perstudiosis, Francisco Montano, Montholono, Steuartio? vt Principes ac Reges, vt Cardinales atque Pontifices omittam, scriptis litteris caussæ nostræ maximos patronos. Quòd si tamen miratur aliquis, toties hæc & à tam variis obiecta fuisse, tot libellis famosis sparsa, persuasa creditaque etiam subinde viris rerum minimè ignaris; is profectò miretur potiùs, & prodigio simile agnoscat, centum annorum spatio, in tantâ maleuolentiâ peruestigantium ac scrutantium singula, etiam abdita ac domestica quæque, centum, inquam, annorum spatio nihil fuisse allatum, quod Magistratibus, quod Principibus, quod Regibus faceret fidem; nedum Societatem hanc *pestilentem* esse *sectam*, *exitialem factionem*, vt aduersarij toties iactauere. quam insigni suo cum dolore, vno tantùm sæculo tam latè diffusam vident, tot receptam vrbibus, tot auctam Collegiis, tot votis expetitam denuò, vnde priùs fuerat expulsa. Miretur potiùs, nos toto iam sæculo, veluti inter sacrum & saxum (quod aiunt) positos; inter extrema atque disiuncta hominum hinc beneuola studia, illinc malefica odia, medios fluctuasse semper erectos; ac veluti geminâ lance libratos atque suspensos: cùm alij miris nos laudibus efferrent in cælum, alij in ima Tartari maledictis criminibusque deuoluerent: atque eodem tempore his videremur summè exsecrabiles, illis verò amabiles etiam admirabilesque. ad expressam Seruatoris similitudinem, de quo eodem tempore alij dicebant, *Quia bonus est*; alij verò, *Non, sed seducit turbas*.

Mirum has inter ita floruisse Societatem.

Ioan. 7.

Hominum generi quid facias? tam sanctum nihil est quod vellicare malignitas non possit. vel in suspicionem adduxisse est satis, vt speratum inde fructum impedias. In confinio quodam virtutes ac vitia posita sunt. rectum earum tenere cursum, neutram vt in partem declines, quemadmodum difficile est, ita eas à vitiis inter se discernere cuilibet

sanè

sanè non ita pronum. maleuolus autem discernet numquam in eo, quem oderit: trahet omnia in alimentum liuoris sui, & rectissima quæque pessimum detorquebit in sensum. Iamdudum, neque hoc tantùm sæculo, casta in Deum fides, fatua credulitas dicta est; Religio pietasque, stulta superstitio; & Christiana animi demissio, ignauia abiectioque. Iamdudum est, quòd incorruptam iustitiam, traducunt nomine exosæ seueritatis; prudentiam, fraudis astutiæque; fortitudinem, temeritatis; temperantiam, simulationis atque hypocrisis: dudum, inquam, & ex illo tempore, quo attributa vitiis nomina virtutum; non affinia tantùm, sed planè contraria.

Ecclesiâ nascente, Christiana Religio quoties ab Ethnicis contumelioso vocabulo *superstitio exitialis*, quoties *noua atque malefica* est appellata? cur probro vertitur, eadem ab hæreticis improbisque tulisse cognomina Societatem? *Christianum hominem* (Tertulliani *verba sunt) quoties *omnium scelerum reum*; *deorum, Imperatorum, Regum, morum, naturæ totius inimicum existimarunt*? An non iisdem hoc sæculo appetiti contumeliis Iesuitæ? quòd hostes Numinis, quòd Regum interfectores, Vniuersitatum furiæ atque exitium, humanarum diuinarumque legum hostes, portenta orbis terrarum? Nónne & olim, eodem Tertulliano teste, *prætexuêre ad odij defensionem, illam quoque vanitatem, quòd existimarent, omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi, Christianos esse caussam? Si Tiberis ascendit in mœnia, si Nilus non ascendit in arua, si terra mouit, si fames, si lues, statim Christianos ad leonem.* An non similia hoc sæculo in Iesuitas iactata? Si bello arsit Germania, si classicum insonuit in Galliâ, si Regem amisit Lusitania, si afflicta Catholica Religio in Transiluaniâ, si decreta in Catholicos supplicia in Angliâ, si motus in Scotiâ, si turbæ in Poloniâ, Sueciâ, nostroque Belgio; nónne statim Iesuitas in exsilium, in malam crucem? Iesuitas bellorum omnium incentores, omnium turbarum auctores, incendiorum, populationum, publicarum omnium calamitatum architectos, quæ vsquam totâ Europâ desæuierunt. Illi nimirum, vt nonnemo dixit, Pandoræ pyxidem aperuêre, & omnia in orbem inuexêre mala, etiam quæ trecentis annis ante exortam Societatem contigêre. Nec aliis ad faciendam fidem opus argumentis: accusasse est satis. Nimirum, vt olim apud barbaros sola confessio Christiani nominis erat probatio criminis; ita apud impios istos Iesuitam esse, capitale est, criminosum est, exsecrabile est. Odiosum illi hominem cùm designarent, Christianum appellabant: hoc sæculo, pro odioso, hæretici Iesuitam dixêre. perinde ac Iesuitam esse, idem sit atque superstitiosum esse, factiosum, simulatorem, ambitiosum, superbum, omni nequitiâ profligatissimum, & Tartarei cacodæmonis sobolem. Eò vtrobique progressâ dementiâ, vt, quemadmodum Christianos olim, ita Iesuitas nunc magiæ artiumque damnatarum insimulare non sint veriti; asseruerintque, nostros Tirones magorum imbui disciplinis. Estne quò vltrà progredi possit furor atque impietas?

Iisdem ferè calumniis appetiti veteres Christiani:
Tacit. l.15. Sueton. in Neron. c.16.
*In Apolog. cap.2.
Ibid. cap.40
Montholon Plaidoye, blasme 4.

Verùm, post Seruatoris exempla, quid miramur? *Si patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quantò magis domesticos eius?* Improborum con-

imò & Christvs *ipse:*
Matth. 10.

uitia ne diuina quidem Sapientia euasit. mira eius stupendaque facta in præstigias verterunt, virtutes in manifesta crimina & probra. Cæsari pendendum vectigal suaserat, & ipse penderat: reus tamen agitur con-
Ioan.6. temptæ Cæsareæ maiestatis. Fugâ se subduxerat conatibus populi vo-
Ioan.19. lentis eum rapere & facere Regem: accusatur nihilominùs Regni affe-ctati. Deum inter atque homines pacis arbiter venerat, pax ipse æ-
Luc.23. terna hominum, & princeps pacis: factiosus tamen, seditiosus, turbu-
Matth.12. lentus dicitur. Ex obsessis corporibus abigebat dæmones: ore blasphe-
Luc.2. mo vocatus ipse dæmonum antesignanus, maleficus, magus, occupa-
Ioan.7. tus à dæmone. Dicto factoque temperantiam docebat & frugalita-
Matth.11. tem: non effugit tamen, quin helluo & ebriosus, & vini potator habe-retur. Qui vitam traduxerat innocentissimam, *benefaciendo & sanando omnes*, instar nocentissimi latronis iudicatur in Curiâ, à sacro pro-fanoque damnatur magistratu; & duorum ipse latronum medius, vel-uti eorum sceleratissimus, infami crucis supplicio tollitur è medio, tam-quam indignus vitâ vitæ auctor.

Et miratur aliquis impeti, traduci, vexari Societatem IESV? Cur ex-
Matth.5. ciderunt animo diuina oracula? *Beati estis cùm maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes, propter me: gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis. sic enim persecuti sunt Prophetas, qui fuerunt ante vos.* sic sanctissimos
& alij Ordines Religiosi ante nos: Religionum Fundatores, Benedictum, Norbertum, Dominicum, Franciscum, eorumque cœtus Religiosissimos; easdemque obiecere crimi-nationes, vt ex D. Thomâ ac D. Bonauenturâ doctissimo Commenta-
In Append. ad Refutat. Histor. Ordin. Iesuit. rio Gretserus noster ostendit. Non descendimus primi in hæc certa-mina: per ista dudum ante nos illi transiêre. Quòd si IESV nomen im-pendentium nobis quoque Dei caussâ calamitatum omen est, vt antè
Capite I. huius Libri. dicebamus; quæ materia querelarum, quod famæ detrimentum est, si duriùs subinde immitiusque agitamur? In hereditarium istud onus
non ergo mirum si & IESV Societas. cum nomine venimus. illud illud nomen est, quod etiamnum im-probis odio est atque terrori. in illud diriguntur hæreticorum tela, quæ Sociorum latere atque obiectu excepta sunt. Nec solus olim IESVS in crucem actus, sed & nomen eius; nunc quoque quidquid hoc no-men gerit, mundi odium est, & crucis instar exosum.

Age ergo, ne *defatigare deficiens animis*, generosa Societas, vnius sæ-culi procellas impetusque iam experta, simul & tutelam Numinis.
Hebr.12. Adspice *in auctorem fidei & consummatorem* IESVM. illum *si persecuti*
Ioan.15. *sunt, & te persequentur.* Cur alia tua sit quàm Domini sors? cur alia quàm Christianorum veterum ac Religiosorum? IESV nomen tibi pro-prium si sumpsisti cum tantâ maleuolorum obtrectatione, eo pretio emisse te crede magnificum illud *pro nomine* IESV *contumeliam pati.*
Homil.11. in Iosue. Istud Origenis tibi scriptum puta: *Qui amicitias expetit* IESV, *multorum sibi sciat inimicitias tolerandas: licet* VLTIMI MERITI SIS *in Ecclesiâ; tamen hoc ipso, quia ad* IESVM *pertines, impugnaberis.*

CAPVT

CAPVT VNDECIMVM.

Crudeliter vexata Societas à barbaris in Orbe nouo, ac primò in Indiâ Orientali.

SIc exercitam inter Catholicos hæreticosque Societatem, quid mirum si grauiora in Orbe nouo inter barbaros excepêre certamina? Per vastissima incognitaque maria, ad vltimos & inaccessos mundi fines, coram Gentibus & Regibus IESV nomen vt portaret, experiri quoque debuit, quanta oporteret pro nomine isto pati. Egressa certè Europæ finibus, quò remotiores adiit plagas, eò acerbiora sensit perferenda, crescente cum terrarum spatiis ex æquo agendi patiendique necessitate. Hîc illam in virtutis suæ theatrum ingressam diceres. hîc ferro flammâque in eam sæuitum, hîc certatum vtrimque totis viribus, donec fessâ crudelitate victrix toties patientia triumphauit. *Inter Ethnicos durè exercita Societas.*

Noui ego generosam posteritatem: nec illam conspectus Sociorum sanguis, nec suppliciorum terrebit immanitas. inuitamenta hæc potiùs & præmia erunt, quæ ad Indos pelliciant. hac spe æstuabit illis animus, angustis Europæ limitibus inclusus: hac spe ardebunt superare Oceanum, & longæ tædia nauigationis. tot Heroum, maiorum, inquam, nostrorum, hæc spes & merces fuit. è terris illis tum recèns detectis, pro auro & gemmis, retulere speciosa vulnera, & pulcherrimam mortem per atrocissima supplicia. Ea nunc quasi in breui tabellâ exhibere est animus. non igitur, vt hactenus fecimus, Collegiorum in Orbe nouo sediumque nostrarum narrabimus agitationes atque discrimina, sed illustrium de Societate virorum violentas cædes barbaræ immanitatis: spectaturi in extremo illo mundi theatro, tamquam scenâ variante, alios in cruce, alios in scrobe, sub lictoris manu ferroque alios, alios in flammâ; suum singulos actum nobilissimo fine, hoc est generosâ morte, claudentes.

Quæ primis nostrorum laboribus exculta est ad Orientem India, prima quoque nostrorum sanguine est imbuta. Xauerij votum quoties id fuit! sed Antonio Criminali ea reseruata erat diuinitus gloria, vt tot Heroum dux & antesignanus prodiret. ponè illum spectandos se offerunt viginti ampliùs commilitones, diuerso tempore in eâdem Goanæ & Malabaricæ ditionis orâ: quos inter Rudolphus Aquauiua & Alphonsus Paciecus, clarissimi stemmatis ambo, si in tanto virtutis splendore lux aliqua stemmati relicta est. Criminalis gente Italus, nobili genere apud Parmenses, ab Ignatio missus in Indiam, sustinendis oræ Piscariæ & Parauanæ Ecclesiæ curis atque calamitatibus, Xauerio successerat, parem vnus animum ferens tanto & initio & labori. Satis ad æstimandam viri virtutem, successisse Xauerio: eam vineam excoluit summâ fide, labore improbo & sudore, tandemque rigauit & sanguine. Res sic habet. *Primus de Societate à barbaris trucidatur Antonius Criminalis* Ribaden. in Vitâ B. Ignatij l. 3. c. 20. Maff. Hist. Indic. l. 14. Hilarion de Costa Histor. Cathol. Thom. Bozius lib. 7. signo 17.

Anno Christiano M.D.XLIX. defecerat Lusitanos nitratus puluis. hæc egestas cognita vicinis barbaris animos ad audendum fecit. Vrgebat Crimi-

Criminalis Præfectum arcis, vt miſſo oratore pacem peteret: quod ille cum faſtu dedignatus, in naues ſe cum ſuis recipit, & inuitat Patrem. Sed Neophytorum commiſeratio retinebat: quos ille miſericors dum nauibus imponere laborat, præoccupatus ab hoſte ſubmouet pauliſper gregem, atque ipſe Paſtor vultu & gradu conſtans pectus aduerſum offert, in vtrumque paratus, ſeu fortiter cadere pro ſuis, ſeu pacem exorare. Sed erat precibus implacabilis barbarorum furor. ergo in genua procumbens, ſublatis in cælum oculis manibusque, Deo ſe victimam offert. Hoc ſitu virum, reuerita credo, prima acies, tranſit ſine noxâ, itemque media; ſed poſtremam conflabant Saraceni, capitales nomini Chriſtiano hoſtes: eorum vnus haſtam per coſtas in pectus precantis adigit. Quo vulnere proſtratum ſpoliare veſtibus feſtinabant, cùm ille magnanimus vltrò ſibi Religioſam tunicam detrahit, quin & interulam ſuâ iam purpurâ pretioſam offert, nudus CHRISTO ſimilior moriturus. tum, vt poterat, in pedes ſe erigit, ac verſus templum ægrè greſſum molitur, poſiturus animam ante aram illam, in quâ, incruentâ Filij hoſtiâ, toties antè litauerat æterno Patri. Verùm alium audiens aduentare ſicarium, ne more fugientis occumberet inhoneſto vulnere, aduerſum percuſſori pectus obiecit, & lanceam irruentis excepit. collapſo præciditur caput, quod inſanâ vociferatione barbari pro victoriæ trophæo in delubrum inferentes, idolo ſuo Tricanduro fixêre anathêma, hoc vno ſatis ſuperque cauſſam necis teſtati, odium Religionis. Quantus hic vir à tam beato funere! quem etiam viuentem Xauerius Sanctum nominabat.

Interficitur Rudolphus Aquauiua cum quatuor Sociis.

Thom. Bozius lib. 7. ſigno 27. Hilarion de Coſta Hiſt. Cathol.

Fuſus Antonij cruor, multorum ſanguinem inflammauit. ingens omnibus iniectus ardor: nec pauci ſummam votorum retulere; quorum aliquos produco ſpectandos; non temporum ordine, ſed locorum. Rudolphus Aquauiua, Ducis Atrienſis filius, exoratâ parentis veniâ in Societatem admiſſus, longâ aliquot annorum prece Indiam impetrauit. ibi magno Mogori Patres aliquot petenti, ipſe potiſſimùm datus, triennio vixit in Regiâ; ac ſubditorum plurimis CHRISTO adiunctis, cùm in Rege ipſo, plus quàm CHRISTI lex patitur vxorio, fruſtrà laboraret, petitâ obtentâque miſſione reuertit Goam. Mox Collegio Margano Rector datus eſt, annexis ad curam, quotquot Salſetide inſulâ ſedes habebat Societas. Conſilio ſubinde inter domeſticos Patres inito de iuuandis in Fide incolis, placuit inſpicere loca defigendis crucibus templisque excitandis opportuna. Rudolphus ipſe Rector cum Sacerdotibus tribus, Alphonſo Pacieco, Petro Berno, Antonio Franciſco, & non Sacerdote Franciſco Aragnâ, poſt Miſſarum Sacra proficiſcuntur. in comitatu erant Luſitani duo, plures indigenarum, & agebant iter nullâ ſuſpicione periculi. Notauit pulcherrimam vindictæ occaſionem impoſtor quidam veneficus; & repentè excitatis vndique barbaris, veniſſe aiebat tempus vlciſcendi iniurias Deorum fanis & ſimulacris toties illatas ab Sacerdotibus nouis, qui nunc etiam circumſpicerent loca ſtruendo templo & crucibus imponendis, cum æternâ ignominiâ præſentique interitu Pagodum. Animauit facilè ſanguinarios hæc oratio. Patrum cædes decernitur: vias omnes obſident: præ-

dam

dam in dispositos circumquaque casses sponte venturam præstolantur. Et iam Patribus subolebat machinatio: quare non vltrà pergendum rati, iter suum relegebant, cùm ad pagum Coculinum sese vndique circumuentos vident. Lusitanus sclopos expediebat: prohibuere nostri; monentes non defensionis hoc tempus esse, sed mortis CHRISTI caussâ fortiter oppetendæ. Paciecus barbaros sermone gentis lenire aggressus, vehementiùs irritauit. Primus in Aquauiuam impetus fuit. amputatis tibiis in genua prouolutum, nudantemque colla, geminato acinacis ictu percussere. mox & in humeros impactum ferrum, & pectus telo penetratum. tot vulneribus occubuit ætatis anno trigesimo tertio: quâ ipsâ erat ætate Paciecus, nec genere illi nec virtute minor. Hoc actore Philippus Rex mandauerat Proregi, ne quod Pagodibus fanum totâ Salsetide restitui pateretur. vbi letale vulnus in pectore persensit, decussatis in crucem brachiis, cælum suspiciens, recepto in guttur telo, comitatus est Aquauiuam. ambo non sine altiore prouidentiâ, pari nobilitate, paribus meritis, paribus vitæ & Religionis annis, ex militante Societate in triumphantem pari leto abiere.

Exosus erat præ ceteris Petrus Bernus, quia paulò antè gentis deos suis oppugnarat manibus, pedibusque protriuerat; auctor etiam mactatæ vaccæ, quam suum numen (Ægyptiorum Isidem huc transisse crederes) indigenæ colebant. hinc dirissimè per horrenda vulnera trucidatus est, neque cadaueri insana crudelitas pepercit. Sui ipse leti vates fuisse creditus, cùm frequens diceret, Coculinos haudquaquam seriò Christianos fore, nisi Christianum sanguinem, & suum ipsius quidem, (ita dictabat animus) bibissent. Triginta ætatis annos numerabat Bernus; totidem Antonius Franciscus, voto dudum Martyr; solitus, quoties sacrificabat, ardenter precibus lacrymisque fundendi sanguinis beneficium à Deo postulare. At Franciscus Aragna, extinctis ceteris, adhuc spirans repertus, inter barbarorum manus cum ingenti clamore in fanum asportatur; vbi circum idolum semel iterumque raptatus, & honorem habere iussus, tanto animi robore detestatus est, vt, furore impiorum accenso, horrendam sagittarum pluuiam in se prouocarit; quibus toto corpore confixus, alter Sebastianus apparuit. Acta res est Idibus Iuliis anno M. D. LXXXIII. quam insigni poëmate noster Bencius exornauit.

Variorum præterea interfectorum nomina.

Possem hîc ego Alphonsi à Castro, Nunnij Riberæ, Aloysij Mendez, Pauli de Valle, Francisci Lopez, Petri Mascareniæ, Georgij Fernandez, Gomesij Dameraltij, Vincentij Aluari; possem aliorum gloriosam in eâdem Orientis Indiâ catastrophen spectandam dare, postularetque tam clarorum id pugilum dignitas, nisi instituta breuitas vetaret, moneretque vt in Iaponiam, Xauerianæ secuti cursum industriæ, aliquando transferamus pedem.

CAPVT DVODECIMVM.

In Iaponiâ in Socios gladio, flammis aliisq; tormentis barbarè sæuitum.

PRopria Societati Iaponia eſt, ex quo primus in eam Xauerius CHRISTI intulit Fidem. Prô, quantum conſtantiæ Chriſtianæ iam theatrum! rediuiuam naſcentis olim Eccleſiæ faciem hîc agnoſcas; & verè *ſanguis Martyrum* hîc *ſemen eſt Chriſtianorum.* In illos quis barbara Regum edicta, quis ſigillatim noſtrorum proſcriptiones atque exſilia numeret? Arimæ, Meaci, Firandi, Nangaſachi, aliisque in vrbibus, pro domibus atque Collegiis olim florentibus, latebræ iam ſunt; & receptus nuſquam ſatis tutus. fraudis atque inſidiarum plena omnia, plena ſæuitiæ & horroris. ferrum, catenæ, cruces, ignes vbique circumſonant. ſed è latebris ad generoſa certamina.

Protomartyres Societatis in Iaponiâ. In hac arenâ noſtri agminis principes ſunt beatiſſimi Martyres Paulus Michi, Ioannes Goto, Iacobus Ghiſai, prima Societatis Iaponicæ purpura, primæ roſæ. in crucem acti anno prioris ſæculi nonageſimo ſeptimo, ſæuiente Taicoſamâ. quos dein ingens turba, quaſi torrente quodam profuſi ſanguinis, etiam poſtremis hiſce annis conſecuta. Felices illi ante alios, quibus adeptam martyrij palmam Supremus Sacrorum Antiſtes ſolenni ſententiâ pronuntiauit. nimirum illo potiſſimùm honore digna erant necis inſtrumenta, cruces. Erit, cùm & flammis ſua conſtabit gloria; quarum hîc, tanto terrarum mariumq; interiectu, luce perſtringimur, ardore inflammamur. Illarum in primis, in quibus admodum nuper adhuc pænè ante oculos noſtros viuus ſpiransque relucet Carolus Spinola, inuictiſſimus Heros; illo quidem Spinolarum ſanguine illuſtris, at ſuo apud Iaponios multò illuſtrior; ſuis animi corporisque dotibus, ſuis in excolendâ Iaponiæ vineâ diuturnis laboribus atque ærumnis multò clarior.

In arenam ingreſſus eſt anno ſæculi vigeſimo ſecundo: quo vno anno ſupra centum octodecim Chriſtianos atrociſſimis pro Fide ſuppliciis cælo Iaponia tranſſcripſit, atque in hoc numero de noſtrâ Societate quatuordecim. Vnus idemque dies Nangaſachi quinque & quinquaginta pugiles laureatos vidit. ex noſtris nouem, Carolum Spinolam, Sebaſtianum Chimuram, Petrum Zampo, Michaëlem Xumpu, Gonſaluum Fuſai, Antonium Kiuni, Thomam Acaſoxi, Ludouicum Cauara, Ioannem Ciucoga, omnes viuos lento igne combuſtos; præter Ioannem, qui, quòd columna, ad quam cremaretur, deeſſet, gladio percuſſus, diuersâ paululùm viâ eamdem metam attigit. præter barbaros, triginta ampliùs Chriſtianorum millia huic illuſtri ſpectaculo memorant interfuiſſe. Ad ſex cubitos flammæ à corporibus diſtabant, nempe vt longum eſſet & crudele ſupplicium: manus adſtrictæ leuiter columnis, libero nodo & non ægrè ſolubili, vt quibus animus ad pœnas deficeret, inuenirent fugam. At nemo vnus ex omni numero fuit, qui ardente iam vndique pyrâ non oculos cælo infigeret, non ignem ferret

Carolus Spinola lento igne comburitur cum octo Sociis.

ferret animo & corpore immotus. Carolus quidem ad duas, Chimura verò ad tres etiam horas mediis vixit in ignibus. quo cruciatu corporis! quo animi robore atque constantiâ! Eo certè barbarorum stupore, vt per dies plurimos nonnisi de illo admirationis plenissimus esset sermo. Hæc Nangasachi.

At Firandi sub idem tempus haud minora spargebat lumina Camillus Constantius, natione Italus, ex Romanâ Prouinciâ; variarum linguarum, etiam Flandricæ, peritus. Erant tunc Firandi in anchoris naues tredecim, quà Hollandorum, quà Anglorum, & in nauibus ingens vectorum numerus. Hos omnes ad spectaculum egressos vbi Camillus vidit, ex strue lignorum, velut ex rostris aut ex orchestrâ, nunc Flandrico, nunc alio sermone verba faciebat, pari eloquentiâ & animorum motu. Ad Iaponios verò, quorum litteras & sacra callebat, conuerso orationis epilogo, fortissimè simul ac suauissimè deduxit, fidem CHRISTI IESV & veram esse & securam. Quæ cùm diceret, ita rapuit Iaponensium animos, vt ignem citò admoueri nollent, ne citò dulcissimâ illius suadâ priuarentur. Accenso autem rogo, inter ipsas flammas ardentissimâ voce omnes allocutus, non antè finem dicendi fecit quàm viuendi. Haud multò pòst pari luxit incendio Petrus Nauarrus, qui sex & triginta ipsos annos Iaponium CHRISTI gregem Pastor rexerat, & cum eo par fratrum Dionysius & Petrus Sandayus; at Augustinus Onda gladio percussus. Has tot victimas, anno, quem dixi, vnico fecunda Martyrum Iaponia è Societate nostrâ CHRISTO immolauit. Nec paucos nihilo his inferiores aliorum annorum fasti atque Historiæ dabunt, Ioannem Baptistam Machado, Hieronymum Angelum, Carolum & Michaëlem Carauallios, Antonium Pantum, Franciscum Paciecum, Balthasarem de Torres, Ioannem Baptistam Zola, cum Sociis septem non Sacerdotibus; aliosque complures (neque enim recensere singulos nostrum est) lento igne tostos potiùs, quàm exustos; clarissimo suis flammis & nobilissimo leti genere. *Camillus Constantius è medijs ignibus concionatur.*

Et hactenus ignibus sæuitum erat, gladio hactenus & crucibus, quasi alia nondum nosset tormenta barbaries; sed, heu! qualia postmodum non inuênere! armet se profectò obduretque scribentis ac legentis animus necesse est, dum inauditæ crudelitatis acta memorantur. Scio lectas solùm ex Iaponiâ epistolas pluribus lacrymas excussisse, mouisse horrorem. Nimirum postquam obseruatum est ignem esse in votis, factumque ludum paruulorum, omnia in cruciatus coniunxere elementa. In bullientibus, in gelidis aquis, in aëre vacuo, in terrâ & segni humo quæsiuêre quod cruciaret, quando tot horarum lenti ignes iam nimis breue videbantur supplicium. *Noua tormenta apud Iapones.*

Fontes calidi sunt apud Iapones, & ex iis balnea bullientia, arcanâ naturæ vi; acrius igne tormentum. his sensim inde ab imis talis & lentè merguntur, vel etiam capite immittuntur ij, quorum fides igne fortior; repetiturque toties, per interualla tamen, immane supplicium, donec solutis neruorum ossiumque compagibus, diffluente carne simul & vitâ, deficiat spiritus. Aliter in aquâ gelidâ ludit sæuitia. Elatis in altum pedibus, pendulus in aquam demittitur ore tenus aut naribus, qui

torquetur; vt ægrè admodum nec niſi cum horribili conatu luctantis naturæ queat reſpirare. Eſt & cùm ingeſtis in os, eſt cùm affuſis in faciem pendentis centenis hauſtibus aquæ gelidæ, ita intercipitur attrahendus aër in præcordia, vt laborans æſtuansque natura aditum per diſruptam ſæpè venam quærat. Iam in aëre & ſub dio, terebratis ferro pedibus, reuinctisque manibus, ſine cibo, ſine fomento plures dies noctesque ſemianimem quoties deſtituunt omnibus expoſitum cæli iniuriis? Quo in tormento cùm de Societate aliquis non ita pridem quintum iam diem noctemque perduraret, negauit aliam ſe ſentire moleſtiam, quàm quòd totam necdum Iaponiam CHRISTO adiunxiſſet. O æterno digna præconio generoſiſſima vox! meliorem aliquando laudatorem inuenies. De terrâ quid dicam? iners quidem & ſegne elementum eſt, ſed non torquet apud Iapones inerti ſegnique modo. Excauatur altitudine modicâ; tum congeſtâ in ſcrobem fœdiſſimorum animalculorum copiâ innumerabili, arctè concluditur; niſi quòd ſurſum pateat hiatu tanto, quantum implere poſſit humani corporis rotunda moles. hanc in ſcrobem capite deorſum pendulo vmbilico tenus Chriſtianus immittitur, deſtituendus inibi, donec cruciatus ab animalculis, præfocatus omni ſanguine defluente in fauces, aut conſtantiam amittat aut vitam. Quæ ad iſtæc tormenta, ſi rectè expendantur, non cohorreat natura?

Hæc tamen omnia quantâ virtute ac robore quàm multi ex omni ſacrorum Ordinum Familiâ, quàm multi ex Societate noſtrâ hilares conſtantesque ſubiere? Deficeret dies enumerantem ſingulos. Vno anno nuper trigeſimo tertio ſupra viginti è noſtris teterrimo iſto ſcrobis ſupplicio fuere enecti. Omitto reliquos qui vltimis hiſce annis conſecuti.

Multi è noſtris in ſcrobe enecti.

Marcelli Franciſci Maſtrillij generoſa mors.

Vnius Marcelli Franciſci Maſtrillij generoſa virtus, properantem licet, ad ſe rapit: clarum nomen, magnoque dilectum Xauerio caput. Anno nuper trigeſimo quarto è graui plagâ agebat Neapoli animam. Spectandum ſe præbet manifeſtâ in luce Xauerius, ad ſpem excitat, adeundæ Iaponiæ exigit votum: puncto temporis perſanat languentem, certiſſimo & orbi teſtato miraculo. Ergo ille, relictâ mox Italiâ, iam Hiſpaniam tenet, iam Oceanum nauigat, iam ad Iapones properat, & viam vbique frequenti ſignat prodigio. Quò hic euadet? quid moliuntur Superi nouo hoc Iaponiæ Apoſtolo, ſubmiſſo diuinitus? quin & fugatos exercitus barbaros, & innoxia ante pedes defluere hoſtium tela videt, omnia magni ope Xauerij. cuius virtutum æmulus laborumque, nomen quoque iam pridem aſſumpſerat. Sed quò tandem hæc omnia? ad deſtinatam glorioſæ mortis in Iaponiâ lauream per tot miracula ducitur. Vix in continentem expoſitus, ad mortem quæritur, tamquam aduenisſet quem opperiebantur. Inuentus eſt denique indicio vaporis emergentis è loco, quò orationis cauſsâ ſeceſſerat. cæleſti luce circumfuſâ facies attonuit exploratores; nec iniicere manus ſunt auſi, niſi perbenignè inuitati. Iudicibus ſiſtitur. memorata in illum decernuntur ſupplicia. exhauſit omnia atque ſuperauit. Iam quatriduum in ſcrobe exegerat, & cum carnifice expoſtulat quòd abſtraheret nimiùm citò, ſuasque interpellaret delicias. Huic fortitudinis portento quid vltrà facias? acceleranda

da nempe compendio mors, ne tantæ fama constantiæ confirmet Iaponios. Capite ergo raptim plecti iubetur: sed ecce lictoris gladius ferreos etiam vectes potens diffindere, totis viribus impactus, à ceruice velut ab incude resiliit, ne perstrictâ quidem leuiter cute. Alterum denuò libranti ictum fugit ensis è manibus attoniti lictoris. Et iam desperabat imperata perficere: sed conuersus ad hominem Mastrillius, bono animo esse iussit, & exsequi destinata; præstitutam diuinitus horam iam adesse. Quâ ille voce, non secùs ac diuino monitu, resumptis cum telo viribus animisque, facili ictu dignum immortalitate verticem demessuit à ceruice XVI. Kal. Nouembr. M. DC. XXXVII. animumque victorem immisit cælo, Magni credo Xauerij exceptum amplexibus, quem tanto fauore dignatus erat in terris, & ad negatam sibi olim martyrij palmam sibi quodammodò vicarium in Iaponiam miserat.

De Iaponiis hactenus. Mitto de Sinensibus dicere. alioqui hîc Xauerius ipse, optimo iure, voto Martyr censendus veniret. O qualis animus hîc ante inaccessa Sinarum claustra ærumnis & necessitati succubuit, necdum satur ærumnarum! Illa postquam semel perrupimus, tempestates sæpè, non naufragia fuere; pericula, non cædes; Patres nunc expulsi, nunc in tetros carceres dati, glorioso leto (quod erat in votis) quasi semper fugiente. Nunc illi Regno alta quies, spesque ingens, Rege in Religionem ac Societatem admodum propenso.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

In Aethiopiâ, in Occidentali Indiâ, in Brasiliâ, Floridâ, Mexico, Paraquariâ, multi è Sociis trucidati.

E Iaponiâ aliquando ad Æthiopes & nigerrimos Æthiopum Cafres conuertamus oculos, quos hinc atque illinc par nobile pugilum ad sese rapiunt Gonzaluus Silueria & Abrahamus Georgius Maronita. Prô, quales viri! quàm indefessi laboris! quàm prompti in arduas expeditiones animi! nacti ærumnarum segetem animo suo parem, vitæ exitum ex voto gloriosissimum. Silueria, Lusitanus primæ nobilitatis, *Gonzaluus* diuino dudum consilio ad tinctam sanguine lauream destinatus, post *Silueria in* exantlatos in Indiâ labores immensos, Christianis sacris lustrauerat Ca- *Monomotapâ tru-* fres, ipsumque adeò Regem Monomotapæ, cum matre ac trecentis Pro- *cidatus.* ceribus. Tot laborum periculorumque præmium mors fuit, à Mahumetanis procurata odio Religionis. Deus bone! quot ille anhelauit votis, & quantis animis exspectauit necem! Omnibus valere iussis, vnum in cruce pendentem amplexus IESVM, atque, vt gaudio exsultare cerneres, vestem candidam indutus, nocte mediâ inambulabat, suos exspectans carnifices, & ad audendum inuitans. Sed siue tanta magnanimitas, siue antiqua viri reuerentia, tamdiu deterruit sacrilegos, donec fatigato somnus obrepsit. Tum verò ex insidiis, vnde hominem obseruauerant, tacitè progressi, iniecto in collum fune strangularunt. Corpus, nè coli posset, in flumen datum. Ast ibi quoque cum die suum cultum inueniet, & vel capillos benè numeratos Deus coronæ seruat.

Abrahamus Georgius Maronita apud Arabes:

Haud longè dispar Georgij Maronitæ apud Arabes victoria, nisi quòd magis properata. Goâ soluerat, vno comitatus puero Æthiope, Seminarij Goani alumno, ipse in mercatorem Armenum pulchrâ ob CHRISTVM metamorphosi transmutatus. Oras enim omnes Æthiopiæ arctissimâ custodiâ clausas tenet Turca, difficili aduenarum aditu & periculoso. Appulsus Georgius, vt erat Arabicæ peritissimus, facilè facultatem à Præfecto loci impetrat penetrandi in Æthiopiam, vendundarum mercium causâ. Iamque erat perrecturus, cùm puer in hospitio relictus, exspectato in multam lucem Patre, ac fame interim stimulante, cibum capere aggreditur; eratque tum ille dies Mahumetano ieiunio sacer, quo quidquam gustare ante vesperam ingens Turcis piaculum est. Ergo vbi vorantem puerum videre, magnis minis & super has alapis extorsere Christiani nominis confessionem. Fit mox certior Præfectus, & è vestigio reuocatum Georgium interrogat, CHRISTVMne an Mahumetem colat. Pro CHRISTO liberè fatentem magnis promissis ad defectionem inuitat, renuentem ingentibus terret minis. At illo explodente Mahumetem, & constanter CHRISTVM prædicante, accensus furiis Præfectus mactarat hominem in loco, nî per vim furori suo moderatus subigendum carcere sperasset. Sed mansit viro constantia, nec adduci potuit ad reuerentiam Mahumetis. Hac causâ capitis damnatus est. Prodigiosum supplicium fuisse memorant testes oculati. Primo ictu carnificis, ferrum illæsâ penitus ceruice dissiliit: altero acinace bis hominem percussit, dissiliente iterum ferro, & vix leuiter perstrictâ cute. At egregius pugil, dato iam claro satis innocentiæ signo, ceruicem tertiò gladio supposuit; & mox capite minor magnum animum cælo intulit, æternas gloriæ cælestis opes breui morte mercatus. Totis quadraginta diebus corusca per noctem lumina super sepulcrum visa, attonitis portento Saracenis: atque intra illos dies Præfectus, & quotquot necis illatæ affines, diem suum obiere.

apud Brasilos, Petrus Correa & Ioannes Sosa:

Ribaden. in Vitâ B. Ignatij lib. 4. c. 12.

Andr. Schottus in Vitâ Borgiæ lib. 3. c. 10.

Maffeius in Appen. Epistolarum Epist. 1.

Ignatius Azebedus cum XL. Sociis:

Placétne Brasiliam nunc adeamus? Hîc terrâ marique cruenta spectacula distrahunt oculos, quò potissimùm se vertant, incertos. Hinc Petrum Corream, Ioannem Sosam, aliosque habet terra; sed mare numero vincit, & dignitate: maior quoque in hac scenâ nouitas. Ignatius Azebedus in Brasiliam nauigabat, cum imposito sibi Prouincialis munere; & augendis in barbarorum salutem Collegiis nouas ductabat copias sexaginta nouem Sociorum. Tribus distributi nauigiis vehebantur; sed cum Ignatio pars maxima, quadraginta Socij: & huius nauis ad Palmam insulam (ex Fortunatis vna est) exonerandis istic mercibus appellitur. Exscensione factâ, sacerdotes sacram Deo hostiam litant. Incolarum multi suadebant Ignatio terrestre ad vrbem iter, vitandis scilicet piratis, quos grassari per ea littora constabat. Sed alia mens viro fuit diuinitus vtique iniecta. Nauem omnes repetunt; vixque à portu aliquot millibus aberant, cùm in Iacobum Soriam incidunt ex Caluinianâ disciplinâ peracerbum Catholicorum, sed in primis Iesuitarum, hostem, perque eas oras diuturnâ piraticâ celebrem. Vtrimque acriter pugnatum: sed obtinuit pirata truculentè inclamans: Pereant, pereant Papistæ, qui falsam Brasiliæ doctrinam important. Animabat interim

interim suos Ignatius ad sustinendam fortiter necem ab hostibus fidei. In caput adhuc loquentis Caluinianus miles ferrum alto vulnere defigit: mox aliis aliisque plagis confoditur, testatus Deum hominesque solâ Romanæ Fidei caussâ se mori: simul quâ poterat voce, sed exemplo magis, circumstantibus Sociis mortis eximebat metum. Mox in mare præcipitatus est cum sanctissimæ Virginis imagine, quam arctissimo complexu, frustrà conatis extorquere hæreticis, retinebat. Exinde in alios sæuitum. Crimen erat, & piandum morte, esse Iesuitas, multosque ex iis Sacerdotes, quibus in odium sacri Ordinis verticem abrasêre. Nec saturari crudelitas potuit. Benedictus Castrius tribus primùm glandibus ictus, dein ferro punctim cæsimque confoditur. Emanuelis Aluari, post crebra vulnera, confracta crura atque ossa collisa. capulis gladiorum elisum caput Blasio Riberæ, cerebrumque effusum. Petro Fonsecæ os pugione confossum, disruptâ maxillâ. Didacum Andradam aures dantem confitentibus maiore odio frequentatis ictibus traiecere. Nec minori feritate iugulauere Gregorium Scribanum, Aluarum Mendez, Simonem Acosta. Reliquos ferè binos ternosque talaribus exutos tunicis, adacto bis terve in præcordia pugione; quosdam etiam manibus brachiisque truncatos, in mare omnes dedêre præcipites XV. Iulij anno M. D. LXX.

Par conditio alterius nauigij anno vertente fuit. Tanti temporis erat ista nauigatio, quasi Brasilia fugeret, mare quæreret tam generoso tingi sanguine. In ipsam illam piraticam incidunt; cui iam pro Soriâ Ioannes Capdeuillius, solo nomine alius, imperabat. Vtrique par Religionis odium, & sanguinis nostri sitis. Naue captâ, Socij XIV. duce Petro Diaz in potestatem venêre. Dabat tum fortè nautæ confitenti aures Franciscus Castrius Lusitanus; quo in opere tamquam in flagranti delicto, scilicet ab hæreticis, deprehensus, multo vulnere in ipso vestigio peremptus occubuit. Diaz quoque, & cum ipso Gaspar Goëz, cui planè adolescenti paternè solicitus imperarat, ne à suo latere vel latum vnguem discederet, simili ratione mactati. Restabant vndecim, quos mille maledictis verberibusque oneratos, reuinctis post terga manibus, in angustum compegere. Hoc in numero Michaël Arragonius brachio grauiter saucius, dum fortè gemitum edit, à mitibus illis Caluinistis in mare datur, atque ad solatium videlicet comes adiicitur Franciscus Paulus Lusitanus. Alij in posterum diem reseruati, noua fercula sanguinariorum; piè interim Sociis iam Martyribus inuidebant, ipsi de suâ sorte anxij, ne forte viuerent. is vnicus erat timor: sed hoc etiam metu postridie liberati. Exutos togis, ac summâ libratos vi, excutiunt in mare cum tragicâ voluptate hæretici, quasi ludum sibi familiarem luderent. Duo longâ natatione superstites celoce excepti sunt: ceteros habet mare. Illos credo seruauit Deus, vt sinceros tragœdiæ testes haberemus.

Andr. Schottus sup. c. 11.

Petrus Diaz cum vndecim Sociis.

Sed reddamur terris, & Occidentem Indiam contemplemur, hanc quoque nostro cruore, quàm suo metallo, pretiosiorem. Multum sanguinis nostri habet Florida, habet Mexicum, & adhuc recenti calet Paraquaria. Florida solo nomine suauis terra, cetera ferox, post Petrum Martinez, qui primus illic, vixdum appulsâ classe in terram exsiliens, à barba-

varij in Floridâ,

Andr. Schottus in Vitâ Borgiæ l. 3. cap. 6.

barbaris interfectus eſt, anno dein elapſo, vno die Sociorum octo fraudulentè atque immaniter obtruncauit, Ioannem Baptiſtam Segura, Ludouicum Quiros, Gabrielem Gomez, Ioannem Baptiſtam Mendez, Gabrielem de Solis, Sanchium de Saualle, Petrum Linarez, Chriſtophorum Rotundum, Hiſpanos omnes. Totidem Mexicum & vno die, Hernandum de Thouar, Hernandum de Santaren, Bernardinum de Ciſneros, Iacobum de Oroſco, Ioannem de Valle, Hieronymum de Moranta, Ioannem Fonte, Ludouicum de Alaues, Sacerdotio omnes inſignes. Gonzaluum de Tapia prætermiſi, qui primus è Societate lucem Euangelij attulit Mexicanis; Antonium item Lopez, aliosque complures, non diſſimili certamine ſimilem palmam adeptos.

Mexico.

Paraquaria.

Chriſtophori de Mendoza nupera mors glorioſa.

In Paraquariâ quoque, vt Rochum Gonzalez & Alphonſum Rodriguez, poſt plurium annorum ingentes labores, anno nuper vigeſimo ſeptimo barbarè trucidatos prætereamus; certè Chriſtophorus de Mendoza non tacendus, qui recens ſuo ſanguine ſparſam in Paraquariâ Fidei ſementem irrigauit. Redibat ex longinquo vir Apoſtolicus, & quà amnis tranſeundus erat, à veneficis obruitur imbre ſagittarum. Vna ceruicem ingreſſa per oculum inuenit viam. duæ tergus tranſiere. plagæ inſuper luculentæ inflictæ in caput. Ita mortuum rati, detracto ad ludibrium Crucifixo quem geſtabat, & alterâ aurium abſciſſâ, recedunt. Iacuit in vligine ad multam noctem, donec, paululùm ſibi redditus, in propinquum cliuum, vti reptando poterat, ſe traxit. Eſt ſuperſtitioſa barbaris opinio, vbi hominem necarint, niſi & ventrem illius diſcindant, fore vt intumeſcat ſuus. Ergo manè ad cædis locum regreſſi, non inuentum Patrem reuixiſſe crediderunt. Sed veſtigia ſanguinis prodebant viam. Hac ſecuti, ſemiuiuum deprehendunt in cliuo, crudeliter inſultant, Dei quem prædicabat imbecillitatem exprobrant, à quo defendi nequiuerat. At ille, collecto ſpiritu, impios redarguens, quamquam tacere cum minis iuſſus, detractam Deo gloriam aſſerebat: donec furore amentes, ſuperius homini labrum cum dentibus abſcindunt, mox & inferius cum mento, deinde reſtantem aurem & nares; extremâ denique rabie, horrendum dictu, ab radice linguam, cum thorace, ventre, ceteriſque partibus, immaniſſimè reuellunt.

Non minor laus ærumnas pertuliſſe citra necem.

Et hi quidem generoſam animam per vulnera poſuere, & laudatiſſimam mortem: eos verò quis recenſeat qui in vtroque orbe, inter hæreticos & Ethnicos, inter Chriſtianos & barbaros, inter immaniſſimas gentes, in montibus & ſiluis, in ſpecubus atque cauernis, pares martyrio ærumnas pertulere? Quot Sociorum millia, vno iam ſæculo, abſumpſerunt hi labores! nec eorum ideò minor laus, quòd placidâ morte defuncti ſunt. Erit certè Andreæ Ouiedi, Nunnij Barretti, Patriarcharum Æthiopiæ; erit Ioannis Beiræ, Andreæ Fernandij, aliorumque innumerorum celebris ad immortalitatem memoria; dicenturque priſcis in Eccleſiâ Heroibus nihil aut feciſſe minus, aut pertuliſſe.

C A-

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

Sociorum aliqui in Europâ crudeliter interfecti; præsertim in Angliâ.

IN nostrum orbem aliquando reuertamur. Hîc quoque scenam cruentam hæresis atque impietas dabunt: in Angliâ præsertim, si fas dicere, Iaponiâ Europæâ. Infelix Regnum vnius nuper Regis libidine, vnius Reginæ crudelitate! Quot illic qualesque animas laqueus interclusit! Primus hoc campo certauit, primus vicit Edmundus Campianus, qui eumdem (quod memorare iuuat) quem ab Apostolicâ Sede confirmata Societas annum, in terris natalem habuit, prioris nempe sæculi quadragesimum; simul cum prorumpente in publicum sub id tempus Henrici VIII. impietate: quasi primus aduersus eam de Societate dimicaturus, iam tum nobilis Ignatio miles nasceretur. In eam dein missus expeditionem, diu latere non potuit. Erupit citò in publicum generosa vis indolis, & eximia ad miraculum eruditio: cui sanè resistere aut contradicere neutiquam sustinebant omnes aduersarij. Nec stylo minùs quàm linguâ potens: decem pro fide Catholicâ rationes scripsit; hæresim singulis iugulauit. Ab Elisabethâ Reginâ in partes inuitatus, oblato Cantuariensi Archiepiscopatu, mortem Catholicus maluit. Quare subiicitur quæstioni, membra omnia luxata fractaque: animus tamen constans. Cum tali scilicet tam deformato, tam elumbi, ausa est de integro congredi vniuersa Anglicanæ Theologiæ schola. dies locusque dicitur. fit ingens hominum concursus, summa exspectatio. disputatur. clamore hæretici, Campianus magis ratione pugnabat. ipsa virium defectio iuuabat caussam attentione maiori. Quid multa? vnus omnes palàm in arenâ conuictos constrictosque triumphauit. Multorum ab hæresi auersio fructus victoriæ fuit. Ceterùm hostes irritati dedecore, dolorem suum innocentis supplicio vlciscuntur. Damnatur Campianus, suspenditur, & adhuc spirantis cor palpitans euellit carnifex, corpusque diuidit in partes, horrendo supplicio, sed genti vsitato. Hic primus apud Anglos Catholicæ Religionis in nostro sanguine triumphus.

Primus de Societate in Angliâ strangulatur Edmundus Campianus:

Nicol. Sanderus de Schismate Anglic. lib. 3. Hilar. de Costa Hist. Catholic.

Tam illustre Campiani trophæum multos breuî æmulos ad parem gloriam excitauit, Thomam Cottamum, Iacobum Bosgrauium, Alexandrum Briantum, Henricum Walpolum, Ioannem Cornelium, Robertum Sothuellum, Odoardum Olcornum, Garnetos duos, Henricum & Thomam, Rogerium Filocum, Franciscum Pagium; & duo lumina, alterum Scotiæ, alterum Hiberniæ, Ioannem Ogilbæum, & Dominicum Collinum. Quot vno in Regno capita laureata! quàm nobilis purpuratorum Patrum Senatus! Cottamus pendens & ferro secandus, aspero cilicio implicatus, magno carnificis & populi stupore, apparuit. Walpolus solâ Campiani morte in societatis ineundæ desiderium exarsit, futurus vtique alter ipse Campianus. Ita Deus emeriti militis locum nouo tirone supplebat. Walpolus Vlissingæ apud Zelandos

alij dein plures:

Cottamus,

VValpolus,

landos (nam eæ tunc inſulæ Anglicanis præſidiis tenebantur) teterrimo carcere incluſus, vix poſt annum euaſit. in Angliâ annum & vltra Eboraci captiuus fuit. inde Londinum vectus, oblatam à nobilibus conſanguineis fugam, ipſe animo nobilior, recuſauit. Annus hîc quoque in turri illâ funeſtâ vix honeſtè tecto, etiam aſperrimâ hieme, ne ſtramine quidem ad cubandum vllo, traductus eſt; donec Regina viri conſtantiam ſuum probrum interpretata, Eboracum reuehi, & morte affici iubet. Quaterdecies in quæſtione fuit, atrocia ſemper nec humana perpeſſus. Damnationis tres cauſſæ datæ, quòd Sacerdos eſſet, quòd Ieſuita, quòd ciuium ad Romanam Eccleſiam ſeductor. Inſerto in laqueum collo iuſſus Reginam Eccleſiæ caput fateri, exploſit: vnde acerbior carnifex, vix pendentem planeque viuum ſecuit, horrente populo & illa-

Sothuellus, crymante. At Robertus Sothuellus, ex cuius ore, vel hæreſi teſte, melle dulcior fluebat oratio, triennium ipſum ſubterraneo incluſus antro, decies tortus, denique laqueo peremptus eſt. Capitale erat, Sacerdotem eſſe & Ieſuitam.

vterque Garnetus, In eadem cauſsâ occubuit Henricus Garnetus, etſi gloriæ illius deturpandæ inſignem calumniam hæreſis fruſtrà ſtruxit. fruſtrà, inquam: nam viri integritas vel hoſtibus probabatur, & ſuus ipſum defendit cruor, quando gutta in ſpicam illapſa cæleſtem illius vultum ad miraculum expreſſit. Erant Garneto ſumma omnia, virtus, doctrina, auctoritas. Magnum Ieſuitam ſolenni nomine indigetabant. Eius mors ſupra viginti mortalium millia exciuit. Vbi in conſpectum venit, reuerenter omnibus eſt ſalutatus. Ipſe publicum innocentiæ ſuæ teſtimonium dixit; ac benè Regi, benè Senatui, & populo precatus, incredibili modeſtiâ pependit. Lictor communi multitudinis clamore prohibitus eſt ſecare ſpirantem. Mortuus ſeipſo viuente maior apparuit. Tot millium, partem maximam hæreticorum, non preſſa ſed elata vox fuit, in terris non viuere alterum Garnetum. Haud degenerem tanto patruo nepotem ſe probauit Thomas, perpetuò adſpirans ad Anglicanum tripudium, ita ſuum ſuſpendium nominabat. Interfuere innumeri ſpectatores: è præcipuâ nobilitate ampliùs trecenti. Tanta erat opinio dignitatis, quam patrui memoria iuuabat.

Ogilbæus, Tot Anglis ad æmulationem fortitudinis accedit Scotorum gloria Ogilbæus. Quantis in vno illo pugnatum promiſſis, quantis minis omnia riſit. Quot in illo vno conſumpta tormenta! tum etiam riſit natum diceres fatigandæ crudelitati. Nemo hilarior ad epulas, quàm Ogilbæus ad mortem iuit. In ſupplicij loco interrogatus à Miniſtro num timeret mortem; Non magis, inquit, in tam bonâ cauſsâ, quàm tu patinas, cùm veſperi eſuriens ad cœnam ibis. Ita lætus animus prægustabat beatorum Martyrum gaudia, ad quæ ſolutum corpore euolaſſe credimus, ingemiſcente populo, & iniuſtam necem palàm deteſtante.

Collinus: Ad parem cum Ogilbæo palmam venit Collinus ex Hiberniæ Proceribus; in quo flectendo diu laboratum, iubente Eliſabethâ: & orabant amici, ſimularet ſaltem, & ad momentum ſeruiret tempori. Surdo canebatur. Maiora præmia promittentem Deum ſecutus, laqueo vitam finire maluit.

Hæ

Hæc ſunt orbis Europæi clariſſima ſidera. quibus ſuas addat ſtellas Gallia, Martinum Guttierez, Iacobum Saleſium, Guilielmum Saltamochium; Sicilia, Petrum Venuſtum; Luſitania, Emanuelem Fernandez; Martinum Laternam, Polonia; Emanuelem Nigrum & Georgium Bartholic, Tranſiluania; Germania, Godefridum Thelen, alioſque; in piâ cauſsâ omnes, vel ab hæreticis, vel ab improbis, partim gloriosè ſaucios confectoſque vulneribus, partim crudeliter trucidatos. Et noſtra Belgica non ſola erit ingloria: ſua ſidera poſteritati oſtendet, quorum nunc ortus claro nimiùm die immaturus. *alij per Europam.*

Vos interim, fortiſſimi Heroës, qui ſic mortui æternùm viuitis, viuetiſque omnium memoriâ ſæculorum; maiores aliquando exſpectate honores, cùm tempus erit, ſolenni pompâ plauſuque decernendos. Nobis ſatis eſt tolerantiæ veſtræ ac fortitudinis obiter commemoraſſe exempla, ſeræ incitamenta poſteritati; quam degenerem, ſpero, nulla arguet dies.

Poſt celebratas fortiſſimorum pugilum laudes, diſtributaſq; victoribus coronas, par eſt nec Lectorem hiſce dudum certaminibus intentum abſque miſſilibus dimittere.

EXERCITATIO ORATORIA.

ORATIO PRIMA.

Optabiliúſne ſit, potiſſimùm ſub CHRISTO *Duce militantibus, rebus facilibus ac lætis, an triſtibus atque arduis exerceri.*



Cogitanti mihi, Auditores, theatrum huius vniuerſitatis oculis veſtris ſubiicere, vt in eo inter tot tamque diuerſa hominum vota ac ſtudia, quid optandum, quid auerſandum, quid ſequendum, quid fugiendum ſit, arbitrari poſſitis; aſſeſſores vobis apponendi videntur; non illi quondam è Pythagoreâ diſciplinâ faſtidioſi cenſores Democritus & Heraclitus; quorum alter omnia promiſcuè & abſque delectu, aut riſu contemptuque velut ineptias explodebat, alter velut miſerias ignauo fletu proſequebatur: ſed cum viris omni exceptione maioribus ſupremus ille Munerarius: vt ex eius ſenſu ac ſententiâ decernere poſſitis, ſítne conducibilius iis qui ſub eius ſignis ſtipendia faciunt, triſtibus an lætis, aſperis an mollibus, aduerſis an proſperis, exerceri. Et quidem, vt abſque diuerticulis & ambagibus rem ipſam aggrediamur; illud principio ſtatuendum eſt, quod antiquiſſimus ille Vatum diſertè pronuntiat: *Militia* (ſeu, vt alij, *tentatio*) *eſt vita* *In theatro vitæ humanæ aguntur læta & triſtia.* *vtrum horum ſit optabilius.* Iob 7.

ta hominis super terram. Nec illud minùs animis nostris obuersari debet, quod monet ille tantâ humanorum casuum varietate iactatus Apostolus: *Spectaculum facti sumus* (aut, interprete Hieronymo, *theatrum facti sumus*) *mundo, & Angelis, & hominibus.* Quòd si ita est, si vel in arenâ cum aduersario compositi sumus, vel in theatro omnium oculis expositi; quis ambigat, quin & illustrius sit ad laudem illius qui spectatur, & iucundius ad voluptatem illius qui spectat, in hoc mundo ærumnis & damnis conflictari, rerum aduersarum vires infringere, insultare miseriis, fortunæ sæuientis impetus retundere, ardua ac periculosa excelso animo vltrò deposcere; quàm in vmbrâ delitescere, atque ignauiam suam tenebrarum ac parietum septis tegere, dies noctesque totum se voluptatum illecebris ac cupiditatum lenociniis dedere, otio ac deliciis supra feminam circumfluere, ita vt priùs tædeat lasciuiæ, quàm pudeat; nihil denique facere memoriâ dignum, quo nos posteritati aliquando vixisse testemur? Si enim hîc, tamquam in amplissimâ scenâ, quam theatralis tum hominum tum Cælitum corona cingit, omnium conspectui expositi sumus; nemini dubium est (vt rem ipsam oculis subiiciam) quin plausu dignius, & visu iucundius sit spectaculum, videre Herculem aliquem clauâ armatum & leonis exuuiis, ex horrido speciosum, nunc in Lernæâ palude Hydræ capita demetentem, nunc in campo iubatos leones, impetu facto, dilacerantem; quàm in gynæceo cum Omphale, femineo cultu gestuque fractum, deliciis ac libidinibus diffluentem. Quis hanc tanti Herois mollitiem non detestatur? quis contrà non in cælum extollit generosissimum illud Cæsaris Constantini facinus, & pænè dixerim, prodigio simillimum, quo solo non vnius diei congratulationem, sed æternitatem immortalitatemque nominis est consecutus; vtpote quod iam sparsum est ac disseminatum in orbis terrarum memoriam sempiternam? Cùm olim in amphitheatro certi homines cum leonibus decertarent, aderant qui ex orchestrâ certamen illud despiciebant, gemini Imperatores Galerius & Constantinus, gladiatorij huius muneris editores. Horum alter Constantinus cum stomacho auersatus eorum qui cum belluis congrediebantur ignauiam, pulchrâ in regio pectore audaciâ gliscere, & honestè ambitiosus ardere cœpit victoriæ cupiditate. Itaque, nullâ maiestatis habitâ ratione, in arenam descendit, aut victus amissurus vitam, aut victor relaturus gloriam. Res, nescio, an ad famam temeritatis, an ad gloriæ splendorem plus habitura momenti: quæ meritò esset apud posteros caritura fide, nisi plura id genus facinora hoc etiam ipsum omni suspicione mendacij apud æquos rerum æstimatores eximerent. Stabat hinc leo excussis furore iubis, horrendoque rugitu formidandus, quem timerent belluæ etiam quæ timentur, scintillantibus oculis, hiantibus faucibus, explicatis vnguibus Imperatorem iam iamque inuasurus. Qui aderant spectatores, trepidabant alieno periculo, cùm ipse esset securus de suo. Constantinus enim præsenti animo sese ad certamen accingens, non minori dexteritate quàm fortitudine belluam complexus, stimulos ad audendum subiiciente gloriâ, hiantis fauces disrupit; & cùm munerarius esset, ceteris omnibus honoris & gloriæ palmam eripuit. Spectaculum profectò

1. Cor. 4.

Optabilius est difficilibus exerceri.

Difficilium adspectus magis delectat spectatorem.

His inuitatus Constantinus ad audendum,

cum leone decertat in amphitheatro, & vincit.

fectò omnium ordinum admiratione totiusque amphitheatri applausu dignissimum. Dignius tamen longè spectaculum est, & Cælestium oculis iucundius, videre in huius vitæ theatro hominem rebus humanis maiorem, & ad quemcumque aduersarum rerum incursum inconcussum: qui, si calamitas, si mœror, si ignominia, si dolor impetum faciat, non terga vertat; sed obuium pectus obiiciat: qui ad ardentes rogos, ad aculeatas rotas, candentes laminas, ferreas vngulas, totumque carnificinæ apparatum, non colorem mutet, non gemitum emittat, non pedem referat: hoc qui faciat, non eum dico personam sustinere viri fortis in theatro, sed ipsum assero esse Fortitudinis theatrum, dignum in quod ipsi indigetes ac beatæ mentes oculos animosque conuertant. *Gloriosius agunt qui vitæ malis non cedunt.*

Quòd si ex theatro, in quo homines velut histriones in scenâ huius vitæ mimum repræsentantes spectauimus, ad certaminis palæstram (quod alterum nobis initio propositum erat) in quâ iidem velut athletæ luctantur, gradum fecerimus; facilè intelligemus, honestissimum esse, instar generosi pugilis, strenuissimum quemque aduersarium sibi deposcere; hoc est, acerbissima quæque perferendo, efficere vt in nullis aduersis nullisque calamitatibus terga vertamus, sed contra ipsas ab ipsis induremur. Athletæ rebus asperis gaudent exerceri, delectantur pugnis, ambiunt contundi cæstibus: vltrò plagas ostentant, non ignari vulnera non inferre infamiam, sed gloriam conferre. Diceres illos, instar Indorum, quot in corpore cicatrices circumferunt, tot insertas vulneribus gemmas ac lapides pretiosos ostentare. Itaque quemadmodum illi totum corpus vulneribus cruentant, vt quò plures gemmas ac lapillos inserunt, eò pulchriores habeantur: sic qui in supremi Gymnasiarchæ palæstrâ versantur generosi pugiles, ardua quæque & acerba sibi deposcunt, magisque vulneribus quàm voluptate pascuntur, non nescij, cruentum verticem triumphalibus laureis, frontem sudore madidam specioso diademate, bellatrices dexteras lemniscatis palmis, laceros humeros regio paludamento, cicatrices denique aduerso corpore exceptas palmatâ togâ quandoque cohonestanda. Enimuerò quemadmodum in rebus creatis magis enitescit lilium inter spinas, rosa inter aculeos, margarita in ostreo, in glareis aurum: ita dum in huius vitæ palæstrâ ac puluere vitam degimus, & sub capite spinis coronato stipendia facimus; spectaculum longè pulchrius Deoque gratius exhibemus, si in huius vitæ calamitatibus cæcisque nubibus ac procellis infracti excelsique animi splendorem retinemus. *Quod in theatro, idem habet etiam locum in palæstrâ.* *Vera viri fortis ac boni ornamenta sunt vulnera.*

Quid enim? an non multò pulchrius est æquis virtutum æstimatoribus spectaculum, Paulum cernere catenâ constrictum Solymæum carcerem illustrantem, quàm Cæsarem trabeatum conscendentem Romanum Capitolium? Stephanum inter saxorum grandinem pro inimicis Deo supplicem, quàm Sardanapalum inter opima fercula aureosque calices temulentum? Laurentium in candenti craticulâ tyranno insultantem, quàm Heliogabalum in molli stertentem culcitrâ? Iobum in sterquilinio philosophantem, quàm Augustum in palatio cum fastu imperantem? Et quia hoc sterquilinium quoddam quasi fortitudinis fuit gymnasium, lubet presso vestigio in hoc fimeto tantisper hærere. Hoc enim sterquilinium non solùm de *Parallela mollitiei & laboris.* *Iobi gloria in fimeto.*

 tanti

tanti viri gloriâ nihil decerpsit, sed contrà, illius patientia fimeti aboleuit infamiam, dignumque reddidit, vt ait Chrysostomus, quod ij etiam qui diademata gestant, deuotis osculis venerentur. Electus fuit hic inuictus pugil, vt, cùm satanas omnes suas vires in eo lacessendo frustrà exerceret, illustri documento sæculis omnibus innotesceret, quid posset erectus in Deum animus, & quanta in rebus asperis gloriæ seges ac materia sit reposita. Numquam maiori triumpho vicit Iob, quàm cùm tot ærumnis obseptus, vinci non potuit: cùm iam omnium horribilium terrores sub iugum misisset, nilque superesset quod metueret. Cùm enim nihil illi fortuna reliquum fecisset, nihil cacodæmon intentatum reliquisset; tandem omnibus superior, metum omnem animo proscripserat. Sic vnus hic athleta cùm prostratus videri posset, omnium in se oculos conuertebat: dæmonum, quibus iam victis insultabat; hominum, quos inuicto animi robore in stuporem rapiebat; Angelorum, quos splendore tot victoriarum perstringebat; Dei, quem suâ illâ inconcussâ constantiâ oblectabat. Potestis dubitare quin tantum virum diuina prouidentia ad aliorum exemplum reseruare voluerit, vt vnius constantia fieret omnium disciplina? Cuius imaginem cùm animis vestris firmiter impressam existimem, pedem ex Iobi sterquilinio, hoc est constantiæ palæstrâ, in campum refero. Itaque militiam esse vitam hominis (vt antè dixi) tametsi nullus id Iobus afferat, diurna nocturnaque, quibus exercemur, prælia non permittunt dubitare. Quid aliud maternus est vterus, nisi domestica obscuri carceris palæstra, in quâ nouem mensibus velut tirones ad grauissima quæ impendent certamina, vmbratilis pugnæ simulacro quasi præludimus? Quo temporis spatio confecto, nascimur, hoc est, in campum pugnaturi progredimur. Vix adspicimus amicam lucem, & mox primo vagitu cum ærumnis nos luctari testamur. Ipsa in quibus ploramus incunabula, sunt prima quæ occupamus propugnacula. Quid, quòd in hac militiâ non anteà receptui canitur, quàm homini de statione vitæ, summi Imperatoris iussu, discedere permittitur? Quod si ita est, si hic in quo degimus mundus, est velut Martius in quo certandum est campus, si vita ipsa dimicatio; hoc iam restat expendendum, vtrum militi generoso & laudis cupido sit optabilius ad votum, illic se sistere præsentem vbi præsentissimum est periculum, an aliorum gloriosa certamina inertem ac desidem spectare? vtrum illustrius ad gloriam, illic Ducis imperio pedem figere, vbi plurimi vel mortui iacent, vel morituri cadunt, an verò inter lixas & calones, vbi vix buccinæ clangor auditur, delitescere? Sanè hic omnium sermone celebrabitur, & inter triarios censebitur, qui totius aciei in se influentis pondus bellique molem, instar Horatij, vmbone sustinuerit; vel ab hostium cuneis circumuallatus, exemplo Alexandri, de genu pugnauerit; quærens non vbi tutissimè consistat, sed vbi honestissimè cadat: cui satius erit fugere è vitâ, quàm è pugnâ. At verò ignauus ille, è campo relegandus ad gynæceum tamquam inglorius ac degener, qui in pedibus quàm in dextrâ plus præsidij repositum habuerit, qui ad primum ferri splendorem expalluerit, ad primum litui sonitum hastam clypeumque abiecerit. Quæ si in profanâ militiâ locum habent, multò magis

Homo nascitur ad labores & bella.

Gloriosus qui contra mala procedit:

infamis qui cedit,

magis sacræ militiæ auctoratis, & sub CHRISTO Duce stipendia facientibus, debent esse commendata, vt hæc præ ceteris in laude ponant, stare intrepidè in primâ acie, contumelias verbaque probrosa, vt missilia tela & saxa sine vulnere circa galeas crepitantia despicere, contemnere stulta mundi iudicia, imò ipsum etiam contemptum; supplicia grauissima, hoc est, mortis præludia, ferendo eludere; denique omnibus incedere lætitiis, cùm caput obiiciendum est periculis. Hæc sunt quæ milites honoratos & charos Imperatori suo reddunt. Solent enim Imperatores, si quem habeant in exercitu militem ad aggrediendum hostem strenuum, ad sustinendum belli impetum fortem, ad insidias struendas industrium, ad pericula subeunda intrepidum; hunc è toto seligere numero cui ardua quæque committant: hunc iubent incautis moliri insidias, explorare itinera, lacessere hostem velitationibus. Hic autem, si æquus est rerum arbiter, beneficium interpretatur, vnum se posse pro omnibus periclitari; magnique præmij loco ducit, dignum se habitum fuisse, cuius vnius singulare discrimen, esset communis securitas. Nimirum animi magnitudo periculis delectatur, & ambitu quodam segetem ac materiam gloriæ vltrò sibi deposcit. Contrà verò corpus assuetum tunicæ, loricæ onus non sustinet; caput vnguentis delibutum, cassidem recusat; mollem otio manum durus exasperabit capulus. Vtros iam Imperatori chariores existimatis? cósne quos otio marcescere permittit, an verò illos quos duris asperisque rebus exercet? Quis Lacedæmoniis credat inuisos fuisse liberos suos, quorum indolem non crepundiis, sed flagellis; non priuatim deliciis ad mensam, sed publicè verberibus ad aram experiebantur? & quidem tam durè, ac propè dixerim inclementer, vt multus è visceribus sanguis emanaret; & nonnumquam (teste Tullio) mors ipsa esset metuenda. sic tamen ipsi illa perferebant, vt, cùm non iam membra, sed vulnera præberent lanianda verberibus, nullum non tantùm clamorem ederent, sed nec gemitu quidem dolorem faterentur. Sic potuisse sibi, inter dolenda, ne dolerent imperare; quid aliud erat, quàm ipsi quodammodò pœnæ, vnde nascebatur dolor, pœnas infligere? Si hæc pro vanâ fluxâque gloriâ à Lacedæmoniis vsurpata fuerunt; quid mirum si generosos spiritus Deus rebus asperis exercet? Nimirum publico humani generis exemplo eos in lucem edidit, vt doceant eos qui pusillo contractoque sunt animo, in istis quas tantopere fugiunt iniuriis, contumeliis, egestate, ærumnis, nihil esse terribile præter ipsum timorem: hoc solatium esse vasti doloris, quòd nemo possit valdè dolere, & diu: cuiusuis supplicij acerbitatem vel non esse grauem, vel esse breuem: si enim ferri potest, leuis est; si non potest, breuis. tunc autem homines verè magnos esse, cùm arduis aduersisque rebus ingentes animos & obuium pectus opponunt: tunc enim censentur tamquam prætoriani milites, qui suorum laterum oppositu pericula omnia à suo Imperatore propulsent. Sed quid opus est aliunde aut exempla accersere aut documenta, vt generosam hanc rerum aduersarum ambitionem ac generositatis palæstram vobis commendem, cùm omnium instar esse possit Dux noster generosissimus? qui cùm extra omnem certaminis aleam esse posset, maluit tamen tamquam

præsertim CHRISTO *Duce.*

Optimus miles maximis periculis exponitur à Duce belli:

etiam filius à patre:

Tuscul. 2.

etiam homo à Deo:

ſcopus inuidiæ ac maleuolentiæ, omnium in ſe tela experiri. Plus dico, cum Apoſtolo: *Qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contemptâ.* Duo theatra Pater æternus Filio propoſuerat (vt Chryſoſtomus, Theophylactus, Rupertus, aliique nonnulli docent) cùm primùm eum in orbem terrarum introduxit, in quo perſonam ſibi impoſitam pro dignitate ſuſtineret: alterum honoris, gloriæ, oblectationis; alterum doloris, abiectionis, ignominiæ: in illo nihil ad ſplendorem, nihil ad honeſtam voluptatem deerat, nec opum affluentia, nec Imperatorum trabeæ aut diademata, nec vllum deliciarum genus; in hoc triſtia & acerba erant omnia, ſtabulum, egeſtas rerum omnium, hominum maleuolentia, cacodæmonum furor, denique exquiſita tormenta, & ignominioſiſſimum crucis ſupplicium. Vtrouis modo videbat ſe (quod ſibi propoſitum habebat) humanæ ſalutis aſſertorem eſſe poſſe ac vindicem. In hæc cùm CHRISTVS oculos coniiceret, cogitationeſque intenderet, & probè intelligeret hæc ſuo commiſſa eſſe arbitrio; vt ſemel exemplo ſuo præclariſſimo ſententiâque ſapientiſſimâ decerneret, quid hominibus in hac vitæ palæſtrâ triſtique exſilio amplectendum, quid fugiendum eſſet; *propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contemptâ:* tantoque ambitu egeſtatem, incommoda, iniurias, tormenta, dedecus amplexus eſt, quanto mortalium plerique honores, opes, delicias plauſumque conſectantur. Deinde vt ſe iniuriis omnibus ac tormentis ſuperiorem oſtenderet, eorum admiſit amplexus, quorum pedibus protritus eſt; eos amiciſſimè compellauit, qui maledictis eum ac blaſphemiis onerabant. quinimò ipſos carnifices ſic tulit in oculis, ſic ex animo Patri commendauit, quaſi non intuliſſent ſupplicia, ſed beneficia contuliſſent. Hoc eſt generoſi excelſique animi, hoc Imperatoris noſtri ſymbolum, hæc militiæ noſtræ teſſera, *Bona facere, & mala pati.* Hanc glorioſam teſſeram ſuæ Ignatius, velut deuotæ CHRISTO, cohorti adſciuit: hac viâ ad nominis immortalitatem præiuit. Quid enim mali in primo melioris vitæ tirocinio non pertulit? quas non audiuit contumelias? quas non ſuſtinuit iniurias? quas non excepit minas? Prima ipſius magnanimitatis incunabula & faſciæ, vincula fuerunt & carceres. in quibus ipſe vinctus licet compedibus, per virtutis tamen curriculum inſignis ſtadiodromus celerrimè ferebatur; numquam liberior quàm in ergaſtulo conſtrictus. Quis ſatis admiretur hanc heroicam eius vocem, cùm Franciſco Mendozio, qui poſtmodum in Purpuratorum Patrum Senatum adſcitus eſt, familiariter interroganti, ferrétne iniquo animo vincula hæc & carceres; reſpondit Ignatius: An tantum malum tibi videtur carcer & vincula? at verò non tam multæ Salmanticæ compedes ſunt, non tot catenæ, quin ego plures pro CHRISTO cupiam. O verba omnium gentium linguis deprædicanda! quibus oſtendit defuturos citiùs carceres Ignatio, quàm Ignatium carceribus. Vincula & carceres CHRISTI cauſſâ ſibi innocenti vouere, Chriſtianæ eſt magnanimitatis; perferre, ſingularis conſtantiæ; læto libentique animo perferre, heroicæ fortitudinis. Quis nunc pro dignitate explicabit, fuerítne Ignatius generoſior qui tot acerba ſibi optauit; an conſtantior qui in tantâ vitæ inæqualitate ſemper æqualis ſibique ſimilis perſtitit; an

Hebr. 12.

etiam CHRISTVS *ab æterno Patre, & ſua ipſius voluntate.*

Exemplo CHRISTI *Ignatius malorum patientiam ſibi aſſumit, & ſuis proponit.*

an fortior qui aduersa, tristia, molesta, infracto animi robore conculcauit? Hæc generosa in malis perferendis indoles non vnius Ignatij visceribus circumscripta est; sed ad posteros eius, ipsamque Societatem, hereditario quasi iure translata, illud robur non paucis indidit, quod in venerationem rapuit bonos, in inuidiam malos, in stuporem omnes. Quod enim in orbe est Regnum, in Regno prouincia, in prouinciâ ciuitas, vbi non Societas vel exsilio mulctata est, vel iniuriis vexata, vel contumeliis lacerata? At Societas hactenus ita in hoc circo pugnauit, vt aduersariorum machinas contemptu, auctoritatem modestiâ, astutiam industriâ, crudelitatem patientiâ, furorem gratiâ facilè superarit. Nimirum ingenti illâ calamitatum ac malorum mole, quâ fortitudinis ac constantiæ acies hebescere vt plurimùm solet, non aliter quàm cote quadam virtutem suam acuens, suis iacturis fit diues, felix ærumnis, funeribus immortalis: & ex fœdissimis ruinis clarissimos sibi triumphos instaurat. Cùm enim tota eius gloria in conscientiâ rectè factorum consistat, æquè facilem sibi cursum ad gloriam in morte, quàm in vitâ esse arbitratur. Quod ne celeberrima quidem illa Lacæna ignorauit, quæ filium in certamen contra hostes progressurum clypeo armauit, additâ hac breui, sed neruosâ cohortatione: *Cum hoc, aut in hoc redi.* Sed nos hanc Laconicam oratiunculam obscuris verborum inuolucris tectam enucleatiùs exponamus. Solenne hoc erat Græcis, eos qui in certamine strenuè pugnando occubuissent, eodem quo dimicauerant clypeo ad sepulturam efferre. Hoc est, quod suggerebat filio mater, *Cum hoc, aut in hoc redi.* quasi diceret: Adesdum fili; ad bellum mitteris, hoc est, ad periculorum aream, sed & gloriæ. in quam vbi prodieris, qui scis, pugnando testare. ostende te esse materni non tantùm sanguinis, sed animi heredem. Magnum est in bello munimentum, solum in prælio adferre mortis contemptum: sic in aciem procedas, non vt pericula declines, sed vt obuio pectore excipias. Scito in pugnâ multum quidem posse pugnantis virtutem, ita tamen, vt non parum licere soleat fortuitis casibus: hos nec metuas, nec fugias. Accipe bellaturus belli tesseram, hunc quem trado clypeum: memineris te Lacedæmonium esse, cui, amisso clypeo vicisse, ignominia; conseruato, cecidisse, gloria est. Moriturus clypeum tegas, à quo fuisti protectus. hunc tibi trado non magis in præsidium, vt fortiter vitam defendas, quàm in ornamentum, vt honestè mortem oppetas: redeas viuus, aut referaris mortuus, nihil interest; modò cum clypeo, vel in clypeo.

Malorum patientiam hactenus Societas auidè excipit:

Hac bellicâ oratione, non minùs quàm clypeo, filium nobilis matrona armauit. Hæc olim fuit Lacedæmoniorum, eadem nunc Christianorum præliandi conditio. Quare hoc sibi quisque persuadeat, summum illum Agonothetam vnumquemque, dum ex vmbrâ in arenam pulueremque descendit, tradito scuto fidei, simili oratione adhortari, quâ olim multarum palmarum athleta Paulus Timotheum inflammabat: *Labora sicut bonus miles* CHRISTI IESV: *certa bonum certamen fidei.* Sed quia vos hîc præcipuè alloquor, qui sub sacris Ignatij signis stipendia facitis, fingite, hunc, plurimis iam cum gloriâ confectis præliis, non vt Hetrusci solent tubâ, vel vt Arcades fistulâ, vel vt Cretenses lyrâ, vel

& Sociis commendat.

vt

vt Lacedæmonij tibiâ, vel cornu vt Thraces; ſed ex ſacrâ Philoſophiâ depromptis rationibus ad pugnam vnumquemque veſtrûm adhortari. Vos qui hîc quaſi in ſcenâ ſpectaculum facti eſtis mundo, Angelis & hominibus, ſuſtinete cum dignitate perſonam à Deo vobis impoſitam, quam fortitudo in arduis, patientia in aduerſis, modeſtia in proſperis, conſtantia in difficilibus, virtutes denique ſingulæ magnificâ pompâ ac ſplendido ſepiant comitatu. Vos qui hîc eſtis in palæſtrâ athletæ, ſtate corpore firmi ad omnes ictus expoſiti: æquo animo ferte quidquid intra mundi huius tumultuoſam geritur aream: nec indignemini, ſi, cùm boni ſitis, mala patiamini; quibus hoc maximè propoſitum eſſe debet, peſſimis diſplicere. Hominem ad caſus humanos parate, ſed ſuper humana tollite: vt nec in ſecundis rebus elati, nec in aduerſis fracti, ad vtramque fortunam inuictum animum adferatis: donec eximium illud, & ſoli Deo ſingulare, vobis, quoad mortalis conditio ſinet, vindicetis; *non moueri.* vt qui in campo Deo Imperatore meretis, non tamquam leuioris armaturæ velites vltrò citroque iaculis miſſilibus hoſtem laceſſatis; ſed, velut decuriali dignitate Principes, robore triarij, decretoriis armis ac deſtinatis ictibus impetatis. Veſtra pugna ſit aliis pugnandi diſciplina: ſtate tamquam armigeri Dei, iuſtitiæ loricâ graues, ſudore madidi, puluere non indecoro ſordidi; inter bellorum fulgura & coruſcationes, inter armorum ſtrepitus & fragores, inter calumniarum procellas & inuidiæ faces, inter iudicum minas & tyrannorum furias, inconcuſſi. State, inquam, ac totius in vos frementis Orci pondus, non minùs fortiter excipite, quàm conſtanter ſuſtinete. Hoc eſt Chriſtianæ militiæ nomen dare, hoc eſt ſub CHRISTO Duce ſtipendia facere: hoc eſt peculiare eius obſequium, & arctiorem quamdam ſocietatem profiteri: hæc vna generoſis mentibus patet via, quâ ad nominis immortalitatem beatamque æternitatem enitantur.

ORATIO SECVNDA.

In laudem eorum qui è Societate IESV *ſanguinem pro* CHRISTO *fuderunt.*

AMbitioſam eſſe vnius purpuræ ſocietatem, & ſanguinis ſui nobilitatem non fumoſis maiorum imaginibus, ſed nidore ac fumo qui ex ardentibus ſuorum corporibus exundat approbare, ad reliquas verò dignitatum purpuras erubeſcere; res vna mihi videtur & fugam habere perquam honeſtam, & cladem ipsâ victoriâ glorioſiorem, triumphum verò longè ampliſſimum, planeque ſempiternum. Et ſanè multarum ornamenta dignitatum & Infularum quando nomini tribuuntur, non homini; & maioribus potiùs conceduntur, quàm moribus: licet ſuos in altiſſimo gradu collocarint, tamen, quia tot modò patiuntur inuidos, quot maiores eorum antè vicerunt æmulos; fit, neſcio quo pacto, vt extenuentur ea verbis, detrahantur filiis, communicentur cum maioribus, quaſi ad nouam dignitatem nihil attulerint præter antiquam & ex annalibus petitam virtutem. At verè ſangui-

Nobilitas virtutis, non ſtirpis, laudanda.

ſanguinis ſui purpurâ inſigniri, nobilitatem proprio mereri gladio, natales illuſtres non è parentum cineribus eruere, ſed ex propriis flammis ſtatuere, & tot nobilitare inſignia, quot ſectus fueris in membra; hæc qui fecerit, & inuidiam declinauit Infulæ, & nobiliore purpurâ vitam mortemque cohoneſtauit. Sed quoniam horum Heroum nomen & gloria orbem vtrumque complexa eſt, mea verò oratio exiguis circumſcripta limitibus, vt nec Ogilbæum in Europâ, nec Criminalem in Aſiâ, nec Silueriam in Africâ, nec Seguram in Americâ commemorare liceat; celeriusque prouehatur Laterna in Baltico, Tapia in Mexicano, Aquauiua in Indico, quàm noſtra velificare poſſit dicendi facultas; Campianum tantùm, Azebedum, ac Spinolam in medium adduco, hoc eſt, tres viros de quatuor elementis, & inimicis Catholici nominis, triumphantes.

Verùm enimuerò priuſquam ſingulorum tormenta pertracto, illud commune omnibus adſtruo: Steterunt torti torquentibus fortiores, & pulſantes ac laniantes vngulas pulſata ac laniata membra vicerunt: inexpugnabilem fidem ſuperare non potuit ſæuiens diu plaga repetita; quamuis ruptâ compage viſcerum, torquerentur in ſeruis Dei non membra, ſed vulnera: fluebat ſanguis quo incendium perſecutionis aut extinguerent, aut certè mitigarent, docerentque Neophytos tunc fruſtrà torqueri in flammis corpora, cùm animus cogitationesque collocantur inter ſidera. Et hac animi fortitudine dico Campianum multis vexatum contumeliis, plurimis iactatum iniuriis, omnibus exhauſtum tormentis; nihil tamen, vt eſt apud Tertullianum, ſenſiſſe in neruo, quòd animus iamdudum eſſet in cælo. Venerat in Angliam ſolâ propagandæ Religionis Chriſtianæ cauſsâ, totamque inſulam ſic obierat, vt in eâ nullum perduellionis veſtigium poſt ſe relinqueret. Sed quoniam nihil eſt tam à veritate alienum, quod non probabile fiat ſiniſtræ ſuſpicioni; nec quidquam tam ſanctum, quod non violetur audaciâ; fictis criminibus, dubiis ſermonibus certi ſubornantur homines: quæritur, capitur, trahitur ad publicam arcis Londinenſis cuſtodiam, occurrente tantâ populi frequentiâ, vt Londinum ſuis ſedibus euulſa obuiàm procedere videretur. Verùm ſupplicium hoc pompam ſuam, non calamitatem eſſe ducebat; & ex illo carcere, è quo ducebatur ad pœnam, Campianus emiſſus eſt ad honoris palæſtram. O quàm fortis huic viro ineſt infirmitas! quàm dominatrix patientia! ad arguendam malitiam percuſſione prouocatur, ad prædicandam ſalutem plagis erigitur, ad propellendam laſſitudinem ipsâ pœnâ refouetur. Quæ ergo hunc tormenta ſuperent, quem pœna fouet, & qui ab exaggeratione ſuppliciorum incrementa ſumit animorum? Aperite, aperite, inquiebat, conſcium iſtud pectus, & totum de viſceribus meis perfidiæ ſecretum egerite: videlicet inter ignes ac flagella ſufficit innocentiæ meæ, ſi dixero: Non ſum perduellis. Facinus eſt vos hanc perduellionem non deprehendere, ſi verum crimen impingitis: facinus hoc me non probare doloris indicio, ſi mendacium. quare cædite, vrite, lacerate; quid inter tormenta dicturus ſim neſcio, quid innocentia fateri poſſit ſcio. ſi fortè vis tormentorum vocem aliquam à mente alienam extorſerit; ego tamen

Cyprian.

Martyrium Patr. Campiani.

men non ſum perduellis; ſi vox in equuleo intercluſa fuerit, ſilentium tamen meum clamabit, Non ſum perduellis. pœnæ fatentem poſſunt facere, non autem nocentem. In hac imbecillitatis ſuæ confeſſione trahitur in ſubterraneam ſpecum, vel ipſo adſpectu terribilem. pendent ſanguinolentæ circùm taureæ, catenæ, ſecures, laminæ, pectines, rotæ, equulei. adhibentur nefarij ſatellites, quos odium Catholicæ Religionis & libido torquendi conuocarat: laniatur, diſtenditur; nullus tamen gemitus, nulla vox Campiani inter acerbiſſimos dolores, diuulſioneſque compagum, atque rotarum crepitus audiebatur, niſi hæc: Iesvs, Maria; Iesvs, Maria. vt ſcilicet doceret, malè quæri in iſtis lateribus ac latebris flagitioſa conſilia, vnde depromebantur tam ſacroſancta verba. O dignam tanto ſilentio vocem! O magnum, & præclarè ſibi conſcium pectus, inter compedes liberum, inter accuſatores ſecurum, inter cruciatus tranquillum ac beatum! Quando ex illis equulei tenebris in Angliæ lucem, hoc eſt, in Londinenſis populi frequentiam erumpes? quando palàm audietur fides tuorum dolorum, teſtimonium equulei, ſilentij patrocinium, vt te ſemel liberent populi ſuffragia, quem iam toties abſoluerunt tormenta? quando innocentiæ tuæ contumeliam detrahes, & infami ſatellitum manu gloriosè ſtipatus ad Regium tribunal deducêris, tam paratus iterum pro innocentiâ tuâ ad ſtuporem omnium perorare, quàm in tormentis tacere? mihi crede, magnificentior redibis è tuâ cataſtâ, quàm Iudex fulgebit in ſuâ purpurâ. At dicet nonnemo: Infirmæ ſuæ & occultæ quæſtioni publico ſuſpendio fidem Iudices conciliarunt. quaſi verò vir ille ſanctiſſimus minùs in patibulo innocentiam ſuam tueri poſſet, quàm in equuleo. O glorioſum igitur illum diem, Campiane, quo crucem iuſſus conſcendere, animo ſtetiſti quàm loco excelſior! ô beatam illam mortem, quâ pro Capite Romanæ Eccleſiæ lubens voleǹsque caput tuum oppignoraſti! ô dignum memoriâ locum! quem tu iniuriarum memoriâ depoſitâ conſecraſti, & ex arenâ crudelitatis feciſti theatrum pietatis. Viuet apud Anglos nominis tui gloria, viuet innocentiæ fama, viuet fortitudinis præconium; viuet, viuet, inquam, tua illa vox, quâ vti extremâ, ſic tuâ virtute dignâ, inimicis benè precatus es.

Martyrium Patr. Ignatij Azebedi cum ſociis.

Sed hac tragœdiâ ad ſuam cataſtrophen perductâ, gradus nobis ad alteram faciendus. Vidiſtis, Auditores, ſubterraneam ſpecum Campiani gloriâ colluſtratam: vidiſtis, eodem in ſublime ſuſpenſo, aërem ipſum tam illuſtri Catholicæ atque Apoſtolicæ Fidei victimâ conſecratum: nunc, ſi placet, ſpectate, quàm impiè hæreſis aquas ipſas ac maria truculentâ cæde cruentarit. Hæc enim non contenta terras peſtiferâ labe funeſtaſſe, exæſtuantem ferociam, ſcelerumque tempeſtatem, toto circumuexit Oceano; vt, ſi quos repentina vis ac turbo perculiſſet, antè naufragium animorum facerent, quàm corporum. Stabat prope inſulam Palmæ, ne quis de Chriſtianorum Athletarum victoriâ dubitaret, ſtabat, inquam, in anchoris ſecura Luſitanorum claſſis, & interim mors plenis velis adnauigabat; cùm ſubitò adeſt prædonum nauis obſecundante vento. adulterantur in hoſtili puppe amica inſignia, & occultis fraudibus apertum latrocinium prætexitur. mentiuntur,

tiuntur, vt ſeſe antè obſideri miſeri ſentiant, quàm videant bellum parari. Itaque ſcandunt hæretici foros, ſcrutantur intimos receſſus, & latentia receptacula, micantibus in ipſis quoque tenebris gladiis, excutiunt: nec corporum tantùm, ſed etiam animarum exitium vectoribus moliuntur. O! inaudita tempeſtas, in quâ leuiſſimum eſt, pati naufragium! Quis tibi tunc vultus, Azebede, quæ mens, quod conſilium, quando acerbiſſimam tuorum cædem intuebaris, & in ſacra Sociorum latera Caluinianus ille mucro deſæuiebat? ſuperuacaneum tunc erat ad barbara tyrannorum littora martyrij gratiâ ſuſpirare, cùm iam in ipſo mari occurriſſet Braſilia. Habet & Oceanus Martyres ſuos: nec elementa beatos faciunt, ſed tormenta. Hoc tamen erat omni morte acerbius, tot immatura ſuorum ſpectare funera, quando ſingulos arctiſſimè complexus, gladiis impiorum ſeſe obiecit, non vt moreretur cum ſuis, ſed pro ſuis; malebatque vel vnius eſſe vicarius, quàm omnium fieri ſocius. Sed quoniam fore videbat, vt quos amor coniunxerat, eos heterodoxorum piratarum odium non ſepararet; hoc vnum ſolicitè cauebat, ne, qui primus erat auctoritate & munere, poſtremus eſſet clade ac vulnere; & qui omnibus præibat ad militiam, is cunctos ſequeretur ad victoriam. Quid multa? arctiſſimo illo, &, prô dolor! extremo in complexu trucidantur ab impiis; totique ſanguine perfuſi, deturbantur in mare, numquam animarum ſitim poſituri, & ſcaturientibus adhuc venis acerba latrocinia mitioribus inſcripturi fluctibus. Azebedus cum imagine Deiparæ inter vndas fluctuans, cùm hanc benè ominatam tabulam arctiſſimè eſſet amplexus, gratiſſimum in ipſo naufragio ſalutis portum inuenit. O miſerum acerbumque toti Braſiliæ caſum, Societati verò vniuerſæ perquam glorioſum! Quid enim aut laudabilius ad nomen, aut illuſtrius ad ſplendorem, aut magnificentius ad gloriam, quàm amore ſalutis alienæ vehementiùs accendi, quàm vt ardor ille toto Oceano poſſit extingui, & vlteriùs votorum impulſu vela facere quàm ventorum?

Sentio in hac tempeſtate, orationis meæ curſum ferri in vltimos Iaponum ſinus: crudele Nangaſachi oſtium, & fumantia adhuc littora proſpecto. Hoc ſcilicet Societatis triumphis adhuc deerat, vt, poſtquam terra, pontus, aër ad glorioſa eius certamina aliquid contuliſſent, ignis etiam elementum partibus ſuis ac muniis fungeretur. Angebatur in Iaponiâ humani generis hoſtis, & vehementer dolebat, eius oras tot ſæculis intercluſas, breui tempore à Xauerio eſſe patefactas; ſentiebatque, hac portâ effractâ & reuulſâ, vaſtiſſimas patêre Religioni Chriſtianæ prouincias. nec ferre poterat, homines non horrore corporum tantùm, ſed & animorum ſquallore ſibi ſimillimos, eò ire poſt flagitia, vnde ipſe pulſus eſſet propter flagitia; & qui in eâdem ſecum fuerant cauſſâ, non in eâdem manere fortunâ. Hic ſcilicet animorum motus, hoc fortiſſimorum Martyrum trophæum, hæc certiſſima Beatorum gloria inuidum humani generis hoſtem cruentabat atque confodiebat: nec minùs alieno zelo quàm proprio inferno torquebatur, quare cruces & rogos totâ explicat Iaponiâ, vt non minùs terrore ſæuiret quàm dolore. Quid hîc commemorem actos in crucem Paulum Michi, Iacobum Ghiſai, Ioannem

Perſecutionis Iaponicæ auctor diabolus.

nem de Goto? quid fortitudinem illorum incredibilem ac propè diuinam? quid decussata inter se vulnera, ex quibus plus gloriæ quàm sanguinis emanauit? Te certè, Carole Spinola, tacitus præterire nullo modo possum. da veniam, magne Athleta, si minus splendoris ab hac voce meâ acceperis, quàm à flammis tuis nunc es consecutus. Habet hoc omnis flamma, præsertim Martyrum, vt spectari possit, tractari non possit; & antè destituat facundia dicentem, quàm constantia conflagrantem. Quadriennio pænè toto miserrimam in carcere vitam duxerat Carolus, vt vno die mortem beatissimam consequeretur. interim tamen nihil ipse de amicorum opibus, nihil de generis nobilitate, nihil de suis natalibus, vt barbaros flecteret, obtendebat. Nimirum gloriosius existimabat sanguinem sanguine exornare, quàm exorare. Raptus ad feralem pyram, admouetur palo; & crudeli misericordiâ ligatur remissiùs, vt, si constantiam vacillare contingeret, facilior esset sese expediendi ratio. Itaque subiecto igne, phœnicis instar, terris quidem mori, sed cælo cœpit viuere. O magnum gentis Spinolæ ornamentum! tu quo tempore Ambrosius Europam illustrabat victoriis, eodem Iaponiam Indiasque condecorasti triumphis; & vterque docuistis, Spinolas ad exemplar agendi & patiendi fortia tam nasci feliciter, quàm mori constanter. par consecuti estis ornamentum, licet dispari in elemento; nisi quòd longè minus sit superare vrbes & Martem tonantem, quàm ignes & Iouem, vt sic dicam, fulminantem. Vt vt est, vicit vterque, vicit gloriæ, vicit Religioni Christianæ, vicit immortalitati generis: vt dubitare possimus, plúsne gloriæ posteri vestri habituri sint, quòd tu in Oriente occideris, an quòd ille in Occidente fuerit exortus. Quamquam quid ego tantam gloriam vnius familiæ circumscribo limitibus? habet Genua quo luceat, habet Iaponia quo ardeat, habet Ecclesia quo vincat, habet Societas quo triumphet. Et hi sunt fortissimi nostri Duces, qui procul à militari strepitu, sed non procul à militari gloriâ, extra furorem belli, difficiliora nacti pacis certamina, cadendo vicerunt, & Christianis tironibus ostenderunt, quænam essent honestissima vulnera. Quibus ego nec Americanum istum Thaumaturgum Anchietam, nec Armuzianum istud Lumen Barzæum, nec Indiarum Apostolum Xauerium coniungam: licet eumdem vastissimo laborum & vndarum Oceano nauigantem eadem laurea fuerit coronatura, si eadem quæ ceteros, persecutionis illum procella inuoluisset. Poterat habere Martyrum gloriam, qui Martyrum habebat caussam. nec fustes nocturnos timebat, cuius spes omnis erat in ligno; nec recusabat vno submergi momento, qui triduano assueuerat naufragio. Ne dubita, minùs semel generosus hic animus sudasset sub Martyre, quàm tamdiu sudauerat sub Æthiope. Sed de his alius erit dicendi locus: non enim hoc nunc agimus. vnam tantùm Martyrum purpuram, quâ nullam pretiosiorem transmisit Oriens, venerabundus exosculor, eorum scilicet qui ab Herculeis columnis suos labores exorsi, post emensum Oceanum, nouo in orbe inueteratos idololatriæ ritus sustulerunt, scelera ac flagitia compresserunt, barbariem ac immanitatem cicurarunt. qui conatu plusquam Herculeo, domitis tot feris quot barbaris, rerum omnium termi-

Martyrium Patr. Caroli Spinolæ.

Laus familiæ Spinolæ.

Votum martyrij in S. Francisco Xauerio.

terminos animis transgressi, etiam vitæ suæ iam deficienti inscripserunt, *Plus vltra*. Eorum, inquam, qui sub Zonâ torridâ, in Indicis illis arenis, vbi mortales auro magis accenduntur quàm æstu, nullius rei quàm animarum cupiditate flagrarunt. eorum denique qui ad cælestis Regis aulam crucibus, equuleis, catastis sibi gradus fecerunt, & in pompam triumphi verterunt instrumenta martyrij: horum, inquam, purpuram venerabundus exosculor atque deprædico. Quæ si mediocria, si vsitata, si quotidiana sunt; nihil habeo quod commendem: sin verò singularia, si inusitata, si tam procul à communi laude fortitudinis & vulgari constantiâ quam ab orbe nostro dissita; laudentur sanè hæc à nobis tam propensis animis, quàm illi generosis tormenta sustinuerunt, & virtutem illam digniorem pulpito quàm equuleo, perpetuis consecremus honoribus. Cumque eorum ne necessaria quidem exspectata sit mors, quorum vita debuisset esse immortalis; viuant saltem posthac sacris in imaginibus, viuant humanis in laudibus, viuant diuinis in honoribus, viuant sæculorum omnium memoriâ sempiternâ: sed vel maximè viuant in nostris vestigiis, ne, vt illis gloriosum fuit tantam nobis virtutum suarum ac meritorum hereditatem suo sanguine consignatam relinquere, ita nobis contumeliosum sit eam inertiâ nostrâ prodigere. Pudeat nos, inter tot Sociorum vulnera, nullam posse cicatricem exhibere. O beatos pugiles! qui crucibus affixi, aquis submersi, ignibus combusti, non suam luxerunt pœnam, sed gauisi sunt de præmio: qui resectis capitibus habere cœperint vbi coronari possent: qui omnium pedibus obtriti, ac tyrannorum suppliciis excarnificati, omni Regum purpurâ nobiliorem triumphum sunt consecuti.

Adhortatio vt imitemur Martyres.

ORATIO TERTIA.

De caussâ capitalis odij quo Societatem IESV *hæretici prosequuntur.*

SI quis miratur, Auditores, quid caussæ sit cur nostræ ætatis hæretici implacabili planè odio à Societate IESV dissideant; mirari certè is desinet, si vtrorumque pugnantem inter se indolem, omnemque vitæ rationem toto, vt sic dicam, cælo disiunctam esse meminerit; maiusque inter eos esse discrimen Religionis & Fidei, quàm morum atque institutorum Iaponios inter & Europæos; vt qui non pedibus tantùm, sed ingeniis etiam orbi nostro oppositi esse videantur. Operæ pretium est hunc pugnantium inter se morum atque iudiciorum typum, eiusque quod mihi propositum est certaminis adumbratam imaginem, paulisper intueri. Iapones, teste Maffeio, epulas nostras, nos vicissim illorum condimenta aspernamur. Aquam nos gelidam, illi calefactam æstate pariter & hieme potant. Nobis gemmea aureaque, illis fictilia terreaque vasa in honore sunt. Iam in curationibus corporum, nos ægris dulcia & tenerè cocta; illi salsa ac penitus cruda; nos altilia, illi conchylia apponunt. Pharmacis nos fermè olidis & amaris, illi perquam suauibus & odoratis vtuntur. Illi è coloribus lætum ac festiuum æsti-

Maffeius Hist. Ind. libr. 12.
Franc. Garass. Doct. curios. l. 2. sect. 11.
Iaponum mores nostris contrarij.

mant nigrum, albus illis in funere ac luctu est. quæ à communi Europæorum sententiâ, vsuque nostro longissimè absunt. Nobis dentium in candore, ipsis in nigredine est decor: quare atro quodam pigmento eos identidem inficiunt. Illi somnum capiunt subiecto ceruicibus lapide vel tigillo, nos molle tomentum aut puluinar adhibemus. Illis aperto capite in sole pariter ac pluuiâ vterque sexus incedit, quod apud nos vitatur vel maximè. Illi foris absque pallio, domi verò ambulant chlamydati; nos contrà facimus. Equum nos à lænâ, illi à dexterâ conscendunt. Inter salutandum nos caput, illi crepidarum leui excussu pedes detegunt. Aduenienti amico nos assurgimus, illi subsidunt. Plura eiusmodi prætereo, ne ad viuum cuncta resecare videar. Enimuerò quàm vehementer in viuendi ratione ac lege Iaponij à nostrâ consuetudine abhorrent, tam è diametro hæretici omnes ab vniuersâ Societate dissentiunt. Hæc origo dissidiorum, hic fons est omnis maleuolentiæ. Ceterùm hac in parte diuinæ Prouidentiæ consilia licet admirari, quæ valdè opportunè hac ætate nostrâ huius Ordinis Christianam militiam perditorum hominum istorum furori atque amentiæ opposuit. Hanc ego diuersitatem ingensque discrimen inter vtrosque dum vario ex capite breuiter ostendo; non minùs æquos iudices vos fore confido, quàm beneuolos Auditores.

Doctores noui Euangelij: Adiunxerunt sese Luthero, posteaquàm ille Deo ac Religioni perfidus, pristinæ Fidei castra deserüit, continuò petulci è triuio Magistelli, procaces Grammatici, discincti Poëtæ, leues Græculi, ebrij Oratores, nescio qui Philosophastri atque Philologi: horum exempla secuta est è Reip. fæce grex sutorum, tinctorum, lanionum atque textorum. Quid deinde etiam? Vt nihil ad summam impietatem, nihil ad extremam dementiam deesset; confluxere vndique facinorosissimi homines, ignominiâ celebres, Iudicum sententiis damnati, publicæque infamiæ signis inusti: inde verò prosiliere prostituti pudoris ac pudicitiæ mulieres; quæ, velut istius Academiæ Eximiæ Dominæ ac Magistræ nostræ, in suggestum, in exedras, in sacra pulpita proruperunt. Tales fuere præclari instaurandæ Ecclesiæ architecti, &, si inferis placet, quinti Euangelij buccinatores. Tum verò perditissimus hominum cœtus tali duce conflatus, illicò Orthodoxam Ecclesiam, illiusque legitimum Caput aspernari, vtriusque sacrosanctam auctoritatem, ætatum omnium & nationum & ordinum perpetuâ consensione stabilitam, conuellere, sanctissimorum oracula Pontificum pedibus conculcare, grauissima Concilia etiam Oecumenica spernere, sacramque Paginam aut mutilare aut illegitimâ interpretatione conspurcare, ritus sacros profanare, Sacramenta polluere, sacras aras euertere, templa incendere, omnia deniq; humana ac diuina conculcare. Nec factis minùs abominanda commenti sunt dogmata, quibus omnem probitatem ac virtutem, omnem pietatem ac Religionem è vitâ proscriberent: nullo iure ac legibus Christianam libertatem adstringi: credentibus nulla flagitia nocere: bonorum operum merita id esse coram Deo, quod Veneri donatas à virgine pupas: castitatis votum stultam esse temeritatem: Deum scelus omne flagitiumque designare, & ad ea homines fatali quadam necessitate impellere.

[Margin notes: Fontan. lib. 5. — *sanam doctrinam proscribunt:* — Sander. lib. 7 de Visi. Monarch. — Lindan. in Exhort. ad Holl. c. 12. — *insanam inuehunt:*]

pellere. Plura recenſere perhorreſco. Quis in rupibus natus Geta, aut quis è quercu exciſus Arcas, tam ſui eſt immemor, vt eiuſmodi opinionum portenta vel cogitare audeat, qualia illi non ſolùm bipedum, ſed omnium quadrupedum nequiſſimi publicè ſunt profeſſi? Quis nunc eorum vitam omni legum vinculo ſolutam eſſe criminetur? ego vel maximè doctrinæ quam tradunt adſtrictam & conſonam eſſe contendo. Nolo hanc ſcelerum flagitiorumque fæcem exhaurire: in vnicam libidinem, & quidem ſtrictim, digitum intendo. Præluxit omnibus in hoc genere ſacrilegam facem ipſe Lutherus, qui præ cibo, potu, ſomno neceſſariam omnibus venerem impudentiſſimo ſcripto perſuaſit; qui, iugo Religionis excuſſo, inceſtis ſe nuptiis contaminauit. Huius Hæreſiarchæ veſtigia non pauci, diffractis votorum repagulis, omnique pudore proſcripto, ſunt ſecuti. Vt verò quales fuerint iſti hymenæi, crimine ab vno coniecturam faciatis: in Carolſtadij inquinatiſſimis nuptiis (fuit is è Sacerdotibus primus, qui ſcorto iunctus eſt) inaudito facinore Miſſam, vt loquuntur, omni impudentiâ atque inſaniâ nobilem concinnarunt: in quâ non modò ſacrilegos atque fœdifragos Sacerdotes magnis laudibus extulerunt, verùm etiam vt Heroas Deo plenos, ipſaque mortalitate maiores, deprædicarunt. O aurea nimirum tempora, ſanctique mores! ô ſacroſancta noui Euangelij decreta, legeſque caſtiſſimæ! Ita domus Dei diuinitus inſtauratur? Stomachare hîc, ô Daniel, & exclama: *Semen Chanaan, & non Iuda, ſpecies decepit te, & concupiſcentia ſubuertit cor tuum.* Vaticinium tuum, ô Iſaia, iam impletum eſt: *Habitabunt ibi ſtruthiones, & piloſi ſaltabunt ibi: & reſpondebunt ibi vlulæ in ædibus eius, & ſirenes in delubris voluptatis.* Atque vtinam hic ſit nequitiæ terminus! Enimuerò vlteriùs effrenata nouorum Euangelicorum prorumpit audacia. Diſciplinam illam ſuam, tamquam de cælo lapſam, non tantùm canticis, rhythmis, comœdiis, declamationibus, ſcriptis libellis, ſed inauditâ etiam crudelitate atque immanitate paſſim propagare conati ſunt. Euoluite huius ſæculi annales; & cum gemitu legetis, virgines caſtiſſimas, mulieres prægnantes, viros integerrimos, ſanctiſſimarum Familiarum Religioſos, Sacerdotes Deo ſacros, ſenes non minùs virtute quàm canitie venerandos, exquiſitiſſimis tormentis fuiſſe trucidatos. Nulli ætati, nulli ſexui, nulli ordini parcitum eſt. Nec aliam ſanè ob cauſſam, quàm quòd illa nefaria opinionum portenta repudiarent, illa flagitioſiſſima dogmata deteſtarentur, & auitam Catholicæ Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ Fidem vitâ fortuniſque ſuis chariorem ducerent. Nihil hîc neceſſe eſt inaudita ſuppliciorum genera recenſeri; homines innocentiſſimos, Deoque conſecratos, toto corpore mutilos, præcipitio eliſos, viuos in terram defoſſos, verubus affixos, lento igne toſtos, virgines conſtupratas ac tortorum libidini permiſſas. Cetera etiam libenter ſilentio inuoluo, quæ vel tragica Poëtarum figmenta, vel ipſam belluarum immanitatem ſuperant. Planè vt neceſſe fuerit, diuinam Prouidentiam, quæ ſemper pro ſalute atque incolumitate Eccleſiæ ſuæ excubat, vt olim graſſantibus in orbe venenis ſua ſuppeditauit antidota, ita nouam hanc Eccleſiæ peſtem nouis etiam ſubſidiis amoliri. Quæ olim peſtes Eccleſiam infeſtarint, quæque aduer-

viuunt, prout docent:

Lib. de Vita coniug.

Fontan. l. 8.

Daniel. 13.

Iſaiæ 13.

doctrinam ſuam crudeliſſimè propagant.

Claud. de Sanctis, lib. de Direpț. templ.

Sander. lib. 7 de Viſ. Monarch.

aduersus eas præsidia à Deo submissa fuerint, minimè obscurum est. Percurrite, si placet, ætates singulas. Primâ, exstiterunt Simoniani, Cerinthiani, Philetiani: secundâ, Montanistæ & Gnostici: tertiâ, Manichæi & Nouatiani: quartâ, Ariani & Donatistæ: quintâ, Nestoriani cum Pelagianis: sextâ, hinc Monothelitæ, inde Tritheïtæ: septimâ, cum Mahometanis fuere Armeni: octauâ, cum Iconoclastis Albanenses: nonâ, Taurinenses & Photiani: decimâ, Anthropomorphitæ: vndecimâ, Berengariani: duodecimâ, Arnaldistæ: decimatertiâ, Albigenses: decimaquartâ, Wicleffitæ & Lollardi: decimaquintâ, Lutherani & Caluinistæ. Ceterùm nullo vmquam sæculo diuinam protectionem Ecclesiæ defuisse, historiarum monimenta fidem faciunt. Primo siquidem sæculo Simonem Petrum Simoni Mago opposuit: Ioannem Euangelistam cum Cerintho, Paulum cum Phileto commisit: secundo, Irenæum ac Papiam veræ fidei propugnatores dedit: tertio, Clementem Alexandrinum atque Cornelium Summum Antistitem: quarto, Basilium & Athanasium: quinto, Cyrillum atque Augustinum: sexto, Gregorium Magnum Siluerium que Pontifices: septimo, Maximum & Eugenium: octauo, Damascenum cum Albino: nono, Stephanum & Ionam Episcopos: decimo, Moysen Bar-cepham: vndecimo, Hermannum Contractum: duodecimo, Bernardum: decimotertio, Dominicum & Franciscum: decimoquarto, Durandum à Sancto Portiano & Henricum Susonem: decimoquinto, Ignatium. Cuius viri, Deus immortalis! quàm contraria heterodoxis studia moresque exstiterunt? Non tanta Iapones inter, quorum initio memini, & Europæos morum studiorumque dissensio reperitur, quanta inter Lutheri & Caluini asseclas, & fundatam ab Ignatio Societatem. Quid, obsecro, Luthero propositum fuit, nisi Romanæ fidei exstinctio, Pontificiæ auctoritatis euersio, morum corruptela, mortalium denique à CHRISTI legibus & ab omni probitate auulsio? Hæc enim per eum nequissimus dæmon (quicum familiarissimè sese egisse, disseruisse, modium salis comedisse gloriatur) nefariè molitus est. Contrà verò (Pontificia verba profero, quæ publico diplomate omni posteritati commendata sunt) *finis Societatis, Fidei propagatio & defensio, animarumque in vitâ & doctrinâ Christianâ progressus. Ad quem finem Spiritus sanctus Ignatium Loiolam, ipsius Societatis institutorem, eiusque Socios excitauit: media etiam præclara maximeque opportuna eis tribuit atque confirmauit.* Ille infamis apostata ex angulis & imâ fæce plebis non tantùm homines illitteratos, sed impietate, sed infami vitâ, sed morum contagione notissimos, verbi Dei deprauatores, sacrarum Paginarum fœdissimas harpyias, in aciem produxit. Contrà verò quàm nobilem, quàm expeditam, manuque & linguâ promptam legionem illi opposuit Societas IESV? nempe ex luce Christiani orbis, & florentissimis Regnis *viros* (vt cum Pio V. loquar) *litterarum præcipuè sacrarum scientiâ, religione, vitâ exemplari, morumque sanctimoniâ conspicuos, multorum religiosissim. præceptores, ac verbi diuini optimos prædicatores & interpretes producendo.* In castris heterodoxis vanissimas ac stultissimas mulierculas reperias, quæ iniussæ in publicum suggestum cathedramque adrepentes, propositis palàm assertionibus, ad certamen de altissi-

Hæreses omni sæculo.

Præsidia Ecclesiæ omni æuo.

Luthero cum suis opponitur Ignatius & Societas.

Greg. XIII. Bullâ, *Quanto fructuosius.*

Bullâ, *Innumerabiles.*

altiſſimis Fidei myſteriis Doctores prouocent. In Societate verò adlectos ab Ignatio grauiſſimos Theologos, omni litteraturæ ac ſapientiæ genere excultos, inuenies; quos Summi ipſi Antiſtites ad celeberrimum illud Chriſtiani orbis theatrum, lectiſſimum, inquam, Concilij Tridentini Magiſtratum, delegarunt. Lutherus homo ad quidlibet audendum proiectæ temeritatis, non erubuit vanum ac futile hoc vaticinium propalare:

Peſtis eram viuus, moriens tua mors ero Papa.

& verò nullam non machinam ad euertendam Pontificiam dignitatem admouit. quin imò eouſque prouectus eſt dementiæ, vt Reges ac Principes hortaretur ad laceſſendum bello Pontificem, manuſque in S. R. E. Cardinalium ſanguine lauandas. Quid verò Ignatius? an non omne ſuum ſtudium ac ſuorum eò contulit, vt ſupremam in terris Pontificiam dignitatem ab hæreticorum calumniis, ſophiſmatibus, machinationibus vindicaret? nónne eiuſdem obedientiam toto orbe Chriſtiano aſſeruit? nónne Profeſſos ſuos peculiari voti religione Summo Chriſti Vicario ad arduas quaſque miſſiones obnoxios eſſe voluit? vt nihil mirum ſit, Clementem VIII. ſapientiſſimum Pontificem Societatem dextrum brachium Apoſtolicæ Sedis indigitaſſe. Quid nunc dicam quantâ petulantiâ noui illi quinti Euangelij magiſtelli venerandam SS. Patrum canitiem conſpurcarint, eorumque auctoritatem protriuerint? Hanc autem ſemper venerata eſt Societas; eorumque doctrinam, tamquam hagiographis proximam, & ab ipſo fonte propiùs emanantem, eſt exoſculata. Porrò contaminatiſſimos Nouatorum mores, vitamque flagitiis ac probris infamem, nihil attinet in propatulo conſtituere: ſatis ſuperque eorum probra variis ſcriptorum monimentis ſunt conſignata. Societas autem (quod diuinæ gratiæ ac protectioni acceptum refert) ne ſibi ipſi præconis vice fungi debeat, ampliſſimum Iulij III. Pontificis Maximi elogium eſt conſecuta: cuius in publico diplomate hæc ſunt verba: *Conſiderantes nihil quod pium ſanctumque non ſit, in Societate eiusque laudabilibus inſtitutis, ac exemplari Ignatij & aliorum Sociorum vitâ & moribus reperiri.* Denique hoc egerunt Caluini & Lutheri aſſeclæ, vt orbem vniuerſum peruerſis dogmatibus & fœdâ vitiorum omnium colluuione contaminarent. Sed, quæ Dei bonitas eſt, & excubans in ſalutem Eccleſiæ ſuæ prouidentia, vltra Septemtrionem & vicina quædam Regna exitiabilem illam peſtem diffundere non potuerunt. At Societas genuina Euangelij ſemina, & mores Chriſtianâ profeſſione dignos, quadripartito terrarum orbe longè lateque propagauit, genteſque multitudine innumerabiles, locis infinitas, immanitate barbaras, naturâ cæcas, cultu impias, vitiis omnibus contaminatas, etiam cum præſentiſſimo capitis periculo à tenebris ad lucem, à feritate ad humanitatem, à miſerrimâ dæmonum ſeruitute ad beatam libertatem filiorum Dei, ab idolorum ſuperſtitione ad veri Numinis cultum, ab omni ſcelere ac flagitio ad omnem probitatem virtutemque traduxit. Nihil opus hîc mihi tam amplam Societatis laudem conquiſitis vndique teſtimoniis ſtabilire: vnum mihi ſit inſtar omnium, & quidem grauiſſimum & maximum, Summi Eccleſiæ Præſulis Pij V.

Surius Hiſt. anno 1520.

Suarez to. 4. de Relig. l. 1. de Inſt. Societatis.

 qui

qui amplissimo suo diplomate posterorum memoriæ testatum voluit; *Societatis homines, verè mundi huius relictis illecebris, adeò Seruatori suo se dedicasse, vt, conculcatis thesauris, non contenti terrarum finibus, vsque ad Orientales & Occidentales Indias penetrauerint: ac eorum aliquos ita Domini amore fuisse perstrictos, vt etiam proprij sanguinis prodigi, martyrio voluntario se supposuerint: perque eorum spiritualia exercitia etiam Regna ipsa fidem* C**HRISTI** *agnouisse.* Satísne luculenter hæc hactenus deducta, vt fidem adstruamus Aquensi Præsuli Gilberto, qui summo iure Ignatium Antilutherum esse pronuntiauit? Satísne animaduertitis, non magis pedibus moribusque nobis obuersos esse Iapones ceterosque Antipodes, quàm huius sæculi heterodoxi Societati IESV aduersantur? Quis ergo iure mirabitur, tantam inter vtrosque animorum exulcerationem auersionemque intercedere,

Bulla, *Cùm indefessa.*

Genebrard. in Chron.

Lupis & agnis quanta sortitò obtigit?

Ex hoc itaque fermento, ex hac fæce prodeunt tot calumniæ in Societatem, tot maledicta, tot libelli famosi, tot sanguinaria edicta, tot proscriptiones, tot cruces denique ac tormenta. Sed, ô cæca maleuolentia, & inconsulta nequitia! dum Societatem conuitiis & calumniis obruere planeque conculcare se posse existimant, non vident eam tum vel maximè exornari. Quid enim Societati contingere potest gloriosius, quàm si toti orbi manifestum euadat, eam à flagitiosissimis ac perditissimis hominibus implacabili odio omnique diritate vexari? quid optabilius, quàm ab iis cum fastidio nauseàque despici, qui nullum veræ laudis gustum habent? Magnis interim animis estote, viri Religiosissimi, magnum vobis aduersus maleuolorum tela præsidium, magnum aduersus omnes persecutionum procellas solatium repositum est in præclarâ rectè factorum conscientiâ. Deinde si qua vis, si qua tempestas, si qua dimicatio incubuerit; Dei præsidio tecti, inter medios hostium cuneos illæsi consistetis. Vnus instar omnium vester vobis erit IESVS, qui hoc vnico verbo mœrorem vobis omnem absterget; *Si patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quantò magis domesticos eius?* Sed quemadmodum ille tandem inimicis omnibus superior, eam gloriam est consecutus, quam omnis intuebitur æternitas: ita vobis aliquando ex persecutionibus, proscriptionibus, tormentis solida voluptas, ex maleuolentiæ tempestatibus tranquilla securitas, ex mendaciorum & calumniarum nubibus æternæ lucis ac dignitatis splendor emerget.

Matth. 10.

ORATIO QVARTA

In Calumniam; cuius insanis clamoribus Societas sæpè insimulata est auaritiæ, delicatioris vitæ, ac superbiæ.

A suo exortu calumniis appetita Societas:

ETsi, quodam naturæ beneficio, minima quæque paruitate suâ tuta sunt, & quemadmodum aciem oculorum, ita multò faciliùs omnem inuidiæ morsum ictumque subterfugiunt; tamen hæc minima IESV Societas, post tot alios in Ecclesiâ clarissimos Ordines recèns exorta, ne quidem illis initiis admodum tenuibus, nec suâ illâ appellatione,

tione, quâ à Beato Conditore Minima toties nuncupata est, effugere vmquam potuit, quin in multorum, non iam oculos (quod necesse erat) sed odia atque inuidiam incurreret; inde ab ortu suo vbique appetita frequentibus contumeliarum telis. Verùm vbi iam ad vnius sæculi decursum reflectit oculos, nónne meritò mirari potest, quo suo fato contigerit, vt nemo hisce centum annis Christianæ Religionis, nemo auitæ sinceræque Fidei hostis fuerit, qui non grauissimo in hanc Familiam animo belloque exarserit. quamquam, fateor, minùs nouum videri debet, eam ab istis Dei ac Religionis hostibus velut scopum peti, cùm ipsa clarissimum IESV nomen tamquam signum præferat, in quod istorum omnium cogitationes, linguæ, calami, vt intenti arcus, vt nerui, vt tela conuertuntur. Sed illud admiratione dignissimum semper iudicauêre viri prudentes, repertos fuisse nonnullos melioris Fidei ac vitæ homines, nescio quibus circumuentos fraudibus calumniatorum, qui in hoc quoque bellum omni auctoritate suâ animoque subinde incubuerint. Etenim quòd priores illi fuerint aduersati, qui virtuti, qui Fidei, qui Religioni bellum indixerant; id ex instituto fecerunt: non opinabantur satis probari sui similibus posse se Ecclesiæ esse hostes, nisi huius Ordinis essent inimici. hi verò dum illius famam passim in circulis, in conuentibus, in conuiuiis oppugnabant, quo pacto nomen suum & existimationem tueri poterant? Illi sæpenumerò ab hoc Ordine nostro Fidei caussâ lacessiti, suas reponebant obtrectationes, cùm rationes non possent: hi verò ne verbo quidem violati, vltrà in eum euomebant virus acerbitatis suæ, suamque ab eo alienationem, vti terrori ac formidini ceteris, ita suis ac sibi commendationi fore existimabant.

ab hæreticis,

ab æmulis,

Quid putem? spretámne ab vtrisque IESV Societatem? ita quidem illi non obscurè præ se tulerunt, imò non sine acerbissimâ verborum contumeliâ in contemptum illam adducere studiosè sunt conati. Verùm siquis, deposito partium studio, rem paulò æquiùs mecum velit expendere; non video nec in præclaro ipsius Instituto, nec in ratione viuendi, quod despici ab istis carpique iure potuerit. An illius famam maculis saltem aliquibus facilè à se aspergi posse crediderunt? ignari quid recti conscientia, quid animi magnitudo, quid integritas, quid innocentia valeat; quæ tum maximè suam explicat ac diffundit lucem, cùm in mediis inuidiæ tenebris vmbrisque versatur. An verebantur fortasse ne suo honori nominique detraheretur, quidquid nostro accederet? alienæ certè nemo existimationi inuidet, qui confidit suæ. An sibi persuadebant noui quidam Hannibales, hanc firmissimæ Societatis rupem assiduâ maledictorum acrimoniâ, ceu nouo quopiam aceto perfusam, sensim ac sensim dissolutum iri? at illius hactenus operibus quantum iniqua detraxit æmulatio, tantum emergens veritas laudibus adiecit.

Illud profectò est. Sperabas Calumnia (vitium enim arguere mens est, non homines perstringere) sperabas, inquam, Societatem apud imperitos in odium vocare te posse, illiusque splendidissimæ famæ nonnihil officere, obiectis conuitiorum tuorum vmbris ac telis: non secùs atque ille qui quondam, emissis innumerabilibus sagittis, & soli ipsi clarita-

tem & hosti suo diem erepturum se dixit gloriosiùs, quàm fecit. Hinc illæ tibi perpetuæ voces, quibus auaritiæ, superbiæ, commodioris ac lautioris vitæ Societatem arguis. Hæc spargis in vulgus, hæc ignorantibus obtrudis: hæc criminum omnium breuis summa, imò calumniarum, quas nulla diluat oratio. credita, damnata, præiudicata sunt omnia. ignari atque insolentis vulgi clamor pro omni oraculo est: vociferantur omnes; auaros, deliciosos, superbos esse Iesuitas. quis contrà tendat? Si quæris, quo hæc auctore spargantur, quo teste confirmentur: frustrà es; tam verum est quàm te viuere. quo ex facto dictoque id liqueat: nihil agis. innumera esse asserent, indignabunturque sibi non adhiberi fidem, licet nullum solidè adferre valeant. Cæco impetu eam sibi imperauere persuasionem: nefas est, aliter si sentias. Sed singula breuiter saltem expendamus.

tumultuario, & sine probationibus.

Nec auara Societas est,

Diues & auara Societas est, parandisque opibus inhiat. O præclaram illam Religionem, paupertatis votis vinculisque constrictam! ô præclarum te Ducem, Ignati! qui spretis paternis opibus commodisque gentilitiæ domus, eam legis cohortem, iisque instruis præceptis, vt suam ab auro cupiditatem ac manus cohibere non possit, & magnificè te iactas nudi CHRISTI nudum esse sectatorem. Quamquam diuitiarum accusari parum est; immensæ cupiditatis & inexplebilis auaritiæ insimulamur; quasi nostras immigrarit in ædes auri illa sacra fames, quæ quælibet in scelera mortales agit. An non insignis contumelia est, eos qui res spesque suas abiecerunt, traduci palàm tamquam inhient alienis? quo testimonio? quo vestigio? quo signo hæc nota nomini nostro inuritur? An ex eo quòd nec pro sacris concionibus, neque pro augustissimo Missæ sacrificio, neque pro vllâ piâ functione, teruncium admittat vmquam, nec admittere per leges suas possit Societas? An quòd labores suos omnes ac curas ad ciuium salutem gratis referat consumatque, nullâ exspectatione ac spe mercedis? quæ tamen tum maximè esset spectanda, si tanto amplificandæ rei suæ desiderio, tamque inexplebili cupiditate teneretur. An quòd peculiari restringendæ paupertatis voto, quasi septo quodam viam sibi ad ampliores facultates obstruxit; quam sanè, si pecuniæ amore ac dulcedine caperetur, laxatam potiùs oportebat? Sed hæc ex disciplinæ nostræ arcanis deprompta superant scilicet tuum, ô Calumnia, vulgique captum. Rudiori Mineruâ tecum agam necesse est. Habet Societas annuos census in Collegiis. Esto sanè: hæc tu ab Euangelicâ paupertate aliena, hæc auaritiæ signa putas aut argumenta? Frustrà hîc tecum subtiliùs disputem de eâ paupertate, quæ priuatim proprium habet nihil: in communi Superiorum imperio dispensandum aliquid, quo præsens vitæ toleretur necessitas; ne aut populo grauis sit ea egestas, aut conquirendi victus cura à studiis aliisque grauioris momenti functionibus auocet. Sed frustrà, inquam, cæcæ facem accendo, quando tu aliam paupertatem nullam nosti, quàm coactam inopiam, vilemque mendicitatem. Frustrà etiam singulorum tibi Collegiorum accepti expensique rationes exposuero. Scio, nec iuratus quidem apud te fidem inueniam. Vix oculis ipsa tuis credes, si scrinia loculosque excusseris: quos, vt ait Comicus, araneis plenos & inaniis inuenies.

nec diues:

uenies. Miraberis etiam, nisi planè peregrina sis in rebus œconomicis, tantillum annui census tot viris doctis ac honesto loco natis modestè frugaliterque alendis sufficere posse. Quid si etiam expendas aliquot in Belgio esse Monasteria, quæ singula seorsim ampliores habeant fundos ac facultates, quàm omnia simul amplissimæ Prouinciæ Collegia; adhuc tibi diues & opulenta videbitur esse Societas? quid si in illis ipsis Monasteriis non multò maior Religiosorum sit numerus, quàm in mediocri aliquo Collegiorum nostrorum? quid si ingenuè fatear, nullum pænè Societati in Belgio tam lautè fundatum esse Collegium, quod non grauissimo laboret ære alieno? Vbi tandem, quas tam impudenter imprudenterque exagitas, reperies diuitias? Sed clamant scilicet templa atque ædificia diuites esse Iesuitas. Quæ templa? structa atque adornata alienâ benignitate, liberalitate Principum, eleëmosynis hominum piorum? Quid hîc est, quod absque diuinæ Maiestatis iniuriâ carpi possit? aut quæ hinc nobis diuitiæ, quæ opes? Nisi fortè trabes ac marmora saginando stomacho nostro idonea, aut argentei aureique panni scruta, sacris vsibus subtracta, pullis nostris vestibus assuenda existimas? Quid, quòd publica vrbium templa vbique nostris sunt augustiora? imò pleraque etiam Religiosorum? Et cultui diuino quæ nimia potest esse maiestas? ne stratum quidem auro pauimentum hîc damnari fas est. Quo sumptu tabernaculum fœderis atque arcam, quo apparatu quantisque opibus templum sibi strui Deus olim mandauerit, ne Romanæ quidem Historiæ Scriptores ignorarunt. Salomonis pietatem sacramque magnificentiam, quæ non antiquitatis monimenta deprædicant? Itaque quod sapientissimo olim Regi honori vertitur atque laudi, hoc tu Regibus Christianis atque Principibus, hoc tu Magistratibus Rebusque publicis vitio vertes? nec licebit viris copiosis in Deum (cui omnia accepta referunt) esse piis ac liberalibus, nisi nos in Religiosam paupertatem peccasse videamur? Illi illi sunt (libentes fatemur, & æternâ grati animi memoriâ recolimus) illi sunt, quorum beneuolentiâ atque ære ædes illæ nostræ in eam altitudinem maiestatemque assurgunt, eumque, quem criminaris, induunt splendorem & ornatum. Illi sunt, quibus longè augustius videtur, suarum facultatum partem aliquam Deo in aris nostris consecrare, quàm Veneri aut Baccho, aliisque turpitudinis aut vanitatis idolis; quibus, prô dolor! non pauci suas plenâ manu sinuque diuitias profundunt; id vnum sibi suisque perire existimantes, quod diuino cultui transscriptum vident. In ædificiis verò quid tantopere est quod tuis luminibus officere possit? nostróve priuatim commodo, an publicis populi vsibus ampla atque spatiosa sunt? an nobis, an populo seruit vasta illa fundi nostri area quam templo tribuimus? idem ferè de ædificiis est. Numera maiores exedras, Sodalitatum aulas, gymnasiorum areas atque scholas, numera amplâ in familiâ necessaria ægris hospitibusque conclauia, tum bibliothecam, triclinium, singulasque Coadiutorum officinas; vniuscuiusque habitationi quid relinques? angustum sanè obscurumque angulum, qualia in plerisque Collegiis cubicula nostra sunt. Et vt paulò ampliora sint, an tu iis qui totis diebus ad pulpitum in cubiculo studiis affixi desident, tantillum spatij inuidebis, vt ad vnum se

 possint

possint alterúmve passum commouere? Profectò si coràm ea lustrares oculis, exteriore te specie deceptum fatereris, fortè & illâ Henrici IV. voce: *Neminem cui Societatis res perspecta est, de eâ perperàm aut loqui aut sentire posse.* Animaduerteres quippe tum, domos nostras nullo firmiore, quàm ipsius paupertatis muro innixas esse & circumseptas: perspiceres in iis nihil modesto nitore esse pretiosius, cui studere religiosum pulchrumque ducimus: videres in iis suppetere multa ad inopiam, pauca ad necessarios vsus; ad delicias, ad luxum, omnino nihil. Hæc sunt nostrarum ædium penetralia, quarum exteriorem tantùm contemplata formam, magnifica, lauta, splendida fingis omnia, augesque in immensum.

Sed alterum insuper crimen quasi pro confesso exprobras; *Commodis corporis deliciisque indulgere Societatem.* Quibus tandem deliciis, aut vbi locorum? An in castris, vbi cum milite eadem illi sunt subeunda pericula, iidem labores? vbi sub dio excubat, pernoctat in vallo, sudore diffluit in campo, inter vulnera atque vlcera affusa iacet morientium corporibus? illícne commodis suis deliciisque indulget mollis ista & delicata Societas? An in nauibus fortassis, & classe Regiâ, vbi cum nauticâ turbâ iisdem iactatur ventis atque vndis, per transtra discurrit, eodem pædore ad fastidium nauseamque saginatur, eadem frigora & asperrimas hiemes tolerat, iisdem impetitur hostium telis, eadem subit naufragia? An inter barbaras gentes, vbi etiam ad necessitatem desunt omnia, nec corpori vestes, nec ad victum fruges suppetunt, nisi quas in aridissimo solo ipsa naturæ sterilitas velut nouercali manu subministrat? An inter Indos & Iapones, vbi præter assiduos labores cruces, tormenta, ignes illi assiduè parata sunt? Hæc si commoda tibi videntur, quænam igitur molesta? hæc si mollia, quæ dura, quæ grauia esse fatebere? An illos existimas qui ad arduas hasce missiones destinantur quasi ad triremes & transtra damnari, eiicique extra communis vitæ commoda; quî pares tot incommodis esse possunt semper inter Socios deliciis innutriti? aut quomodo tam auidè eas amplectuntur, qui vsque adeò commodorum suorum sunt amantes? Vbi ergo, vbi tandem Societas deliciis commodisque indulget? in domibus scilicet & Collegiis, vbi moderata vitæ ratio nihil magnopere oculis tuis obiicit asperitatis, non hispidas vestes, non ieiunia atque flagella. Hîc nimirum molles, hîc affluere deliciis Iesuitas putas. O egregiam speciem deliciarum! vbi totos dies improbus labor Magistros exercet in scholis, Concionatores in studiis, Coadiutores in opere diurno: vbi studiorum contentione atque assiduitate plerisque vires in medio ætatis flore atteruntur, & mors acceleratur ante diem, vt vel ex ipsâ liquet senum paucitate: vbi ceteri dies noctesque languentibus assident, morientibus præstò sunt, nihil pædore, nihil contagione morborum, nihil suo sæpè vitæ periculo deterriti. Porrò quid tantopere communi offenderis habitu, vt vel ex eo pronunties commodorum suorum amantes esse Iesuitas? non vides, dum vestem nostram maledico ore laceras, vniuerso te Clero esse iniuriosam? Imò quis è Clero, cui honesta viuendi conditio est, non etiam vtitur pretiosiore? Vide quàm non acerbè tecum agam; infer & pedem intrò si placet, & triclinij nostri delicias contemplare. Socraticas esse mensas

non indulget commoditatibus corporis & deliciis:

inue

inuenies, quæ fami subseruiant, non gulæ. vulgaris in iis victus, hominisque frugi. optimum earum condimentum à sacrâ petitur lectione; ipseque edendi modus solâ naturæ necessitate ac temperantiæ lege definitur. Quid si & aliam tibi scenam aperiam? &, quæ minimè exspectabas, aspera flagella, cruentas catenulas, setosas atque hispidas vestes, & contextas è durioribus setis loricas; ceteraque id genus macerandæ carni Religiosa supellectilia (quæ tu in domo nostrâ & sub isthac togâ latêre numquam credideras) tibi coràm exhibeam? adhuc tu mollem esse, adhuc delicatam Societatem criminaberis? Sed frustrà sum: non, si asperrimam profiteamur viuendi normam, morsus tuos, ô Calumnia, euademus. Nimis verum est hoc Seruatoris oraculum: *Venit Ioannes neque manducans neque bibens* (venêre tot alij Religiosissimi Ordines, & sanctæ austeritatis exemplo inclaruere) *& dicunt: Dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans & bibens* (venit IESV Societas Ducis sui exemplo communi habitu victuque contenta) *& dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini*; mollis, lauta, delicata Societas est. Matth. 11.

Veniamus ad extremum tandem criminationum tuarum caput, quo superbiæ arrogantiæque arguimur; tam liquidâ caussâ, quemadmodum tu tibi persuades, vt nullus excusationi relictus sit locus, neque spes sit in ore vulgi compescendi has voces: *Superba, ambitiosa, arrogans Societas est, præ se despiciens ceteros.* Fateor, aptissima ad inuidiam contumelia est. tumidos superbosque execramur omnes, naturâ duce: propterea quòd supra reliquos se efferre mortales, ceterosque dedignari videantur. Id vitium nobis ex vero si appingere potueris, optimo iure exosos, inuisos, execrabiles reddes, & publico odio longè dignissimos. Sed, obsecro te, cur *superba est atque ambitiosa Societas*? Estne alius Ordo (maneat sua omnibus salua veneratio atque integritas) qui sic honores dignitatesque excludit? vbinam singularis voti sponsione sic omnis præcisa est ambitio? quo in cœtu per tam humiles functiones ad demissionem animi exercentur, tantoque tempore de iis sumitur experimentum? quo alio in cœtu tanta Superiorum potestas atque auctoritas est exauctorandi eos qui sese efferunt? vbinam potentiùs frequentiusque rediguntur in ordinem, seruaturque amica pacis ista in omnibus æqualitas, excludens quidquid excellentiæ amor sibi proprium vellet ac singulare? An fortasse superbum tibi atque ambitiosum videtur docere Rudimenta, versari inter pueros, instruere rusticanos homines, solari pauperes, visere nosocomia, omnibus promiscuè pœnitentibus aures dare? illic experiri puerorum proteruiam, hîc adolescentum ingratitudinem, vbique æmulorum obloquia & inimicorum? Et hi tamen, postquam vanitati atque ambitioni sæcularis vitæ nuntium remiserunt, postquam detritâ se incluserunt lacernâ, postquam abdicauerunt quidquid dignitatis habebant, aut fauore, doctrinâ, industriâ, opibus comparare sibi poterant, postquam CHRISTI amore ad abiectissima se munia abiecerunt; adhuc superbi, adhuc ambitiosi, adhuc arrogantes audiunt, & qui præ se despiciant ceteros? At quos illos tandem? pauperésne? quos tam studiosè conquirit gratisque instruit Societas? an sacros in Ecclesiâ Ordines, an Clerum, an vtriusque Magistratus Præsides, quos omni vene-

nec superba nec arrogans est.

ratione cultuque prosequendos pueris ab infantiâ inculcat? quorum se obstrictam beneficiis amplissimis vbique terrarum, & fauore adiutam, libentissimè fatetur? Quinam igitur illi tandem, dic impudens Calumnia, quos contemnit? Hoc nimirum est: in odium atque inuidiam hominum Societatem adducere conata semper es isto superbiæ arrogantiæque prætextu. Sed vin' tibi ex me erumpat vera vox? quereris tu insolentiùs sese efferre Societatem; & tu eam extulisti: deprimere cogitabas; & erexisti: obscuram, imò inuisam reddere; & magnam, illustrem, omnibus expetendam fecisti. Aqua fontis à motu clarior esse solet, crocus attritu melior fragrantiorque, vua pressa vtilior, frutex putatus altior. Haud aliter I E S V Societas à maledictis tuis agitata, pressa, trita, scissa, & clarior cælo, & melior sibi, & vtilior bonis, & altior Ecclesiæ exsurrexit. Si viti à florentissimis ætatis nostræ hominibus comparata est, nónne cogitatione mox assequeris, eam, à maledicæ linguæ tuæ quasi falce putatam, vberiùs latiusque fuisse diffusam? Si palma ab aliis dicta est, nónne sentis eam sese tum maximè erexisse, cùm grauissimis conuitiorum tuorum ponderibus fuit onerata? Denique si eam cum adamante componere nonnemini visum fuit, à tuis vtique solidior futura est ictibus, nihilque vmquam sub iniquæ æmulationis tuæ incude posita remittet de suo instituto pristinoque more religiosè viuendi: frendeas licet, aliasque in Æoliâ tuâ semper mediteris procellas. Veniat hîc tibi in mentem atque ante oculos vas illud, quod ad Oceani littora fluitare solet, innumeris expositum ventorum iniuriis, atque ab vndis huc illuc agitatum. nostine tenacissimis id vinculis affigi scopulo aut vado? nauibusque esse signum, vt inter cæca vada tutissimum teneant rectissimumque cursum? Cui vasi hanc si addideris tabulam aut vocem, *Iacter, dummodò prosim*; Societatis animum illustri veroque emblemate expresseris. Iactari non reformidat, dummodò inter procellas fluctusque posita, rudioribus in hoc vitæ oceano classiariis omnes vitiorum scopulos declinandi modos viasque ostendat: modò veteranos, grauioribusque defunctos periculis lubricę ætatis, ab inexplebili voluptatum voragine auocet è pulpito, precibusque auertat: modò denique fluctuantes in primo cursu virtutum animas, ceu molientes è portu naues, in altum quàm fieri poterit felicissimè deducat, doctrinæ suæ signo, facto, exemplo. Iacter, inquit, & impetar, dummodò pristino meo more Christianæ rei Fideique valeam prodesse. Hæc inter tempestates ipsius vox est: hæc eius innocentiæ summa defensio.

illustratur calumniis,

pergitque prodesse populo.

Epilogus ad I E S V M.

Quare, vt eius voci hanc meam etiam conformem, ad te, I E S V sanctissime, auctor defensorque Societatis, hæc se conuertit oratio. non minùs tuâ interest (sit ita fas apud te paulò confidentiùs loqui) non minùs tuâ interest, quàm nostrâ, de contumeliâ triumphare. quæ nostris aliquando obiecta est conatibus mora, tuo honori quoties offecit? Faue igitur de cælo propitius, dissipa tandem & compone tempestatum minas, da facilem, da quietum tibi laborantibus cursum. Quòd si certantem semper spectare mauis hanc minimam Societatem tuam (cui tamquam exiguo Romanæ Petræ calculo aut melioris Dauidis lapidi nomen Iosue seu tuum inclusisti) longisque exerceri atque acui iniuriis; quò sese

acriore

acriore vi impetuque effundat in Goliathos nouos, & diuinæ tuæ gloriæ contemptores; non dubitabit, ſcio, eum animum ardoremque, quem patriæ ſuæ quiſque aut naturæ debet, honori tuo impendere. Erit nouus in Iaponiâ, aut alio in Imperio terror? obuiabit intrepida, & quod reliquum vitæ viriumque fecerit labor, id ferro reddet. Erit ſubeunda pro beneficiis iniuria, pro rectè factis infamia? feret, & quot in orbe terrarum regiones ſunt, totidem faciet patientis animi ſui monumenta. Alia ex aliâ inſurget inuidiæ tempeſtas? excipiet: ac tum demum præclarè ſecum agi credet, cùm odium omne quod in te conceperat iniquitas, in ſe profundi ſentiet: tum, inquam, æſtimabit ſe legitimam ſcriptamque nominis tui heredem, cùm videbit ærumnarum tuarum ceu diuitiarum partem magnam ad ſe peruenire. Horum Societas tua auida eſt bonorum, his opibus inhiat, ad eas adſpirat commoditates, hanc ambit gloriam, hanc prehenſat, hanc inter nobiliſſimas laudes ſuas nominaque ac titulos ponit. Speratque te duce atque auſpice fore, vt, quæ ipſam in iis ad hoc primum vſque ſæculum produxit virtus animique magnitudo, eadem ad vltimam vſque mundi ætatem glorioſè beateque proſequatur.



EXERCITATIO POETICA.

SOCIETATI IESV DE HÆRETICORVM ET CALVMNIATORVM ASSVLTIBVS EIVSDEM AVSPICIIS TRIVMPHANTI.



Valis minaci murmure fluctuum
Pulsata rupes insilientibus
Resistit vndis, seque firmâ
Mole tenet; furibunda quamuis
Circùm procellis æquora mugiunt,
Ingensque vasto tollitur æthere
Fragor, repercussisque latè
Fluctibus intumuere arenæ:
Qualisve nigræ frondis in Algido
Annosa quercus per vacuum aëra
Deprœliantes ridet Euros,
Non furiis Boreæ, nec acri
Cessura Cauro: talis inanium
Victrix minarum durat, & horridas
Secura despectat procellas
Freta suo soboles IESV.
Nam quid pereso pectore tabidus
Liuor, quid atro dente calumnia,
Furorque, feralisque scisso
Impietas truculenta crine,
Contra potentem Numinis Ægida
Possint ruentes? hinc stetit ardua
Per tela, per pericla virtus,
Per medias ruitura mortes:
Hinc lapsa nullo tempore veritas,
Fidesque sincera, & roseus pudor,
Letoque peius imminente
Flagitium metuens honestas:
Hinc illa puri conscia pectoris
Mens, ora nullo pallida crimine,
Se sola, se suo tuetur
Vincere nil dubitans IESV.
Non illam inani debilis impetu
Procella telorum horrida subruat:
Non quidquid incluso laborans
Ferrea glans meditatur igne:
Non, si reuulsis cardinibus poli
Rerum fatiscat fulmine machina,
Terrisque cæruloque ponto
Horribilem pereunte mundo

Datura

Datura stragem, dimoueat gradu
Flecti negantem. Monstra Acherontica
Educta de stagnis Gebennæ,
Colluuies graueolentis Orci,
Lemana pestis, vertite barbaros
Retrò furores, mergere patrio
Megæra Cocyto, cruentis
Condere Tisiphone cauernis;
Hinc pugnat æther. Quis mihi nubilum
Igni corusco diuidit aëra?
Hæc dextera, hic fauor benigni
Numinis; hoc potuit vocati
Fides IESV. *iam grauioribus*
Perstricta flammis insidiantium
Subsedit ira, iam furentes
Eumenidum cecidere vultus.
Horrente iam Styx intremuit vado,
Et mœsta clades enumerat suas:
Iam rector vmbrarum reuelli
Triste fremens sua signa vidit.
Io virenti tempora milites
Ornate serto, pergite Cantabri
Fortis propago, bellicosi
Martia progenies Parentis,
Ferroque & igni non penetrabilis:
Consentientis militiæ phalanx,
Vtroque victrix orbe festas
Sparge cohors generosa palmas.
Quid hoc? minaci murmure cornuum
Pulsantur aures. Bella iterum noua?
Quis Marte non segni, Sodales,
Quà tumidum glomeratur agmen,
Opponit hosti pectus, & inclyto
Emit paratam vulnere gloriam?
Quis pulchra per pericla mecum
Non humiles volat ad triumphos?
At ô tuorum Dux bone militum,
Ærata seu tu TVRRIS *in æthera*
Exsurgere inuicto laboras
Contra acies gladiosque vallo;
Densata seu tu diceris agmina
Perrumpere acri EXERCITVS *impetu;*
Seu mille pugnantum cateruis
Aptus amas CLYPEVS *vocari;*
Quocumque gaudes nomine, militem
Ne præliantem desere: sic tuis
Quæ victus abdicarit hostis,
Arma tholis pretiosa figat.

Societas totis centum annis præliis exercita.



Iam se formosius ipso est.

Sit quicumque volet pulchris formosus in armis,
Protegat imbelles aureus vmbo manus;
Non ego quæ radient gemmis, solemque lacessant,
Nec, frangi dominus quæ timet, arma volo.
Illa decent multus tinxit quæ sordida puluis,
Quæque rubent hostis sanguine tincta sui.
Scilicet auratis frustrà vexilla Chimæris
Et latè patriis promicuere notis;
Si non per densas acies, aduersaque tela,
Sæpiùs hostili fixa stetere solo.
Pulchriùs illa micant, quæ bello exercita pubes
Rettulit ad patrios dilacerata lares.
Tum demum dominique animos pugnasque loquuntur,
Inuictamque probant, quæ tulit illa, manum.
Sic age Loiolæ soboles: i, differ IESV
Signa tui, gemino quà ruit axe dies.
Illa quidem primi reuolutis solibus æui
Suspendis Domino sanguinolenta tuo:
Est tamen, est vltra quò tendas; altera surgunt
Bella, sed & bellis altera palma tuis.
I felix: multus quamuis hæc impetat hostis,
Vulneribus fient signa decora suis.
Quamquam ô! vesano quis te malus impetat ausu?
Non tua, sed magni sunt ea signa Dei.

Socie-

Societas frustrà oppugnatur ab inuidis.



Solem nulla sagitta ferit.

STulte, quid in cælum non peruenientia mittis
Tela? quid insano prælia Marte geris?
Lædere ne solem possis, locus ipse tuetur;
Immensâ nostro distat ab orbe viâ.
Caucasus excelso licet imponatur Olympo,
Et super hos vastus Pelion Ossa premat:
Non secùs ac imâ positus si valle maneres,
In stolidum recident spicula missa caput.
Tangere fac possis, radiorum luce coruscâ
Hostem ne videas impediere tuum.
Fallere, si solem spectare hæc carmina credis:
Stultitiam damnant, liuida turba, tuam.
Liuor iners claris Heroum detrahit ausis,
Et iaculo solem non feriente petit.
Si coëant, quotquot tam dira insania versat,
Non legio in terris grandior vlla foret.
Sed tamen inuictæ IESV *sub nomine turmæ*
Hoc genus ante alios vimque manusque parat.
Quisquis es, insanis frustrà conatibus vti
Desine: nam Solem nulla sagitta ferit.
Despicit ex altâ vesanos arce furores;
Et ferit auctores missa sagitta suos.

Societas frustrà calumniis infamatur.



Sibi conscia recti.

Falleris, hîc curui nihil est; rectissima fabri
Regula, quâ celsas ducit ad astra domos.
Quid dubitas? mendax oculos tibi fascinat vnda:
Nulla fides: vanis ludit imaginibus.
Eripiatur aquis, quæ nunc sibi conscia recti *est,*
Iudicio talis mox erit illa tuo.
Eripis, & mendacis aquæ ludibria rides?
Scilicet errorem denotat illa tuum.
Nil sinit intactum liuor: virtutis alumnis
Ardua, si nescis, per maledicta via est.
Hac quoque, Iustorum quos possis dicere normam,
Apparent ficti criminis esse rei:
Scilicet vt sub aquâ pro rectis curua videntur,
Nec capit occultos credula turba dolos.
Nomine qui IESV *gaudet rectissimus Ordo,*
Recta docet, rectis congrua & ipse facit:
Credula sed tamen hunc curuum mendacia fingunt,
Et superinfusis ficta tuentur aquis.
Sed frustrà, quandoque dies non cognita prodet,
Et quæ nunc recti conscia, testis erit.

Inuidi:

Inuidia, Societati obtrectans, sibi damnum accersit.



—— Inania duro
Vulnera dat ferro, figitque in acumine dentes.

HVc obliqua oculos, quem Loiolæa videre
Recta, sed haud recto lumine facta, iuuat.
Ecce, sub hac pugnas serpentis imagine, liuor;
Proque Ignatiadis vincit Agenorides;
Tergeminas serpens vibrat in certamina linguas:
Quâ noceas, triplex vix tibi lingua sat est:
Ipse tumes odio plus, quàm tumet ille veneno,
Inque tuis maior dentibus ira fremit.
Exuuiæ Cadmum, stirpem Loiolida IESV
Nominis & magni Numinis vmbra tegit.
Telum illi iaculum primum fuit, hasta secundum,
Præstantisque animi, cetera tela, vigor:
Huic iaculum Doctrina sua est, & fortior hastâ
Virtus, suntque Animi, cetera tela, sui.
Quanta dedit iaculum squamoso vulnera tergo?
Loiolæa tibi quanta Minerua dedit?
Anguis ibi duro dat inania vulnera ferro:
Nil profecturo tu quoque dente furis.
Rupit Agenorides linguam, fixitque trisulcam,
Cumque venenatis ilia dira fibris:
Ne tibi Loiolæ soboles virtusque, malignum
Obruat os, pectus transadigatque, caue.

Socie-

Societas abundans gaudio in afflictione suâ.



Multo fit plausus ab ictu.

IGNATIVS, XAVERIVS. *anagram.* GAVISI SVNT VEXARI.

Cymbala pro pulsu plausum clauata refundunt:
Verbera si cesses ingeminare, silent.
Ars ibi naturam, sed virtus vincit vtramque,
Sub multo quoties verbere dulce sonat.
Hoc IGNATIVS, *hoc* XAVERIVS, *hoc simul ambo*
Nomine cum factis conueniente notant:
GAVISI SVNT VEXARI; *lætique paternos*
Ad mores Socij composuere suos.
Nempe solent fortes forti de stirpe creari,
Imbelles aquilis non generantur aues.
Euge Iapon, gelidâ distentum percute corpus,
Vt subitò ruptis bulliat illa labris:
Si lentum hoc, age districtâ mete colla securi,
Innexúmve trabi cuspide fige latus.
Quò rapior? strictis vicina stat hæresis armis:
Nî ferit his, rabido, quo valet, ore ferit:
Aude, & vtrisque feri, feriendo cymbala pulsas:
Subsilit ad pulsus orbis vterque tuos.
Nempe nihil tali valet esse suauius ictu,
Quo neque, plus cunctis qui dolet, ille dolet.

Socie-

Societati optandæ res aduersæ.



Præstant aduersa secundis.

PAruulus aduersas puerilem fortè per auras
Sublimi rhombum iusserat ire polo;
Iamque super turres hospes miratus euntem,
Quà densat pluuias humidus Auster aquas;
Res noua, clamabat: ventis obnixa papyrus
Fertur, quò volucres vix sua penna ferat.
Demens, qui tantùm facili in sublime volatu
Crediderit cæli posse patere viam.
Aduersis patet illa Notis: superare ferendo
Qui metuit, putri fixus adhæret humo.
Fors & erit qui te, magni gens inclyta IESV,
Inuictum stupeat tollere in astra caput;
Te stupeat, sortisque vices humanaque supra
Maiorem ex ipsis altiùs ire malis.
Scilicet audendum contrà est: hac pulchriùs ibis,
Claudit vbi medium densior hostis iter.
Quisquis in excelsum felici niteris aurâ,
Siste, dabis patriis flebile nomen aquis.
Nonne vides, distenta Euris vt vela secundis
Sæpè ferant celeres in vada cæca rates?
Surge animis generosa phalanx, frustraque fremente
Inuidiâ, hostilis quà premit aura, vola.
Emicat aduersis virtus, gaudensque negatâ
Ire viâ, ignauam sub pede spernit humum.

Societas aduersis oppressa virtutem exserit.



Pressus dulce sonat.

Forte sub vmbrosâ recubabat fronde Menalcas,
Mollis vbi facilem strauerat herba torum:
Carpite, dicebat, teneræ, mea cura, capellæ,
Seruatum vobis carpite gramen oues.
Intereà validis stringens complexibus vtrem,
Nescio quid citharâ dulcius ille canit.
Ille canit; pulsæ referebant omnia valles,
Immemor optati graminis ibat ouis.
Ipsa Pales agros, montes linquebat Oreas;
Atque omnes, siluis quis Deus ille, rogant.
Pan etiam attonitus calamos damnabat inertes,
Et propè iam poterat displicuisse sibi.
Nec mirum; tenuem Panis superabat auenam
Carmine, qui pressus dulce sonabat vter.
Artis vter miræ, quem quò manus arctiùs angit,
Hoc magis arguto dulciùs ore canit.
Vos quoque, diuinâ plenum queis pectus ab aurâ
Intumuit, magno turba sacrata Deo,
Dum circùm hostili fremuit manus inuida nisu,
Et premitur, qui vos spiritus intus agit;
Protinus ecce animæ vim fortiùs exserit altæ,
Blandiùs & presso concinit ore melos,
Quod rapiat, simul astra, & vterque quod audiat axis,
Quod queat attonitum detinuisse Deum.
Fallor? an ipse etiam, malè qui priùs oderat, hostis
Ducitur innocui captus amore soni?

Societas IESV persecutionibus formatur.



Τυποῖ τε πιέζων. Fingitque premendo. *Virg.6. Aeneid.*

Στίλβει θ' ὁ χρυσὸς, κἀκ πυρὸς ἐπέρχεται ἀρείων·
 Νέος θ' ἑαυτοῦ ἐκ φλογῶν ἀνιστᾷ
Ἐς λώϊον Φοῖνιξ καὶ κάλλιον. Ἅλιός τε, δηθὰ
 Λαθὼν ὑπ' αἰθίνοις νέφοις, αἴσει
Ἅδιον. Ὠκύτερον συνεπίασε τὴν Λὶψ βίαιος;
 Εὐαμέρῳ ἵππων ῥόῳ ἀπ' οὐρᾶς,
Τὰν ὀχέ', ἀλλ' ἐλάτῃσι κοπεῖσα θάλαττα, θῆ τ' ἐν ὅρμοις
 Πιέσδε παγὰς, αἴπιον σταθέντα
Ὕδατα φλύσδουσιν. Θλῖψον πόσιν, ἄκρατον ῥεῖ ἁδὺ
 Βότρυς. Φρύγοντος οὐ γὰρ ἁλίοιο
Ἁ Δήμητρα παθοῦσα τὰ καύματα, ἐκφέρει κρὰς αἴας·
 Στεφθὲν στάχυσιν κάλλιον; Κ' ἄροτρα
Ἀνίῳ ἔντ' ἀφυὴς, ὄφρα συχνάκις αὔλακα τετροφήκης,
 Τρυφαί τε δώσει σῖτος, ἀλλὰ λαΐ
Πρόσθε ῥαγείς. Μήτ' αἴρουσιν πλέον ἄλλοκ' οὐρανόνδε
 Φοίνικες αἶπος, ἢ ὅταν πιάσδει
Τὰν κορυφὰν μέγα προσκύπτον βάρος. Ἄμπελός θ' ὑφ' ἅρπας
 Ὑπαί τε πλαγᾶν, εὔτοκος ποιεῖται
Ἁ καρύα. Χ' ὑφ' ὅπλων διὰ τραύματ' ἐνάρεις καὶ αἷμα
 Ἐλλαμπρυνῶνται. Θλῖβε δήπου, εἰκὼν
Οὕτως ὡραία προστυπώσεται. Αἶθε, σφάττε, δεσμοῖς,
 Ὦ ζημιῶτα, κιγκλίσιν τ' ἸΗΣΟΥ
Σβέβλαισιν θ' ἑταῖρον πολλαῖς θλῖβε. Θλίψεσιν τυποῦται.
 Κ' ἐν τῷ κτανεῦαι θλίψεσιν τυποῦται.

Societas aduersis purgatur & illustratur.



Erit ex hoc purior.

PEllio sæpè ferit sublato mollia fuste
Vellera; dumque ferit, candidiora facit.
Discite, qui magni Socios violatis IESV,
Non alia insani palma laboris erit.
Esse licet reliquis, nullo turbante, quietis;
Nullo, quæ faciunt, indice tecta latent;
Loiolidûm vix ipsa etiam benefacta probantur:
Hîc quoque quod possit carpere, liuor habet.
Si rea sic agitur virtus; quam (si qua notentur)
Crimina censuram iudiciumque ferent?
Hæc tolerasse parum est: truculentior hæresis instat,
Diraque maiori bella furore mouet.
Et ne extrema vacet nostro discrimine tellus,
Ense ferox in nos sæuit & igne Iapon.
Vt Socios pergant contundere verbere crebro,
Hactenus infestæ quid potuere manus?
Integra nunc vanis fluxit conatibus ætas,
Inuide quæ facti præmia liuor habes?
Ista cohors crebro de verbere purior exit,
Et splendore replet solis vtramque domum.

Societas cùm deprimitur, extollitur.



Vis eadem attollit quæ deprimit.

V*Ix benè naſcentis mundi concreuerat orbis,*
Conſtiterant certis vix benè cuncta locis;
Ecce graui ſcelerum ſub mole Aſtræa iacebat,
Nec iam preſſa pedem quò Dea ferret, erat:
Pellimur ingrato, dicebat, pellimur orbe;
At mihi terra locum quem negat, aſtra dabunt:
Cuncta licet claudant, cælum patet: ibimus illuc.
Dixerat, & patrio virgo recepta polo eſt.
Hinc quoque deſertas nunc reſpicit aurea terras,
Emicat & librâ pulchrior inde ſuâ.
O benè! vis imo propè quam depreſſerat Orco,
Altiùs æthercam fecit inire domum.
Fallimur? an rurſum conſurgit ahenea proles,
Ableget toto quæ procul orbe Themim?
Quæ vos (quos recti normam, quos nomen IESV
Lege pari magnus iuſſit habere Deus)
Quæ vos, corruptæ penſantes crimina terræ,
Hoſtili tentet mergere in ima manu?
Fruſtrà: ſuppreſſam tollunt ſua pondera libram,
Alterutrâ ſemper ſidera lance petit.
Vis eadem attollit quæ deprimit: *ima ſubire*
Qui facit hinc, cælo celſiùs inde leuat.
Perge age, iuſtitiæ quiſquis cupis hoſtis haberi,
Hanc etiam totâ, ſi potes, abde Styge;
Altiùs illa tamen victrix aſſurget, & vnà
Arguet iniuſtam, quæ premit, eſſe manum.

Societas rebus aduersis crescit.



Surgit surgentibus vndis.

LVx fatalis adest: pontus conspirat & æther,
Terra superfusis mergitur omnis aquis:
Cum miseris totæ sorbentur ciuibus vrbes:
Cetera quâ pereunt, Arca leuatur aquâ.
Altiùs insurgit furiis maioribus æquor,
Altiùs à patrio fertur & illa solo.
Vnda tegit turres: sublimior illa videtur
Turribus, & montes gurgite vecta premit.
Pergite vos tumidæ cælis æquare procellæ,
Illa comes vestris fluctibus astra petet.
Sæcula nunc aliam viderunt nostra carinam,
Quam nullus rerum vertere turbo potest.
Quæ non Loiolidûm tellus discrimina nouit?
Queis non acta ratis fluctibus illa fuit?
Lingua, malum terris quâ non præsentius vllum,
Visque trahens diras in scelus omne manus,
Vmbraque virtutis liuor; tum lurida si quod
Tartara discrimen perniciémve tegunt;
Hanc vno simul inuadunt conamine turmam:
Omnis in hanc frustrà vis nocitura ruit.
Nil agitis tantis immanes fluctibus vndæ:
Altiùs euectam fertis ad astra ratem.

Perſecutio Societatem ornat.



Multo vulnere pulchrior.

QVamuis ſuperbo muricis ebria
Cruore veſtis purpureos bibat
Conchæ colores, ambituque
Non humili decoret tyrannos;
Tamen frequenti ſaucia cuſpide
Multo renidet vulnere pulchrior;
In lucra puncturas receptans
Artificis, pretiumque formæ.
Durate fortes. pulchrior emicat
Quæſita magno gloria vulnere; &
Per damna, per cædes, in auras
Proſilit impatiens latêre.
Vos ô! tyranni ſanguineum genus,
Sueti innocentum ludere funere, aut
Calumniandi quos libido
Concitat in Socios IESV;
Siue enſe vultis, cuſpide ſeu placet
Linguæ cruorem fundere, pergite:
Fruſtrà laceſſiti decoris
Pulchra fidem faciet cicatrix.

Perſecutionis meritum.




Dant pretium plagæ.

QVid ſæua fruſtrà detonat in ſacros
IESV Sodales opprobriis grauis
Procella? quid cruces, quid enſes
Innocuis iugulis minantur?
Stat celſa virtus, & rutilum caput
Calumniarum nubibus exſerit,
Nec ſumit aut ponit nitorem
Arbitrio variantis auræ.
Spes certa lucri eſt, quam patientia
Parit ferendo. Si pretium ſui
Æquat metallum, cui pepercit
Dextra graui metuenda ferro;
Poteſt mereri, qui ſine verbere
Tranſegit æuum. Scilicet ictibus
Incudis accedit metallo
Effigies pretioſa Regum.
O! quem decoro vulnere perfidus
Cruentat enſis, quem laniant flagra,
Quem luridæ premunt cataſtæ,
Macte animis: magis enitebit
Imago CHRISTI, *quem ſequeris ducem,*
Expreſſa plagis: nobilior tibi
Per vulnera & cædes ab ipſo
Creſcet honor pretiumque ferro.

Socie-


Societatem carceres & vincula cohoneſtant.



Dant vincla decorem.

TVrpe catenati, ſi certa eſt culpa, nocentes;
Vincula dedecorant, quæ meruere, manus.
Infamis tetro procedit carcere, cuius
Antè fuit fœdo crimine læſus honor.
Quàm benè felici ſtringuntur brachia neruo,
Libera quæ ſummi Iudicis vrna probat?
Vincula virtutem, virtutem carcer honorat;
Scilicet inde noui lucra decoris habet.
Vt flos, cui grati ſimilis conſenſus odoris
Caryophyllorum nomen habere dedit:
Ille, licet nitidâ variat tot fronde colores,
Primus honor Floræ deliciumque ſuæ;
Et formâ tantum flores ſupereminet omnes,
Quantum vel Paphias vincit odore roſas;
Si tamen obſeptum vinclis & crate coërces,
Neſcio quid paruo à carcere maius habet.
Tu quoque progenies Loiolâ digna parente,
Clarior à vinclis compedibusque redis.
Emicat in flammas ſpecubus calor abditus atris:
Pulchriùs obſcurâ ſidera nocte micant.
Te quoque condecorant habitata nocentibus antra;
Nec minus his virtus clauſa nitoris habet.

Plurimi è Societate Martyres, ad amplificandum CHRISTI Regnum, ſanguinem fuderunt.



Tot Zopyri.

ABſciſſas aures, truncatáque naribus ora,
Labráque diſſectis ſanguinolenta genis,
Quæque (ſibi Zopyri pietas niſi ſæua fuiſſet)
Vulnera ſint hoſti, Mede, pudenda tuo;
Aſſyriosque ſimul victos hac arte legebat,
Philippus II. Rex Hiſpaniæ. *Heſperiam viuo qui patre rexit, Iber:*
Dumque legit, Medo ſtupet iſta ſtupente tyranno,
Dario Rege Medorum. *Affectusque animo, quos gerit ille, capit:*
Cum laudante fidem, laudat quoque; cumque dolente,
Deformata ſui militis ora dolet.
O mihi tot Zopyros Superi date, vouerat ille,
Quot ſub puniceo cortice grana rubent!
O mihi tot Zopyros Superi date, vouit Iberus,
Quot ſub puniceo cortice grana rubent!
Irrita vota. Fides Zopyri vix vnica Regum
Caſtra ſubit; replet hæc Punica multa Fides:
Punica, quâ non Rex, ſed res & Regna coluntur;
Quæque ſtat Imperio ſtante, cadente cadit.
At tua ſunt, IESV, *Zopyris tot, totque profuſo*
Sanguine conſpicuis caſtra referta viris.
Quin etiam plures primum hoc tibi protulit æuum,
Quàm rubeos acinos punica mala ferunt.

Iapo

Iaponum in igne alacritas.



Se pandit amori.

Pinea vicino nux dilatatur ab igne,
Et virides aperit tacta calore sinus.
Velle putes medio sub cortice condere flammas
Queis pereat, damni nec meminisse sui.
Hæc mihi desistunt ex illo mira videri
Tempore, quo Iaponum creuit in igne Fides.
Quæ (Superi!) parit hæc hominum miracula tellus?
Corpora non orbis talia noster habet.
Corpora conueniunt: animus præstantior illis:
Hic medio inuictum corpus in igne facit.
Illustres animæ, vestras super Indica palmas
Æquora iam dudum nuntia fama tulit.
Iaponicis Europa stupet plauditque triumphis:
Iaponicos celebrat Gallus Iberque rogos.
Ecquis ab ignoto venturos crederet orbe,
Quos cuperet Diuis addere Roma suis?
Barbarus augustâ fulget sublimis in arâ,
Munera cui populi castaque vota ferunt.
Roma, nouos Iapones cælestibus adde triumphis:
Quod colat, Europæ barbara terra dabit.

Martyrum pretiosa mors.




Non poterat fato nobiliore mori.

FElices animæ, merito gens addita cælo,
Morte obitâ partis facta beata bonis!
Sidera nunc, Numenque suis formosius astris
Adspiciunt, pro quo non timuere mori.
Mors licet inuideat, viuent post funera; finem
Dissimilis primæ vita secunda negat.
Non hanc, quæ primam rapuit, Regum auferet ira,
Non gladio aut sæuo barbarus igne furor.
Nonne fuit tanti, parituros tanta dolores
Gaudia, & optandam sustinuisse necem?
Quàm benè, quæ fuerat naturæ debita legi,
Proque Deo vita est reddita, cumque Deo!
Grande quidem pretium est, quo constant sidera, sanguis;
Sed pretio merx est dignior illa suo.
Credo ego, si rursum benè perdita vita daretur,
Non aliâ vitam ponere morte velint.
Vnica sic ales, sibi post sua fata superstes,
Muneris hoc instar, quòd moriatur, habet.
Nempe vbi felici posuit cum morte senectam,
A leto melior, quàm fuit antè, redit.

IMA

IMAGO PRIMI SÆCVLI SOCIETATIS IESV.



LIBER QVINTVS.

SOCIETAS HONORATA, SIVE DE GLORIA QVAM SOCIETATI TOT MALIS EXERCITÆ DIVI HOMINESQVE CONTVLERVNT.

CAPVT PRIMVM.

Gloria Societati parta per illustrem sanctitatem Ignatij Loiolæ & reliquorum in Italiâ Sociorum.



Optima quæque aduersis illustrantur.

MALIS affici & non infici, premi aduersis nec opprimi, virtutis est: si qua verò ab adspersâ fuligine elucescat etiam magis, magis augeatur à damno, magis emicet à tormento; singularem eam esse necesse est. Res iners, & mundi deterioris quidam velut abortus est, quæ minimo obsolescit attactu; poliuntur & lucent attritu valido ea corpora quæ solido constant. Leui aurâ diffluit flos vernus: afflatu vnico inanis spuma dissoluitur: præceps æstatis immaturæ fructus, si vel manu blandè tetigeris, vitium facit: detrita validiùs ac rasa marmora & metalla splendescunt. Fatuus ignis, inanis est ille fulgor, quem ros nocturnus exstinguit, aut nebula matutina corrumpit: alienis numquam sordibus obsolescunt, quin lucent ipsa per se magis, quæ lumen & calorem hausere de cælo. Obiectis vaporibus non minuuntur sidera, sed augentur; nec vmquam sol aut ardet vehementiùs, aut fortiùs albescit & vibrat, quàm cùm aduersas sibi nubes pluuiasque decoxit. Neque quod adhuc dico, locum inuenit in iis tantummodò rebus quas aspectabiles

 oculis,

Ecclesia etiam CHRISTI. Hilar. lib. 7. de Trinit.

oculis, sed multò etiam magis in illis quas animis nostris perspicuas natura proposuit. *Hoc*, inquit magnus Hilarius, magnis & ipse laboribus periculisque perfunctus, *Ecclesiæ proprium est, vt tum vincat cùm læditur, tum intelligatur cùm arguitur, tum obtineat cùm deseritur.* Habet sanè, habeatque, sibi proprium CHRISTI Ecclesia cælo nata, inter aduersa succrescere, & inde comparare gloriam sibi, vnde damnum & ignominiam reliqua sortiuntur; modò ne alienum statuatur etiam illud à minimâ Societate IESV, ex simili origine in finem quoque similem deriuatâ. Sua profectò Ecclesiæ stat sanguine palma. sed & sua Societati, quæcumque est gloria, non fuit hactenus incruenta: nam tot ab annis adhuc centum laboribus periculisque tentata est, vt ad firmandam eius indolem, & inserendam hominum animis existimationem, non magis agendo contendisse virtus, quàm patiendo constantia videantur. Hic videlicet ille in superandis arduis labor est, hæc illa in subeundis aduersis constantia, à quibus, velut in circinum vnà collectis, Societas nostra suum hactenus semicirculum, vnius indicem sæculi, rectè descripsit. & porrò futurum speratur, vt earumdem virtutum tenore perpetuo circulum ipsum & orbem aliquando suum impleat, ad sanctissimi IESV nominis gloriam commendationemque sempiternam. Licet ergo, nisi ipse me fallo, licet illud Regij Prophetæ de Sione, hoc est CHRISTI Ecclesiâ, pronuntiatum minimæ IESV Societati nec arroganter adscribere: *Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei*; quando contra aduersa immobilem *ipse fundauit eam Altissimus*, & ab inuictâ malorum tolerantiâ *lætantium omnium habitatio est in te.* Interim quæ quamque gloriosa de Societate nostrâ dicta sint, vtque illis ipsis ex vero dictis facta responderint, non est animus mihi simul omnia, nedum singula percensere: nec enim illa vel adeò pauca sunt, vt comprehendi possint volumine breui; vel tam obscura, vt passim ab omnibus non sciantur, quæ & gesta sunt luce palam, & felici plurimorum stylo condita, & maximorum virorum ipsiusque adeò Dei in terrâ interpretis oraculo contestata. Id verò agam, quod solent ij qui motus adspectusque cælorum, cursus siderum & recursus, tot illa ac tanta naturæ ornamenta, quæ non nisi ex interuallo obijciuntur oculis hominum, negotio facili vnà depingunt; in exiguo quasi globo, vel plano potiùs, velut punctim & per lineas, licet obscuras & ignobiles, illa quæ ad aliorum vtilitatem à Societate, & ab aliis ad Societatis commendationem gesta sunt, maxima ad omnium admirationem, & ad gloriam, Dei præsertim vnius, splendidissima annotabo. Ita fiet, vt nec ipsa legentem terreat magnitudo libri, & nihilominùs hoc sæculari anno contulisse videar aliquid ad commendationem augustissimi nominis IESV: à cuius vnius gloriâ, velut luce primâ, emanauit acceptæ dignitatis omne lumen, quod fuit hactenus in Societatem & in eius Socios, velut minora quædam sidera, deriuatum. Et dabitis, scio, vos mihi hanc veniam, non gloriandi quidem, quod superbum; sed Societatem ac Socios modestè laudandi, quod religiosum est; quando hoc à me debitum virtuti munus, nec sine exemplo suscipitur, nec sine ratione geritur, nec sine sanctissimorum virorum sententiâ retinetur. Notum est, quod in hanc rem contra impugnantes

Societas IESV *à persecutionibus honorata.*

Psalm. 86.

pugnantes Religionem Doctor Angelicus ſolidiſſimè diſputauit; audi-tum, quod Nazianzenus ille Gregorius Græcâ ſuâ, quâ pollebat, facul-tate dicendi pro ſorore ſuâ Gorgoniâ, quam deprædicandam ſuſcepe-rat, ipſo ſtatim orationis exordio liberrimè declamauit: negans videri debere alicui ſuſpectum encomium, quia domeſticum; ſed laudabile, quia verum; aut habendam eſſe maiorem rationem improborum, qui nos ad gratiam loqui criminantur, quàm proborum, qui meritas virtuti laudes exſpectant. Hoc ergo tam iuſtæ pietatis officium, quod ſoro-ri frater impendit, aliquíſne, qui æquus ſit, matri à filiis mirabitur exhiberi?

S. Thom. Opuſculo 18. c.13.18.&c.

Orat. 11. funebri de ſorore Gorgoniâ.

Si quæ porrò earum rerum quæ iam antè inſinuatæ ſunt, vel etiam expenſæ penitiùs, produci hîc à me denuò videbuntur, id etiam neque mirum (vti ſpero) neque ingratum accidet iis & qui intelligent, & qui amabunt: intelligent, inquam, librum huncce quintum, quem ag-gredior, quamdam eſſe aliquorum adhuc dictorum ἀνακεφαλαίωσιν, ad col-ligendum ſcilicet ex illis modeſtum aliquod Societati, imò meritum IESV noſtro nomen, obiter inſtitutam; amabunt verò nullo non loco offerri ſibi quæ admirentur, quæque imitentur rectè factorum operum teſtatiſſima monumenta.

Primus ergo inter homines, vt iam antè memoratum, Societatis IESV auctor & conditor Ignatius fuit. Is cùm naturæ indolem ab Loioleâ ſtirpe, iam olim apud Cantabros illuſtri, virtutem verò raram animi traxiſſet è cælo; nihil ſcilicet vmquam, ſiue cùm mundo ſiue cùm Deo meruit, humile, nedum vile cogitauit: mens illi & conatus omnis ad ardua ſemper erectus; hinc quæ terrori ceteris, Ignatio erant in votis. Adeò vt, qui virum nouerit, mirari non debeat, illum operum maximorum gloriâ habitum fuiſſe ſemper & charum Deo, & homi-nibus admirandum. E paternâ domo vixdum puer in Regiam Ferdi-nandi Catholici, inde in militiam auidè tranſgreſſus, nutantem iam, propugnatoribus obſidentium Gallorum mole territis, Pompeiopo-lim vſque eò ſolus ipſe continuit in Fide; donec à maiori machinâ tibiarum vnâ grauiter ſauciâ, alterâ planè confractâ, deiicitur in terram: tunc demum, vel abnuente etiam tum Ignatio, vrbs hoſti tradita eſt, quaſi non fuiſſet niſi ab vno antè ſeruata. Veneratione digna vel ad-uerſariis ipſis viſa eſt viri virtus atque conſtantia. Igitur, poſteaquam fomentis quæ erant in promptu erexere iacentem, ipſis hoſtium hume-ris in lecticâ deportatum, ſuis eum & patriæ reddiderunt. Triumphan-tis illa profectò, non proſtrati, ſpecies fuit, argumentumque certum & velut omen aliquod, quanta olim gloria maneret Ignatium, abie-ctum quidem opinione ſui, ſed ſupra mortalia eleuatum, & Supe-rûm exiſtimatione & omnium veneratione populorum. Enimuerò iam inde ab hoc belli caſu quo deinceps in pretio ille fuerit, non dico hominibus, iiſque etiam hoſtibus, ſed Diuis, ipſique adeò Deo; facilè æſtimabit is qui intelligit, quàm ſæpè, quàm familiariter, quàm amicè egerint cum Ignatio Superi: ita vt vel ille ſanctiſſimis cogitationibus extra ſe raperetur in cælum, vel hi, illecti ſcilicet conſuetudine tam bo-nâ, eidem ſe in terrâ adſpectabiles exhiberent. *Loquebatur Dominus ad Moyſen*

S. Ignatij magnanimitas,

etiam ab hoſtibus æſtimata:

eius cum Deo & Cælitibus familiaritas:

Exod. 33.

Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum. sed & ita sæpè cum Ignatio loquebatur. Iacebat in paternâ domo ex suprà iam accepto vulnere propè depositus; adfuit illicò, & quidem vigilanti, quasi præmissus à Domino mox adfuturo, Apostolus Petrus: certumque argumentum præsentis Medici, reddita extemplò sanitas fuit. Hinc ad sectanda in posterum cælestia cùm raperetur ardentiùs, & tamen sisteretur hic impetus ruinæ metu, qui ex vitæ liberioris admissâ priùs consuetudine nascebatur; ipsa se Virgo Mater conspicuam obtulit oranti, suumque, quem habebat in complexu paruulum, pignus exhibuit certissimæ victoriæ, ex voto etiam sine pugnâ secuturæ. Vicit enimuerò Ignatius; & hostem, quem maximè metuebat insidiantem sibi ex corruptâ carne, ita domuit, vt rebellem illum vel primo etiam motu deinde non senserit.

à S. Petro sanatur:

recreatur à B. Virgine & puero IESV:

Iam diebus illis quibus in Minoressano secessu, imò specu, tirocinium posuit Religiosæ militiæ, factus ex duce gregarius (*vt eorum aliquando dux foret qui portarent sanctissimum nomen coram Gentibus & populis, & rebelles hæreticos ad vnitatem Fidei reuocarent, Deique in terris Vicarij auctoritatem defenderent*) *satis compertum est, ei plus tricies aut* CHRISTVM *aut Matrem eius Virginem inter precandum apparuisse.* Hanc, cùm Exercitia, quæ vocauit spiritualia, meditaretur, testem habuit operis tam præclari. Hæc Societatis instituta scribenti docentis ac dictantis habitu adesse visa est, velut manum vltimam impositura fabricæ illi, in quâ se ipsa venerandam cultu præcipuo non ignoraret. Quid, quòd velut alteri Moysi, vel Apostolo cuipiam, sic Ignatio roganti leges Ordini suo, radiare, quin & ardere visum caput, in quod sanctus Dei Spiritus adspectabilis flammæ specie descendisset?

Franc. Maria Cardin. à Monte in relatione coram Gregorio XV.
à CHRISTO *& B. Virgine visitatur:*

Humanam CHRISTI naturam in hostiâ incruentâ, quin & ipsum Trinitatis arcanum, quoad, imò supra quàm homini, vulgò licet, ipse mortalis agnouit exhibitione tam certâ, vt raro priuilegio ac velut singulari, visam illi tum, ac sæpè aliàs, ipsam diuinitatis, vt Theologi loquuntur, essentiam non improbabiliter asserant doctissimi viri; moti, opinor, ipsiusmet Ignatij, cetera quàm demississimè sentientis de se, testimonio disertè conscripto, *visum à se non semel ipsum diuinum esse, ipsamque diuinam essentiam.*

mirè illustratur:

Glor. S. Ign. c.4. fol.30.

A sociis itineris destitutus, iacebat ipse solus & languens in ignotis vastisque prope Padum campis: at non socium suum Ignatium IESVS ipse deseruit; adfuit, non per Angelum, vt olim abiecto Eliæ, sed ipse per se conspicuus luce plenâ, & vultu illo spectabilis, quo & iacentem erexit, & euntem Patauium, indeque Venetias vsque deduxit, comes & dux perpetuus ignotæ viæ.

à CHRISTO *in itinere recreatur:*
3. Reg. 19.

Idem Ierosolymam nauiganti numquam non fuit in promptu, quoties vel necessitas illum aliqua, vel grauior seu ab homine seu à naturâ tempestas vrgeret. Liberiùs oberrantem sanctissima Palæstinæ loca custos Armenus ferociùs increpuerat, iussum illicò inde facessere; sed IESVS afflictum consolatus benignè suscepit, & præcedens visibili specie ad hospitium vsque comitatus est.

Denique, ne in genere simili rerum nimius sim, addo vnum, sed illu-

illuſtre; quo nimirum pateat quantæ curæ Deo fuerit Ignatius, ſingulari aliquando, & illo non otioſæ, quod aiunt, amicitiæ ſpectaculo recreatus. Ibat Romam ſociis omnino duobus: hiſce nonnihil interquieſcentibus ab eundi contentione, ipſe in ædiculam ſacram haud procul à viâ tantiſper intereà precaturus abceſſit. Hîc vbi vehementiùs incaluerat orando, de more raptus à ſe (imò ſibi præſens & Deo) vidit, quin & audiuit, hinc Deum Patrem ſuo ſe, & illi quidem adſtanti cum ſuâ cruce Filio, commendantem; inde ipſum Dei Filium ſpondentem ſibi omne præſidium, additis expreſſiſque verbis hiſce ſuauiſſimis: *Ego vobis Romæ propitius ero*. Fuit enimuerò; & aduerſis omnibus, ſupra etiam quàm ſperare homini fas fuit, multiplici prodigio erutum, tutelâ ſanctiſſimi ſui nominis perpetuò defendendum firmandumque ſuſcepit.

ab æterno Patre Filio commendatur.

Glorioſus erat in æſtimatione omnium, vilis & abiectus in ſuâ. Toties ſupra humana rapta mens eius, toto etiam octiduo hoſpitabatur in cælis; quin & corpus ipſum, domicilium illud animæ tam caſtæ, licet etiamtum peregrinaretur in terrâ, dignum eſſe beatâ corporum gloriâ videbatur. hoc interim & ſe ipſe ſic contemnebat Ignatius, vt diceret, ſe, ſi quid in morte petiturus eſſet à Deo, id nominatim eſſe petiturum; vt proiici ſe inter eiectamenta ac ſepeliri permitteret in fimo.

Ignatius illuſtris in oculis alienis, obſcurus in ſuis.

Nicol. Zambeccar. Secret. ſacr. Congreg. in Oratione coram Gregorio XV.

Barcinone toto vultu radiantem mirabatur Iſabella Roſella; Romæ Alexander Petronius, ſæpiùs Oliuerius Manareus & Ludouicus Gonſaluus, quin ipſe etiam ſanctæ memoriæ Philippus Nerius (quâ fide & quâ ſanctitate viri!) in oculis Ignatij, atque adeò vultu toto, coruſcantes lucis radios à ſe viſos eſſe profitentur; ipſe verò in ſe, niſi deterioris naturæ vilitatem, nil agnoſcit Ignatius.

Aliis & frequenter & multis à terrâ cubitis ſublimis apparuit; ipſe ſibi quaſi detruſus ad inferos: neque in cruciamentis illis infelicis æternitatis ſentire videbatur aliud, quàm Dei gloriam ſanctiſſimumque IESV nomen diris exſecrationibus laceratum.

Adeò vt contendere inter ſe felici certamine Deus cum Ignatio, hunc ille honorando, hic ſe abiiciendo, videretur. Qui Religioſæ ſubmiſſionis affectus in eo tantus fuit, vt illum ipſe etiam nunc cælo glorioſus hauddum deſerüiſſe dici poſſit. B. Maria Magdalena de Pazzis (Carmeli in Italiâ fortunatum aliquando germen, at, pronuntiante nuper Vrbano VIII. iam beatum) animo egreſſa de corpore VIII. Decembris anno M. D. XCIV. vt ſæpè aliàs, diuina tum fortè & cæleſtia patiebatur. hoc ergo in ſpeculo, imò ſpeculâ mentis ſupra humana ſublatæ, vidit ipſa ſanctiſſimam Virginem inde B. Angelo Carmeli Martyre, hinc S. Ignatio vtrimque ſtipatam. qui (cùm adſtaret ille reuerenter, audiente & approbante cæli Dominâ, illâ, cuius olim in diuinæ maternitatis dignitate ſummâ iam poſitæ *humilitatem reſpexit Deus*) de humilitatis Religioſæ vſu & neceſſitate perorauit. factus idem orator aulæ cæleſtis, quod magnificum; & ſubmiſſionis etiam tum ſibi charæ deprædicator, quod admirandum eſt. Neque verò à morte tantùm viuentibus Ignatius adfuit; etiam tum ipſe viuens, quantumuis longè poſitus, viuentibus iuxtà ac mortuis adfuit, imò & profuit ad ſalutem. cuius ego generis infinita diſſimulo, vnum hîc vel alterum proferre contentus.

In Vitâ Beatæ per P. Fr. Ludouicum de Præſentatione.

Luc. 1.

Eece Leonar-

Leonardum Kesselium Coloniæ Agrippinæ tactum desiderio videndi vel semel Ignatij, de quo tanta audierat, & conceperat animo tam præclara, viuentem ac vigilantem viuus iam tum ipse, ac tamen momento præsens, Ignatius coràm inuisit, & miro ex illâ cælesti consuetudine gaudio cumulauit.

Adhæc sociorum suorum Iacobi Hosij & Ioannis Codurij beatas animas, etiam longè absens, egredientes videt è corpore, interque Sanctos eum gloriæ locum occupantes, quem abeuntibus illis ipse fuerat apprecatus; potentiori nimirum oratione, quàm olim vsa dicitur mater filiorum Zebedæi, pro suis item Iacobo & Ioanne solicita. Quid verò ipse pro se? malle se, si optio daretur, viuere dubium incertumque beatitudinis, & interim Deo iuuandis proximis inseruire, quàm egredi illicò è vitâ cum certissimâ spe felicitatis æternæ.

Matth. 20.

Idem Zamb.

Quis hominem illum hominibus iuuandis, & mortalium planè bono verè natum, in quo ostendit Deus, quantum ei curæ sit Ecclesiæ securitas, & interim tam se abiicientem, tam non curantem sua, non prosequatur, si homo est, studio simili, quis non pari beneuolentiâ complectatur? quis non veneratione colat illâ, quam talis viri tam probata, tam testata sanctitas promeretur? Fuere nihilominùs qui odium redderent amori tanto, qui tantum beneficium hominibus ab Ignatio præstitum improbitate pensarent; Deo interim etiam ex his, seruo suo non securitatem modò, sed & gloriam procurante.

contra improbos maleuolosque defenditur aliquando igne: aliàs voce increpantis sicarium:

Compluti auctoritate publicâ stipis aliquid corrogantem, curandæ sibi tunicæ clericali, exsecratus homo nobilis; Exurar, inquit, ego, nisi iste igne dignus est. Sed is ipso illo die exustus cum domo suâ, & suæ improbitatis & Ignatianæ innocentiæ illustre testimonium dedit.

Parisiis, ob adiunctum sibi Xauerium, infestus Ignatio Michaël quidam Hispanus in conclaue nil tale metuentis violentus irruit cum sicâ, certus iam tandem peragere meditatam diu cædem. sed nempe subitò territus increpantis è cælo voce, *Quò tendis infelix?* agnouit ipse suum facinus, & didicit tectum diuino præsidio Ignatium ab homine expugnari non posse.

aliàs testimonio doctus ignorantem: Andreas Lucas in Vitâ Ignatij.

Prope Bassanum in eremo quapiam homo degebat cetera pius, nisi quòd externo præcipuè cultu ad austeritatem vitæ composito sanctitatem metiretur. Videt ille Ignatium habitu ipso differentem nihil à ceteris, & scilicet apud se ipse contemnit: fauit hîc Deus & existimationi Ignatij, & hominis errori simplicitate tantùm, non improbitate, decepti. Nam cùm subinde precaretur ipse feruentiùs, testari palàm visus est Dominus oranti, quem ipse contemneret, eum esse sibi *vas electum ad multorum salutem, Apostolico spiritu plenum.*

aliàs ostento conuertente maleuolos:

Fuit, annis abhinc non ita multis, alicubi vir nobilis, quem ira in Ignatium impotens, & nescio quæ sinistra persuasio adeò egerat in transuersum, vt non tantùm apud se nihil in eo magnopere esse sanctum statueret; sed ipsa eius, quæ habebat penes se, descripta facinora virtutis heroïcæ inuidiosè eleuando, fabulas meras & otiosorum commenta palàm confidenterque dictitaret, exploderetque etiam inter suos quantumuis testata miracula; demum omnia quæ Ignatium vtcumque concernerent,

rent, ignominiosè traduceret. Quæ dum agit maximè versatque cum animo suo, nocte quadam intrat in iacentis cubiculum cum incredibili splendore, cælestiumque spirituum amplissimo comitatu, ille homini tam despectus Ignatius: quem cùm ij religiosissimè venerantur, ipse auersus à cultoribus, & conuersus ad calumniatorem suum, spectandum se eidem exhibet toto plus horæ quadrante, annuens arridensque benignissimo vultu, atque ad amorem quemdam cælestem gratiamque composito; necdum videlicet oblitus in cælo, quod viuenti olim tam familiare fuerat in terris, vt eos, quos in se iniquissimè animatos nouerat, præ reliquis & blandiore vultu exciperet, & affectu teneriore complecteretur. Non potuit non ille absistens ab Ignatij oculis amoris radius, propè diuinus, non traiicere illicoque dissoluere cor hominis, obfirmatum licet ac septum iniquissimâ voluntate. Itaque vt se proripuit è strato, ac librum quem de eius vitâ compositum habebat in promptu, religiosè sumpsit in manus, applicitumque pectori veneratus, osculis lacrymisque conspersit, ita demum ruptis ex imo corde suspiriis: *Parce*, inquit, *temeritati meæ, ô sancte Ignati, ô diuine! & quando ignoscere vel iuratis hostibus familiare fuit mortali, nunc quoque placeat immortali. O sanctum æternumque Numen, quis me furor adegit abuti sordidâ & blasphemâ linguâ in eum quem honorant & venerantur cælestes tui spiritus? liceat ô, in pœnam enormis delicti mei, sed suauem, præconem eius esse me viri, cuius contemptor esse non debui.*

Peiùs quoque (vt est optimi corruptio pessima) affectus erat Religiosus aliquis, etiam tum cùm iam à Paulo V. Beatorum numero adscriptus esset Ignatius. euomuerat ille in Beatum talia quædam, quæ spargi vel in pessimum quemque Religiosa modestia prohiberet. at quasi non posset expleri transeunte verbo maledicendi sitis, quò diutiùs innocentissimo viro eiusque Sociis noceret in posterum, furore consimili calamum stringit, scripturus audentiore manu quæ mitior iniquissimo animo lingua non promeret. Scribit ergo, sed dexterâ potentiore coactus, alia omnia quàm vellet: cùm enim, vti fit, sua ipse scripta relegeret, exarasse se non quam animo conceperat satyram, sed panegyrim deprehendit. indignatus ergo, & præcipuè stupori suo, chartam hanc distrahit, aliamque, & subinde tertiam, depingit; sed euentu semper pari. Quid ageret? ne sic quidem improbæ temeritatis admonitus orditur etiam quartam. sed primas vix in illâ notas expresserat, cùm ecce tibi, ne suaui remedio diutiùs abuteretur, ipsa eius dextera in scribentis os impotens impacta vi diuinâ hominem temeritatis admonuit, & proteruam eius audaciam in cultum Ignatij venerationemque perpetuam commutauit. Subinde enim suum non semel delictum iustissimamque pœnam disertè confessus, supplexque beatissimo viro, quoties de Ignatio loqueretur (loquebatur autem sæpissimè, & cum sensu tenerrimæ pietatis) non nisi Sanctum eum, suumque nominabat. In quo quidem non aliter gessisse se mihi videtur cum Ignatio Deus, quàm fecerit olim cum electo sibi tum populo Iudæorum. *Veni* (inquiebat ad Balaam Balac Rex Moabitarum) *& maledic Iacob; propera & detestare Israel*. Ac venerat ille quidem vt malediceret; sed enim rem aggressus, *Quomodo*,

Idem suprà.

Num. 23.

inquit,

inquit, *maledicam, cui non maledixit Deus? quâ ratione detester, quem Dominus non detestatur? Ad benedicendum adductus sum, benedictionem prohibere non valeo. Qui benedixerit tibi, erit & ipse benedictus: qui maledixerit, in maledictione reputabitur.* Sed omitto in maledictione reputatos eos qui maledixerint; hoc ago, fuisse illos qui benedixêre Ignatio, benedictos. *quorum* (vt inquit ille) *præclarum & vniforme testimonium, quod de sanctitate vitæ eius dederunt in suis historiis & libris magni viri & scriptores nobiles, in supradictâ relatione & ordine recensetur & numerò.* Ego hîc paucos dabo de plurimis, sed omni exceptione maiores; ex quibus liquidò pateat, id quod erat ex propositis alterum, Ignatium non solùm Deo charum, sed etiam venerabilem hominibus exstitisse.

Num. 24.

Franc Maria sup fol. 25.

Ignatius grauissimis plurimorum hominum testimoniis cultuque venerabilis:

S. Xauerij: Franciscus Xauerius, ille vir (vt subinde videbitur) maximarum virtutum opinione non vanâ toto orbe celeberrimus, ita Ignatium suum in CHRISTO patrem venerabatur, vt etiam tum viuentem non appellaret nisi Sanctum. hinc illi & submissò in terram genu scribere, & ad se ab illo data etiam de genu legere erat solitus; vtique non tam Religiosæ submissionis exemplo, quàm argumento testatissimæ & toties à se nominatæ sanctitatis. Quin & in thecâ suâ reliquiariâ (illo tot miraculorum totâ passim Indiâ instrumento, quamque in mare deiectam sedandæ caussâ tempestatis cancer marinus, sacratius nempe Palladium Orientis, per immanes tractus Oceani ipsum ad vsque littus Xauerio deportauit in manus) in illâ, inquam, thecâ, pauculas inter Reliquias Sanctorum, nomen obserarat Ignatij; quod ille, vti acceperat datis ad se litteris subscriptum manu Patris, resectis ceteris, studiosè recluserat, seruabatque reuerenter.

Iacobi Eguiæ: Quid Iacobus Eguia ille, qui sancto Patri diu fuerat à conscientiæ secretis? O si, dicebat, superesse liceret Ignatio, vt loqui pauca possem? satis suo etiam silentio indicans, quàm esset tum de eo admiranda dicturus. Sed enim, exemplo CHRISTI scilicet, arctè vetuerat Ignatius suarum rerum mentionem vllam fieri se viuente: &, quâ erat animi submissione, impetrasse creditur à Deo vt ipse Eguia, futurus aliàs sanctitatis suæ testis & præco perpetuus, vix toto ante se triduo moreretur.

Petri Fabri: Iam Petrus Faber (ille, vti deinde memorabitur, Ignatij primogenitus tanto patre dignus filius) non alio vnquam quàm vno illius exemplo vsus est ad exprimendam in se & sociis suis speciem consummatæ virtutis.

At verò Iacobus Lainez & Franciscus de Borgia, vterque in regendâ Societate successor Ignatij, quàm sæpè testati sunt quo apud Deum loco esse ducerent Parentem suum? Horum ille palàm confidenterque dictitabat, tanta in Ignatio inueniri ornamenta virtutum, vt iis & caperetur ipse Deus, & tanta indies præstare Sociis beneficia quodammodò cogeretur. Hic autem videndi solùm Ignatij caussâ, etiam tum Dux Gandiæ, inde ab vltimâ Hispaniâ venit vsque Romam itineribus maximis, & incommodâ anni tempestate difficillimis, ibique contubernium sancti viri prætulit aulæ Pontificiæ sibi ad hospitandum etiam ab

Iacobi Lainez:

Francisci de Borgia:

ipso

ipſo Sanctiſſimo Domino ſæpiùs oblatæ. Idem adſcriptus deinde Societati, & Sacris initiatus, non alibi quàm in Loioleâ Ignatianæ Familiæ domo primùm fecit; & ipſum eius ſolum, quod vel olim profano etiam tum pede preſſerat Ignatius, ſæpè fuit demiſſis in terram oſculis veneratus.

Atque hæc quidem filiorum de patre teſtimonia, pauca de multis, non eò vel reiicienda ſunt, vel minoris æſtimanda, quòd à domeſticis prodiere: *Sanctorum enim iudicia*, vt rectè Chryſoſtomus, *nec ad gratiam nec ad inimicitiam fiunt.* Ne quis tamen etiam aliena requirat, externorum aliqua, nec his minora ſubiicio.

Homil. 1. ad Pop.

Ille ipſe, quem Ignatius recèns abſtractus à ſæculo teſtem adhibuit conſcientiæ ſuæ, cæleſtiumque gratiarum quibus iam tum beata eius anima paſcebatur, ſolitus erat diſertè conſtanterque profiteri, & ſæpè de Ignatio dicere: *Hic ſi viuat, futurus aliquando columna ingens Eccleſiæ ſanctæ, ſucceſſor Apoſtoli Pauli, ſincerumque vas electionis ad conuerſionem orbis, hoc eſt infidelium, hæreticorum & peccatorum.* Vixit enimuerò Ignatius; quodque de illo præſaga vox vnius futurum antè monuerat, factum id iam planeque perfectum plurimorum, & illa quidem maiora quàm vt dubitare liceat, ſummorum in Eccleſiâ Dei virorum teſtimonia conſitentur.

Confeſſarij Ignatij recèns conuerſi: Summa Proceſſus Canoniz.

Ioannes Ciampoli Secretarius Apoſtolicus domeſticus, à Gregorio XV. de Ignatio ſententiam proferre iuſſus in Conſiſtorio publicò ex mente & præſcripto Pontificis: *Cùm*, inquit, *tenebrarum princeps ſuper aſtra Dei ſolium ſuum exaltare, atque in Aquilone ſedem figere ſtudens, nouis hæreticorum armis cælum adortus, Catholicæ Religioni exitium minitaretur; peropportunè ſanè Ignatius animum gerens mundo maiorem, & vltra vnius æui terminos opera ſuæ pietatis extendens, legionem in Eccleſiâ Dei fortiſſimam conſcripſit, quæ vitam pro diuini cultus incremento paciſcens, in Romani Pontificis verba iuraret.* Audierat nempe Sanctiſſimus Dominus inter ceteros Franciſcum Mariam Epiſcopum Portuenſem S. R. E. Cardinalem à Monte: qui in ſuâ Relatione factâ in Conſiſtorio ſecreto coram S. D. N. Gregorio Papâ XV. die XIX. Ianuar. M. DC. XXII. ſuper vitâ, ſanctitate, actis Canonizationis, & miraculis B. Ignatij fundatoris Soc. IESV, publicâ totius quaſi Eccleſiæ voce etiam in ſecreto illo ponderandæ hominum ſanctitatis adyto loquens: *Ineffabilis*, inquit, *Dei bonitas & miſericordia, quæ præteritis ſæculis contra ſubnaſcentes hæreſiarchas deſtinauit Athanaſium, Baſilium, Nazianzenum, Cyrillum, Hieronymum, Auguſtinum, Bernardum, Franciſcum, Dominicum, ceteroſque ſanctitate viros illuſtres, ſupremis hiſce temporibus excitauit ſpiritum Ignatij Loiolæ: qui ex medio honorum curſu, atque à ſæculari militiâ admirabili quadam ratione vocatus, ita ſe diuino imperio regendum formandumque permiſit, vt tandem nouâ Religione huius ſanctæ Sedis auctoritate fundatâ, quæ Gentilibus conuertendis, hæreticis ad Fidei veritatem reuocandis, Romani Pontificis poteſtati tuendæ, ex inſtituto ſe totam impendit, vitam admirabili ſanctitate traductam pio in Domino concluſerit exitu, multiſque poſt obitum ipſum ſit miraculis illuſtratus.*

Gregorij XV.

Franciſci Mariæ Cardinalis à Monte fol. 3.

Marcellus II. Pont. Max. *aliquando in conuentu plurimorum hominum*

Marcelli II.

1. part. Hist. Soc. lib. 15. *de Societate loquens, dixit, se non legisse (etsi in historiis esset versatissimus) vlli homini post Apostolorum tempora concessum fuisse à Domino, quod Patri Ignatio, vt, dum viueret, tantum operis, cuius fuisset ipse instrumentum, incrementum videret.* Idem de Ignatio fatebatur ipse palàm, eius se dicto vel vnico niti confidentiùs, quàm omnibus quæ adferri contrà possent rationibus humanis: satis vel hoc diserte professus, aliquid se supra vulgus hominum in Ignatio reuereri. Quid dicam de Paulis, Piis, Gregoriis? quorum de Ignatio iudicia & plura sunt quàm vt recenseri possint singula, & testatiora tabulis etiam publicis, quàm vt enarrari à me debeant.

Ferdi- [illegible]

Quantum verò in existimatione promouendâ, augendâque apud homines Ignatij gloriâ, Regum ac Principum studium fuit! Ferdinandus Romanorum Rex I. Romam abeunti Ludouico Gonsalo cùm dedisset in mandatis, Ignatium vt diligenter inspiceret, eiusque expressam verbis effigiem corporis venerationis caussâ transmitteret ad sese, hoc ab eo responsum accepit: nullâ se aut prece, quantumuis ardenti, aut lectione diuinarum rerum, ita inflammari ad amandum Deum, vt vel vno Ignatij adspectu. Ex hoc nempe fiebat, vt & nomen eius autographum, per quod, exemplo Xauerij antè prolato, plura fiebant prodigia, omnibus esset in pretio; & vel maximè expressa coloribus effigies, in desiderio.

Cardinalis Paciecì & pictoris ab eo ad exprimendum coloribus Ignatium adducti:

Cardinalis Paciecus in lecto decumbentem inuiserat Ignatium, quà veneratione, quà dolo vsus: nam (adducto clàm pictore, qui ex insidiis positum sibi ex aduerso vultum coloribus referret in tabulam) non dubitabat, quin frustrà impensis sæpè votis aliquando tandem magno suo & gaudio & commodo potiretur: sed vicit & obseruantiam Paciecì, & artem pictoris licet eximiam, Ignatij virtus; quæ aliis atque aliis lineamentis tam varium in se & variis apparentem coloribus exhibuit, vt nullâ eius vultum industriâ pictor assequi se posse fateretur.

Joannis III. Reg. Lusitaniæ:

Ioannes III. Lusitaniæ Rex multa de Regno suo, plura meritus de propagatâ Religione Christianâ, quàm sanctè, quàm integrè sentiret de Ignatio, cùm sæpè aliàs, tum vel maximè ostendit, quando, defuncto Iulio III. Pontifice Max. negauit maiori bono Ecclesiæ, alium posse illi, quàm Ignatium subrogari.

Nec dispari in Ignatium studio & veneratione fuere ij, quos pares Regibus purpura Romana constituit. Inter eos

Cardinalis Quirogæ:

Gaspar Quiroga Archiepiscopus Toletanus negat fuisse Ignatium perturbationibus vllis obnoxium, vt qui nec lætis insolesceret, neque tristibus frangeretur.

Cardin. Paleotti:

Gabriel Cardinalis Paleottus eum ipsum vocat lumen Ecclesiæ, virumque à Deo excitatum ad cogendam Societatem, quo velut reuiuisceret noueque sanciretur rei Christianæ disciplina.

Ludouici Card. Ludouisij:

Iam vt taceam de innumeris aliis, Ludouici Cardinalis Ludouisij in Ignatium affectus & veneratio, quàm non stetit intra verba, licet in commendationem sanctissimi viri largè profusa? Ille cùm annis abhinc aliquot vnum è præcipuis sacellis Metropolitanæ Bononiensis Ecclesiæ, cui Archiepiscopus præsidebat, S. Ignatio solenniter dedicasset, eâ pom-

pâ

pâ quæ conueniret Principi, & pietate quæ deceret Cardinalem; denique quasi aut nihil factum esset pro meritis, aut dictum pro desiderio suo (& erant tamen facta ingentia, dictaque magnifica) ipsemet vt erat in frequentissimâ ac nobilissimâ hominum coronâ, residens sub vmbellâ, maiestate quæ referret Ecclesiæ tantum Principem, suauitate verò quæ velut filium Ignatij tenerrimum exhiberet, sacram illi & benè longam panegyrim suâ ipse voce pro concione recitauit. In quâ, posteaquam sanctissimis ab omni retrò memoriâ Patriarchis æqualem, quin & ipsi CHRISTO quàm simillimum ostendit Ignatium, professus suum ab ipso dicendi exordio studium, atque, vt inquit, *deuoti cordis obsequium (quod iam inde ab ineunte ætate ingentibus meritis celeberrimi Societatis* IESV *Conditoris Ignatij dedicarit, & ardentissimam quâ flagret cupiditatem, vt eius tutissimo patrocinio salutem quisque suam animumque commendet;)* ita denique velut orando perorat: *Opto ac vehementer oro cunctos & hortor, vt communem orbis terrarum thesaurum Ignatium in suo quisque corde amantissimo pietatis sensu complectatur.* Quem quidem optimi Eminentissimique Principis animum, vt hæc aliquando verba siluerint, expressiùs etiam loquentur ingentia saxa, quæ Romæ non ita pridem superstruendæ sacræ maximæque moli, ad testandam augendamque Ignatij gloriam, dedicauit. Inter quæ lapis ille, quem ritè consecratum suâ ipse manu primum in fundamenta deposuit, alterâ sui parte verba hæc pauca sed illustria habet insculpta: *Erit lapis iste in signum meæ erga S. Ignatium eiusque Ordinem pietatis.*

Omitto reliqua Eminentissimorum omni memoriâ Principum Ecclesiæ, ne conferre inter se velle videar, certamina pietatis in Ignatium, eiusque minimam Societatem. Fecerunt iam pridem faciuntque Barberini, vrbani iuxtà Principes ac pij, quod non vna tantùm Roma mirabitur, sed orbis suspiciet vniuersus.

Quid dicam de aliis extra Romam omni ex ordine dignitatis omnis eximiis viris? illi sic vnum Ignatium extulere, quasi si non fuisset ab vllo satis antè laudatus.

Ioannes Vega Præses Castellæ, ac subinde Prorex Siciliæ, cùm Romæ pro Carolo V. legatione fungeretur, Ignatium ibi cognitum, tantum exinde suspexit, vt diceret, *beatum illum videri & sanctum, & eiusmodi omnino ducem, cuius signa in cælo cum Dominici & Francisci trophæis sint constituta.* *Ioannis Vegæ, Proregis Siciliæ,* 1. part. Hist. Societ. l. 16. num. 128.

Nec aliter Ludouicus Granatensis: hærere se fatetur eximiæ sanctitatis admiratione defixum, quoties in Ignatium virtutum prudentiæque speculum intueatur, quod Deus cum incredibili mortalium bono huic orbi temporique obiecerit. *Ludouici Granaten.*

Denique inter nominatissimos toto orbe Scriptores, Ignatium alij *beatissimum virum*; alij *ducem ad Lutheri aciem profligandam creatum*; alij *diuinum hominem*; *eum* alij *qui consilij sui auctorem impulsoremque habuerit Deum*; alij nunc *sanctitatis exemplum*, nunc *virum illustrem, admirabilem, orbique huic nostro singulari beneficio concessum esse* profitentur. Quo quidem in genere rarum omnino, adeoque nec prætermittendum est, quod in Prouinciali Tarracone Concilio congregati Patres ac Præsules *Concilij Tarraconensis.*

anno

anno M. DC. XII. de Ignatio censuerunt: *Esse* videlicet *eum partum vltimum spiritumque salutis, quem sæculis hisce vltimis & deploratis in sui defensionem ediderit Ecclesia sancta: esse diuinum Herculem edomandis monstris inferni: esse submissum cælitus Atlantem fulciendo Regno Dei, quod est Ecclesia, doctrinâ & pietate, velut geminis humeris instructum: esse prodigiosum in Apocalypsi Angelum*, &c.

Equidem cùm mecum ipse reputo summorum iuxtà, mediorum & infimorum hominum toto passim orbe studia inflammata, quibus (quod illi tum Præsules faciebant) sanctissimo nostro Patriarchæ Ignatio impendendos publicè honores sacros concedi sibi impatientissimè postularunt; cùm expendo totius mundi, quà latè ab Oriente in Occidentem patet, plausus & gaudia in cælesti eius inauguratione, incredibili testata sumptu; cùm votiuas vbique & sine numero etiam argenteas tabellas contemplor sacris Ignatij aris appensas, testes beneficij quod illi vel acceptum referat gratitudo mortalium; vel his ipsis certa spes spondeat obtinendum; ita videlicet statuo, prudenti dispositione iusti Numinis, *hominem iuuandis hominibus verè natum*, ab hominibus passim vt communem parentem meritò honorari: ipso etiam Domino IESV nonnihil gloriæ suæ, in studiosissimum sui nominis Ignatium deriuante.

Nic. Zambec. supr.

Hic ergo vir hic est, *qui, Societate quam ab* IESV *nomine appellauit institutâ, atque à Paulo III. confirmatâ, id efficere conatus est, vt in peculiari obedientiâ Sedi Apostolicæ præstandâ, in pueris Christianâ doctrinâ imbuendis, in Missionibus per omnes terrarum partes obeundis, nulla esset ætas, nulla hominum conditio, nulla vbique natio, quam homo in omnium salutem intentus, huius institutione Familiæ non complecteretur.* * *Hunc virum, quem praelegerat Dominus, vt eorum dux foret qui portarent eius sanctissimum nomen coram Gentibus & populis, & rebelles hæreticos ad vnitatem fidei reuocarent, suique in terris Vicarij auctoritatem defenderent, Spiritus sanctus omnium virtutum genere decorauit.* Quo vrgente Spiritu, optabat ille quidem suis se comitem filiis adiungere, & profligandæ per vniuersum orbem impietati, & innocentiæ, si quæ lateret in aliquo, retinendæ. *Talis enim erat* (id quod de Paulo Chrysostomus) *sancta illa anima, vt orbem vniuersum complecteretur, & in se ipso circumtulit omnes; maximam ratus eam esse cognationem, quæ secundùm Deum esset; omnes autem non aliter dilexit, quàm si eos genuisset.* Sed, cùm & nutu Domini IESV Ignatio polliciti se futurum Romæ propitium, & Summi voluntate Pontificis, & suorum electione, stare ibi velut ad clauum regendæ suæ Familiæ cogeretur, enimuerò non otiosus stetit. *Itaque, cùm ex variis orbis terræ locis ciuitatum Regumque inuitatu homines Societatis expeterentur; ipse ductis coloniis, domibus Collegiisque fundatis, ex hac Vrbe variis expeditionibus ad ignotas, nec vmquam auditas, nedum aditas nationes Euangelij lucem inferre, fidei desertores ad Ecclesiam reuocare, Orthodoxos in Religionis cultu stabilire, ita perpetuò studuit, vt tamen intereà huius curam Vrbis non omitteret, sed hîc officia omnia vigilantissimæ charitatis obiret. hîc orphanorum seorsim & orphanarum, hîc Catechumenorum domos, hîc diuæ Marthæ diuæque Catharinæ Cænobia, hîc Germanorum Collegium magno Septemtrionis emolumento, excı-*

Idem Nicol. Zambec. sup.

* Francisc. Maria sup.

Præfat. in Paul.

Nicolaus Zamb. sup.

excitanda curaret, hîc gymnasia ad iuuentutem tùm litteris tum moribus erudiendam gratis aperiret, hîc templorum rerumque sacrarum cultum amplificaret, atque in primis Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ, concionumque frequentiam introduceret; ingenti sanè fructu non Romanorum modò, sed aliorum etiam populorum, qui ex hac Vrbe exempla petere consueuerunt. Quas inter curas, cùm sexdecim annos Præpositus Generalis Societatem, eius regimen à se sæpè depellere conatus, administrasset; optimis legibus, quarum sapientiam prudentissimi quique suspexere semper, instituisset; per omnes ferè mundi partes in duodecim Prouincias distributam propagasset; anno ætatis suæ quinto & sexagesimo Apostolicâ benedictione cum plenâ noxarum Indulgentiâ à Paulo IV. Pontifice susceptâ, IESVM, *cui se suosque addixerat, identidem implorans, piè placideque obdormiuit in Domino.*

Sunt qui testentur, quo in loco à morte depositus erat Ignatius, auditas à se voces canentium, & visa non semel stellarum instar emicantia lumina, vtraque lapsa de cælo: adeò, quod viuenti ipsi tam vile habitum fuerat, corpus Ignatij, etiam à discessu animæ, quasi spiraret adhuc, cælo ipsi fuit in pretio, Deo sic iubente; vt scilicet qui sese infra omnia viuus abiecerat, tam illustri testimonio etiam à morte, & quidem in abiectissimâ parte sui, tam venerabilis appareret.

Atque hoc est illud consummatæ sanctitatis exemplar, hic huiusce Familiæ quasi pater Ignatius; cuius opera ingentia non exposuisse, sed verbo tantùm proposuisse, sit satis. Attingam nunc quasi cunabula quædam & elementa sanctitatis domesticæ, non paria illa quidem paternæ virtuti & gloriæ; ad summum tamen peruentura aliquando, si animis par ætas & exserendæ indolis occasio respondisset.

Itaque, vt fauor minori ætati concedatur, primus occurrit Stanislaus (nam hic anno M. D. L. nobili apud Polonos Kostkarum stirpe genitus ante Aloysium vixit) ex mundi ac patriæ transfugâ sacræ IESV militiæ tiro factus, Romæ priùs ferè ereptus quàm agnitus est. Ipso enim assumptæ Virginis Peruigilio viuere desiit, imò cœpit anno M. D. LXVIII. cùm annum vix integrum Religiosæ vitæ fundamenta iecisset. Acceleratæ caussa mortis fuisse creditur ardor inflammati pectoris in Deum ac MARIAM suam, vt aiebat, dulcissimam matrem; cuius tanta vis, vt sæpè necesse fuerit, etiam sano ac vegeto, frigidâ recreare cor æstuans, ne ipsum à se consumeretur. Puer etiamtum Viennæ in Austriâ litterarum studiosus cùm decumberet à morbo, progressus tamen in aciem, ter in se irruentem adspectabili specie canis horrendi hostem tartareum, nihil ipse territus, salutari crucis signo procul abegit: à quo tam memorabili prælio cùm fameret animosus CHRISTI miles, appeteretque cibum, sed diuinum, quo sæpiùs & ardentissimè pascebatur, negatum sibi ab hospite hæretico, ab Angelis impetrauit. adfuere enim illi, deducente diuâ Barbarâ, sumendumque obtulêre diuinissimum Sacramentum, dignam tanto & milite & victore adoream. quin etiam (siue id dedit sui clientis merito, seu animo suo) ipsa se non semel cum Filio videndam præbuit Virgo Deipara, iam adferens sanitatem ægro corpori; iam (vt denique contigit in supremo morbo) vitam pollicita sempiternam. Præcucurrit igitur

B. Stanislai Kostkæ nobilis Poloni:

Stanislaus modum ætatis & ordinem, faciendi fortia, & diuina patiendi celeritate; illud interim quasi compendio docens quantus olim futurus fuisset in terrâ, nisi eum mors accelerata per virtutem citò nimis beatum fecisset in cælo, gloriâ ac felicitate veteranis etiam militibus inuidendâ.

B. Aloysij Gonzagæ Marchionis Castillonensis:

Hunc subinde secutus Aloysius, & ille ex generoso Marchionum Castillonensium sanguine oriundus, vt priorem ætate, sic etiam præcessit robustiori vsu & exercitatione virtutis: quam quidem non segniùs excolendam sibi sumpsit à teneris, ac si illius consummandæ pro voto suo tempus sibi & occasionem aliquando defore didicisset. hinc inter prima balbutientis etiam tum pueruli verba feruntur, IESVS, MARIA. nec aliis illi adiutoribus opus erat, siue cùm miraculo seruatus è matris vtero intrauit in vitam, siue cùm prodigio vocatus ex aulâ & paternâ spe sese abdidit in Societatem. MARIAM ergo semper amauit vt matrem: illam ipse puer Sabbatino ieiunio colere, illam Angelico carmine in scalarum gradu quolibet salutare, illi vixdum octennis virginalem continentiam deuouere & seruare deuotam; IESVM verò venerari vt patrem, sequi vt ducem. Cui tam sancto proposito cùm Marchio pater malè pius obstaret, ipse à se tamquam reo crudeles pœnas exposcere, donec quem prece non poterat, in se sæuiendo leniret, optatam denique missionem à domo paternâ impetrante sanguine filij, & referente victoriam. Ita mundum vicit Aloysius ipse numquam victus à mundo, illo præsertim loco ac tempore, quo inter medias aulæ delicias succubuisset etiam robustus: ita nullius vmquam grauioris noxæ conscius, peccatum, quod non nouerat, expugnauit; donec iniquum cælo visum est, vt hic moribus & vitâ (naturâ pænè dixeram) Angelus, diutiùs moraretur in terrâ. abiit ergo anno supra millesimum quingentesimum nonagesimo primo, cùm hic tribus omnino & viginti ipse vixisset; longiori vitâ dignus, nisi compendio meruisset æternam.

Age verò si quis, hoc etiam nunc sæculo, dicatur innocentiâ & puritate insigni, Angelicis moribus, puritate admirabili, virtutibus solidis ac perfectis, in quo nemo vmquam deprehenderit vel minimum defectum aut imperfectionem; nónne is vel Stanislaus aliquis adultæ virtutis, aut alter consummatę sanctitatis Aloysius existimetur? Atqui illa de Ioanne

Ioannis Berchmãni Belgæ.

Berchmanno disertè testantur grauissimi iuxtà ac sanctissimi viri. Humilioribus ille quidem quàm isti natalibus Diesthemij ortus in Belgio; nihil tamen iisdem, siue indolem & ingenium spectes, seu consideres animum auidissimum generosæ virtutis, seu attendas ad expertem omnis prauæ motionis in viuido etiam corpusculo continentiam virginalem, nihil, inquam, vel Stanislao, vel Aloysio, etiam Româ teste, concessit. Romæ itaque (nec enim alibi decuit) anno millesimo sexcentesimo vigesimo primo, ætatis XXII. tertius à Stanislao & Aloysio Ignatianæ Familiæ velut custos Angelus, excessit è vitâ, geminorum istorum numerum & corpore in terrâ, & animo completurus in cælo.

Et hi quidem sunt Romanæ Ignatij familiæ filij, sed postumi; à suo tamen parente, etiam iure paruulorum, non longiùs segregandi. Quorum exemplum vti commemoratione & imitatione virtutis suauissimum est;

est; sic aliorum etiam Romæ conditorum robustior ætate sanctimonia, solidissimi est ad æmulationem & admirationem omnium argumenti.

Ignatio itaque humanis exempto, viduæ Societati IESV cum summâ potestate hactenus fuere Præpositi omnino quinque, Iacobus Lainez Castellanus, Franciscus de Borgia Gandiensis, Euerardus Mercurianus Lutsemburgo-Belga, Claudius Aquauiua Neapolitanus; &, quem honoris ergô nominare non audeo, Romanus ille, qui etiamnum superstes viuit, & viuat! virorum tantorum, atque adeò ipsiusmet Ignatij successione dignissimus. De quibus adhuc propè spirantibus, imò viuentibus in æstimatione & veneratione populi Romani, multa commemorare neque attinet, neque decet. Vnum sanè, & quod singulis commune cum Ignatio semper fuit, dissimulare non possum, religiosissimam in tantâ dignitate abiectionem animi, remotam ab omni, non dico fastu, sed vel ipsâ specie honoris alicuius: nec enim aliud illi omnes officium exhiberi sibi, etiam à suis, vmquam passi sunt, nisi quo admisso ipsi perpetuò testarentur, esse se benignissimos patres, necessitatibus omnium etiam minimorum semper intentos. Illud verò fuit in Iacobo Lainio singulare & admirandum (& licet, nisi fallor, dicere liberiùs aliquid de illo, quem mors dudum obita ab omni vel inuidiâ vel adulatione longiùs semouit) fuit, inquam, in Lainio singulare, quòd ingenij & doctrinæ suæ magnitudinem, non semel Tridenti, in illo totius Ecclesiæ sanctissimo consessu, velut in theatro orbis exhibitam, cum plausu ingenti & veneratione singulorum, tam exiguâ de se ipse, abiectâ pænè dixerim, opinione deprimeret. Illum Paulus eius nominis IV. Pont. Max. inuitum licet ac deprecantem sibi Cardinalem adiungere omnino decreuerat: & eò iam res erat deducta, vt Lainium ad se migrare iuberet Pontifex, quòd operâ eius, in constituendis quà priuatis quà publicis rebus Ecclesiæ, vti vellet. Paruit ille (nec enim reliquus erat vllus effugio locus) sed interim coràm ac constanter deprecando illud effecit apud Paulum, vt postridie eius diei, quo venerat, quasi de re quâpiam deliberaturus reuerti posset ad Socios; &, quod porrò obtinuit, cum iisdem perpetuò remanere. Nullus sanè candidatus honoris alicuius sic illum ambiuit, vt ille refugit; quodque egit, hoc & sensit animo suo, & prolatis aliquando tabulis sanctè testatus est, hanc sibi mentem Societatis auctorem IESVM dedisse, vt nihil in vitâ accidere posse acerbius putaret, quàm vt honores, quos fugisset, capere cogeretur. Et quidem cùm Iacobo discedenti à se ac tristi tristis ipse valedixisset Ignatius, dixisse fertur Petro Ribadeneiræ intimo tum suo, *Ni Deus prohibeat, breui Lainez noster purpureo galero donabitur. id si (quod nolim) accidet, talem se ille probabit, vt non quæsisse Societas honores, sed fugisse potiùs videatur.* Nec vanam fuisse existimationem Ignatij de Iacobo ipse deinde non semel ostendit, siue cùm totius Societatis Præfecturam, reluctanti sibi impositam à Patribus, vix elapso triennio excutere tam seriò & tam constanter optauit; siue cùm (quod semel à Magno Gregorio tentatum rarissimi fuit exempli) tantùm-non sibi delatum venerabile iuxtà ac formidabile regendæ totius Ecclesiæ Pontificale munus solicitè, seriò ac prudenter declinauit. Adeò vt, si mens non illa fuisset

Iacobi Lainez inter summas animi dotes submissio:

Cardinalatum recusat:

Generalatum inuitus admittit:

Pontificatum fugit.

 Iacobo

Iacobo Lainio indita à IESV, & ab Ignatio conſeruata; iam, vti nuper à Prædicatorum ſanctiſſimo Ordine Pius V. Pontifex verè pius; & à Seraphico Minorum Inſtituto Sixtus V. Pontifex, & ille magnificus; ſic etiam à minimâ Societate vniuerſæ Pater Eccleſiæ Iacobus fortaſſis aliquis, retento ſubmiſſionis ſuæ nomine, prodiiſſet. ſed enim, quantum illi de ſuis illis Eccleſiæ Patribus tam præclaris meritò gloriantur, tam ſibi Societas de ſubducto ſibi argumento gloriæ ſimili gratulatur.

Frãciſcus de Borgia è Duce Gandiæ Lainij ſucceſſor: Franciſcus verò, poſt Iacobum alter in regendâ Societate Ignatij ſucceſſor, Borgia, quàm non ille in gloriæ ſemper & importunè ſubſequentis perpetuâ fugâ vtrique diſſimilis fuit? hoc etiam admirabilior, quòd cum Ducali ac Regio Aragonum parentum ſanguine, cognata illi, atque (vti fit) amica ex eo gloriæ ambitio velut quodam iure naturæ potuerit exiſtimari. Sed enim poſteaquam in Iſabellæ Auguſtæ corpore, nuper tam venerando, à morte verò & corruptione depoſito, conditionem agnouit dignitatis humanæ; cæleſtia deinde conſectatus, acutiùs omnia peruidit, longeque ſeciùs atque ambitioſi ſolent, de honoris ac gloriæ ſtudio iudicauit.

Cardinalatum deprecatur, Non ſemel vrgente Carolo Imperatore Quinto, propè abſuit vt Societati ereptus in eminentiſſimum Cardinalium ordinem tranſcriberetur; ſed Ignatij pro filio lacrymæ, & ipſiuſmet Franciſci mixta vota, gemitibus purpuram eluêre.

in Generalem inuitus eligitur, Cùm Patres ab obitu Iacobi Lainez Romæ coacti regendæ Societatis munus ampliſſimum Franciſco detuliſſent; ſumma ſcilicet tum, non tantùm domi priuatim, ſed & foris publica lætitia fuit: quin & ipſe Pontifex Pius IV. id vbi reſciuit à Patribus, *Factum*, inquit, *benè: prudenter iudicaſtis, multumque vidiſtis, qui Franciſcum potiſſimùm de tanto virorum inſignium numero delegiſtis.* vnus interim ipſe, delatâ ſibi dignitate velut attonitus ac mœrens (quamquam ſuum deinde munus geſſit optimè, atque cum publico Eccleſiæ & priuato Societatis, vtriuſque ingenti bono;) in id tamen, maiorum exempla ſecutus, vti ſemper, ſic demum totus incubuit, vt Magiſtratu tempeſtiuè depoſito, liceret ſaltem priuato mori, cui viuere non licuiſſet. Et quamquàm non obtinuit ille quod voluit, non amiſit certè apud omnes teſtimonium, & apud Deum meritum demiſſiſſimæ voluntatis. Hac ſe ille inuoluens, hac viuens iuxtà ac moriens, latêre percupiens, Pij V. cum Alexandrino Cardinali ad Reges Hiſpaniæ, Galliæ, Luſitaniæ animandos contra Turcam, legatione perfunctus; morbo ex itinerum difficultate contracto, annis (erat enim ſexagenario maior) & pœnis, quas de ſeipſo ſumpſerat, totus exhauſtus, Romæ demum pridie Kal. Octobr. ann. M.D.LXXII. ſuauiſſimè exſpirauit. dignus cui, etiam in tanto ſeu naturæ ſeu gratiæ faſtigio de ſe ſubmiſsè ſentienti, idem quod ipſi Seraphico Franciſco elogium detur admirandæ virtutis: *Franciſcus pauper & humilis, cælum diues ingreditur, hymnis cæleſtibus honoratur.*

in obſequio Romanæ Sedis moritur.

Quid porrò de aliis dicam, qui totâ paſſim Italiâ, ac præſertim Romæ depoſiti ſunt, conſummatæ pignora ſanctitatis? quid de iis qui impoſitas ſibi Eccleſiæ dignitates vel refugêre conſtanter, vel coacti recipere ita geſſere, vt (quod ſibi iam antè de Lainio pollicebatur Ignatius)

non

non quæsisse Societas honores, sed fugisse potiùs videretur. Non patitur hic scribendi modus, vel nuda virorum istorum nomina recenseri, non Alphonsos Salmerones, non Antonios Posseuinos, non ceteros, obitis etiam inter cetera Pontificiis ad infideles legationibus insignes, ac denique cum laude sanctitatis ac prudentiæ, Romæ, Neapoli, Ferrariæ, & alibi demortuos. Vnum ego (vt taceam de omnibus) præterire non audeo Robertum Bellarminum.

Is nobilissimis natalibus à Politiano in Italiâ Monte productus, Purpuratorum Patrum, & ipsius etiam Marcelli II. affinis & nepos, quò insidiantes sibi honores longiùs & certiùs effugeret, in Societatem IESV se abdidit, quam nouerat singulari voto de non admittendis etiam oblatis vltrò dignitatibus obligatam. Sed ne sic quidem euasit. Cum Henrico Cardinali Caietano à Sixto V. ad Regem Christianissimum legatione perfunctus, vbi Romam inde rediuit, parum abfuit quin laboriosissimi muneris mercedem referret illam, quam maximè respuebat: Innocentius siquidem eius nominis IX. vbi primùm Pontifex renuntiatus est, primas inter curas de adsciscendo sibi in Cardinalium collegium Bellarmino cogitauit; quin id se facturum propediem creatione quam vocant primâ professus est palàm. Non latuit Robertum meditata res; quam vti abominabatur ipse vehementer, sic ne quà ingrueret & opprimeret incautum, solicitus circumspiciebat: itaque commotus in lacrymas, & profusus in preces, Pontificem obtestari, & quâ potuit reuerentiâ disertè affirmare, nisi priùs auocato ab illâ, sibi tam acerbâ, voluntate Sanctissimo Patre, non abiturum sese à genibus eius. Flexit ea vis hominis tam validè perorantis Pontificis animum, licet obfirmatum; & indultâ impræsentiarum missione eminentissimam à Roberto dignitatem distulit ille tum quidem, sed non abstulit: nam quantumuis inuitum creatione alterâ se promoturum, vti dixit Cardinali Veronæ, ita fecisset haud dubiè, nisi priùs, secundo vix exacto mense Pontificatus sui, excessisset è viuis. Interim (quasi ita omnino vellet æterna prouidentia, quæ *miro ordine Angelorum ministeria hominumque dispensat*) Sacri primùm Officij Concilio adlectus; inde à Clemente VIII. assumptus in socium itineris, quod Ferrariam ille instituit, Episcopos examinare iussus est: denique, vbi rediit in Vrbem, diserto Pontificis imperio pridem contra omnes Roberti preces & lacrymas obfirmati, purpuram admittere est coactus. Et addebat pro ratione præcepti sui Clemens ipse, *quòd sapientiæ merito in Ecclesiâ Dei non inuenisset Roberto parem.* Eius vtique sapientiæ, quæ ex sancto Dei timore progenita *consummata iustitia est*, ac virtutum omnium quam vocant ἐγκυκλοπαιδεία: quarum in Bellarminum veluti congestarum testimonium non aliud, quàm ab ipsâ, quam gessit, purpurâ ac dignitate desumam. Nimirum, vti ad splendorem assumpti nominis illicò se produnt vilioris naturæ dedecora; ita generosa mens, & incorrupta virtus, non alibi magis, quàm inter honorum insignia elucescit. Non ille aulæ suæ parietes vestiri purpurâ passus est, illo præsertim tempore, quo pauperum nuda corpora importunum Romæ frigus inuaserat. Non ille aut sibi aut suis munerum Ecclesiasticorum titulos fructúsve corrasit, quin & reiecit oblatos Capuani

Robertus Bellarminus,

Cardinalatum deprecatur,

cogitur admittere:

à susceptâ dignitate submissior,

Archiepiſcopatus ſui prouentus annuos ita diuiſit, vt, diſtributis propemodum omnibus in Eccleſiam & egenos, ſuis ipſe neceſſitatibus vix, quod ſupererat, minimum reſeruaret. Non ille, Romam à Paulo V. reuocatus, vbi ſecum Vrbis & orbis gubernaculo aſſiſteret, induci vel ab ipſo Pontifice potuit, vt Archiepiſcopalis Eccleſiæ ſuæ, cui vltrà adeſſe non poſſet, titulum retineret: negans Paſtoris nomen, nedum fructum deberi, præterquam vni qui Paſtoris munere fungeretur. Quæ quidem & aliæ virtutes, quas modò diſſimulo, iam inde ab incunabulis adultæ cum Roberto, ita eum extulere omnium exiſtimatione communi, vt imis pariter ac ſummis, iniquis iuxtà & æquis rerum arbitris, fuerit in opinione dignitatis. Apud parentes ſuos & fratres eo fuit in pretio & honore, quo, ſi inuidiam excludas, ille olim Ægypti rector inter ſuos. Illum Scholaſtici collegæ, in omnibus vbique principem, amabant iuxtà ac venerabantur vti ducem. Illum Iacobus Lainez Societati Præpoſitus, etiam tum tironem, veteranum CHRISTI militem agnoſcit. Illum Gregorius XIII. Sixtus V. Clemens VIII. & quem antè nominaui, Innocentius IX. quemque præterire non audeo, Gregorius XV. cum ſuo nepote Ludouiſio (qui viri!) oraculi loco habent. Illius conſuetudinem Carolus Borromæus & Philippus Nerius, vterque ſanctiſſimus, ille Præſul, hic Presbyter, exoptant. Vna Roberti gratia Sabaudiæ Ducibus pretioſam reddidit familiam Bellarminam: Robertum Lotharingiæ, eumdem Alexander Parmæ, Maximilianus Bauariæ, ac Ferdinandus I. ac Coſmus II. Etruriæ Duces, officiis etiam ac litteris, coluere. Philippus Rex Hiſpaniæ Bellarminum, Cardinalem factum gratulatur & gaudet; Henricus IV. Rex Galliæ, Clementi VIII. vt ſurrogetur, expoſcit; illum Sigiſmundus Rex Poloniæ frequentiſſimis litteris conſalutat; illum Rudolphus, Mathias, Ferdinandus, Auſtriaci Cæſares, atque adeò tota illa Auguſta familia amore ſingulari ac veneratione complectitur. Multa ſunt etiam hæreticorum teſtimonia ſingularia de Roberto, ſed indigna tot inter tantorum Principum recenſeri. Vnum hîc tamen & alterum, auctorum diſſimulato nomine, conſignabo. Iudæum inter ſuos Romæ nobilem, de Bellarmino quid ageret interrogatum, dixiſſe ferunt: Hebræos propediem omnes à pertinaciâ ſuâ ad Eccleſiam acceſſuros, ratione non aliâ adductos, quàm ſi Catholici, præſertim Principes, ad vnius Bellarmini mores exigerent ſuos. Quin etiam Rex Angliæ cùm Bellarminum aſſiduè lectitaret, ita aliquando pronuntiauit; *Videri ſibi, ac dici ſanè poſſe, virtutem Bellarmini inuidiam mortalium omnium ſuperaſſe.* Talis ille cùm eſſet iudicio omnium, vni ſibi nihil ipſe tribuebat; quin æternorum conſiliorum dubiâ velut lance ſuſpenſus, hærebat aliquando non ſatis de ſalute ſuâ ſecurus. Illam itaque vt aſſereret, ſæpè petiit, & vix tandem imis precibus impetrauit à Sanctiſſimo Patre, vt redire ſibi liceret in eum virtutis locum, à quo violentè fuiſſet abſtractus, ac poſtliminio Religioſæ infantiæ velut reddito, ad matris ſuæ Societatis dilecta ſemper vbera reuerti; meliori inde ſucco reſtauraturus id quod reliquum eſſet Chriſtianæ vitæ, quàm educere adhuc, ex ſacrâ licet ſanctâque purpurâ, potuiſſet. Itaque, cùm annum ageret ætatis nonum ſupra ſeptuageſimum, innocentiſſimus reuerà

omnibus eſt veneratio-ni:

ſoli ſibi vileſcit.

uerâ ſenex, quò expeditiùs abiret in cælum ſuam, vti vocabat, domum, malitiâ verè paruulus, ad S. Andreæ Societatis Tirocinium ſeſe recipiens, illud patientiſſimi Prophetæ vſurpare meritò potuit: *In nidulo meo moriar, & ſicut palma multiplicabo dies.* Enimuerò non ita multò pòſt morbo correptus, illoque letali, mirum quantas totâ paſſim Vrbe commotiones excitauit animorum. Erant etiam de Primoribus, qui illud Eccleſiæ columen diutiùs, vel ſuæ vitæ impendio, ſeruatum vellent; erant & Principes in Vrbe viri, qui expreſſum de venâ ſanguinem, ac, ſiqua poſſent etiam à viuente corradere, religionis ergô ſeruarent. ipſi Pontifici Miſſale delatum, ceteri libelli precatorij aliis atque aliis pro vniuſcuiuſque conditione Purpuratis Patribus ceſſere. Tandem perductus ad extrema, iamque depoſitus, parem vitæ pientiſſimæ finem ſortitus, etſi illud ſolicitè etiam teſtamento cauerat, ingenti tamen & pompâ & veneratione delatus eſt in Patrum Societatis commune ſepulchrum, Deo ſerui ſui merita factis etiam à morte prodigiis conteſtante.

Iob 29.

cum magnâ opinione ſanctitatis moritur.

Habet & alios, eoſque antiquiores, Italia, ac præſertim ipſa Roma, Martinum Olauium, Hieronymum Natalem, Andream Fruſium, Cornelium Viſchaueum, Silueſtrum Landinum, Michaëlem Metauallem, Iulium Mancinellum, Sectarium Caputium, Simonem Bucerium, Fabium de Fabiis; &, quem dudum nominare debueram, Petrum Fabrum, primum Ignatij Socium, illum de Societate IESV Germaniæ ſub hæreticis laborantis primum Apoſtolum. Sed enim de illis, alibi de hoc etiam, deinde dicendum erit.

vti & plures de Societate in Italiâ.

Vnum ego Roberto Bellarmino ſanctiſſimo ſeni Bernardinum Realinum, & illum innocentiſſimæ vitæ virum emeritum, quaſi geminum adiungo. Carpis ille oriundus, cùm Lechos Societatem inuexiſſet, quantumuis aliò ſæpè vocaretur imperio Superiorum, & vocantes ille ſequeretur alacriter, variis ſemper iiſque ſupra naturam prodigiis eſt detentus: quaſi illum Deus (quod deinde ſecutum eſt) vrbi illi patronum inter Cælites prouideret. Igitur quadraginta ipſos annos inibi moratus, cum admirabili opinione ſanctitatis, tandem XVI. huius ſæculi, annis ſex octogenario maior exceſſit è vitâ: gratiſſimum ex effeto etiam corpore odorem latè ſpirans, indicem animæ incorruptæ. Mortem acerbam ciuibus omnibus excepit campanarum omnium totâ paſſim vrbe ſonantium lugubris tinnitus; ipſeque Bernardinus auctoritate Epiſcopi ac Senatorum, adlectus in Patrem ac Defenſorem populi ſui, ſalutem eius ſibi apud Deum eſſe cordi, iteratis ſubinde miraculis oſtendit.

Bernardinus Realinus

miraculis clarus

in Patronum vrbis Lechenſis electus.

CAPVT SECVNDVM.

Aucta Societatis exiſtimatio per Apoſtolicam ſanctitatem Franciſci Xauerij, & per ceteros in Oriente laborum eius ſocios atque æmulatores.

CVm annum vix alterum confirmata Societas totâ paſſim Italiâ, ac Romæ præſertim ſuo natali ſolo (ſi quod tamen illi natale ſolum eſt extra cælum) ſub felici IESV ſidere adoleſceret ex voto Patris, animis

mis plus quàm incrementis in dies facta robustior, breuî par orbi terrarum esse cœpit. Itaque incredibile dictu est, quàm pauci quantillo tempore Româ egressi, impellente eos Ignatij & vel maximè Dei spiritu, Orientem & Occidentem, Meridiem & Septemtrionem, hoc est, totum quà patet orbem, agendo patiendoque fortia peragrarint. Quos inter

Greg. XV. In Consi- [illegible] Secreta- rium sui voce respondens Relationi supr. citatæ.

enituit *vir ille Cælitibus magis similis quàm mortalibus Franciscus Xauerius; qui, legante Pontifice, & cogente charitate, Oceanum ingressus, iuuandos alio in orbe terrarum quæsiuit Orientales populos, quibus in mortis vmbrâ habitantibus oriens ex alto Euangelij lux nondum affulserat.* Non ille more ignis, qui vicinas depastus incendio siluas, sistitur obiectu fluminis, aut etiam reflante vento ad cineres suos redit; incepto destitit vnquam, nedum regressus ad suos est, reflante vel obsistente fortunâ: at cùm videret opulentissimam ex remoto prædam animarum, eius cupiditate sic exarsit, vt, vastissimo licet Oceano abscissa à nobis ac veluti reuulsa, sibi tamen adeunda illa, atque ad communem Ecclesiam, nullis impeditam terræ spatiis, reuocanda denique videretur. Adeò vt de cælesti eius quo ferebatur igne tantò iam antè distinctè prænuntiata dici possint illa quæ suo in Epithalamio diuinus ille Sponsus de immortali Sponsâ magnificè

Cant. 8.

decantat: *Lampades eius, lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt exstinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Verè enim lampades eius, hoc est Xauerij, lampades ignis, lampades erant Ignatij; quibus hic succensus ab IESV suo, deinde illum igne sic inflammauit,

Greg. XV. supr.

vt, quod de vtrisque Apostolico confirmatur oraculo, *compertum sit, cælestem duorum illorum hominum charitatem vastissimo coërceri non potuisse vnius orbis ambitu; quem vniuersum multis sæculorum ætatibus non audax Romanorum fortitudo peragrare victoriis, neque curiosa Græcorum sapientia illustrare litteris potuere.* Age verò (quando huius Xauerij, viri supra memoriam omnem & æstimationem omnino magni, nec obiter quidem attingi, nedum recenseri, possunt singula) pauca solùm, & quidem illa quæ ad commendandam eius apud mortales ac Cælites dignitatem faciunt, pari quâ de Ignatio antè fecimus fide & breuitate, percurramus. Fidem facient verba sequentia, quæ non Societatis homo quispiam pro suo priuatim affectu Xauerij studiosus, sed Nicolaus Zambeccarus Consistorialis Aulæ Aduocatus, & sacræ Congregationis Secretarius, coram Sanctissimo Domino nostro Gregorio XV. in publico Consistorio pro veritate, totius Orientis, orbis pænè dixeram, consensu testatissimâ, pronuntiauit. Breuitatem autem non nimiùm extendent, quæ simili fide cùm ex illo ipso, tum etiam aliunde habita, pauca subnectam.

Summa vitæ Xauerij ex Oratione habitâ in Consistorio publico à Nicolao Zambeccaro.

Sexto anno post ortum Ignatij claris nobilitate & pietate parentibus, in castello maternæ ditionis in Nauarrâ, cui Xauerio nomen, natus est Franciscus Xauerius. Lutetiæ Parisiorum dum litteris operam nauat, pater de illo domum reuocando cogitauit; reuocasśetque, nisi Maria Magdalena Francisci soror, quæ Gandiæ Discalceatarum Virginum sancti Francisci magnâ sanctitatis famâ Cænobium regebat, patrem per litteras admonuisset, vt Franciscum noui orbis Apostolum à Deo electum omni ope foueret in studiis litterarum. Prædictionem probauit euentus. Nam Lutetiæ spiritualibus Exercitiis ab Ignatio excultus, atque ad meliorem vitam traductus, interque Socios aggregatus, Romam

mam venit. Hic, fundatâ Societate, rogatu Ioannis Tertij Lusitaniæ Regis, ab Ignatio mittitur in Indiam, Orientalibus populis CHRISTO *adiungendis iussu Pontificis Pauli III. qui eum dignitate potestateque Nuntij Apostolici ornauit. Ex Lusitaniâ (vbi à Ioanne primùm Rege, deinde communi populorum appellatione, & ipse, & ob eius caussam reliqui Societatis homines, per Lusitaniam ac subiecta ei Regna Apostoli dicti sunt) in Indiam soluens, recusato viatico, precario victu vestituque, sub dio dormiens nautico super fune, ægrotis inseruiens, sordes eorum linteasque vestes abstergens, Sacramenta illis administrans, nautas vectoresque Christianis præceptis erudiens (quem morem in reliquis nauigationibus constantissimè tenuit) Goam peruenit. In hac vrbe sui Apostolatus initia positurus, pueros rudemque plebem tintinnabulo coactos in templum, cœpit nostræ Fidei rudimenta docere: adultos, in quorum plerisque nihil erat Christianæ rei præter nomen, à vitiis absterrere, atque ad Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta priuatis colloquiis, publicis concionibus, omnibus charitatis officiis prouocare. Fundato hîc Collegio Societatis, tamquam Indiarum Seminario, ipse, qui se segregatum nouerat in Euangelium ad omnes Orientis plagas, Goâ relictâ, Comorinum promontorium, oramque Piscariam margaritis nobilem petit, animarum auidior ipse quàm ceteri margaritarum. Inde disseminatâ vbique* CHRISTI *Fide discedens, Trauancoridis Regnum* CHRISTO *adiungit, tum Ceilanum insulam, tum auream Chersonesum, tum Mauricam regionem, tum alias atque alias gentes efferatas ac barbaras, tum Japoniam, vltimam Orientis oram, vbi numquam* CHRISTI *nomen auditum erat, Euangelio lustrat; indefesso semper animo, per immensa terrarum spatia, per aperta vitæ discrimina, contemptis exæstuantis Oceani fluctibus, piratarum latrociniis, incommodis infinitæ nauigationis. Nec contentus tot vbique locorum terras, tot maria docendis populis perlustrasse, tot insulas, prouincias, Regna Deo peperisse; à capite rem exorsus, in Sinas expeditionem adornat. Atque emenso iterum Oceano, in Sancianum insulam Sinis proximam defertur, Sinarum claustra, seuerissimis quamquam legibus custodiisque firmata, tentaturus. Vbi derelictus simul ab interprete, simul ab hospite, morbo correptus, desertâ in insulâ, in humili tugurio, in magnâ rerum omnium inopiâ, hoc vnum ægerrimè ferens, se iuuandorum hominum aditu prohiberi, ceterùm Dei desiderio videndi supra modum incensus, annos natus quinquaginta quinque, decennio post suum in Indiam aduentum, quarto ante Ignatij obitum anno, sanctissimè moritur. Indiarum Apostoli nomen consecutus, non tam aliorum prædictionibus, aut Lusitanorum Indorumque consensu populorum, quàm propriis virtutibus, quibus se Apostolorum ad vitam conformauit, ac donis atque miraculis, quibus ad Apostolorum gloriam illum extulit Deus: adeò vt toto Oriente non alio nomine, quàm Sanctus atque Apostolus appellaretur ab omnibus, etiam ab Ethnicis, qui ad eius sepulcrum accedere venerabundi, eiusque opem implorare consueuerunt. Et sanè (vt ceteras virtutes omittam omnes) quanta, quamque Apostolica fuit eius charitas, siue in Deum, cuius desiderio ita capiebatur, vt sæpè ardente vultu, flagrantibus oculis atque in cælum defixis, diuinitus attolleretur à terrâ, ac cælesti superaffluente lætitiâ, cui ferendæ impar erat mortale pectus, exclamare dulcissimè cogeretur:* Sat est, Domine, sat est? *aut in homines, quorum caussâ nullum laborem aut discrimen vmquam formidauit, tam insatiabili animarum siti, vt tot populis, Regnis, Regibusque ad*

Summa virtutum Xauerij ex eodem.

Deum traductis, totóque penè Oriente Euangelij luce lustrato, adhuc in primordio operum esse, atque angustus orbis terrarum ingenti eius animo videretur? Dona verò atque miracula quàm multa, quàm planè Apostolica fuere? Diuersarum gentium linguis, quas non antè didicerat, ita expeditè aptéque loquebatur, ac si apud eos populos natus educatúsque esset. contigitque non rarò, vt, dum apud circumfusam multitudinem diceret, variarum nationum homines illum audierint, suâ quisque linguâ loquentem. Quid rerum futurarum absentiúmque præsensiones ac vaticinia? E plurimis, quæ in eius actis legitimè instructis recensentur, vnum attingam. Lusitana classis, hortatu Xauerij aduersus Acenos incitata, dum è portu Malacæ soluit, prætoria biremis, saluis tamen militibus, submergitur in portu, spectante ciuitate atque omen infelicis exitus casum eius interpretante, simul in Xauerium instrepente, qui contra validam grauemque Acenorum classem, ducentos ac triginta Lusitanos milites in octo naues distributos animasset. At Xauerius pergere illos constanti animo iubet, quò Deus ad certam victoriam vocabat, eóque die pro vnâ biremi amissâ duas superuenturas. Superuenere ante solis occasum è Molucis biremes duæ, militibus omniq́ue apparatu bellico instructæ: séque, hortante Xauerio, ad reliquam classem adiunxere. Sed cùm post multos dies nuntius de classe nullus adferretur, spargitur ab Ethnicis rumor, Lusitanos ab Acenis contrucidatos. Xauerius mœstam solicitamque ciuitatem consolaturus, in concionem ascendit: & quâ horâ ad flumen Parles, quod Malacâ distat trecentis milliaribus, Lusitani victoriam vrgebant, occisis quatuor millibus barbarorum, & captis vel demersis eorum nauibus; ipse classium congressum describere primùm cœpit: deinde, Agite, inquit, Malacenses Deo gratias pro victoriâ, quam Lusitani hoc ipso temporis puncto reportant, tribus tantùm aut quatuor è nostris in pugnâ desideratis. Id vbi dixit, etiam diem designauit, quo illi spoliis onusti in patriam redituri erant. Omnia, vti prædixerat, ac si oculis illa spectasset, euenere. Iam verò miracula per illum, tum vitâ functum, patrata diuinitùs, tam multa, tam varia, tamque insignia sunt, vt profectò Xauerius nihil fecisse minus à magnis Apostolis, affirmari possit. Certè mortui ad vitam restituti, vt cetera taceam, quamuis in Relatione habitâ coram Sanctitate vestrâ, quatuor tantummodò numerentur, tamen non pauciores quàm viginti in actis proferuntur: vt profectò, cùm tanta Xauerij sanctitas, tantusque ex eius laboribus hominum fructus exstiterit, mirum non sit, si viro virtutibus ac miraculis inclyto, incensis populorum studiis, supplicibus Principum litteris, totius Indiarum Cleri precibus, flagrantissimis Lusitani Regni votis, ac penè generis humani consensu, cælestes honores ab Apostolicâ Sede contendantur.

Quibus quidem verbis etsi nec illustrius quidquam nec amplius, vel de sanctissimo quolibet viro dici posse videatur; quia tamen supra humanam commendationem omnem Xauerius est, adiicere audeo etiam naturæ calculum velut animatum, ipsiusque adeò Dei Cælitumque testimonium; quorum magnitudine cogor hîc ego de Xauerio, viro, vt antè dicebam, Cælitibus magis quàm mortalibus simili, intelligere Dauidis illud: *Minuisti eum paulò minùs ab Angelis, gloriâ & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.* Quid enim, seu consideres in illo florem virgineum animæ illibatæ, seu corporis anno plus integro in viuâ calce depositi formam & colorem non solùm constantem,

Xauerius dictus à Pontifice Cælitibus similis.
Psalm. 8.

ſtantem, ſed viuidum & ſuauem; ſiue illius nunc inter Miſſarum ſolennia ac ſæpè aliàs à terrâ ſuſpenſi; nunc toto per mare triduo impunè fluctuantis leuitatem, velut concretæ molis expertem; ſeu demum eiuſdem præſentiam pluribus locis & longè à ſe diſſitis ſimul exhibitam; an non hominis minus quàm Angeli in Xauerio deprehendes? Sed inferiora ſunt hæc. qualia verò, vt iam dicam, æſtimentur ea quæ illum Angelico cuiuis ordini quàm ſimillimum effecêre?

inſtar eſt Angeli in genere.

Angelorum nouem ordines ſiue turmas, ſiue, vt Theologi loquuntur, hierarchias tres ita diſtinxit Deus, vt infima terram & homines in illâ degentes, altera cælum & aëreas quas vocant poteſtates, ſumma denique Deum ſpectent. Angeli, Archangeli, Principatus velut legati ſunt ad cuſtodiam, conſeruationem defenſionemque mortalium: Poteſtates in elementa, Dominationes in cæleſtia corpora, Virtutes in media omnia imperium exercent, idque vel vrgendo conſentanea naturæ, vel ſupra hanc admirabilia procurando: in Thronis pleno diuinitatis illapſu veluti conquieſcit æterna maieſtas, Cherubinos illuminat increata ſapientia, Seraphinos accendit bonitas infinita.

S. Thom. 1.p.q.108. art.1.& 6.

Enimuerò Angelum, hoc eſt legatum ſiue miſſum, Xauerium loquitur, cùm Apoſtolici Nuntij à Paulo III. illi impoſita dignitas & delegata poteſtas, tum *glorioſum nomen Apoſtoli, quod fidelis Dei ſeruus Apoſtolicis factis & ſanctitate promeruit non ſolùm ſibi, ſed etiam ſuis: vnde quà Luſitanum Imperium per Europam, Africam, Aſiam, & nouum patet orbem, omnes de Societate* Iesv *Apoſtoli nominantur.*

Francif. Maria ſuprà fol. 10.

& in ſpecie, imò Archangeli, Principiſque hominum, vrbium regionumque tutelaris.

Ad cuſtodiam verò defenſionemque mortalium quid tandem in Xauerio requiras? Nota atque iam antè etiam inſinuata eſt eius animi larga benignitas, quâ omnes homines vbique terrarum vno velut amplexu continebat ipſe vnus; quâ immemor ſuæ dignitatis ac vitæ, immemor omnino ſui, non animos curabat ſolùm, ſed & deiectis corporibus ſeruiebat, vſque ad purulentam vlceris alieni ſaniem intrepidè hauſtam ore tam auido, quaſi ſi deliciis cæleſtibus paſceretur. Apoſtolicum illud, viſúmne dicam an ſomnium? quo ſub Æthiopis impoſiti ſuis humeris immani pondere ad expreſſum vſque ſudorem gemebat in ſomno Xauerius, quid indicabat aliud, quàm promptiſſimam ſimilis etiam obſequij præſtandi illis hominibus voluntatem? Illorum ille cauſsâ toties iactatus Oceano tam vaſto: illis toto aliquando triduo fluctuauit in tabulâ naufragus, ſuis ſe velis ac deſideriis ſuſtentans, ac dirigens in locum iuuandis hominibus opportunum: illos per ardentes arenas littorum Indicorum, illos per ſpinis & præacutis ſilicibus inſtratas Iaponiæ vias, ſæpè etiam torrentibus interciſas, & frigoribus infames, nudipes ipſe & ſacram inſuper ſupellectilem ſuis ferens humeris, conquirebat: illorum infinita corpora ſanitati reſtituit: illorum minimùm viginti emortua iam atque depoſita, & quandoque etiam tumulata, reuocauit ad vitam: illorum idem animas ad decies centena millia, & quod excurrit, ſuâ ipſe manu Sacramento elutas Eccleſiæ, & per eam ſaluti redonauit. En *alterum Angelum aſcendentem ab ortu ſolis, habentem ſignum Dei viui: & clamauit voce magnâ quatuor Angelis, quibus datum eſt nocere terræ & mari, dicens: Nolite nocere terræ &*

In Actis Canon. citatis à Nicolao Zambec. ſup. in Orat. f. 18.

Apocal. 7.

mari,

mari, neque arboribus, quoadusque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum. Illorum denique curandorum apud Sinas toties impedito studio ac desiderio tandem immortuus est, *ferens ægerrimè prohiberi se Sinarum aditu, vtpote qui totius Orientis salutem mente complexus, in primordio operum suorum stare se crederet: nec dubium quin si ei contigisset vt Sinarum expeditioni superstes Romam, quò ab Ignatio accersebatur, peruenirct, Occidenti quoque depositisque Ecclesiæ partibus fuerit pariter saluti futurus;* sensu, vt dicitur, accommodatitio expressurus in se Seruatoris istud effatum: *Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret vsque in Occidentem; ita erit & aduentus Filij hominis. Vbicumque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ.* Quas inter quis non agnoscit Xauerium, saluti Gentium quasi prædæ suæ, non vtique laniandæ, sed Deo seruandæ, semper intentum? *Admirabile illud,* inquit in Relatione suâ sæpè iam antè nominatus Cardinalis, *quòd, cùm magnis itineribus per montium cacumina numerosus Badagarum exercitus in Regnum Trauancoridis, atque Promontorium Comorini furens excurreret in ruinam Christianorum, quos ipse baptizauerat; Xauerius solus, inuictæ in Deum fiduciæ clypeo tectus, obuiàm barbaris processit, militesque seuerè increpauit. Stetit illicò exercitus immobili vestigio, nec progredi vlteriùs potuit. quin etiam ducibus pergere volentibus respondebant milites, progredi se nequaquam posse, & cernere è regione adstantem cum Xauerio virum quemdam magnum & maiestate terribilem, nigrâ veste indutum, qui eos terrebat; neque ardorem ex vultu atque oculis emicantem ferre se diutiùs posse. Quod cùm ipsi etiam duces experirentur, retrocessit totus exercitus, atque ab incepto destitit: victorque Xauerius Christianos, quos* CHRISTO *pepererat, à cæde & rapinis liberauit:* merito nimirum suo, & Ignatij auxilio, cuius, vt iam memini, appensum collo nomen gerebat in pectore, & cui *tanto Duci sacræ militiæ rudimenta Franciscus Xauerius approbauit.* Nec sanè video, cui præ Ignatio conueniat species illa viri magni, & maiestate terribilis, & nigrâ veste induti, & ardentis vultu atque oculis. Quæ quidem omnia in illum iam antè propositum rectè quadrant, docentque viuentis etiam tum, ac Romæ residentis, Ignatij præsentiam non tantùm Coloniæ ad solatium Kesselio, sed etiam in Indiis Xauerio ad auxilium fuisse concessam. Defendit ergo homines sibi commissos cum Ignatio Xauerius, dignus vterque vel ex hoc Angelico Principatu.

Tursell. lib. 5. cap. 10. Matth. 24. Rel. fol. 15. Greg. XV.

At cùm Malacam, vrbem in Indiâ Orientali celeberrimam & frequentissimam, sæua pestis inuasisset (quod propter ciuium peccata euenturum illi anteà discedens Xauerius prædixerat) breuique tempore quamplurimi paucis admodum superstitibus periissent; necdum desæuiret lues, sed maximè indies grassaretur. vt primùm corpus Patris Francisci, quod ex Sinis in Indiam afferebatur, eò appulit, & ex naui in vrbem delatum fuit; statim ac subitò contagiosus ille morbus omnino cessauit, nec ab eâ die mortuus vllus, aut morbo correptus fuit: sed adeò tota lues extincta est, vt tam pestiferi morbi deinceps ne vestigium vllum superfuerit.

Relat. sup. cit. fol. 54.

Quis ergo, si repetat animo seu depulsos ab innocentibus hostes, seu pestem latè grassantem subitò à nocentibus auocatam, quis, inquam, Xauerio non tribuat quod de tutelaribus Angelis canit Ecclesia,

Natu-

Naturæ fragili quos Pater addidit
Cælestis comites, insidiantibus
Ne succumberet hostibus?

Iam Angelicarum Potestatum est in elementa dominari: dominatus est etiam in elementa Xauerius, cùm toties precibus suis & ventos compescuit, & tempestates sedauit. *Xauerius instar est Angelicæ Potestatis,*

Quid porrò dicam de vi ac virtute effectrice miraculorum, quam nomine suo circumferunt cælestes illi spiritus, quos à tantis operibus appellatione desumptâ Virtutes cum Ecclesiâ nominamus? Enimuerò difficillimum esse duco, ac pænè infinitum, vnius Xauerij quæ prodita litteris sunt, & sufficientissimis approbata testibus, miracula recensêre; sed illa iam & nonnulla tetigimus, ac plura etiam posteà referemus. *instar Angelicarum Virtutum,*

Dominationes etiam quæ vocantur Angelicæ, quòd mouendis cælis astrisque præsideant, non solæ habent. Etenim & elicuisse ventos ac fulmina, & solem stitisse, prodigio illo vix semel & iterum iam inde ab ipsis naturæ principiis vsitato, alienum à Xauerio non fuit. *instar Dominationum,*

Erat adeò quòd suo quasi iure à tantarum molitione rerum interquiesceret aliquando Xauerius, nisi toto velut impetu in illum, quasi in Thronum illapsa diuinitas, quiescere eum & scientiâ & amore nimio prohiberet; hinc adeò emicabat illi cor à præsentiâ Numinis, ita pectus ardebat, sic arctabatur ab immensitate tantâ animus nimis angustus, vt nec se ipse capiens, neque Deum, cùm noctibus aliquando rigentibus sub diuo in oratione persisteret, visus sit & ambabus manibus tunicam à corde subducere, & auditus non semel exclamare verba illa toties iam & suauissimè decantata, *Satis est Domine, satis est.* dum interim & difflueret in sudorem ipse totus, & solueretur in lacrymas, & sursum eleuaretur ipso corpore, & animo suo, velut non iam vltrà mortalis, emicaret in cælum. *instar Thronorum,*

Intelligebat enimuerò non abdita tantùm & occulta naturæ, non solùm quæ latebant in secessu temporum & locorum, non modò quæ gerebantur in penetralibus humani cordis; sed multò maximè (vix Cherubinis inferior) Deum ipse suum, & in eo omnia cognoscebat. *instar Cherubinorum*

Quis ergo prohibere potuisset Xauerium, quo minùs IESVM *amores suos & omnia*, etiam dormiens loqueretur? quis illum arcere ab illo amoris statu, in quo Seraphini cælestis militiæ principes Deo proximi conquiescunt? quis demum amori Xaueriano modum ponere, cui & cæli angustus ambitus, & totius mundi videretur exigua magnitudo? Sanè quidem Francisco illi Seraphico (cùm à sanguineâ specie crucifixi, diuini cruoris quædam quasi sigilla imprimerentur manibus eius & pedibus, ipsique adeò cordi) visus est CHRISTVS velle concedere sui quamdam similitudinem & amorem. At verò cùm laboraret in Indiâ Xauerius, ac præsertim anno vitæ eius vltimo, cùm vehementiùs æstuaret, palàm conspecta est, collatis ritè temporibus, in paternâ ditione domoque Xauerij, crucifixi IESV lignea effigies in sudores largè diffluere, quasi Xauerij sui labores illos & sudores heroicos, animarum communi caussâ susceptos, non eius iam vltrà, sed suos esse vellet, illustri profectò argumento conspirantium inter se dolore & amore mutuo Xauerij atque IESV. *instar Seraphinorum.*

Magnum ergo lumen Orientis, ſed non ſolum, Xauerius fuit; plures ab IESV radij, plura à Societate, eiuſdem plagæ fortunata lumina prodierunt. Hæc inter verè eminuit Apoſtolicæ virtutis æmulus, geminuſque Xauerio Gaſpar Barzæus Zelando-Belga, oriundus ille ex humili, atque ex ipſo propemodum mari, ſed *paruus* initio *fons creuit in fluuium*, *&* (quod mirabere) *in lucem ſolemque conuerſus eſt*. Venit Gaſpar ex Belgio in Luſitaniam: humana ſi ſpectes, ſecutus heri ſui fortunam; at diuina ſi repute, prouidentiæ æternæ conſilio in meſſem Indicam ſocius laboranti Xauerio deſtinatus: nam in Sociorum IESV, hoc eſt, vt inibi dicebantur, Apoſtolorum, collegium à Simone Roderico cooptatus, poſitis Conimbricæ rudimentis Apoſtolicæ vitæ, & ſacris Catholicis initiatus, ſoluit in Indiam. Quid Goæ primùm, quid deinde præſtiterit, quid Armuſiæ in illo omnis impietatis domicilio, & colluuione nefandiſſimâ profligatæ religionis, vix toto ſeptennio perfecerit vnus Barzæus; aſſequi narrando difficile, nec huius aut loci aut temporis eſt. Loquentur etiam ſine voce quà Ethnici, quà Saraceni, perpetuo viri velut miraculo attoniti: hi magnum eum Chriſtianorum Sacerdotem appellabant; hi in Coranum ſuum, quò Chriſtianis intuliſſe pedem capitale eſt, prehensâ ad oſculum manu perducebant. Iudæi eumdem, cùm in ſynagogis ſuis ſabbato diſputantem audiſſent, Ioannem Baptiſtam Zachariæ filium nominabant. adeò Gaſpar IESVM etiam inter impios referebat, vt eodem apud eos loco, quo ille habitus olim fuerat, haberetur. Fuit vt accenſus zelo Domini, cùm videret opponi CHRISTO Mahometem, crucem compararet ingentem, quam cùm, puerorum piè pſallentium turbâ præuiâ, ad Coranum detuliſſet, & inibi defixiſſet intrepidus; Mahometanis qui inerant virtute crucis repentè dilapſis, ipſos aditus & valuas expiatæ per crucem impietatis cæmento & calce per fabros adhibitis obſerauit, religione Gaſparis de impoſtoris illius ſuperſtitione fœdiſſimâ triumphante. Præſens in vrbe tum aderat his omnibus Rex, & ille Saracenus; nec mutire contrà auſus: adeò Gaſparis eum virtus & vulgo maior natura peruicerant; quin & CHRISTO, quod ſtatuerat, adhæſiſſet, niſi territus & perſuaſus ab improbis, Regnum terræ quod metuebat amittere, cæli Regno, vt dicebant, à ſe longè poſito, prætuliſſet. Denique cùm Goæ peroraret in æde maximâ, illâ vi & efficaciâ, quam humanam eſſe negarent, ſtans atque depugnans, ipsâ in arenâ, ipſo in campo certaminis, defectis repentè viribus, exanimatus, non ita multò pòſt, dicente Spiritu, requieuit à laboribus ſuis; quos plures, quàm feciſſent decem alij quantumuis ſtrenui, pro Religione ſubiuerat; vnus, ſi vllus (quæ ſumma eſt Apoſtolici & nominis & honoris) ſuppar & ſimilis Franciſco Xauerio.

P. Gaſpar Barzæus, Eſther 10.

alter in Oriente Xauerius,

ſummâ eſt in veneratione etiam apud infideles,

deficit in ſacrâ cathedrâ, obitque propemodum ſtans; Apocal. 14.

Fuerunt ergo Franciſcus & Gaſpar naſcentis aut renaſcentis per Orientem Eccleſiæ geminum & vtrumque fortunatiſſimum ſidus. Plura ſanè eidem illi de IESV Societate nec obſcura ſidera præluxêre: ſed enim *numera ſtellas*, ſiue occiduas illas peracto iam curſu virtutis, ſiue alias in locum laboris & gloriæ hodieque ſuccedentes. Viam lacteam (quam Græci γαλαξίαν vocant) congeriem eſſe minimorum ſiderum ſunt qui putent, illac iter eſſe Heroibus ad æternitatem ſuperſtitioſa anti-

Gen. 15.

antiquitas existimauit. De illo decertent Astrologi, hoc figmentum esse doceant Christiani: ego sic statuo, Camertes, Gomesios, Henricios, Turrianos, Fernandesios, Villelas, Carnerios, Almeidas, Riccios, Cataneos, Mastrillios, & sexcentos alios, omnes de Societate IESV secundùm Xauerium & Gasparem Orientis Apostolos, & iter ad immortalitatem strauisse mortalibus, &, ne quâ aberrarent à viâ, lumen castæ fidei & admirandorum subinde operum præluxisse.

aliis subeuntibus in locum Apostolici laboris.

CAPVT TERTIVM.

Præclara de Societate fama per Meridiem, Occidentem & Septemtrionem sparsa ab Apostolicis earum regionum viris.

HÆc ad Orientem, sed non ad Meridionalem plagam Africæ eadem seges, nisi laborum & ærumnarum, fuit; nec sui tamen, etiam exantlandis & perferendis iis, de Societate IESV Apostoli defuere. Hos inter ille iam antè nominatus Pontificius in Tridentino Theologus, & subinde Societatis vniuersæ post Ignatium Præpositus Generalis, Iacobus Lainius, continentem Africæ ingressus est, eâ parte quâ Mediterraneo mari ab Italiâ Siciliâque diuiditur. Missus hic ab Ignatio comes Ioanni Baptistæ Vegæ Proregi Siciliæ, religiosissimo iuxtà ac generosissimo Duci, illam exercendæ & inculcandæ virtutis materiam inibi nactus est, vt dicere possit ex merito, non casu abiectus in terram, (quod ille mali ominis auerruncator) sed ruinas inter publicas stans erectus, *Teneo te Africa.* Pontificiis & Cæsareis auspiciis, occupatum nuper à Dracuto archipiratâ Aphrodisium bello petebatur. infestæ erant tempestates in mari, æstus, & maximè per æstatem, in littore Libyco intolerabiles: hostes morte iam deliberatâ ferociores, &, quod summum, vulnera ex his funeraque frequentia. sternuntur quandoque morbo ducenti ampliùs & quadraginta: illis seu viuentibus, seu morientibus, seu vitâ functis, omnia Christianæ pietatis officia impendit vnus cum socio Martino Cornozâ Lainius; atque, dum vel afflatu vno obuius quisque deiicitur, valentior ipse firmiorque consistit. Ducuntur ad vrbis oppugnationem milites, primus ipse hostilia inter tela progreditur. Tempestate furente animum perinde miles ac nauta despondent, hærentes vel attoniti metu, vel lamentis cuncta miscentes. Lainius diuino plenus solatio spem bonam inculcat, quin certam iis à periculo incolumitatem, vti euênit, constanter & magnâ voce denuntiat: adeò vt & ad salutem morientibus, & pugnantibus ad victoriam, & ad portum naufragis momentum attulisse magnum nec sine prodigio diceretur: in quo & excelsitatem animi inter quosuis terrores inuictam, & admirabilem rerum humanarum vitæque contemptum vt animaduertebant passim, sic impensè colebant & venerabantur vniuersi.

Iacobus Lainez è Societate IESV primus in Africâ,

Histor. Societatis par. 1. lib. 10. n. 88. & seqq.

proximo se impendit.

Sed age ab hoc littore, ipsam per Ægyptum, ad littus Africæ oppositum, quin etiam ad interiora Æthiopiæ Abassinæ, atque adeò Cafrariæ penetremus; visuri isthic aliorum actus heroicos, dignosque quibus

meritò prælusisse tantùm Lainij iam perspecta constantia videatur.

Histor. Societatis par. 2. lib. 5. & 6.

Ab Alexandrino Patriarchâ affulserat aliquando spes reuocandæ ad Catholicam vnitatem Cophtorum Ecclesiæ. Pius ergo IV. pro summi & optimi parentis officio, non aliunde quàm à Societate sibi deuotâ ad tantæ molis expeditionem idoneos petit. datus est Christophorus Rodericius præstanti doctrinâ vir, ac virtute etiam maior; additusque ei socius Ioannes Baptista Elianus, ab Hebræis ad CHRISTVM, & subinde ad IESV Societatem, traductus. illum Pontifex cum auctoritate Nuntij Apostolici Memphim ablegat, donis ad Patriarcham & monitis instructum. Peractâ nauigatione, faciles habuit accessus ad Patriarcham primos, sed difficiliores alios impostoris cuiusdam Abrahami Græcâ fide; qui cum collegâ quopiam Georgio sæpè à Christophoro conuictus, erroris simulationem dein in odium vertit. Sed enim veritatis illi nuntij nihil sibi à falsitate, nihil fideles illi Domini serui à perfidiâ metuebant. itaque quà Cophtos, quà detentos in Turcarum vinculis Christianos, etiam cum aperto vitæ discrimine, instruere, consolari, seruitute suâ & morte benè emi existimantes libertatem & vitam animarum. Et propè abfuit vt Ioannes Baptista agnitus ab Hebræâ matre & proditus, suam, quam profitebatur ipse & inculcabat aliis fidem, etiam sanguine testaretur; tantam illi felicitatem inuidente Christophoro, cùm diceret, non alio se voto magis quàm tolerandarum CHRISTI caussâ apud barbaros ærumnarum, atque adeò mortis ipsius, ad Societatem accessisse.

Christophorus Rodericius, socio Ioan. Baptistâ Eliano, Pontificius Nuntius ad Cophtorum Patriarcham schismaticum.

Sed calamitatum haud paulò plus, periculorum etiam multò plus, exhaustum est à Sociis in Æthiopiâ siue inter Abassinos, siue in Tongensi Regno inter Cafres.

Rex Abassinus in societatem cum Rege Lusitano, & submissionem Romano Pontifici propendet:

Rex Abassinorum Dauid famâ excitus earum rerum quæ prosperè à Lusitanis in Indiâ gerebantur, primò ad Proregem Alphonsum Albuquercium misit, qui amicitiâ iungi se cum Emmanuele Rege postularet; tum ad Clementem VII. etiam alterum delegauit, qui suis verbis Pontifici in celeberrimo Bononiæ conuentu, cùm Carolus Cæsar coronatus adesset, tamquam summo Pastori vniuersalis Ecclesiæ, solennem à se venerationem & fidele obsequium exhiberet. Ferebatur interim oraculo editum apud Ægyptios, futurum breuî vt Sacerdotes è remotis ad se regionibus mitterentur, & inter eos Patriarcha, qui Æthiopicam & Abassinam Ecclesiam coniungeret cum Romanâ matre omnium, à quâ per Dioscorum iam dudum antè secesserat. Fidem oraculi suscepit Claudius filius Dauidis atque successor; eamque vt impleret, à Ioanne Lusitaniæ Rege eius nominis Tertio impensè petiit, vt sibi suisque populis legitimum & rectè sentientem Patriarcham à Romano Pontifice impetraret. Ioannes pro suo studio propagandæ magis Fidei quàm Regni, Claudij votis vt satisfieret, eò mitti duodecim ex Societate IESV à Pontifice Ignatioque postulauit. Designatus ergo ad Apostolicam hanc, hoc est miseriarum plenissimam, Patriarchæ dignitatem Ioannes Nunnius Barrettus Lusitanus: additique illi Andreas Ouiedus Castellanus, & Melchior Carnerius item Lusitanus, qui Episcopi, &, si quid Patriarchæ contingeret, eius successores eligerentur. Nunnius perfunctus iam aliis in

Patriarcha ad illum destinatur Ioãnes Nunnius Barrettus, sociis Andreâ Ouiedo, & Melchiore Carnerio Episcopis.

in Africâ laboribus pro Fide & Christianâ charitate susceptis, ardebat ille quidem se suamque Deo & Religioni vitam ac sanguinem consecrare; sed speciosum nomen dignitatis adiunctum, animum latendi cupidum percellebat; donec vt susciperet iussus ab Ignatio (qui quâ erat perspicaciâ plus in illâ potestate futurum præuidebat oneris quàm honoris) tantam ad parendum attulit alacritatem animi, vt diceret nequaquam se recusare in nauem imponi, etiam agens animam (vt re ipsâ tum erat) ac vel postridie moriturus. Itaque & optimis ab Ignatio monitis, & sacerdotalibus ornamentis à Ioanne Rege, & sacris à Pontifice titulis instructus, cum Andreâ Ouiedo & Gonsaluo Silueriâ, vtrisque mox futuris Apostolis extremæ ad Meridiem Africæ, soluit in Indiam. Prosperâ in paucis nauigatione vsus Patriarcha, non caruit tamen materiâ impendendæ & ostendendæ virtutis. fœdam ad Bonæ spei promontorium tempestatem sedauit inspersâ fluctibus aquâ à se expiatâ. Tum, quod ad virtutem accedit etiam propiùs, personæ suæ & dignitatis oblitus, toto passim itinere deiectis morbo pluribus ministrauit ipsemet, & cetera impendit officia charitatis, quæ vllus aut à fideli seruo aut patre amantissimo exspectaret. Goam denique appulsus, cùm intelligeret ex Gonsaluo Rodericio (quem in Abassiam ad Regis animum penitiùs explorandum iam antè præmiserat Prorex) aditus in eam regionem Regnumque difficiles, nec temerè Patriarchæ ipsi esse tentandos; cupiebat nihilominùs iter ingredi ad commissum sibi gregem. & iniisset haud dubiè, nisi domestici pariter & externi, quorum placuerat audire consilia, penitus reuocassent. Ita denique retentus quasi vi, cupiebat vel exsolui honore dignitatis suæ, vel subire eius onus vsque ad expressum sibi sudorem & sanguinem apud populum Abassinum: nec aliter ad Lainium tum Societati Præpositum scripsit in Europam, vnicè contendens, vt per eum sibi & per Pontificem liceret abdicatâ dignitate culinæ ministeriis addici, & tutiori illic multoque suis olim peccatis congruentiori pœnâ multari. Et quidem, cùm id quod scripto habuerat in votis, etiam ipso opere haberet in vsu; planè ostendit titulos se & honoris insignia non nisi ad augendam virtutis exercitationem suscepisse. Collapsâ itaque spe profectionis Æthiopicæ, quasi præter ærumnas pro commisso sibi grege subeundas nihil exspectaret in terrâ, suo ipse zelo & igne consumptus, extinguitur, consummati apud Deum cursus & seruatæ fidei coronam à iusto Iudice recepturus: quam beatæ eius animæ impositam recèns cadaueri superfusus vigor & splendor affirmauit. In votum & locum sanctissimi Patriarchæ successit pridem iam consecratus Episcopus Andreas Ouiedus, qui, quod ille exoptauerat, apud infidam gentem & barbaram tulit fecitque cumulatè. Præmissus in Æthiopiam, viuente etiam tum Nunnio Barretto, honorificè magis quàm voluit acceptus est etiam à Rege; sed eum (quod noluit) alieniorem offendit à capessendâ Fide. multa egit quà verbo, quà scripto, quà publicis disputationibus; sed, suis etiam victis, cùm multi darent Ouiedo manus, Claudius Rex agnitæ licet veritati ferociter impieque reluctabatur. Tantisper ergo secedens ab aulâ Ouiedus, cum gemitu prædixit Regi cladem, quam paulò pòst desertus à suis, oppressus

in Indiam soluit:

vrget iter in Abassiam

prohibitus coire postulat exsolui dignitate à Pontifice:

sed vitâ exsoluitur à Deo, cum illustri indicio sanctitatis.

Ouiedus in Æthiopiã profectus, succedit in officium defuncti Patriarchæ:

cladẽ prædicit Regi obdurato contra Fidem;

à Mahometanis, in prælio miserrimè cæsus inuenit. Adamas dein suffectus in Regnum fratri Claudio, homo & ætatis indomitæ vitio, & Mahometanâ superstitione, quam in suâ nuper captiuitate didicerat, animatus in Christianos, cùm aduersum suæ crudelitati haberet Ouiedum, negantem, vtcumque Rex prohiberet, vmquam se defuturum muneri suo, ad quod obeundum, Deo & Dei in terris iubente Vicario, tantis itineribus in Abassiam ipse venisset, Rex impius innocentissimum virum mori iam paratum obtruncasset suâ manu, nisi à cæde eum interpositi cum Reginâ Proceres liberassent. Relegatus ergo cum P. Francisco Lopio in asperum horridumque saxum, & inibi iussus occidi, iterum & prodigio seruatus est. nam vxor Toparchæ, qui mandatum patrandæ cædis acceperat, insolitam ab humanâ nullâ caussâ lucem in Ouiedi tugurio conspicata, apud maritum, ipsumque cui affinis erat, Regem exoptatum Martyri supplicium est deprecata. Ita tum, & sæpè etiam aliàs, medios inter & in eum armatos Turcas vixit ille quidem; sed tamen non nisi ad grauiores quauis morte ærumnas & certamina reseruatus: id agente Deo, & fidelibus ibi relictis ad qualecumque solatium, & ad patientiæ meritum sanctissimo viro, & omnibus, quos de Societate IESV ad dignitates cogi fortè contingeret, exemplo perquam heroico; vnde & ipsi discerent, & doceretur vniuersus orbis, quales esse Pontifices oporteat eos, qui *sacerdotem in æternum* sudoribus suis obsitum, suo purpuratum sanguine, Pontificem Dominum IESVM & moribus & nomine circumferrent.

Varia eius pericula & ærumnæ.

Psalm. 109.

Quid porrò dicam de Gonsaluo Silueriâ soluenti in Indiam Patriarchæ sociorum altero, illo nobilissimo iuxtà patrum natalibus, & virtutibus suis integerrimo viro? qui Præpositi in Europâ, & Prouincialis in Indiâ munere perfunctus, CHRISTVM & Christianorum, imò hominum omnium animas terrâ marique circumferens, tandem socio Andreâ Fernandio in expeditionem Cafrariæ destinatur, nigerrimorum isthic degentium Æthiopum futurus Apostolus candidissimæ mentis. Quantos ille populos, quot Dynastas ac Principes adiunxit Ecclesiæ! quantis ille prodigiis barbarorum in se animos studiumque conuertit! quoties illo orante tumidi ira maris subitâ tranquillitate consternitur! securitatem scilicet aliis, labores sibi & pericula in itineribus plurima reseruabat. Fuit vt in continentem expositus ad Monomotapæ Regem iter intenderet, per deserta Cafrariæ insanis sæpè torrentibus & fluminibus intercisa; & erat ad sexcenta millia passuum emetienda talis via. hanc ille & pedes & onustus sarcinâ supellectilis sacræ, noui in morem Xauerij, quandoque etiam collo tenus tractu longissimo vadum tentans, ingreditur. Sed enim pauciores ac demissiores erant, tantæ licet, aquæ extinguendæ Silueriæ charitati, quæ in æternum alenda supremo eius sanguine seruabatur.

Gonsaluus Silueria primus Cafrum Apostolus.

Sunt & alij, & in primis quem suprà nominaui Silueriæ socius Andreas Fernandes: qui à morte Patris permanens in statione, vixit ille quidem, sed ita vixit, vt inter assidua discrimina acta homini vita nihil à continenti morte distaret. Sunt qui in Congum, siue Manicongum; sunt qui in cetera quà intima quà extima Meridionalis Africæ loca cum

ærumnarum iuxtà & animarum messe perquam vberi penetrarunt. Sed age, quoniam persequi cuncta non licet, quod in Oriente iam & Meridie velut cursim fecimus, traiecto in Occidentem Oceano, etiam ibi viuentium imò morientium CHRISTO de Societate IESV sanctissimorum hominum barbaris impressa terris vestigia relegamus.

Amphionem fabulæ memorant à cultu barbaro ad humanitatem traduxisse feros homines, sumptâ ex hoc occasione fingendi, ipsum saxa quoque & lapides cantu solo redegisse in ordinem construendæ ciuitatis. Ego verò si reputo immanes istos noui orbis ad Occidentem populos, præsertim eos quos Brasilos nominamus, si specto eorumdem ingenia inhumana illa quidem, & penitus efferata, ceterùm harmoniæ, quam vocant, musicæ quo nescio seu naturæ seu rationis impulsu auidissima; sic statuere mihi videor posse, primos eorum de Societate IESV Apostolos habendos esse Christianorum Amphionum loco, quando eorum operâ gens illa tam barbara, non sine continente prodigio, à cultu ferino ac barbaro ad humanitatem primùm, deinde ad CHRISTI cultum etiam ac spem salutis, adducta est. *Primi è Societate cultores Brasiliæ fuere velut Amphiones Christiani.*

Emmanuel Nobrega auctor tanti operis primus ab Ignatio missus cum Sociis in Occidentem: duxit ille per horrenda naufragia, per inhospitalia in hospites iura, per mille discrimina mortis & vitæ; in Prouinciæ demum formam vsúmque redegit ipsam (quis crederet?) apud Brasilos Societatem IESV. Nec defuere (vt omittam recensere eos qui cum Petro Correâ & Ignatio Azebedio quamplurimi suo sanguine solum salumque hoc Indicum rigauerunt) non, inquam, defuere duci Nobregæ de eâdem Societate triarij, aut, si vultis, Trium-viri, instaurando nouo orbi destinati, Ioannes Azpilqueta, Aloysius Grana, Iosephus Anchieta. de quibus ego viris omni immortalitate dignissimis, ne seorsim dicam de singulis, vnius eiusque postremi abripior prodigiosâ illâ apud omnem posterorum memoriam sanctitate. *horum Princeps Emmanuel Nobrega.*

Quid hic, & cum eo complures alij, laborum, quid incommodorum & ærumnarum sæpè pertulerint in subigendo tam sterili & infelici solo, testis est is qui dabat ferendi constantiam. *Plus viginti* (scribit ad Ignatium ipso sui aduentus initio Anchieta) *in pauperculâ domo, luto & lignis contextâ & paleis coopertâ, quatuordecim passus longâ, decem latâ, mansimus; nec tamen amplarum habitationum nos mouet desiderium, si quidem Dominus noster* IESVS CHRISTVS *in arctiore loco positus est, cùm in paupere præsepi inter duo animalia voluit nasci, multò verò arctissimo, cùm in cruce pro nobis dignatus est mori.* Et quadrabat habitationi suæ incolarum amictus & victus: illum enim nauticorum velorum frusta vtcumque consuta, & atro colore tincta, hunc olera & quæ nescio legumina non nisi aquâ cocta præbebant. adeò *non in solo pane* (nedum in deliciis) *viuit homo, qui semel illuminatus particeps factus est Spiritus sancti, & gustauit bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi.* Rudimentis his ad virtutem omnem erudita Iosephi virtus tantum denique profecit, vt, si spectes in eo miraculorum inusitatam mortalibus frequentiam, alterum eum Moysen inter Ægyptios; si oraculorum & abditissimarum rerum elocutionem, vimque noscendi, Prophetarum aliquem; si innocen- *Anchieta virtute & miraculis illustris.* Matth. 4. Hebr. 6.

 tiam,

tiam, etiam ferorum animalium vſu conſuetudineque teſtatam, Adamum alterum in paradiſo voluptatis; ſi denique opinionem inflammatæ in homines charitatis, verum Occidentis Apoſtolum, verum Iesv Socium iure dicas. Quid multa? eluctari mihi ex alto facilius ſit, quàm citò emergere ex hoc Oceano admirandarum virtutum; & erit ſubinde vt quæ de prodigiis ſunt, ſuo etiam loco aliqua referamus. Non patitur verò in Mexicanum & Perüanum Regnum, non in Paraquariam & Floridam excurrere, locorum ſimul & hominum illuſtrium multitudo. Quot illic Petros Rodericios, Franciſcos à Trento, Balthaſares Pinnas, Stephanos Auilas, pluresque reperturi Apoſtolicos viros?

Alij in Americâ Apoſtolici viri, &c.

At ſpectat ad Occidentem Hiſpania & Luſitania, aut veriùs ad Luſitaniam & Hiſpaniam ſpectat Occidens, quando hic detectus ab illis tranſiit primùm in ſocietatem communionis humanæ. Age ergo, priuſquam, totius orbis velut circulo circum Italiam quaſi centrum circumducto, ad Septemtrionem denique redeamus; reuocemus huc ex pluribus aliquot, qui in Regnis hiſce virtutum omnium feraciſſimis ad communem exiſtimationem ſanctitatis opinione floruerunt. Franciſcus à Villâ-regali, Ioannes Ximenes, Alphonſus Rodrigues, tres, vt vocantur, rei domeſticæ adiutores, quanta ediderunt ex humili etiam loco, quamque illuſtria exempla ſanctitatis! ſol nimirum haud vmquam fulget amœniùs, quàm cùm proximus occiduo mari, euibratis ex imo radiis, montium & nubium ſumma perſtringit. Franciſcus vitâ ad annum vſque ſeptuageſimum, partim in eâ Hiſpaniæ orâ quam Bæticam dicimus, partim in Floridâ, partim Mexici, per infinitas etiam à barbaris calamitates, ſanctè productâ; cùm denique obiiſſet, eam reliquit in animis hominum opinionem innocentiæ ſuæ, vt, cùm aliquid ſibi ex eius etiam habitu plurimi vindicarent, fuerit inter eos qui priùs expiaret in confeſſione animum, quàm ſacrum aliquod tam notæ ſanctitatis pignus auderet aſſumere, negans aliquid quod virum tantæ probitatis vel leuiter attigiſſet, poſſe apud peccatorem hominem ſine piaculo reſidere. Par Ioanni cum Franciſco & ſanctitas fuit, & opinio ſanctitatis; Alfonſo verò Rodericio fortaſſis etiam maior: hic in Maioricâ quam vocant inſulâ, Collegij Societatis Iesv ianitorem egit continentibus triginta tribus annis, fide & virtute tantâ, quam Cælites ſuâ conſuetudine, & ipſa aliquando Regina Cælitum ſuauiſſimâ compellatione Filij dignarentur, pluribus, etiam à morte, miraculis approbantibus ſanctitatem.

Et tantus quidem ſplendor ex humili, ſed maior etiam ardor ex ſummo fuit. Noti paſſim Araoſius & Buſtamantius. Didacus Martinius è Societate Iesv Sacerdos æſtu in Deum tanto rapiebatur, vt interdiu quater & millies repetitis actibus amoris bonitatem Numinis immenſam ſoleret amplecti. Balthaſar Aluares (ille cuius ope ſecundùm Deum creditur S. Tereſia plurimum hauſiſſe ſanctitatis illius in quâ tantum excelluit) quot quantoſque admiratores habuit æmulatoreſque virtutis ſuæ! Ioannem Ortunium in primis, & Franciſcum Cordubenſem de quorum primo Ludouicus de Ponte pro concione dicentem audiit Balthaſarem Aluares, ſe numquam legiſſe in Vitis Patrum Eremicola-

rum

rum res grandiores, quàm in Ortunio ipſe vidiſſet. Antonium & Franciſcum vtroſque Padillos, Franciſcum etiam Godoium,& Chriſtophorum Gonſalem, ceteroſque, quos enumerare longum foret, omnes religioſiſſimæ vitæ teſtimonio commendatos. & hi quidem ſi Balthaſaris exemplo & inſtitutione tanti, ipſe Balthaſar quantus fuit!

Ipſa profectò Tereſia, quæ Balthaſare à ſacris confeſſionibus vtebatur, cùm illi fors ad aram facienti præſens adſiſteret, oratione ſuſpenſa vidit eiuſdem verticem lucis affuſæ de cælo quodam quaſi diademate coronatum. Et hæc illa lux erat, quæ olim, & quidem illuſtrior, ſanctiſſimæ Patris animæ debebatur. de quo ipſa aliquando Tereſia Deo reuelante ita cognouit, ita retulit, ita litteris etiam propriis conſignauit, neminem eſſe tum in terris (& erant tamen eodem tempore vbique plures ſanctitate conſpicui) cum vno Balthaſare conferendum ſingulari apud Deum merito conſummatæ virtutis; adeoque locum illi inter Cælites eximium præparari. quod ipſum dein vitâ functa Tereſia, miraculo ſe videndam alicui offerens, confirmauit; addiditque eſſe ſe filiam Societatis, ſuæque olim ex eâ conſcientiæ arbitrum etiamnum in cælo agnoſcere & venerari. *Vitâ eius cap. 58. §. 1.*

Et huius quidem ſanctiſſimi viri res tam præclarè geſtas ſtylo ſuo, ſed magis etiam animo & imitatione complexus eſt Ludouicus de Ponte, virtutum tanti Patris ſtudioſus æmulator & vera progenies; adeò ille non tantùm ab illo facta ſcripſit, ſed etiam olim de ſe ſcribenda perfecit. Nec ſegniores ad perfectionem capeſſendam Hiſpanis his aliiſque permultis fuere Luſitani quàm plurimi: qui inibi complexi Societatem IESV fundatam à Simone Rodericio, Ignatij primùm, tum Xauerij in Indiam ſocio deſtinato, ſed Oliſipone iuſſo ſubſiſtere, longâ ſerie ſummoque ad perfectionem ſtudio propagati, paternarum virtutum ſectatores poſt ſe plurimos reliquere. nam (vt omittam Chriſtophorum Brigantium, Dominicum Ioanneſium, Emanuelem Valeſium, Ferdinandum Rodrigues, Alphonſum Nonnium Barrettum, Ludouicum Gonſaluum, Ioannem Rebellum, Petrum Fonſecam, Antonium Pinnam, &c.) quantæ quamque ſpectatæ probitatis fuiſſe neceſſe eſt Sebaſtianum Barradium, quem, cùm ſuggeſtum ille conſcendere prohiberetur à morbo, optabant tamen vel elinguem & immotum ſpectare qui perorantem audire conſueuerant? quo ſcilicet viri, vt aiebant, ſanctiſſimi vel adſpectu ſolo ſtimularentur ad virtutem. *Poſt Simonem Rodericiū plures in Luſitaniâ Socij ſanctitatis famâ conſpicui.*

Enimuerò iam dudum eſt quòd me hærentem in hiſce deliciis vocat ad ſe inuitatque Septemtrio. Sed quis calorem à frigore? quis ignem ab aquis & gelu? quis lucem exſpectet à tenebris? habet tamen, quantumcumque frigidus & tenebroſus, Boreas calores etiam ſuos luce pariter & ardore ſpectabiles: neque enim adeò nouum eſt, aut ſtellas è nocte, aut amœna de tenebris lumina promicare. Fuit ergo de Societate IESV Septemtrionis prima lux, & ante omnes ab Ignatio edita, Petrus Faber. Paſtoritiis apud Allobroges natalibus ortus eſt, paſtor ipſe ouium cuſtodiæ deſtinatus à puero; quaſi (quod vſitatum eſt magno Numini) etiam in hoc ſubſecuturam aliquando gratiam natura & conſuetudo viuendi præuia deſignarent. enimuerò tantum illius, in agreſti licet ſo- *In Septemtrione multi ſanctitate illuſtres: in primis Petrus Faber:*

litudine, iam tum diuinorum capax animus ſupra annos adoleuerat ad virtutem, vt ætatis duodecimum vix egreſſus, teſte & inſpectante cælo, ſeruandæ in æternum continentiæ votum ritè conciperet. hoc Apoſtolicæ vitæ rudimentum fuit. Itaque per ſummas rei familiaris anguſtias eluctatus denique ad apicem perfectionemque doctrinæ, virtutem, quam nondum ſatis imbiberat, ab Ignatio tandem hauſit, & fouit intus in animo auiditate tantâ, eius vt vnius quodam velut igne correptus, omnem curandi corporis curam & ſenſum amiſiſſe videretur. plures aliquando dies, atque adeò ſex etiam continentes, tranſigebat omnino ieiunus, noctes integras meditandis cæleſtibus, eaſque ſub dio & hieme perfrigidâ, conſperſus altâ niue, & ab hibernâ glacie rigidus, conſumebat. Nihil videlicet mediocre ſpondebat ardor ille tam inſolens, nec ſegnem fore CHRISTI militem tirocinium tam nobile promittebat. A ſacro Tridentino Concilio euocatus eſt ad grauiſſimas de Fide quæſtiones Theologicè ponderandas: à Regibus, Rebuſpublicis, Electoribus & Principibus Imperij, Archiepiſcopis, aliiſque ad conſilium & auxilium contra hæreſes adhibitus: in Germaniam primùm euocatus, inde in Hiſpaniam, tum in Germaniam iterum, ad fulciendas res Coloniæ deſperatiſſimas ſub hæretico Præſule, mox in Belgium, Luſitaniam, Hiſpaniam, ac denique Romam, impreſſis vbique veſtigiis Apoſtolicæ ſanctitatis. Nec alteri ſanè quàm Romanæ Eccleſiæ tam fidelis animæ depoſitum debebatur. Feruebant caloribus omnia infeſto Caniculæ ſigno: Faber ipſe æger ex febri, & tamen, ne ſic quidem quietis aut otij patiens, Romam pergebat Ignatij monitu: non iter hoc inde vſque ab Hiſpaniâ venienti, ſed (quaſi per continentes concionatorum exedras, per ſcholarum perpetua pulpita, per iunctas rudium, orphanorum, pauperum & ægrorum domos ambularet) non interrupta contentio fuit. Romam vt attigit, & recrudeſcente iterum morbo, & vel maximè zelo ipſe ſuo conſumptus, paucos intra dies in ætatis ipſo robore cum luctu omnium incredibili extinguitur, præcipuum Societatis columen, & vniuerſæ, ac Germanæ præſertim iam fatiſcentis & nutantis, Eccleſiæ firmamentum. Sed enim (quod multos vbique afflictos deſiderio tanti viri mirificè recreauit) ſcripſit Gandiâ Romam Ouiedus, viſum illum ipſo deceſſus tempore immortali apud Superos gloriâ radiantem. Gandienſes quidem, accepto de morte nuntio, diem ipſum obitus tamquam natalem deinceps feſtum egere: & Ouiedus inſuper, quoad ibi moratus eſt, candidum in Vrbem cereum miſit annis ſingulis, Ignatium rogans, vt ardentem eum tumulo Fabri iuberet imponi; eſſe id priuati ſui cultus teſtimonium, quoad (vti futurum ſperabat) communi & publico celebraretur.

Claudius Iaius Fabro ſuppar.

Quaſi alter eſſet Petrus Faber, ita & alibi, ac præſertim ſe in Germaniâ geſſit Claudius Iaius, & ille ex primis Ignatij Sociis: vnus plurima lycea Germaniæ quà docendo publicè, quà priuatim adhortando, percurrit: à Concilio Salisburgenſi expetitur, à Tridentino obtinetur: Ducibus Regibuſque, ad tutandas ab hæreſi ditiones, cùm ſimul pluribus eſſet in votis, diſtrahebatur velut in partes, vnus omnibus adeſſe percupiens. Ingerebat Tergeſtinum Epiſcopatum Rex Ferdinandus, ſed

Iaius Rege ipso potentiùs repugnabat. Ferrarienses etiam Principes obtrudunt aulæ suæ magnifica commoda: sed ille ait se libentiùs inter ægrorum pædores, quàm aulæ odores blanditiasque versari. Viennæ demum non diuturno illo quidem aut graui morbo, sed languore consumptus, eo qui ex tutandæ Religionis inexhausto studio nascebatur, abiit in cælum, vt eximia eius virtus & vulgo etiam perspecta sanctitas testabantur. Fuit in amplificandâ & propugnandâ Catholicâ Fide apud Italos, Bauaros, Sueuos, Austriacos, ceterosque Germanos laboriosus in paucis. Pluribus in Conciliis pro Deo & Ecclesiâ strenuè fortiterque se gessit. Summus apud alios, apud se vix vllus: verbo, Angelus Dei, pater patronusque Catholicorum, ipsiusque adeò Germaniæ verus Apostolus, à pluribus iisque viris sæpè maximis nominatus. Laborasset vtriusque huius viri obitu Germaniæ res Catholica, nisi illis animis alij & virtute gemini successissent Nicolaus Lanoius, & Canisius etiam Petrus. cuius quidem posterioris sanctitas (vt obiter hoc dicam, dicendum pleniùs loco suo) non obscuris indicata, etiam à morte, prodigiis opinionem etiamnum & mortalium animos occupauit. *Nicolaus Lanoius & Petrus Canisius priorum Apostolici successores.*

Habet & Gallia, quoniam & illa Septemtrionem spectat, suos de Societate spectabiles viros, eo præsertim nomine commendanda, quòd deberi ipsi videatur (tamquam in quâ principio Societas coaluit) quidquid ab illâ sparsum est seminis tam præclari. Habent Parisij, quæ sunt velut incunabula nascentis huiusce nostri Ordinis, mortale depositum innocentissimi viri Paschasij Broëti: quem cùm impensa nimiùm charitas inibi detineret, eadem illa pestis exstinxit, quæ octoginta hominum millia dicitur absumpsisse. Multa sunt quæ adferri de illo possent ad commendationem exemplumque virtutis. sed videor ego mihi nec breuius nec illustrius adferre testimonium posse, quàm quod ipse de illo Ignatius consignauit. Petebatur à Rege Lusitaniæ, & mittendus aliquis è Societate in Æthiopiam Abassinam Patriarcha Pontifici videbatur. delectus mandatur Ignatio: vnum ille præ omnibus Paschasium nominat; &, quâ erat prudentiâ, minimè humanâ, nedum præcipiti, electionis suæ rationem tradit hoc scripto: *Paschasius*, inquit, *ante omnia ita est vir bonus, vt à nobis quasi Angelus in Societate habeatur: deinde præter scientiam, quâ pollet plurimùm, in visendis Episcopatibus & Monasteriis habet vsum. quippe qui, præter alia, etiam Nuntius Pontificius versatus est in Hiberniâ; adeò vt eiusmodi negotia nemo vnus in Societate æquè tractarit. ille autem sic tractauit, vt ad quamcumque rem manus adhiberet, operam suam mirabiliter probaret.* Ingens profectò virtutis encomium à moderatissimo, & laudum ac superelationis adhibendæ parcissimo viro. Isset ergo in Æthiopiam Patriarcha Paschasius, si carere illo Gallia potuisset. Sed habuit illa, habetque etiam, plures è Societate sanctissimos adhuc viros, Edmundum Augerium, Claudium Rastellum, Thomam Barbisphirium, Petrum Cottonum, & ceteros; hoc magis ad laudem patientiæ, prudentiæ, innocentiæ omnisque sanctimoniæ exercitatos, quò illos Gallia, virtutum non lenis exactrix, sicut seueri patres, iam inde à teneris, etiam vixdum natæ Societatis initiis, duriùs educauit. *Gallia primæ nascentis Societatis quasi patria.* *Paschasius Broëtius.* *Ignatij de virtute Paschasij testimonium.* *Plures in Galliâ virtute conspicui.*

Quid porrò de Angliâ illâ, siue cùm militauit, siue cùm rebellauit, Eccle-

plures item in Angliâ, Poloniâ & reliquo Septentrione.

Ecclesiæ, altrice fecundissimâ sanctitatis? Habet illa suos Campianos, Walpolos, Garnetos. Quid dicam de Poloniâ ceterisque Oceano Boreali adiacentibus vastissimis Regnis? Quid? potuisset dudum illa, nisi obstitisset impietas, quantumuis emarcida pridem & mortua, calore sanguinis à Sociis tam copiosè profusi, & ardore pietatis tam impensè propositæ, respirare.

Expenditur Dei prouidentia in hac tantorum virorum partitione per orbem vniuersum.

Atque hi sunt quos adhuc enumeraui, variorum quidem Societatis ordinum, vnius tamen cohortis, vnius IESV CHRISTI militiæ ductores egregij; quibus ipsa Societas *ad maiorem Dei gloriam* non sine commendatione sui nominis est enisa; eiusdem omnes animi & voluntatis, sed quadam prouidentiâ Numinis ætate, indole & virtute varij, prout scilicet varia variorum ratio munerum postulabat. Quid enim (vt hoc iterum dicam de quibusdam, iisque in suâ parte præcipuis, verbo velut vno) quid fortius Ignatio, quid prudentius? tali opus fuit, vt esset qui Romæ, hoc est in centro terrarum, & totius Ecclesiæ sanctissimo velut vmbilico, attentus & immotus staret, ad constituendam regendamque Societatem suam, inde à se ad vsque extremos circumiacentis orbis terminos propagatam. Xauerio autem illo vltimi Orientis, atque adeò, si mentem hominis & inflammatissimam voluntatem spectes, mundi totius Apostolo, quid ardentius sanctiusque? ita poposcit necessitas, quo nimirum ignauus ille populus ad virtutem, torpensque ad cultum veri Numinis, subiecto velut igne tanto succenderetur. Quid ille tot prodigiorum in Occidente patrator Anchieta? Barbaris in Brasiliâ (hominibus dicam an belluis?) quàm necessarius! vt scilicet illi & stupore quodam naturæ crassioris velut attoniti, & magorum incantationibus perpetuisque præstigiis sopiti omnes aut fascinati, haberent à Doctore suo, quo tamquam coruscatione per noctem subitâ excitati, & impetu subinde vehementi admoniti, postliminio tandem rationi, sibi, Deo, à diuturno quasi somno redderentur. Iam Petri Fabri, alteriusque etiam Petri Canisij, gemini (dicere liceat) nutantis à CHRISTO Septemtrionis fulcimenti, & ceterorum reducendis illic ad Ecclesiam miserrimis populis insudantium, conspirans cum virtute innocentissimâque vitâ doctrina solidior, quantam nationi infelicissimè deceptæ addidere facultatem, & corrigendæ profligatæ vitæ, & agnoscendi erroris sui? Quid denique submissius ad despicientiam sui, ad malorum omnium tolerantiam quid patientius Andreâ Ouiedo & sociis, quos ad Australem Africam ornatos, imò oneratos, ærumnosæ dignitatis insignibus Pater & Pastor communis omnium destinauit? Sic profectò decuit, vt abstractus ille iam olim à Romanâ tamquam nimis arroganter in omnes latè terras dominante Ecclesiâ populus Abassinus, à submissis sibi Patriarchis viuo velut in speculo disceret, quantum absit à dominandi existimatâ libidine Romani Pastoris cura communis, qui sic toto sparsos orbe filios omnes amplectitur, vt solicitum patrem se, non arrogantem dominum esse testetur.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

De purpurâ, quam sibi Societas IESV *à sanguine Martyrum comparauit, & gloriosâ cæde fortium virorum.*

SOlenne fuit in Republicâ Romanâ, vt qui dignitatem ambirent, procederent induti togâ candidâ, essentque ac dicerentur candidati: innocentiam videlicet, quam sponderent animo, etiam corpore præferentes. qui verò publicum iam cum dignitate munus gererent, ij purpuram prætexerent togæ candidæ, & ab eâ prætextati dicerentur. Fuerit ergo candor in togâ speratæ signum gloriæ, purpura certè argumentum fuit obtentæ iam apud homines dignitatis. Hactenus visa Societas IESV pia, innocua, sancta; verbo vno, debitæ virtutibus gloriæ candidata: superest vt illam suâ etiam purpurâ, hoc est, suorum sanguine prætextam, siue prætextatam, obtentâ iam gloriâ, videamus. *Societas innocentiâ candida, martyrio purpurata:*

Non est species vlla suauior, quàm conspirantis cum rubore candoris, vt si rosæ puro lacte natent folia. nec illustrior est innocentia, quàm cum sanguine comparata. Etiam Cælitum admiratione digni sunt, qui *lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni*, candore simul & cruore conspicui. Apocal. 7. Etiam *rubrum est indumentum eius, qui venit de Edom, formosus in stolâ suâ, gradiens in multitudine fortitudinis suæ.* Isaiæ 63. Quo gloriæ suæ indumento quemadmodum Ecclesiam vniuersim, singulasque priuatim Religiosas Familias, multis iam sæculis innumerorum Martyrum laureâ decoratas, voluit amiciri; ita hanc minimam Societatem inde ferè ab exortu suo gloriosè exornauit, vt inter purpuratos Ecclesiæ ordines non sine suo merito locum sortita, & venisse de tribulatione magnâ appareat, & lauisse stolam suam & dealbauisse eam in sanguine Agni: Apocal. 7. facta suo cum IESV sanctitate candida, suo cum IESV martyrio rubicunda, cruore purpurea.

Et verò suauem Numinis prouidentiam quis non agnoscat? Induci in Societatem vera martyrij laurea non poterat, nisi vnius Summi Sacrorum Antistitis voce atque auctoritate, suo comprobantis assensu, violentam eam cædem habere testimonium IESV, & Religionis odio vti crudeliter illatam, ita constanter toleratam fuisse. Tot autem fortissimi Heroës in omni orbis plagâ inuictam animam per vulnera & cædem posuerant barbarorum immanitate, dignissimi certè ex plurium scriptorum testimonio, qui Martyrum fastis adscriberentur; differri tamen eam solennitatem placuit, vt à Iaponiæ crucibus prima Societati gloria affulgeret: nimirum vt Duci suo in hoc quoque similis Societas, etiam inde referret purpuram, vnde primus is retulerat qui venit *tinctis vestibus de Bosrâ*, & regnauit à ligno. *gloriam martyrij à cruce habet.* Protomartyres igitur beatissimi Paulus Michi, Ioannes de Goto, Iacobus Ghisai dicendi nobis æternumque celebrandi sunt, etiam cum applausu, scio, ac gratulatione Antonij Criminalis aliorumque, qui propemodum quinquaginta annis præcessere. Hi primi cum approbatione Romani Pontificis Vrbani VIII. solennibus aris impositi, publicum Ecclesiæ cultum

venerationemque acceperunt: redundante in Societatem quasi matrem filiorum gloriâ, cuius purpura nullius obtrectatione iam in dubium posset reuocari. sed istorum Protomartyrum *publicâ Religione consecrata virtus*, vt ille ait, *nullâ priuatâ laudatione indiget.* Ante hos tamen quot qualésve Heroës vtrumque orbem suo sanguine irrigarunt, fortitudinis Christianæ constantiæque miracula! *Infinitum esset numerando percensere* (scripsit olim Didacus Payua de Andrada auctor locuples, & testis idoneus) *quot huius Sodalitatis viri in hoc docendi Euangelij, atque Indicos homines ab impietate auocandi munere, verberibus cæsi fuerint, quot vinculis obstricti, quot in carceres contrusi, quot mediâ ferè consumpti, quot denique ob* CHRISTI *nomen varijs cruciatuum generibus interierint.* Hæc, inquam, ille olim scripsit, antequam primi è Iaponiâ illi Martyres in crucem sublati, veluti in signum erigerentur, ad quod multò densiore agmine è Societate nostrâ fortissimi quique viri deinceps accurrerent; & nostrorum aliorumque Religiosorum verbis exemplisque animati, omnis ætatis, sexus, ordinis homines, pueri etiam ac puellæ, turba magna quam dinumerare possit nemo. Sed CHRISTI Vicarium Pium V. sanctitate doctrinâque clarissimum audiamus, anno superioris sæculi septuagesimo primo, qui erat à conditâ Societate trigesimus primus, Societatis alumnos benignissimo fauore prosequentem, & magnificè collaudantem, *quòd non contenti terrarum finibus, vsque ad Orientales & Occidentales Indias penetrauerint; ac eorum aliquos ita Domini amor perstrinxerit, vt etiam proprij sanguinis prodigi, vt verbum Dei inibi efficaciùs plantarent, martyrio voluntario se supposuerint.* quo quid illustrius ad gloriam à summâ in terris auctoritate dici potuit? An non in alumnis suis *proprij sanguinis prodiga* Societas, & *martyrio* decorata, Pontificio oraculo tum pronuntiata est? quamuis sigillatim non enumeret definiátve, quorumnam potissimùm ea fuerit mors, quæ martyrium ab Ecclesiâ appellari possit.

Valer. Max. lib. 5. cap. 2.

Lib. 1 Orthodox. explicat.

Multi in Societate Martyres.

Bulla, *Dum indefessæ.* ann. 1571.

Thomas Bosius, notissimæ vir eruditionis, libro de Signis Ecclesiæ, quem anno superioris sæculi nonagesimo primo emisit in lucem, etiam ante exortas in Iaponicâ Ecclesiâ tempestates, quo capite ostendit perpetuam inter Catholicos Martyrum esse seriem; & his quoque temporibus eorum sanguine decorari CHRISTI Ecclesiam, qui non ob aliam caussam cæsi sint, quàm quòd nobiscum de Religione sentirent, nemini porrò nocerent, præsertim dum CHRISTI cultum disseminant inter Gentes, ita loquitur: *Anno* M. D. LXXXIII. *in Indiis Orientalibus ad insulas Salsetanas prope Goam sitas interfecti è Societate* IESV *Rudolphus Aquauiua, Alfonsus Paciecus, Antonius Franciscus, Petrus Bernus, Franciscus Aragna, quòd rei Christianæ propagandæ in iis locis studerent. Ante hos eodem sæculo occisi ob eamdem caußam Cocini Franciscus Lopesius, Alfonsus Castrius in insulis Malucchi, Antonius Criminalis, & Aloysius Mendez, omnes è Societate* IESV *in orâ Comorinensi.* Rutilius Benzonius Lauretanus Episcopus, qui ineunte hoc sæculo doctè scripsit de Iubileo, vbi eos enumerat qui priore sæculo generosè in Dei causâ occubuerant, catalogum habet nonaginta octo clarorum pugilum de Societate: quibus Hilarion de Costa in Historiâ, quam Catholicam appellauit,

Lib. 7. sign. 27.

Lib. 1. de Iubil. c. 9.

Lib. 1. in Vitâ Ant. Criminalis.

uit, reliquos quamplurimos attexuit, perscriptâ etiam copiosiùs quorumdam vitâ. At Ribadeneira noster ad annum M. D. LXXXV. quo B. Ignatij vitam ac gesta conscribebat, qui tantùm erat à conditâ Societate quadragesimus quintus, septuaginta septem de Societate ab hæreticis Ethnicisque CHRISTI caussâ memorat interemptos: atque ex iis viginti quatuor exquisitis tormentorum generibus, sæuiente Ethnicorum Mahumetanorumque feritate; alios quinquaginta tres odio ac crudelitate hæreticorum, siue in mari cum Ignatio Azebedio, siue in Angliâ, reliquâque Europâ. vt vel *hoc etiam argumento intelligamus*, inquit, *Familiam Ignatij familiam Dei esse, non secùs atque reliquos sacrorum hominum cœtus, quos alij sanctissimi Patriarchæ diuinitus instituerunt*, quorum alumni omnibus sæculis tuendæ Religionis caussâ atrocissimis suppliciis corpora sua obiecerunt. Ita tum quidem Ribadeneira; sed amplior profectò illustriorque series eius Catalogo quem de Scriptoribus Societatis pertexuit, subnexa est ad annum huius sæculi duodecimum: quam consequentes dein anni tam illustribus viris auxerunt condecoraruntque ad hunc vsque sæcularem, vt, quasi crescente pro CHRISTI caussâ durissima quæque tolerandi cupiditate, posteriora tempora palmam prioribus eripuisse videri possint, in illâ præsertim fecundissimâ Martyrum Iaponiâ, vbi magnanimi Spinolæ, vbi inuicti Chimuræ, aliorumque plurium nimis coruscant incendia, & in hunc vsque orbem flammas spargunt: vbi ex illis scrobibus clamat de terrâ fusus tot Heroum sanguis, vbi cateruatim ruitur in gloriosa certamina, eò auctiore semper numero hactenus quò cæduntur plures. In Vitâ B. Ignatij lib. 2. cap. 19.

Ex Angliâ verò quid gloriæ Societati primo sæculo obuenerit, Cæsar Baronius Ecclesiasticæ Historiæ Scriptor celeberrimus pro me dicet: vbi de S. Thomâ Cantuariensi disseruit, ita pergit: *Videre meruit sæculum nostrum hac ex parte felicissimum quamplurimos Thomas, sanctissimos Sacerdotes, aliosque nobilissimos viros Anglicanos, ampliori (liceat dicere) martyrio coronatos, duplicisque tituli coronis auctos; cùm non solùm, vt Thomas, pro Ecclesiasticâ libertate, sed pro Fide Catholicâ tuendâ, restituendâ ac conseruandâ, nobilissimo martyrio occubuerint; vt inter alios quos nuper sancta Societas* IESV *velut agnos innoxios in sacris septis, sanctis eruditionibus ad martyrium, acceptissimas Deo hostias, saginauit; quos Romanum, quos Rhemense sacra Collegia (quæ dixerim celsas turres à facie Aquilonis, & fortissima propugnacula Fidei) emiserunt ad triumphos, & prouexerunt ad coronas. Macte animo, macte virtute, Anglicanorum nobilissime ac gloriosissime cœtus, qui tam illustri militiæ nomen dedisti, ac sacramento sanguinem spopondisti: æmulor sanè vos Dei æmulatione, cùm vos martyrij candidatos, ac nobilissimos purpuræ Martyres designatos adspicio.* In Annotat. Martyrol. Rom. 29. Decemb.

Sed satis hæc modò commemorasse obiter, superiore Libro abundè recensita. Societati nostræ tantùm hîc gratulari mens fuit de fortissimorum virorum virtute, eâque gloriâ ac purpurâ, quam ex iis primo hoc sæculo est consecuta. Erit fortassis aliquando tempus, quo, accedente Summi Pontificis nutu atque auctoritate, omnem fidenter recensebit gregem, diceturque de eâ, quod de Ecclesiâ Hieronymus scripsit; *Persecutionibus creuit, martyrio coronata est.*

Mira quædam in horum cæde.

Ribadeneira Centuriâ Martyr.

Eam interim gloriam non mediocriter confirmant illustrantque quæ in quorumdam cædibus mira atque stupenda accidêre. Alphonsi à Castro in mare deturbatum corpus, tertio pòst die in littore inuentum est multo lumine circumfusum, vulneribus adhuc recenti puroque sanguine manantibus. Gonsaluo de Tapiâ, capite iam ac sinistro brachio truncato, dextrum abscindere numquam potuêre, cuius in manu duos digitos crucis in modum conformatos habebat. Postero die inuentum à Christianis corpus, verso in terram pectore, eodem brachio, quod rescindi nequiuerat, quasi ad tum etiam sustinendum crucis vexillum, è terrâ sublato. Tres ex iis, qui Ioannem Baptistam Seguram sociósque in Floridâ interfecerant, cùm eorum arculas scrutarentur, atque inuentam Crucifixi imaginem intuerentur curiosiùs, exanimes ceciderunt, humo afflicti & mortui. Martinus Laterna, demersus in mare Balthicum, captiuo cuidam apud Tartaros apparuisse memoratur mirâ luce circumfusus, hominemque solutum vinculis momento vno stitisse in campo Russiæ, quinquaginta circiter leucis à Tartarorum castris. Ignatium Azebedium eiusque socios inter beatos Cælites vidisse scribitur beata Teresia laureolâ martyrij ingenti cum gloriâ donatos. De Henrico Garneto prodigiosa illa spica, quid non testatur? quæ fortissimi viri tincta sanguine, eius faciem ita expressit ad viuum, vt nulla pictoris ars eam sic effingere atque adumbrare coloribus potuisset. Quid dicam in Abrahami Georgij Maronitæ ceruice bis fractum lictoris gladium, nec nisi tertio allato acinace demeti potuisse? quid in loco, quo sepultus est, tres aues albas, raræ magnitudinis & speciei ignotæ, per quadraginta dies comparuisse? quid toto eo tempore eodem loco vespertinis horis quasi lucernas conspectas esse, concurrentibus visendi studio Massuensibus? An non eadem de ictu lictoris toties irrito, an non alia etiam maiora nuper in Marcello Francisco Mastrillio apud Iapones renouata? eius certè viri vita, ex quo ab Xauerio est persanatus, quasi perpetua quædam miraculorum series est.

Andr. Schot. in Vitâ Borgiæ lib. 3. cap. 6.

Ribad. Cent. Martyr.

Didacus de Yepes Episc. Turiason. in Vitâ S. Teres. l. 3. c. 17.

Ribad. Cent. Martyr.

Quæ omnia aliaque quamplurima in apertiorem aliquando protrahet lucem diligentia posterorum, atque æterna statuet immortalibus viris trophæa. Nunc ad Societatis gloriam est satis, eam primo sæculo maria ac terras purpurasse suorum sanguine, vtrumque irrigasse orbem, Ethnicos inter atque hæreticos dimicantem honestissima retulisse vulnera, cruciatus immanes & tormenta subiisse, instrumenta necis omnia vno sæculo pertulisse, hastas, sarissas, laqueos, gladios, sagittas, venena, scrobem, cruces, ignes, & quidquid aut barbaries excogitare potuit, aut odium Religionis; vt per orbem circumferens oculos, gratulari sibi de suorum virtute non immeritò hac voce possit:

Horat. l. 2. Carm. ode 1.

Quæ caret ora cruore nostro?

CAPVT QVINTVM.

De honore quem Societati contulerunt miracula, aut miraculis affinia, per Socios patrata.

VTcumque tandem eluctatus ex innumerabili ſerie tot virorum ſanctitate præſtantium, ecce tibi, cùm ſe miracula offerunt, ex infinito velut Oceano iterum reuocor in immenſum. Etenim quis vnus vel cogitando aſſequi poſſet ea omnia, quæ annis ab hinc centum, Dei per Socios operante virtute, ſcitu & inueſtigatione ardua contigerunt; quandoquidem, vno nonnumquam in loco, & menſe vix toto, & ad vnius inuocationem Ignatij, patrata ſint propè innumera?

Horum ex magno aceruo, (non illo tamen hîc à nobis minutatim excutiendo, ſed, quod fieri in frumentis aſſolet, aſſumptis in manum granis aliquot expendendo) illud in primis occurrit, quod Societati ita proprium & intimum eſt, vt ſibi eſt ipſa. Sanè quidem qui rerum penſare momenta velit ex æquo, quod tandem patratum à Deo per Socios ipſamet Societate IESV maius illuſtriusque prodigium deprehendat? Enimuerò non idcircò, quia (vt aiebat ille) *Dei miracula, quibus totum mundum regit, vniuerſámque creaturam adminiſtrat, aſſiduitate viluerunt,* exiſtimandum eſt inueniri aliquod ipſo mundo miraculum maius. Stare nullo fultam externo adminiculo tellurem; tot quaſſam iniuriis coniuratæ velut in vnicam naturæ totius, non tantùm non fatiſcere, ſed ſolidari etiam magis: ſusque deque volui & reuolui, arcano quodam impulſu, imò nutu velut vno, lunaris ſideris, immenſam illam Oceani vaſtitatem, & interim tantam ſeruari conſtantiam à tam labili elemento: vix ſentiri aërem, & eſſe tamen eum ſenſus omnis ipſiusque adeò cæli ac terræ commune commercium: liberrimè ſimul & rapidiſſimè ferri cœleſtium orbium ardentiſſima illa, & ex eo viuidiſſima, corpora, quæ ſtellas & ſidera nominamus, neque tot adhuc ſæculis vnum aliquod vel ad latum vnguem declinaſſe de viâ: quis tandem eſt tam omnis ſenſus & rationis expers, qui non, ſi hæc vel vtcumque capiat, vehementiſſimè ſupra portenta rerum omnia demiretur? Nullum profectò omni in naturâ, ipſamet illâ prodigium eſt maius; neque, ſi qua præter conſuetudinem quandoque ſe offerunt aliena à communi vſu & ordine, ſic illa commendant patratoris ingenium, vt ordo ipſe naturæ potentiam Conditoris. Quod ego de mundo hoc adſpectabili dixi, hoc de Societatis IESV quaſi microcoſmo verum eſſe contendo, & ita ſtatuo eam in ſe plurimorum quæ patrari ſolent à Deo, & exſpectari ab Societate poſſunt, miraculorum ſummam numerumque complecti. Quid enim? an non Societas ex diuerſiſſimorum hominum, imò nationum & ingeniorum, quaſi pugnacium elementorum, in vnum collectione factâ coaluit, alio longè quàm conſpirantis naturæ vinculo colligata? Quis eam non obruendam citò credidit, cùm iam inde à principio ſui, tantis ex ſummo & imo impulſibus, & totius quaſi naturæ iniuriis quateretur? & ſit etiamnum fortaſſis non nemo, qui, quia illam iiſdem adhuc videt obnoxiam, ali-

Primum maximumque Societatis miraculum ipſa Societas:

Aug. Tract. 4 in Ioann.

oſtenditur à comparatione vniuerſi.

aliquando tandem conterendam exſpectet aduerſorum mole tantâ. Verùm *generatio præterit, & generatio aduenit : terra autem* (ominari ita de Societate liceat) *in æternum ſtat.* Voluitur, & reuoluitur hominis vnius nutu Societatis vniuerſæ tanta moles, moueri facilis, difficilis commoueri. Tot & florentes ætate, & præcellentes ingenio, & emicantes virtute naturæ, tanto iam tempore ad vſum & bonum reliquorum hominum numquam interrupto curſu aguntur in gyrum virtutis & doctrinæ. Hoc qui videat, & expendat, niſi primum eſſe maximumque miraculum iudicet, aliud à Societate miraculum non exſpectet. Equidem ſic cenſeo, vti in mundo nec maius, imò nec aliud ab ipſo mundo miraculum eſt: ſic in Societate nec maius, imò nec aliud ab ipſâ Societate miraculum inueniri. Pauca tamen admiranda ſtrictim percurramus. quot in eâ Sancti, quot Martyres, quot virgines, quot doctores, miracula totidem ſunt.

Eccle. 1.

Petrus Leitanus, is qui primus Braſilienſem Eccleſiam Epiſcopus rexit, eorum famâ motus & experientiâ quæ præclara per Socios & admiranda faciebat Deus; dicere aliquando auditus eſt, Societatem in Braſiliâ aureum eſſe annulum, eius gemmam eſſe Ioſephum Anchietam, illum, qui toto iam orbe notiſſimus patratis vbique prodigiis, Braſiliæ iam tum Apoſtolus vocabatur. Quam ego magni viri ſententiam cùm expendo, recordor videlicet eius, qui à Platone & Cicerone producitur, Gygis annuli ſuâ illâ miraculorum effectrice gemmâ tam illuſtris: itaque ſtatuo, annulum reuerâ aureum eſſe Societatem IESV, & in illâ non vnum aliquem, ſed plures Socios quaſi gemmas prodigiorum ingentium patratrices: ſed apage figmenta iſta delirantis ſapientiæ. Exemplis hîc vti ſi lubeat, Societatem ego & Socios non ex Platonis aut Ciceronis alicuius ſomnio annulum aureum cum ſuâ gemmâ, ſed ex diuinæ præſcripto veritatis, notiſque pluſquam Ægyptiacis eſſe dicam, textum illud ex auro, hyacintho, purpurâ, coccoque bis tincto & byſſo retortâ, quod ſacræ Litteræ Rationale iudicij, Græci λόγιον, hoc eſt oraculum, appellabant: etenim ſiue palmarem illius quadratamque formam intueor, in eo velut in ſymbolo ad quatuor mundi plagas diffuſam Societatem deprehendo: ſeu attendo ad multiplicem materiæ diuerſitatem in vnum artificiosè contextæ, Societatem iterum inuenio in eodem, illam ex tot hominum tam alienâ & tamen vnâ varietate conſtitutam: ſiue conſidero triplicem quaternarum gemmarum ordinem admirabili illâ *doctrinæ* & *veritatis* exhibitione præſtantium, illa ſe mihi ingerunt plurium Sociorum Societatis eiuſdem opera, ſupra naturam licet, doctrinâ tamen & veritate comprobata: ſeu denique affixum ſummi Iudæorum Pontificis ipſi pectori rationale recogito, cogor obligatam hærentemque ſanctiori Pontifici velut in pectore Societatem minimam meminiſſe. Neque, hoc cùm dico, indignabitur, ſpero, Eccleſia, Societatis etiam plus merito, nedum debito ſtudioſa; nec mirabuntur Ordines alij, quos in illâ ſemper fuiſſe & etiamnum eſſe conſtat, id quod fuere in Arcâ fœderis tabulæ, manna & virga, tria illa auitæ Religionis oracula, tria tantorum prodigiorum inſtrumenta.

Bererarius l. 5. Vitæ Ioſ. Anchietæ.

3. de Officiis.

Exod. 28.

Sed

Sed iam, in ipſa præſertim elementa dominantes velut pro imperio Sanctos è Societate Iesv producamus.

Atque hîc ſe mihi primò videndum offert cum igne ipſo, par illud illuſtre ſanctumque noſtri Ordinis, Ignatius atque Xauerius. de quibus, ſeu nomen eorum ſeu geſta conſideres, vſurpare meritò poſſis animoſum illud,

Sociorum miracula circa ignem.

Igneus eſt ollis vigor, & cæleſtis origo.

Virg. Æneidos 6.

De quibus tamquam alteris filiis tonitrui oraculo Apoſtolico ita proditum eſt: *Cæleſtem duorum hominum charitatem vaſtiſſimo coërceri non potuiſſe vnius orbis ambitu.*

Greg. XV. in Reſponſione ad Relationem.

Quid porrò Ignatio cum igne mirabile? Mirabilia omnino multa. nam, vt ne hîc repetam illa notiora, viſum nempe toties diuinum aliquem ignem ſiue ſplendorem, aut circumfluum Ignatiano vultui, aut ſpecie flammæ in eumdem cælitus illapſum: vt prætermittam quaſdam velut faculas in depoſiti corpus ex alto deciduas; quaſi non iam lucentes cælo ſtellas (quod ſæpè aliàs) ſectaretur Ignatius, ſed ipſæ in vicem ſtellæ Ignatium ſequerentur: ne quid iterum dicam de Complutenſi illo, qui flammis quas optarat Ignatio, eodem ipſe die cum domo ſuâ conſumptus eſt: vt diſſimulem ab igne grauiter læſam Vincentij Pagani manum, admoto Ignatij chirographo, illicò & vulnere & dolore leuatam: vt papyraceam ipſius effigiem, ambuſtâ circum omni chartâ, ab igne non ſemel illæſam: vt infinita alia, quæ cum igne Ignatio fuere communia, prætercam; pauca ſolùm & paucis hîc narro.

Haud Compoſtellâ procul, incultos Gallæciæ montes arenteſque ſiluas inopinatus ignis inuaſerat; quibus ille conſumptis, ipſi iam pago, atque adeò maturis ex propinquo ſegetibus, paſſu vix inde tertio imminebat: nec erant in promptu aquæ, quæ malo tam vicino occurrerent; atque, vt fuiſſent, immenſæ licet, non ſuffeciſſent, vel leuiter temperandæ tantæ, tam ſiccæ, tamque inflammatæ materiæ. Attonitis ergo omnibus, nec iam de auxilio ſed fugâ tantùm cogitantibus, è Societate vir quidam, qui fortè tum aderat Apoſtolicæ cauſſâ miſſionis, numiſma quod Ignatij imagine habebat expreſſum, ipſe, quâ erat deſperatione humanæ opis, ſpeque cæleſtis, detractum precatorio ſuo ſerto medias in flammas iniecit, illas ipſas quæ & maximè & proximè ſæuiebant. Et ecce tibi momento vno, infuſo velut Oceano, tanti ignis tanta vis concidit; reuerita, opinor, aut vltrà progredi, quàm ſiuiſſet Ignatius, aut in ipſam eius effigiem, quæ longo pòſt tempore carbones inter adhuc candentes ne perſtricta quidem apparuit, exſerere conatum ſuum.

S. Ignatij numiſmate ignis extinguitur.

Affine huic miraculum eſt, quod in Regno Mexicano, loco quem Inliaconem nominant, anno M. DC. XXII. patratum ipſa quantumuis barbara America demirata meritò fuit. Correptam incendio domum luculentus ignis inflammarat: reſtinguendo huic non aquæ, quæ deerant, ſed, qui aderat ignis alter, Ignatius adhibitus eſt. Petrus de Medinâ, Sancti ipſius perſtudioſus, deque præſenti auxilio nihil dubitans, eius, quam fortè penes ſe habebat, imaginem in rogum immiſit, ſimulque ceſſante ſtatim incendio domum ſeruauit. Sanè ne in ipſâ quidem

item imagine.

Sancti

Sancti imagine, quamuis etiam secundùm materiam flammis obnoxiâ, ignis vel leue vestigium est deprehensum.

S. Ignatij patrocinio sæpiùs pestis exstinguitur: in Peru,

Pestem non sensit, qui ignem illam esse non iudicat. & hanc non semel, seu flammam tu, seu Dei iram esse contenderis, implorata virtus Ignatij mitigauit.

Iacebat anno M. DC. V. in prouinciâ Perüanâ tota cuiusdam familia lue correpta: iam duo obierant, moriebantur aliqui, reliqui pestem grassantem intra viscera sentiebant: rei vltrà iam nihil erat, & spei parum; quam etiam, nisi tum adfuisset Ignatius, perdidissent. continuit eam scilicet imago viri sancti, votis communibus implorati; & ita se ille miseris præsentem exhibuit, vt omnes, etiam qui morti erant proximi, vitæ, imò sanitati subitò redderentur.

Bononiæ,

Hoc porrò in genere profligatæ pestis, quid esse possit illustrius eo quod Bononia non ita pridem experta est, quando à contagione, quâ desperatissimè premebatur, Ignatio medente conualuit: eumque, interpositâ etiam Pontificis auctoritate, Patrem sibi publicum Patronumque perpetuum adoptauit?

Burgis.

Nec sola tanti beneficij Italia particeps, fuit etiam Hispania tum, cùm Burgis plurimi haustâ aquâ illâ, cui consueto ritu Ecclesiæ Ignatij nomine Sacerdos benè precatur, à peste liberati sunt, testantibus id atque etiam in se expertis Parochis eius loci.

Iacobi 3.

S. Ignatij implorato auxilio sopitur ignis libidinis.

Quid, quòd non in cælestem tantùm, ac deinde sublunarem, sed in infernum quoque ignem prodigiosa potestas Ignatio fuit? cuius quidem infernæ flammæ, fumus ne dicam an fauilla, est illa præsertim, quæ inflammat, vt cum Apostolo loquar, *rotam natiuitatis nostræ, inflammata à gehennâ.* Nec hæc, indomita quantumuis flamma, extra potestatem fuit Ignatij, postquam eam in se olim repressit auxilio Virginis, victoriam de illâ perpetuam pollicentis. Constat quidem (ne igni huic tam obscœno diutiùs immorer) plures aut epotâ aquâ ad inuocationem Ignatij consecratâ, aut eius adhibitis sibi Reliquiis, aut implorato nomine, alios ab ardore libidinis, à cogitationibus impuris alios, alios ab ipsius nequissimi spiritus blandissimâ illâ, sed periculosissimâ infestatione fuisse penitus liberatos.

Ignem etiam infernalem auertit Ignatius.

Quid, quòd & viro aliàs, aliàs item mulieri, vtrique desperato, vtrique infernis flammis iam debito; illi in vitâ, huic in morte, tentatis nequidquam omnibus, vnius tandem Ignatij implorata virtus adfuit; & illum quidem ad instituendam de integro vitam, hanc ad obeundam piè mortem feliciter animauit? Anno huius sæculi primo quædam diabolicis afflicta præstigiis, quibus non oculis tantùm & animo, sed toto etiam corpore miserrimè torquebatur, exhibitum aliquando sibi flammas inter horrendas infernale monstrum cùm vidisset; ipsam quam in tales vsus seruabat epistolam Ignatij exaratam manu, in obiectos sibi ignes iniecit, & hac scilicet eos ita restinxit, vt illâ tum fuerit, & omni deinceps molestiâ dæmonis exsoluta. Agnoscas in Ignatiano nomine, imò corde (quod in eo aliquando visum fuit) ter augustum IESV nomen, illud radiatum igne cæli, illud igne sublunari potentius, illud infernis ardoribus metuendum. Sanè quidem, vt obiter hoc dicam, constat

ſtat variorum teſtimoniis hominum, iisque fide digniſſimis & auctoritate legitimâ comprobatis, exclamauiſſe non ſemel, nec vno loco vel tempore, malignum ſpiritum è mortali, quod occupabat, corpore, ſi quando huic, etiam ſecretò, admouerentur aliqua ad Ignatium quomodocumque ſpectantia, *vri ſe & exuri ab Ignatio igne terribili, illo inter Sanctos ſibi maximè metuendo.*

Andr. Luc. lib.7.cap.11. fol.687.688. 689.690. 693.&c.

Neque verò à tanto Patre degeneres olim filij, nedum ipſe Xauerius fuit; ſiue cùm (vt iam à me inſinuatum eſt) in Indico Oceano imploratus à naufragis ſole iam infra horizontem depoſito deſtitutis, ſolem ipſum reſtituit, atque (vt ſcilicet manifeſtius ac ſtabile Xauerij beneficium foret) plurium horarum ſpatio in rapidiſſimo licet cælo, ac proniſſimo in occaſum lapſu, immobilem ſtitit: ſiue cùm idem in perfidos Tolenſes ignem pluit, & cinerem vno ſuæ vocíſne dicam an orationis, imperio euocatum: ſiue cùm afflatam ſuo ſpiritu ardere coëgit etiam aquam in appenſis ſuæ imagini lampadibus deficiente oleo conſecratam, lychnosque, quos experimenti cauſſâ adhibuerant barbari, videntibus mirantibusque Saracenis, & Trauancorienſis oræ populis, ſubitò inflammauit: ſiue cùm peſtem, quam Sinas petens decretam Malacenſium improbitati denuntiarat, iam in vrbe ſuccenſam, atque, vt fieri præſertim ſolet ſcelerum pœnas exigente Numine, fœdè graſſantem, reuectus à ſuâ morte Xauerius, & piè ſuſceptus à ciuibus, illicò ita compeſcuit, vt nec vllus lue iam correptorum hominum ex eâ ſit mortuus, nec vllus deinde correptus, tanti nuper mali ne quidem veſtigio ſe prodente: ſeu denique cùm viuæ calcis ardores ignitamque vim ſuo, licet decimum ſextum menſem exanimato, corpore ſic excepit, vt illud viuidum vegetumque, & ſucci recentisque plenum ſanguinis, tanto etiam pòſt tempore ſit repertum. Prodigium addo, quod ita Xauerio proprium eſt, vt ſit illi cum Ignatio commune. Donati Franciſci Gallighai Florentini ciuis domum multarum iam ædium victor ignis inuaſerat, & ea erat venti vis, ea flammæ vento actæ potentia, vt nullum ab humanâ vel ope vel induſtriâ remedium ſupereſſet. palàm ergo prouolutus in genua Donatus, ſe ſuasque ædes Ignatio & Xauerio, ſuis ſecundùm Deum Patronis & Patribus, commendat affectu magno. Vix vota conceperat, & ecce quaſi fuiſſent aduocati in auxilium, & non inuocati tantùm, ipſi ſtitere ſe coràm, eo, qui ignis lumen vinceret, ſplendore ſpectabiles; cumque, expreſſâ etiam voce, hominem ſperare iuſſiſſent, illicò ſubſidente vento, flamma omnis momento ſopita conſedit. tanta ſe duorum hominum, cæleſti, vt iam dicebam, igne flagrantium, in elementarem ignem, velut euanidum, potentia prodidit. adeò vt his præcipuè mihi acclamare poſſe videar illud Apoſtoli, *Exſtinxerunt impetum ignis.* Quamquam non hoſce ſolos id vindicare ſibi velle, aut etiam poſſe, alij ſubinde, & illi victores ignium, Socij non vno ſæpè prodigio docuerunt.

S. Xauerius ſolem reducit & ſiſtit:

Bonartius in Eccleſiaſtic.

eiuſdem varia circa ignem miracula.

And. Luc. lib.7.cap.2.

Hebr.11.

Nihil hîc dicam de Staniſlao, ipſoque iterum Xauerio, quorum diuino igne ſuccenſi pectoris tam ingens ſæpè vis fuit, vt non tantùm non frigidâ reſtingui, ſed ne ab ipſo quidem vitali quod vocant humido ſuperari potuiſſe, diuino non accedente prodigio, videretur.

B. Staniſlai diuino igne pectus exæſtuat:

deretur. Nihil de horribili illo incendio per Stanislaum in Poloniâ exstincto, dum inter flammas ipse illustrior appareret.

Notum est illud de Ignatio gelidâ hieme collo tenus stante & perdurante in aquis, nec quid sentiente aliud præter æstum inflammatæ in errantem à recto hominem charitatis.

item P. Fabri. Notum & de Petro Fabro, visum eum totas noctes, cùm nudum se tecto domoque proriperet, altis niuibus obsitum, & tamen succensis à cælo ardoribus æstuantem.

Plures Socij glacie & igne fortiores. Audiuimus, vidimus pænè dixeram, Ignatij filios Xauerij socios, tranantes Iaponiæ frigora, superantes Afrorum Indicorumque littorum candentes arenas, demum aliquot horas lentis in ignibus stantes, viuentes, orantes, perorantesque etiam ad circumfusam multitudinem Siluerias, Spinolas, Chimuras, Camillos, aliosque complures; mihi quidem prodigij non minoris homines, quàm visus aliquando fuerit legislatori illi ex diuinâ olim consuetudine radiato rubus ardens incombustus.

Exod. 3.

Iosephus Anchieta contra siccitatē terræ & ardorem solis prodigio prospicit: Iam de illo nostri quidem sæculi, sed orbis alterius Thaumaturgo, Iosepho Anchietâ, quoties legimus eum, si quando Brasila solis ardoribus tellus, simul & viatores homines immoderatiùs torrerentur; aliàs illius siccitati coactis effusisque nubibus prospexisse, aliàs conopeum sibi contra solarem æstum & sociis vnà nauigantibus ex densato super caput agmine volucrum, quas eum in finem adesse iusserat, confecisse; raræ non in ignem solùm, sed aërem simul atque aquam imperio potestatis.

idem exustam manum sanat signo crucis. Nec hoc à quodam in flammas imperio alienum est, quòd cuiusdam in Bahyensi Collegio Socij manum bullienti iusculo concrematam, impresso tantùm crucis signo, & vulnere & dolore leuauit.

Lib. 3. Vitæ.

Iosephi orantis caput videtur ardere. Quid, quòd sæpius orantis Iosephi caput ardere, atque ex eo circumlucere omnia sunt perspecta, tum præcipuè cùm aliquando intempestâ nocte apud Maramosios suos egressus ex arce in sacellum Virginis, totum id admirabili splendore repleuit, interludente inter diuina illa lumina cælesti harmoniâ Angelorum, repetito inde ab ipsis CHRISTI natalibus prodigio singulari.

Ibidem.

Cæsa pro CHRISTO corpora P. Rochi Gonsales & P. Alphonsi Rodrigues exuri non possunt. Illud porrò geminum duorum exemplum, quod (vt innumerabilia eius generis à Societate facta dissimulem) Oriens non ita pridem Occidensque suspexit, Socios arguit igni etiam ab ipso funere dominantes. Est in Occidentali Americæ Indiâ, ab Æquinoctiali orâ Brasiliæ in Australem orbis plagam, terræ tractus immanis, hinc mari Brasilo, inde Paraquariensi, quam vocant, regioni conterminus, Vruayum incolæ nominant. Hanc in vastitatem primi à Paraquariâ progressi Patres Rochus Gonsales de Sanctâ Cruce, & Alphonsus Rodrigues, tantum profecerant inter barbaros, vt, pluribus eorum hinc inde coactis in societatem hominum, vicos iam aliquot in inculto solo & sacras in vicis ædiculas excitarent. His impeditos operibus verè Apostolicis, & quibus, si viuant, aut Paulus aut Xauerius aliquis piè inuideat, suasu nefario Nezu, nescio cuius impostoris, qui se Deum esse iactabat, incitati barbari, adoriuntur incautos, mactant, raptant, lacerant suorum in capessendâ Religione Patrum corpora, ac demum instructam recens ædi-

culam

culam comportant, eodem cum illâ incendio consumenda. hoc prodigiorum subinde sequentium fundamentum: siquidem cùm ingestis vndequaque flammis in cineres concidisset sacelli tota moles, iamque in illos redacta crederentur Patrum corpora, ea insequenti mox luce integra & intacta penitus sunt reperta. Mouit scilicet ea res barbaros; sed, quod subiicio, mouit etiam magis: P. Rochi Gonsalesij truncum corpus, ita, vt erat, sine capite clauâ contuso, disertè auditum, imò & distinctè visum est plusquam quinquaginta barbaris (qui omnes id vnâ voce deposuerunt coram quinque Religiosis testibus, nonnullis militibus Hispanis, Indisque quàm plurimis) non iam ore, sed procedentibus ex ipso corde vocibus amoris certè plenissimis, compellare percussores suos: *Cur me* (inquiebat) *occidistis hominem tam vobis beneuolum? vestri tam amantem? quemque hasce in oras non aliud pertraxit quàm cura salutis vestræ? Mortem vos quidem huic meo corpori; at non animæ intulistis: viuit illa etiamnum, fruiturque, Beatos inter, præsentis Dei gaudio sempiterno, adfutura mox iterum in auxilium vobis, quos patratæ cædis pœna ex propinquo iusta persequitur.* Verùm nec hoc tam illustri prodigio satis attoniti, nec tam suaui oratione permoti, cor ipsum, cor, inquam, quod loquebatur, etiam tum amoris sui prodigum, velut furiosi euellêre visceribus, & flammis iterum dedêre. sed igne maiori scilicet illud ardebat, quàm vt consumi posset à tam exili. mansit enimuerò permansitque cum sacris corporibus semper integrum, quantumuis in illud, tertiò iam copiosè comportatâ in flammas materiâ, luculentum ignem barbari excitarent. *Litteræ P. Franc. Truxillo Prouincialis Paraquariæ.*

Atque hæc ad Occidentem nuper: nouissimè ad Orientem, & nescio an non illustriùs quoque de igne, aëre, aquâ, terrâ, naturâ denique omni, triumphauit ille iam priùs à me productus in scenam suæ gloriæ Marcellus Franciscus Mastrillius, suâne virtute dicam, an magni Francisci Xauerij; cuius ille, cum redditâ sibi salute, nomen animumque sic induit, vt nescias quid, si rediisset in vitam Xauerius, præstare Marcello illustrius potuisset.

Sanè vt omittam cetera, imò omnia, in celeberrimâ illâ expeditione (quam decurrente Martio, anno M.DC.XXXV. duxit in Mindanaoënses Æthiopes auctor ipse audendi, sponsorque vincendi) contigit vt pila ferrea, vi nitrati pulueris ex maiori machinâ violentè displosa, in aduersum euntis Mastrillij pectus incideret, impulsu magno atque sensibili; à quo tamen, perforatâ tantùm veste, nec læsus ipse, nec retrorsum actus in terram; sed stans erectus, etiam contra vim flammæ sulphureæ, liquidò ostendit obesse nihil posse illi, qui firmius in diuinâ virtute, quàm loricâ ferreâ, munimen sui pectoris collocauit. *Marcellus Mastrillius excussum tormento globum excipit illæsus.*

Mitius igne elementum est aër, non minori tamen aut mitiori imperio subigendum; imò, quia instabile illud ac leue est, tum præsertim cùm in ventos agitur, si regi se, si duci, si reuocari patitur, potentiæ id scilicet non vulgaris argumentum est. Enimuerò non aliunde magis Dei sui magnitudinem agnoscit Vates Regius quàm quòd ille *ambulet super pennas ventorum, & producat ventos de thesauris suis. fecisse* autem *ventis pondus*, hoc est (vt ego interpretor) elemento tam volucri fixam pro voluntate constantiam indidisse, inter prima diuinæ potestatis *Sociorum miracula circa aërem.* Psalm. 103. Psalm. 134.

Iob 38. opera Propheta Philosophus recenset. admirabilis adeò, nec vsitatæ virtutis fuisse semper, & etiamnum esse, necessum est eos, quibus non ille apud Virgilium fabulosus, sed verus

Æneid. 1. ———*Diuûm pater atque hominum Rex*
Et mulcere dedit fluctus, & tollere ventos.

Hoc cum dedisse pluribus Societatis hominibus, postquam in paucis ostendero; id, nisi fallor, effecero, quod sufficiens ad reddendam à Societate gloriam Deo, ad exhibendam verò sanctis Societatis hominibus venerationem aliquam, iustum conueniensque censeatur.

Nec verò alienum ab aëris imperio fuerit, subiectas habere sibi aëreas, quas vocat Ecclesia, potestates; illos, inquam, spiritus infernales, quibus, velut emissariis, nonnihil à diuinâ Prouidentiâ indultum iuris est in elementaria hæc & humana corpora perturbanda. Quod quidem in eos imperium pluribus inde ab Ignatio Societatis hominibus tam familiare semper fuit, vt nescias illúdne inferis exosum magis sit, an dæmonibus metuendum. Non adducam hîc ego exactos profligatosque dæmones per solitas coniurationes Ecclesiæ: nam illis non nisi parcè admodum, magnoque cum delectu ac veneratione Societas vtitur; illud vrgeo, à Sociis, sæpè nihil, sæpè aliud agentibus, sæpè non nisi in aliquo sui signo præsentibus, sæpè verbo verberéve iubentibus, quasi per contemptum mandatumque despoticum, iussos inde facessere spiritus infernales.

Sociorum vis in aëreas dæmonum potestates.

Quoties obiecta sibi eiusmodi monstra viatorio suo baculo neglectim ab se abegit Ignatius? quoties applicitis tantùm aut lectis eius litteris, quin & solo aliquando nomine, territæ pestes illæ proripuere sese, velut si nec resistere auctoritati possent, nec lædere maiestatem?

Ignatius variè dæmones compescit:

Ante Xauerij in Indias aduentum, lemurum infame domicilium, grassantiumque pro suo libito dæmonum quoddam velut asylum Oriens fuit. Et ausi quidem illi principio orantem aggredi, flagris non semel crudeliter excepere; donec tandem & suis immotum minis, & fortiorem verberibus, & robustiorem imperio, quem vincere non poterant, fugêre victorem. Tacebant ergo (id quod Xauerio commune fuit cum Gaspare Barzæo, & quampluribus aliis è Societate IESV vtriusque Solis Apostolis) muta ad ingressum eius oracula idolorum. squallebant luci, purgabantur templa dæmonibus, ipsæ aliquando vrbes & Regna integra, nedum obsessa hominum corpora, diuturnâ malignorum hospitum dominatione soluebantur. vsque eò, vt teneræ etiam ætatulæ puerorum ludibrio iam forent ij, qui nuper etiam robustæ maximorum hominum terrori fuerant.

idem facit in Oriente Xauerius:

Notum est, Stanislaum, etiam cùm à morbo decumberet, etiam cùm immaturus annis, nec adhuc Societatis nostræ, nisi voto & cogitatione, Religiosus, non semel oppugnatum à dæmone, expulisse eum à se procul, quantumuis atri canis specie aspectuque terribilem. Et hæc quidem de pluribus vniuersim & quasi per compendium. pauca porrò atque distinctiùs de Ignatio Xauerioque nunc habete; atque à Parentum tantorum moribus indolem ac virtutem discite filiorum.

idem Stanislaus.

Senis notam sibi, anno prioris sæculi sexagesimo primo, puellam asserit

Illustriora

asserit Petrus Ribadeneira, quæ cùm ipsis duodecim annis dæmonum non iam præstigiis, sed quotidianis verberibus fuisset obnoxia; tandem assumptâ, velut clypeo contra tot ictus, Ignatij imagine, sic eos à se abegit, nemo vt accedere ad illam propiùs auderet, vanis tantùm clamoribus, cassisque in Sanctum minis impunè sæuientes. Subiit inter illa cogitatio puellæ animum experiri, amotâ tantisper à se imagine, hæc ne, an quæ alia vis occulta tam validè comprimeret infernorum hostium potestatem. Experta est; sed malo profectò suo, & honore maiori Ignatij defensoris sui: vix enim illud à se munimen abiecerat, cùm toto in eam impetu facto, diu iam prohibitas ab infligendis miseræ verberibus manus, dirissimorum ictuum grauitate pensarunt. ad suum ergo contra eos, non dubium vltrà iam, sed certissimum præsidium, serò quidem sed seriò confugiens, omni deinceps improbissimorum dæmonum oppugnatione liberata est, quantumuis illi irritis etiam tum ictibus circumstantem sæpè aërem murosque ferirent. *aliquot in dæmonem S. Ignat. miracula.*

Illustrius etiam, quia recentius maioribusque clarum indiciis, est id quod anno huius sæculi sexto patratum ab eodem Ignatio est in Excellentissimâ Principe de Mirandulâ. hæc contra integram, quâ obsidebatur, dæmonum cateruam, sacris Ecclesiæ carminibus frustrà adhibitis, ipsâ tandem inuocatione Ignatij tam subitò, tam prodigiosè conualuit, vt rem siue ex personâ patientis, seu agentis miraculo, tam inusitatam, tam nouam, duo ab Sede Apostolicâ delegati Mutinensis & Rhegiensis Episcopi suo approbatam calculo, ipsi Clementi VIII. Maximo id temporis Pontifici certam testatamque transmiserint. Andreas Lucas lib. cap. 12.

Molshemij anno huius sæculi XIII. veneficæ matris improbitate seductus filius dæmoni se deuouerat, addito etiam nominis sui & sanguinis sacramento verbis sacrilegis ritè conscripto. totus igitur obnoxius erat inferis, & iis iam, pacto non semel inito, debebatur. Interuenit è cælo Ignatius. ab eo dissolutum est fœdus impium, recuperatum à dæmone chirographum, filius, quem Orco mater addixerat, Matri tandem Ecclesiæ restitutus. Andreas Lucas ibid.

Addo geminum, sed geminis Ignatio & Xauerio commune prodigium. Abassinam in Æthiopiâ feminam, energumenam esse arguebant inter ostenta cetera blasphemæ in Crucifixum voces ignoto idiomate prolatæ. Hanc postquam imagine sancti Ignatij, & cruce ex loculo S. Xauerij armasset Sacerdos noster, ita denique liberauit, vt expelli se igneâ ab Ignatio Xauerioque scuticâ dæmon ipse quereretur. *Ignatij & Xauerij simul in dæmones potestas.*

Hispanæ matris ira impotens deuouerat inferno filiam. deuotam illicò occupant tres maligni spiritus, seque præsentes produnt ignoto idiomate, ceterisque etiam absentium rerum indiciis. Adiurata ergo à Pastore, sed per Ignatij Xaueriique merita, ita demum expulit hospitem importunum, vt illos videri ab se cælesti circumfusos splendore, tam dæmon ipse quàm sibi mox reddita filia, hæc cum gaudio, ille cum doloris sensu intimo, proclamarent.

Prætereo plurimorum etiam aliorum in hoc genere plurima; ac potissimùm solenne dicam, an sæculare illud Ignatij, quod proximo exeunte sæculo Mutinæ in energumenis quatuor virginibus stirpe nobili-

bus perpetratum eſt: veritus rem teſtatam narratamque multorum linguis & litteris eleuare potiùs quàm exaggerare dicendi hocce genere, quod in res licet ampliſſimas niſi contractum eſſe non poteſt.

Iam, quod concernit aërem propiùs, numquid non vel *ambulaſſe ſuper pennas ventorum*, vel *feciſſe ventis pondus*, exiſtimandi ſunt Ignatius, Xauerius, Anchieta, aliique complures, toties à terrâ in ſublime eleuati, aut (quod etiam hoc maius eſt) per aërem ſæpè tranſuecti?

Ignatius Romæ degens Coloniæ videtur:

De Ignatio quidem ita memorant hiſtoriæ, eum inde à Româ, vbi tum viuebat, Agrippinam vſque Coloniam momento delatum Leonardo Keſſelio ſuam quam is vnicè deſiderabat, adſpectabilem præſentiam cum mutui ſermonis iucundiſſimâ conſuetudine conceſſiſſe. Nec vacare mihi videtur prodigio ſimili quod inibi refertur de eodem: cum ſcilicet (cùm Pariſiis, vbi tum decumbebat è morbo graui, inaudiſſet ægrum iacere Rothomagi quemdam peſſimè de ſe meritum, ſuæ tamen opis indigum, auſumque ſubſidium poſtulare) proripuiſſe illicò ſe lecto, dediſſe in viam, iter tridui continente motu, ſine cibo, ſine quiete, ita percurriſſe, vt non ire ipſe ſibi, non ſolum tangere, ſed rapi, ſed volare videretur. ferebatur profectò Ignatius, nec humano tum ſed diuino, ſed cæleſti ſpiritu ferebatur, niſi velis (haud minori fortè prodigio) motum hunc fuiſſe non Dei, non Angeli, ſed amoris; eius nimirum quo ſe ferri quaquauerſum Auguſtinus ille tam igneus fatebatur.

iter tridui æger & ieiunus conficit.

Paruulus ex alto lapſus, ad inuocationem Ignatij ſurſum iterum eleuatur.

Nec ſibi is tantùm, aliis quoque ſui ſtudioſis in aëre etiam vacuo ſubſidio fuit. Ferrariæ anno M.DC.XIX. ipſo ſancti Ignatij Feſto ludebat in feneſtrâ cum paruulo mater, cùm (caſúne an quâ aliâ ex cauſſâ incertum eſt) elapſus puer è manibus ferebatur in præceps. Ignatius ilicò (cuius tum, Feſti fòrs occaſione, meminerat) matri fuit in ore. nec fruſtrà inuocatus: ſiquidem cùm iam palmo vix vno alteróve abeſſet à ſolo paruulus, miſerrimè collidendus, contigit vt exceptus veluti ſinu non fulciretur ille tantùm, ſed etiam eâdem quâ ciciderat viâ ſubuectus in aërem matri, in expanſa etiam tum brachia, redderetur.

S. Xauerius duobus locis præſens vento imperat.

Quid Xauerius, quando contendens in Chinas, ſcaphæ ab ſuâ onerariâ vi tempeſtatis auulſæ in altumque delatæ propitius, imò præſens adfuit, & periclitantes in eâ ſocios nauticos opportunè conſolans, nequidquam contranitentibus ventis, filiam quam vocabat rectà deduxit ad matrem? potuítne niſi ambulando *ſuper pennas ventorum*, præſens in eâ quam non conſcenderat nauiculâ comparere? Hoc ſanè nec perturbatæ mentis ludibrium, nec adumbrati ſolùm Xauerij ſimulacrum fuit; ſed ille vel diuinâ vi reproductus (vt loquuntur hodieque Philoſophi) vel (vt exiſtimari fortè poteſt) illâ per aëris medium manu tranſlatus eſt, quę depoſito inter leones Danieli opportunum in diuturnâ fame obſonatorem inde à Iudæâ Babylonem vſque portauit apprehenſum capillo capitis ſui. At ſit fortaſſe qui ſentiat, non hoc Xauerij, ſed Angeli aut Dei etiam dominantis aëri, poteſtati & imperio tribuendum. Non equidem negare quidquam volo Angelis, illis, vt vocat Apoſtolus, adminiſtratoriis ſpiritibus, nedum detrahere aliquid Deo *mirabili in Sanctis ſuis*. Sed tamen fuiſſe hoc (quâ obtinere licet homini) imperium in auras vimque Xauerio, prodigioſè per mare dicam an per aërem ab illo

Dan. 14. *Hebr. 1.* *Pſalm. 67.*

illo deuectus inſtitor edocebit. Hic cùm Malacam Meliapore cogitaret, ſuo in digreſſu munuſculum ab Xauerio petiit, quo eius apud ſe piam ſanctamque recordationem in animo confoueret. dat ille petenti detractam ſibi precatoriam corollam, additque, ſeruaret hoc non memoriæ tantùm ſuæ, ſed defuturi numquam auxilij pignus æternum. Iam ſoluerat, iam proſperâ nauigatione vſus per vaſta ac remota marium, propè aberat à Malacâ; cùm ecce tibi inopinata vis venti punduſque procellæ validam quamuis nauim in fruſta diſſoluit: in hæc raptim temereque compacta cum nonnullis ſe mercator immittit; ſed illicò ſiue timore periculi, ſeu propitij fauore Xauerij, abductus à ſenſibus, non iam nauigare ſibi, non ſubire naufragium, non mergi, ſed colloqui cum Xauerio videbatur. Nec otioſum fuiſſe hoc colloquium euentus oſtendit: quinto pòſt die quàm ſe iactarat in tabulas, ſibi tandem mercator redditus, ſanum ſe, ſed ſolum, in ipſo vnde ſoluerat littore non procul Meliapore deprehendit. Tam immani eum tractu Oceani, demerſis in eum omnibus, malè compaginata cymba detulerit? dederítne viam caſúſve Deúſve? imò per Deum Xauerius, qui ſe ſuumque vnà clientem mediis ereptum fluctibus, ne periret, per aërem detulit; ne erraret, in noto priùs littore collocauit.

Naufragum mercatorem totis quinque diebus fluctuantem Xauerius exportat in littus.

In Relat. Canonizat.

Iam ſi (quod aiunt Philoſophi) ſonus etiam humanæ linguæ, non aliud eſt quàm moti aëris tremor, aut murmur per auras ſubinde tranſfuſum, ac tandem etiam inſinuatum auribus audientium; mirabilem profectò comprimendi aëris vim, & induſtriam pluſquam humanam, fuiſſe neceſſum eſt iis, qui ſæpè, reuocato inde à magnis CHRISTI Apoſtolis prodigio Spiritus ſancti, variorum quæ non didicerant idiomatum ſermone ſunt vſi. Eximium in hoc fuiſſe Xauerium ipſa eius Canonizationis acta ſuprà capite ſecundo à nobis citata teſtantur.

loquitur variis linguis, & vnâ loquẽs à variis intelligitur.

Par in hoc fuiſſe Xauerio Orientis Apoſtolo, ſuppar certè dici poteſt alter Occidentis Apoſtolus Ioſephus Anchieta. ſiue cùm (quod erat ei quotidanum) ex mediis vnà proficiſcentium cœtibus ſe repentè ſubduceret ad agendum cum Deo; ac nihilominùs raptim euntes etiam in equis non aſſequeretur tantùm ipſe pedes & nudipes, ſed etiam aliquando præuerteret; ſiue cùm eodem ipſe die locis à ſe diſſitis itinere leucarum quindecim aliquando viſus eſt audituſque pluribus ita egreſſus ſubitò, ita reuerſus, vt abfuiſſe nemini crederetur; ſeu denique cùm ſacrum codicem iam ad Sacerdotalem pſalmodiam, aliàs ad Chriſtianum ſacrificium requiſitum, nec habitum ad manus, à leucis interdum ſeptem ipſemet vix ſemihoræ ſpatio detulit, aut ſpiritu Domini, aut Angelico miniſterio, aut ſuâ demum auris dominante potentiâ, auectus à ſociis, iterumque inter eos pari compendio reſtitutus.

Ioſephus Anchieta in tranando aëre mirabilis.

Proximè verò ad aërem ſpectat, nec aliunde magis prodigioſa in illum alicuius hominis efficacia declaratur, quàm ſi conſtet, ventis eum, indomitis ſcilicet & numquam ſatis exploratis motibus, imperare.

Fecêre hoc (vt taceam de ceteris) in Mediterraneo quidem mari Ignatius, in Orientali Xauerius, in Occidentali Anchieta, in Auſtrali Silueria, tam ſingulari, tam admirabili modo, vt ſimiles mihi videantur hi quatuor, quatuor illis apud Ezechielem diuinæ quadrigæ ſtipatoribus;

Ezechiel. 1. toribus; niſi quòd illi, *vbi erat impetus ſpiritus, illuc gradiebantur*, horum verò ad impetum ipſe ſe ſpiritus inclinaret.

Ignatio ventus obedit: Statuerant impij nautæ aduerſantem ſuis moribus Ignatium, tum cùm Ieroſolymam ille peteret, deſertam in inſulam exponere, ſiti illic inediâque conſumendum; quin eò iam, deliberato ſcelere, ferebantur; cùm ecce ventus ipſe machinationi barbaræ factus obuiàm, qui adhuc fauerat improbis, in contrarium verſus ſubitò pro Ignatio ſtetit.

tempeſtati ipſe dominatur. Redibat Ieroſolymis, votiuâ ſuâ peregrinatione perfunctus, Ignatius; & redibat malè compaginatâ cymbâ veriùs quàm naui. pauperem videlicet illum excluſerant robuſtiores aliæ duæ, ſed ignaræ quantum incurrerent mali, quia tantum excluſerant boni. inſurgunt enimuerò venti, turbatur mare iam pridem infame naufragiis; iactantur, verberantur, hauriuntur denique fluctibus ingentes illæ; at procellis ventiſque ſuperior curſum ſuum tenet abſoluitque feliciter ſola illa, quæ vehebat Ignatium. Impallucrat ſociarum nauium periculo nauta; ſed nempe, Ignatium denuò ſi veheret, nil timeret.

Xauerius ventis & tempeſtatibus ſæpè imperat: De Xauerio verò quid? Omnem illum ſubiiſſe rabiem vimque ventorum, ſed omnes vt ſibi Deoque ſubigeret. Quoties ille ſociorum naues alicubi hærentes immiſſo opportunè vento iuuit? quoties hoſtium inſequentes ſtitit? quoties exaſperatum in ventos cælum verbo coërcuit, ſublatâ etiam iis (quod in Sanciano mari contigit) ſæuiendi in poſterum facultate? Viciſſe ſemel Xauerium videri ventus poterat, quando naufragum illum toto triduo per mare iactauit ſolâ in tabulâ fluctuantem. ſed nempe etiam tum à Xauerio victus eſt, coactuſque eum non ſeruare tantùm, ſed etiam in littus exponere quod optabat; adeò & ventus, & nauis, & gubernaculum, & rector, & omnia vnus ſibi Xauerius fuit.

etiam Goſaluus Silueria & Ioſephus Anchieta. Similia ferè Silueria, aliique; ſed neſcio an non maiora Ioſephus. talia profectò, vt de eo etiam tum vitâ functo piſcatores indigenæ non aliter atque de homine in naturam ipſam dominante loquerentur, illum ſi quando indicatum vellent, *illum* dicerent *qui nobis piſces quos vellemus præbebat*; *qui cùm ab ipſo opem peteremus, nos ab omni periculorum genere, atque adeò à morte ipſâ eruebat.*

Sociorum poteſtas in aquam. Video ego me, quæ cognatorum elementorum propinquitas eſt, ab aëre in aquam eſſe delapſum. eluctemur ſanè, &, ſi quo modo finem ſpectare liceat factorum in eâ prodigiorum, eodem etiam compendio feſtinemus. Ilicet ergo prænaternauigemus Oceanum, illudque ſolum dicamus in tranſitu, nullibi non apparere veſtigia domitæ multoties per varios quaquauerſum Socios procellæ. Sed enim vti tempeſtates Oceani, ſic omnem aquam præterire non licet; vt non ſaltem, vno quaſi digito, è multis aliqua, quæ in eo euenêre, miracula deſignemus.

S. Ignatius puellam torrente raptã in mare prodigiosè ſuſtentat. Anno huius ſæculi M. DC. XVIII. filia matri ſocia ambulabat in ripâ torrentis haud Genuâ procul. hic, vt erat auctus imbribus, & vehementer exæſtuans, prono in mare decurſu & rapiebat ſecum omnia, & ſua ipſe littora ſubfodiebat. ita factum vt incautæ puellæ, quæ firma videbatur, ſub pedibus terra decideret, & ipſa ſimul momento deuolueretur in præceps. Non habebat attonita mater quod periclitanti filiæ

liæ submitteret nisi preces & lacrymas: ipsa quoque iterum ac tertiò sursum elata vi torrentis, Diuos tantùm omnes quos nouerat, sed votis tamen irritis, inclamabat: haustis enim copiosè fluctibus hærebat fundo iam grauior, nec minùs tamen (impetus is erat rapti fluminis) in altum rapidissimè ferebatur. & iam totâ plus leucâ in mare processerat, cùm denique memor (Deo haud dubiè illos in tot angustiis sensus & animos suggerente) habere se geminum in Societate fratrem, sanctum eius fundatorem Ignatium inclamauit, vsa non alio quàm candido hoc & ingenuo argumento; Suorum filiorum sororis, hoc est suæ filiæ, meminisset. Vixdum ista conceperat animo, cùm sursum sublata, & in summo maris velut in thalamo posita, haustam egessit aquam primò; tum ipsum in nube candidâ cælestes inter genios fluctibus inambulantem animantemque se & sustentantem Ignatium læta conspexit. Submiserat intereà in mare vrinatorem afflicta mater, qui demersæ, vt non dubitabat, filiæ alicubi conquisitum saltem inane corpus exciperet. ille longiùs in mare prouectus, eo quo dixi in statu tres iam horas viuentem reperit, matrique reuexit; attonitis miraculo omnibus gaudioque lacrymantibus, cùm ipsamet coram Albengensi Episcopo, ciuibusque permultis, ac præsertim matre suâ, miraculi seriem læta pertexeret, & seruatorem suæ vitæ & salutis Ignatium prædicaret.

circumfusum latè imbrem arcet à frugibus.

Aliud in leuiori quidem aquæ periculo, nec minùs tamen præsens auxilium Ignatius attulit. Aceruum demessæ segetis sub dio struxerat agricola, spem fructus omnis & frugis: ecce tibi obduci cælum, volui nubes, mugire turbo, imber ingruere: actum erat de messe, nisi ad votum supplicis Ignatius adfuisset. circùm euersa ventis omnia, omnia impleta vel hausta pluuiis nube profusis; sola quæ triticum capiebat area, intacta permansit. Crederes, quod Gedeoni datum in vellere, hoc in areâ concessum agricolæ huic ab Ignatio; illi à Deo, & huic quidem tantò illustrius, quantò imber est rore potentior.

S. Xauerius puerũ aquâ præfocatum à morte reuocat:

At non Xauerio minus quàm Ignatio in aquas imperij fuit. argumento sit inter cetera, quæ antè sunt & alibi commemorata, quòd in orâ Piscariâ, quam vocant, puero in puteum fortè delapso, & aquis, quibus plures iam horas mersus iacuerat, præfocato, planeque demortuo, vitam verbo reddidit, eo temporis & loci, quo eum ad sepulturam feralis pompa ducebat.

crucem in mare deiectam à cancro recipit:

Accedat eòdem admirabilis illa, dicámne prouidentia Numinis, an virtus Xauerij? quâ factum est vt crux, quam hic in mare deiecerat, sedandæ caussâ tempestatis, à cancro marino, longè inde exscensione demum factâ, deambulanti prope littus Xauerio redderetur.

cariosæ naui benè precatus, eam seruat.

Nec aliò spectat quod contigit naui Iacobi Pereriæ, agente & prædicente Xauerio. Premebat hanc, etiam tum cariosam, immanis procella; iamque desponderant animos vectores omnes: vnus qui inter eos erat Xauerius, securos esse iussit, & naui, quantumuis periclitanti, salutari signo benè precatus edixit, eam non tantùm non illâ, sed nullâ vmquam tempestate perituram; tandem post multos cursus, sine cuiusquam damno, non in mari, at statione suâ dissoluendam. Xa-

uerij fidem probauit euentus, anno demum trigeſimo pòſt ſecutus; neque de illâ vllus interim dubitabat, quin certabat quiſque pro viribus illi potiùs quàm cuiuis alteri ſua credere, cùm & abeuntem ſecuri dimitterent, & reducem plauſu ſemper & gratulatione publicâ ſalutarent, nauim eam, non iam Iacobi Pereriæ, ſed ſancti Patris eſſe dicentes.

aquam marinam dulcem & potabilem reddit.

Idem adſtruit illa Xauerij prodigioſa vis, quâ, ſecum nauigantibus in Sinas pluſquam quingentis, etiam Saracenis & barbaris, de copiâ aquę dulcis opportunè proſpexit. defecerat hæc improuisâ per plures dies malaciâ miſerè laborantes, & iam pereundum erat omnibus, niſi eorum imploratione motus Xauerius occurriſſet. fusâ igitur ad Deum prece [illegible]auriri iubet è mari, & vaſa repleri; hauſtum iam erat quantum [illegible]perent, & vaſa repleta. ſed erat nimirum, ac ſentiebatur à bibentibus aqua ſalſa. ergo eleuatis in cælum oculis, impreſſoque ſalutis ſigno, iuſſi iterum à Xauerio guſtare, dulcem eam & humanis aptam vſibus repererunt, omnibus etiam Mahometanis admirantibus ſanctitatem viri, nonnullis etiam ſuſceptâ CHRISTI Fide teſtantibus.

Ioſephus Anchieta aquam mutat in vinum: oleum facit inexhauſtum:

Nec prodigioſè minùs, magis etiam benignè (niſi quòd periculum mortis abfuit) feciſſe videri poterit Ioſephus Anchieta, ſiue cùm inſulſam ſæpiùs aquam ipſe mutauit in vinum, ſeu cùm exhauſtum oleum in Vincentiano Collegio ita auxit, vt eius toto pòſt biennio ad quotidianos Patrum vſus, ex cado, licet iam vacuo, quantum ſatis religiosè ſuppeteret; imitatus in hoc Eliam, in illo CHRISTVM; Moyſen verò in altero quod ſubiungo.

orat inter fluctus maris circum ſe ſuſpenſos.

Abierat aliquando à cœtu conſpectuque piſcantium, in mare defluum longè progreſſus, vt liberiùs poſſet in deſerto littore cæleſtia meditari. Intereà conſumptis inibi horis plurimis iam mare refluxerat, iam ſupra orantis Anchietæ verticem altè ſublatum eripuerat eum aſpectibus hominum. at quo modo? orantem non auſa contingere,

Curuata in montis faciem circumſtitit vnda.

Lib. 4.

& cùm viæ ſocius ſecutus impreſſa veſtigia tali in ſtatu eum deprehendiſſet intentum cælo, clamore ſcilicet ſolicitare primò cœpit, cùm ad eum adire propiùs intra ſuſpenſos maris vortices non auderet; mox accedere, voce demum vrgere, manu trahere vt rediret: ita ſibi tandem redditus, Eamus, inquit, Pater, & præibat; fluctu ſtatim locum quem reliquerat occupante. Cohorruit monſtro ſocius, & præcurrens Ioſephum, quod eius reuerentiâ vetabatur, periculo ſuo dedit. tum ſequentem Anchietam longius mare reueritum non acceſſit vmquam propiùs, &, niſi illo in ſummum littus expoſito, totum latè alueum non impleuit.

Silueria tempeſtates ſedat: eius corpus crocodilos fugat. Ioſephus Anchieta rediuiuum baptizat.

Prætermitto aut ſuſpenſos diu, aut procuratos demum imbres, aut non permiſſos labi, quà eundum illi erat & Sociis, locis iuxtà vicinis latè ſtagnantibus: nihil addo de compoſito non ſemel mari, quod fuit illi cum Siluerià commune. cuius etiam in profluentem corpus abiectum, infamem priùs crocodilis alueum ſubinde purgauit. Vnum hoc dico, atque ex aquis hiſce prodigioſis ſimul eluctor, nullum maius in aquâ magiſque fortunatum miraculum à Ioſepho eſſe patratum, quàm cùm Braſili cuiuſdam in Fide quidem Catholicâ, ſed per errorem ſine Baptiſmo demortui, & iam ad ſepulchrum ritè compoſiti, errantem [illegible]

corpor[illegible]

corpore animam in viam ipſe reduxit, vitæque reſtitutam ſalutaribus vndis abluit, iterumque dimiſit, longæ iter æternitatis ſecurius ingreſſuram.

Et hactenus quidem de elementis tribus admirabili Sociorum virtute perdomitis. Quid porrò de terrâ? in omnem terram exiſſe ſonum eorum, & non penetraſſe potentiam? Imò verò idem qui ferebatur ſuper aquas, emiſſus eſt Spiritus, & renouata eſt facies terræ. cuius ego pronuntiati argumentum in ipſo, qui Societatis huius auctor eſt, Ignatio deprehendo: nam, quaſi in Apoſtolorum cœtum ſancti ſe Spiritus virtus infunderet, ſic ſe illa in Ignatium recens Deo redditum cum pari terræ motu & fragore demiſit. quam quidem in illo non otioſam fuiſſe, vel ex eo colligi poteſt, quòd præter ducenta quæ in eius actis recenſentur miracula ſanctitatis, ſexcentis & ſeptuaginta quinque teſtibus confirmata, tanta hodieque & tanto numero vndequaque ſe ingerunt, vt non videam quomodo vel vnius Ignatij omnia, nedum reliquorum Sociorum ſingula, non dico enarrare, ſed enumerare ſatis poſſim: & illa quidem, vtcumque vel tellurem hanc, vel morbidum hoc & mortale mortuumque, quod homines gerimus, corpus ſpectent, iure videntur mihi ad facta in terram prodigia pertinere.

Sociorum poteſtas in terram.

Ad conuerſionem Ignatij terra tremit.

Iacobus Ruizius Cardoſa Prior Linarenſis Eccleſiæ Collegiatæ B. V. aſſumptæ, Conimbricenſis diœceſis, iuratus affirmat, locuſtarum vim ingentem denſiſſimamque nubem, quæ plures latè campos ita pertinaciter occupabat, nullâ vt vi vel induſtriâ inde abigi poſſe viderentur; denique, cùm deſperatis humanis ad diuina ſe agricolæ contuliſſent, Reliquiis ſancti Ignatij in agrum illum ſolenniter illatis, ad primam earumdem præſentiam ita ſubitò diſcuſſam eſſe, vt denſiſſimo primùm agmine à terrâ ſuſpenſæ ſolem illæ quidem eriperent ex oculis hominum; ſed illuſtrem Ignatij vim, Moſaicæ iſti ſupparem, intimis ſpectantium ſenſibus & animis inſinuarent. Veſtigium ſanè peſtis huius, ſegetibus præſertim & agricolis metuendæ, non aliud repentè ſuperfuit, quàm quod, ambeſâ parte meſſis, & reliquâ adhuc intactâ, Patriarchæ noſtri & legiſlatoris in terrena hæc animalcula cæleſte imperium loqueretur.

Ignatij Reliquiis abigitur agmen ingens locuſtarũ terræ infeſtum.

Iam vitæ reſtitutum ab viuente etiam tum Ignatio Liſſanum quemdam Canonizationis acta teſtantur. His alij addunt ann. M.DC.I. reuocatum à morte paruulum, cùm frigido iam eius corpuſculo imaginem ſancti Ignatij mater impoſuiſſet: tum M.DC.XI. Minoreſſæ reuixiſſe mortuum fetum auxilio Ignatij, quem obſtetrix pro miſelli ſalute ſolicita implorarat: demum M.DC.XIII. Friburgi puerum vnum, alterumque item puerum Mexici, vtrumque feretro iam compoſitum, vitæ ſuæ Ignatij meritis reſtitutum. Vnum ego adiicio Monebregenſis medici filium, patris ipſius exploratâ ſententiâ, planè mortuum, adeoque iuſſum ſepeliri; quem tamen cùm Ignatianæ lampadis oleo mater vnxiſſet, viuum illicò, imò & valentem, quem amiſerat, recepit.

Plures mortuos Ignatius excitat:

Propè abſunt ab inferis infantes illi, quos in matris vtero, tamquam tumulo, hereditaria parentum noxa reos æternæ mortis, imò damnatos, tenet; malis eò maioribus obnoxios, quò minus illis eſt vel à gratiâ vel

plurimos in partu laborantes in communem vitam educit:

vel à naturâ præsidij. Quoties ad eos Ignatij se præsertim fauor extendit? quàm multos ille hoc tam diro carcere, cùm eluctari non possent, auxiliatrice suâ dexterâ liberauit?

cæcos illuminat: Nec illi omnino viuere dicendi sunt, quibus sublata ex oculis est potestas videndi: etiam eis prospexit Ignatius, lumenque restituit, quod quærebant. *plurima vbique miracula patrat.* Aliorum porrò morborum (quibus potissimùm edocetur homo corpus mortale quod gerimus terram esse ac puluerem) collatam pluribus ab Ignatio & ceteris medicinam, vltrà prosequi infinitum sit. De Belgio vt sileam, quæ nota sunt & tantum-non manu tacta, approbata certè miracula, quanta aliis passim etiam trans Oceanum regionibus contigêre! Sola Gandia vrbs non magna soli Ignatio accepta refert duo & septuaginta legitimè signata. Minoressana specus, illa quæ prima recèns abstractum à sæculi militiâ tironem CHRISTI suscepit Ignatium, patrata per oleum lampadis, imò & puluerem, quem in eâ suis aliquando pedibus ille presserat, innumerabilia recenset. Monebrega anno M. DC. XXIV. Aprili ipso & Maio, toto vix bimestri, vidit & stupuit suos, quà ciues quà aduenas ad imaginem Ignatio dedicatam subitò restitui, octo claudos & mancos, sex cæcos, mortuos duos; variis languoribus morbisque depositos quatuor & decem: plures herniâ, igne sacro, paralysi; plures impeditâ, nonnullos etiam negatâ voce laborantes. adeò vt vix quatuor hebdomadarum habente spatio supra centum miracula à iuratis in Senatum testibus delata, atque à sex scribis publicis legitimè sint excepta. Cùm intereà imago ipsa, tantorum prodigiorum nobile instrumentum, stillaret odorifero liquore, non tam ex se, quàm Ignatij in homines benignissimè profusis etiamnum visceribus expresso. Quæ quidem cùm ipse mecum reputo, non iam, quod mirari soleo, vltrà miror, fuisse anno huius sæculi quinto in Occidentis Indiæ regione, quam Chilyam nominant, Sacerdotem, qui cùm ex dolore lateris grauissimè laborans, desperantibus medicis animam ageret, sancti Ignatij, cui se demum commendarat, imaginem lecto affixam pressiùs intuens, radiantem vidit cælesti quâdam luce; acceptoque inde salutis fausto omine, cùm vota iterasset, repentè conualuit.

Atque his de Ignatio cursim traditis, quid tandem, aut quo modo cetera persequar, quæ per alios eius filios nec pauciora nec minùs illustria contigerunt? Quàm multa Aloysio debet Italia, quanta Stanislao Polonia? cuius hodieque Regem acceptâ à iuuene illo innocentissimo sanitate audimus voti reum. Suo autem Borgiæ Hispania, Fabro Canisioque Germania, suoque item Lessio etiam Belgium, quàm illustria referre se beneficia fatetur & gaudet? Sed nolo hîc ego auctoritate meâ, aut priuata producere, aut publica obscurare. nolo apud Afros Silueriam, apud Armusios Barzæum, nolo complures sub vtroque sole, Apostolos ne dicam an Martyres, plurimis vbique signis nobiles recensere: duorum modò inter illos, Xauerij & Anchietæ, in terram patrata prodigia, quæ sine iniuriâ silere non debeo, vt aliquando tandem finiam, paucissimis indicabo.

Et de illo quidem Orientis Apostolo Francisco Xauerio in suâ ad Grego-

Gregorium XV. Oratione Nicolaus Zambeccari, *Miracula*, inquit, *per illum tum viuentem, tum vitâ functum, patrata diuinitus tam multa, tam varia, tamque inusitata sunt, vt profectò Xauerius nihil fecisse minus à magnis Apostolis affirmari possit. Certè mortui ad vitam restituti, vt cetera taceam, quamuis in Relatione habitâ coram Sanctitate vestrâ quatuor tantummodò numerentur, non tamen pauciores quàm viginti in actis proferuntur.* Quo, & quidem tam illustri, tamque probato, testimonio antè posito, quid attinet alia atque alia superaddere, quibus & suam Xauerius sanctitatem consignet; & conceptam de Societate ex Sociorum miraculis opinionem tueatur? Est profectò illa hodieque tam vegeta & tam noua, illis præsertim in locis Indiæ, quibus suum ipse & viuentis olim & etiamnum defuncti spiritum velut impressit, vt, quod nuperis Macao litteris scribit Nicolaus Fiua, *Indis pro miraculo sit vel tantillum cessare Xauerium à miraculis.*

Xauerius plurimos excitat à morte,

Verùm accipite, si placet, prodigiosum illius opus vnum, & ab vno cuncta discite. Acta Canonizationis eius, referente illa in Consistorio secreto, coram Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XV. Francisco Mariâ Cardinale de Monte ad verbum sic habent: *Cùm seruus Dei in promontorio Comorino concionem ad populum haberet in Ecclesiâ, in quâ die præcedenti sepultus fuerat quidam defunctus; ipseque Xauerius difficultatem magnam pateretur in conuertendis Ethnicis qui aderant, orauit aliquantulùm pro eorum conuersione: & peractâ oratione, vt ad* CHRISTVM *illos adduceret, iussit sepulchrum, in quo cadauer iacebat, aperiri, & populo significauit placuisse Deo iterum mortuum illum ad vitam reuocare, vt ipsi conuerterentur. Patefacto igitur sepulchro, & rescissâ veste funebri, quâ defunctus erat inuolutus, apparuit cadauer. Tunc verò oratione à Patre Francisco pro vitâ illius Deo factâ, statim surrexit viuus. Quo viso miraculo vehementer omnes admirati sunt, Deum laudantes, & admirantes Xauerij sanctitatem; & infideles illi atque multi alij, propter hoc miraculum, Christianam fidem susceperunt, & baptizati sunt ab eodem Patre.*

toto die iam sepultum vitæ restituit.

De hoc verò Occidentis Apostolo Iosepho Anchietâ quid dicam? quidve dissimulem? **Lusisse* eum (quod de bellatore Prophetâ sacræ Litteræ) *cum leonibus*, cum pantheris, inquam, viperis, & ceteris animalium efferatissimis, *quasi cum agnis*? familiare hoc illi, & tantum-non quotidianum fuit. Imperasse morbis licet inueteratis & grauibus terreni corporis, etiam loquendi, etiam videndi copiâ destituti? prodigiosa Iosephi acta consulat qui hæc volet. Stetisse eum velut in quâdam sublimioris naturæ speculâ, vnde illi ad arcanum mentis intuitum deferebantur omnia, quæ vspiam gererentur in terrâ? nota sunt, & crebris iam signata litteris, euenta præsertim tristia, quæ & futura præuidit, vt cauerentur; & facta ex remoto orbe didicit, vt ploraret: atque inter alia hinc futuram ruinam arborum, ne ducturi sub iis noctem itineris socij hac perirent; inde miseram Sebastiani Regis cladem, quam pridie Nonas Augusti ann. M.D.LXXVIII. ipso quo contigit fatali momento in Brasiliâ cum gemitu & cum dolore quasi præsens sustinuit, vnicum habens, commune sibi totique suæ genti, solatium Regis amissi, quòd post pientissimum, Deoque & Ecclesiæ consecratum Lusitani-

Iosephus Anchieta cum animalibus ferocissimis innoxiè ludit,

**Eccli. 47.*

plurimis morbis medetur,

quæ in terris remotissimis geruntur, quasi præsens intuetur.

 cum

cum ſanguinem, Auſtriacum prioris æmulum, heredemque digniſſimum inueniſſet. Et hæc quidem Sociorum aliquorum nonnulla ex plurimis delibata veriùs, quàm narrata, nedum exaggerata prodigia, vt admirationem Societati parent, exiſtimationemque concilient, non equidem poſtulo vel exſpecto. Satis erit, ſi mirabili Deo in Sanctis ſuis gloriam & honorem, debitum mille titulis, vel hinc referre velint ſaltem illi, qui communi nobiſcum CHRISTI ſanguine ſunt coniuncti.
Ezech. 1. Ille Ezechieli exhibitus in terrâ, iuxta fluuium Chobar, ventus turbinis, & ignis inuoluens, verbo elementa omnia plena prodigiis, non
Ezech. 2. quatuor iſtis quadrigæ diuinæ ſtipatoribus, ſed vni ſimilitudini gloriæ Domini ſeruiebant. Triumphet, io! triumphet, & viuat inuidiæ victor, mortiſque debellator Dominus IESVS: ſeruiant illius gloriæ creata omnia, vnius diuino nomini & honori famulentur elementa, & in his à Sociis patrata hæc admiranda; & qui hæc patrauêre Socij, & tota demum Societas, ſolam ſibi è tot gratiis gratitudinem arrogans, conatu impenſiſſimo, cultu demiſſiſſimo, veneratione perpetuâ ſe ſubmittat.

CAPVT SEXTVM.

Societatis IESV *dignitas à ſingulari vſu & exercitio virtutum heroicarum.*

Dignitas virtutis. NEc vlla naturæ eſt dignitas ſine luce; nec honor vllus eſt homini ſine virtute. Lucem aufer ab optimis probatiſſimiſque rebus, quis agnoſcet? quis æſtimabit? eamdem concede, perſtringent oculos animoſque ſpectantium. Amœnus eſt vibranſque virtutis ſplendor, mentemque videntium & ſpecie ſuâ reficit, & accendit affectum. Nec Heſperum eſſe tam pulchrum, neque tam fauſtum Luciferum dicebat Ariſtoteles. Et quis me demum vel prohibeat pudor, aut metus impediat, eam non omnium quidem, ſed Societatis vnius, quam celebrare propoſui, commendare?

Non ego hîc adducam quæ Societati cum ſanctiſſimis Religioſorum Ordinibus communia ſunt & vſitata. non patientiam in aduerſis; non in adeundis & propulſandis ab Eccleſiâ Fidei periculis fortitudinem inuictam atque conſtantiam; non Euangelicam, quam vocant, paupertatem, quibus excelluiſſe ſemper & etiamnum excellere Franciſci Seraphicum, & Apoſtolicum Dominici Inſtitutum, aliaſque ſanctiſſimas Religioſorum Familias, volentes gaudenteſque cognoſcimus. Non dicam maioris Dei gloriæ præfixum omnibus ex Inſtituto ſcopum; non ſeruandarum animarum curam contentionemque perpetuam; non orationis ſtudium firmatum in Societate tot præſidiis, tot litteris & regulis inculcatum; non inde à tirocinio ad deuexum vſque ſenium, ſiue miſſione, ſiue cuiuſquam priuilegio, diſſidium bellumque cum naturâ perpetuum, quod ferali, felici tamen verbo, mortificatio nuncupatur. Sunt videlicet hæc aliaque quàm plurima, ſic vſitata nobis, vt ſint fuerintque ante nos etiam aliis vſurpata. Quid ergo, quid

quid præcipuè nunc, cùm agendum mihi de Societatis virtute, commemorem? illud nimirum quod, vt sit non alienum à ceteris, proprium certè intimumque ei esse, maiori, quàm vt ambigi possit, testimonio comprobatur.

Gregorius XIII. (nolo enim nisi alieno, & illo quidem non vulgaris alicuius testimonio vti in re tantâ) sicut erat pro commissâ sibi totius curâ Ecclesiæ in omnes eius partes intentus ac vigilans, operumque passim omnium diligens obseruator & custos; cùm alia obseruaret in aliis, in Societate IESV tria potissimùm, & illa, vt aiebat, singularia, nec passim obuia mirabatur. Tantam in tam variâ excellentique doctrinâ demissionem animi de se modestissimè sentientis; tantam, in nationum ingeniorumque diuersitate tantâ, vnionem conspirationemque voluntatum; tantam in tam viridi & viuidâ iuuentute continentiam à voluptatibus iis, quæ nimium quantum humano, etiam effeto, corpori dominantur. Neque miror ego, res hasce & conspicuas naturâ suâ, & cum rebus adeò pugnantibus compositas, tam viuaci tamque suaui modo aduertisse sensum perspicacissimi Pontificis: nam quid illustrius, quid amœnius est stellis cum noctis obscuro comparatis? tale quiddam est eminens emicansque ab animo nil ostentante sui, nil sibi arrogante doctrina. *Qui docti fuerint*, inquiebat ille, *fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.*

Greg. XIII tria in Societate singularia mirabatur.

Doctrina cum humilitate est stella in obscuro.

Dan. 12.

Pacis æternæ signum est iris, speciosissimum illud inferioris ætheris ornamentum, delicium humani generis, & quoddam terræ quasi sidus, quo haud scio an pulchrius aliquod sit in cælo. At enim quot illa circulis est implexa? quot distincta coloribus? quot aucta corpusculis in infinitas propè guttulas distinctæ nubis? quàm illa aduerso soli opposita, & tamen amica? quàm pluuia, & tamen serena? quàm lucida, & non perstringens? quàm candens, & nihil adurens? Hoc videlicet signum est pacis illius quæ ex pugnantium licet animorum suauissimâ consensione contexitur, & in amorem admirationemque sui homines rapit. *Vide arcum, & benedic eum, qui fecit illum: valdè speciosus est in splendore suo.* Nullus est color, quem non referat lux composita & permista variè cum opaco: affectus animi nullus est, quem non eliciat amicum illud sanctumque discrimen, quo in vnius musicæ concordiam tot fides vocesque conueniunt. Et dubium videatur aut insolens, hanc in Societate IESV expressam, conspirantibus in vnum tot animis, tamque diuersis, suauissimè demiratum esse Gregorium, quæ vel furiosum aliquem menti reddere & conciliare posset sibi?

Animorũ vnio cum ingeniorum varietate, iris est.

Eccli. 43.

Vibrat mare demisso in se sole perstrictum, candetque velut igneum, sed non ardet: lucent astra, imò ardent, sed sine fuligine, sine fumo: illustrat noctiluca stramen & fœnum, sed non inflammat: ignem patitur tela amiantina, sed ad nitorem: aquis aliæ, flammis illa eluitur, & adhibitis tot ardoribus inconsumpta constat sibi. Hæc naturæ prodigia sunt; sed illud est gratiæ, intactum etiam inter ignes seruare florem continentiæ; quod in Societatis IESV iuuentute tam integrâ Gregorius Papa mirabatur. Quæ quidem tria & olim viguisse semper, & vigere etiamnum,

Castitas in iuuentute variis expressa.

num, quæ Dei benignitas eſt, inter Socios, ſi oſtendero, & planiora multis & grauiora reddentur.

Doctrina cum humilitate adſtruitur exemplis. Potéſtne ergo ſubmiſſius eſſe quidquam, quàm, eminere cùm poſſis, præire alteri nec poſſe, nec velle? aliquídne modeſtius, quàm, cùm multa noris, & multa peruideas, monſtrante viam ſapientiâ atque doctrinâ, ſententiam numquam dicere, conſilio numquam nedum iudicio adhiberi? quidquámne inter homines humile magis atque deſpectum, quàm, humanarum diuinarumque rerum intima atque arcana cùm videas, tradendis tantùm primæ infantiæ elementis Fidei occupari? Atqui hoc magni Pauli & Apoſtolorum, hoc Ignatij & Sociorum eſt. ille nempe cum ſuis illis Deique Diſcipulis, & ex hoc mundi Doctoribus, audiuiſſet licet arcana verba, *Non iudicaui*, inquit, *me ſcire aliquid inter vos, niſi* IESVM CHRISTVM, *& hunc crucifixum.* (1.Cor.2.) hic verò, cum ſuo Xauerio, Fabro, Lainio, & pluribus hodieque doctiſſimis verſatiſſimisque viris, paruulos ſibi præ omnibus auſcultatores exoptat, gaudetque tradendis Fidei & doctrinæ principiis, ad innocentis ætatulæ moleſtam balbutiem conformare vocem ſuam. Sapiebat, atque adeò loqui poterat, Xauerius aliquid humano maius; & tamen tintinnabulo coactum è publico agmen paruulorum trahebat poſt ſe ipſe dux gregis, & præcentor ſacri carminis ad elementa prima Fidei concinnati. Fabrum atque Lainium (cùm eſſent Doctores Theologi à ſanctâ Sede ſubmiſſi, perorantes dicentesque ſententiam ſuam in ſacro illo cœtu totius ſapientiæ Chriſtianæ) ſtupuit Tridentum; ſed & ipſos cùm erudiendis iterùm paruulis impensè vacantes etiam in publico videret vrbs Roma, in venerationem admiratione versâ, vehementer coluit atque ſuſpexit; certiſſimo vti ſubmiſſionis, ſic eam conſecutæ gloriæ argumento. Conſidere poſſe in Senatu quantumuis Religioſo, dicere poſſe rogarique ſententiam, imperij quædam ſpecies eſt, eius præſertim quod Ariſtocraticum nominamus; præſidere verò, & ſuſque deque mouere omnia nutu tantùm vno, forma eſt abſolutiſſimæ dignitatis. Hanc in quibuſuis etiam feminarum Religioſis Ordinibus nuſquam non reperias: vnius, quod ſciam, Societatis eſt, non concilia domi cogere, ſententiam non ſuam dicere, ſed exſequi alienam; etiam cùm rexeris, tam Præpoſitis obedire, quàm audiri à ſubditis: denique ſic abhorrere, ſic abominari dignitatis & excellentiæ omne nomen & ſpeciem, vti ad eas aut ambiendas domi, aut foris admittendas, ſingulari ſe voto reddat ineptam.

Concordia inter tam varios plenius expenditur. Iam verò quàm copioſæ ſuauitatis illa recordatio eſt, in eodem domicilio habitare tot homines, qui variis in terræ partibus tempora traduxerint ætatis primæ, varios, & ſæpè aduerſos inter ſeſe, parentes habuerint; qui nec parem ex maiorum imaginibus gloriam traxerint, nec ſimilem peregerint vitæ curſum; quibus non eodem modo natura, non fortuna proſpexerit de facultatibus illis, queis & delectantur vulgò homines, & vnicè capiuntur; quorum, impulſu indolis, feroces alij, alij remiſſi, alij ad ſumma, alij ad ima tendentes; verbo vnico, nil æquale; & tamen omnes morum ſint & animorum æquabilitate tantâ, vt nec tam dulces inter ſeſe ſint liberi, nec iucundi amici, nec accepti affines; imò

nulla

nulla alicunde accedere possit beneuolentia, quæ domesticam hanc vel superet vel adæquet. Agite, date vela tam piis, tam placidis affectibus, ô Socij, vt non vos tantùm (quæ prima felicitas est) sed etiam hostes intelligant frustrà esse foris arma quæ impetant, frustrà latentes insidias quæ deprehendant, frustrà sæuientes vndique tempestates ac fulmina quæ perstringant, quando tale est perfugium domi.

Castitas in iuuentute commendatur.

Sed quibus ego iam verbis, quâ te voce commendem Pudicitia, siue ita mauis, innocentia virginalis? tu enim Ecclesiæ, tu nostri Ordinis ornamentum præcipuum: tu quàm mundo rara, tam Societati cara es: tu Religione solicitâ consecratos Socios, tuos facis & seruas: tuo præsidio ætatis apud nos primæ candor intactus est: tui respectu nominis flos iuuentutis manet illæsus: te custode immaculata etiam inter sordes continentiæ stola seruatur. Neque, quod hîc ego de te, primus video, vel solus admiror: toto propemodum antè sæculo & gesta & proclamata describo. In aulâ Regis Catholici *quibusdam erant* (nempe Socij) *instar miraculi, quòd cum omni genere sexuque promiscuo tam versarentur innoxij. nec dubitauit in mediâ Curiâ Melchior Canus bellè iocari, Patres Societatis* IESV *herbam quamdam secum solitos circumferre, quæ vim haberet interimendæ libidinis: eoque velut antidoto tutò posse inter feminarum versari greges, & confitentibus puellis aurem saluâ integritate præbere. Ea vox seu candido sinceroque ex animo, seu quo alio profecta, admirationem certè multis attulit; sensimque sparsa per Curiam, ad Principis peruenit aures. Qui rei auditæ curiosus inuestigator, Ioannem de Zuniga (is erat ei velut morum magister ac custos) ad Patres misit sciscitatum, quod herbæ genus illud esset tantæ potestatis ac virium, quam illi perhiberentur habere. Fecit imperata Ioannes, expositisque Philippi mandatis ab Araozio contendit, vt rem sibi totam, quam mox ad Principem referret, exponeret. Hæsit hîc paulisper Araozius: tum rem totam indicaturum se esse respondit, modò is eam Principi, quemadmodum ab se acciperet, accuratè fideliterque referret. Cùm ille se reciperet, Verissimum, inquit Araozius, est, quod de huius herbæ nostræ potestate narratur: tantarum quippe virium est, vt non modò nobis ad frangendas cupiditates libidinesque sit vsui, verùm etiam tutum quoddam ad continendam linguam, & conterendam elationem animi, & omnia vitia, præsidium. Eademque tam multas facultates proprietatesque complectitur, vt equidem valdè velim & Principi & toti Curiæ eius vsum notum ac familiarem esse. Porrò nemo nescit varias à Deo virtutes inditas herbis, quarum beneficio solus is potiatur, qui cognitis & inuentis vtatur. Acuerunt hæc cupiditatem Ioannis, qui vt sine morâ sibi nomen ederet tam salutaris herbæ, nec se diutiùs properantem ad Principem cunctaretur ac suspensum haberet, acriùs institit. Cui Araozius, Hæc, inquit, herba communi sermone timor Domini nuncupatur. is eas omnes, quas enumeraui virtutes, ac multò etiam plures, quàm dixi, continet. Eo nos, quotquot de Societate sumus, frequenter vtimur: eius præsidio innoxij in mediis flammis periculisque versamur.* Ita est. contra liberiores attactus rosam spina defendit, nec alibi quàm in hoc septo magis est tuta; adeoque cùm huic eam inclusit, non inuidit natura, sed prouidit. Pudicitiam quoque suam Societas IESV, seu rosam illam esse vis seu lilium inter spinas, illo hactenus timore defendit, quo configi carnes suas Regius Vates optabat.

Part. 1. Hist. Soc. lib. 5. num. 63.

Quo adminiculo in Societate tuta sit continentia.

Atque hæc tria illa ſunt quæ iam tum ab exordio ſui Ordinis in Ignatij poſteris Gregorius ſingulari modo illuſtria mirabatur. Adhæc

Obedientia in arduis Societati ſingularis.

Franciſcus Borgia, domeſticus ille quidem, ſed exercitati incorruptique ingenij vir, Societati proprium eſſe nec infimum iudicabat, opera præſtare tam ardua cum obedientiâ tam promptâ: hanc ille non tantùm repetitis ab vlteriore memoriâ exemplis, ſed ſuâ, quam ipſe ſumpſerat, experientiâ comprobabat. Anguſtus erat, temporibus eius, Oriens, ille tam vaſtus, maioribus animis votisque Sociorum: Occidens etiam ab his, ire iuſſis vno tantùm nutu vel apice, petebatur: & erant tamen illic non adeunda ſed ſubeunda pericula, nec leuior ipsâ morte, homines inter barbaros, vita ducenda. Inhærebat nempe, hæretque etiamnum, infixum impreſſumque cogitationibus, dicámne Ignatianum illud, an Xauerianum, I. quo vnico amandandos illicò in terras vltimas, indéque iterum reuocandos Xauerium Xauerijque ſocios ſibi, nec otiosè, Ignatius perſuadebat. Sanè non adhuc defeciſſe hunc ſpiritum, necdum emarcuiſſe vim animi, etiam in iis, quos vel patrius cæli rigor tardiores effinxit, vel ætas & valetudo tenerior molliores efformauit; domeſtica & quotidiana noſtro etiam Belgio exempla teſtantur. Nec peſtis graſſatur in vrbibus, nec bello pugnatur in campis, nec vtroque laboratur in nauibus ſine Socio, ſine adiutore calamitatis extremæ. Ita videlicet exercentur, ita præparantur ad nuncupandum denique quartum illud grauiſſimumque votum Socij iuniores. quod qui tandem fecere legitimè, quocumque terrarum, quacumque viâ vel tempore, ad quoſcumque populos Pontifex iuſſerit, ſine morâ, ſine auxilio, cum aperto etiam amittendæ vitæ periculo, ire tenentur. Rem dictu facilem, ſed factu difficilem; nec à Religiosâ quorumuis obedientiâ, niſi ab illâ deuotorum pro Fide & Eccleſiâ, exigendam.

Singularis Societati inter diſtractiones conſuetudo cum Deo.

Sit & illud familiare Sociis, fortè etiam proprium (quod in iis Carthuſienſes quandoque Monachi ſuſpexere) volui eos vertique tot cum proximo rebus implicitos, nec tamen auerti à Deo, nedum euerti; iactari velut in tempeſtate ſæuâ turbinibus ſæculi fluctuantis, & toties & obtutu quidem tam fixo ſpectare cæleſtia; libros, domos, vrbes, regiones, orbemque percurrere, vbi vbi diuinæ promouendæ gloriæ ſe modus obtulerit, & interim quaſi ſegregatos ab occupatione omni, ſuauiſſimâ cum Deo conſuetudine diſtineri. Diffluere Franciſcum Xauerium, etiam tum cùm ſibi incumbentis Indiæ totius ſub onere ſuſpiraret, cæli deliciis; ſic orationi adhærere, ſic affici Franciſcum Suareſium, vt dicat priuari malle ſe doctrinâ omni ſuâ (quantâ illâ, Deus bone! & quot annorum quàm magno labore ac ſtudio conquiſitâ!) quàm carere fructu vel vnius horulæ quem exſpectaret agendo cum Deo, quis credat? quis capiat non expertus? Fuit olim Antiocho Soteri, illi à quo poſteà Syriæ Reges omnes Antiochi ſunt dicti, cùm bellum duceret in Galatiam, prodigiosè exhibitum pentagonum, quod, à complicitorum inter ſe quinque angulorum figurâ, Pentalpha; à ſalutari verò ſucceſſu victoriæ, ſigno hoc feliciſſimo demonſtratæ, ΥΓΕΙΑΝ nominauit. Ego verò ſic cenſeo, quinque hęc quæ modò propoſui, priuata Societati quaſi ſymbola, poſſe meritò Pentalpha noſtrum & ΥΓΕΙΑΝ nuncupari: quando

Quinque hæc ſingularia, ſunt fortunatum & ſalutare pentalpha Societatis.

illis

illis inter se positis atque complexis non tantùm non interire Societatem, sed ad suam hominumque salutem omnium magis semper & magis conualescere necessum est.

CAPVT SEPTIMVM.

De nomine & existimatione quam Societati contulit rara in omni genere & exercitatione doctrina, quà expressa verbo, quà scripto consignata.

FVere qui dicerent, posteaquam ingressa est in orbem sapientia, ab eo excessisse virtutem; quòd illæ nimirum moribus inter se animisque contrariæ, vnà viuere non possent: cùm simplicitate gauderet virtus; cautâ verò argutâque prudentiâ, & illâ quidem non minùs in agendo versutâ, quàm in cognoscendo versatâ, sapientia teneretur: quòd illa inermis esset & nuda, hæc & phalerata & armata; subesse illa & pati, agere hæc & præesse contenderet. Verùm næ illi mihi, quicumque ita censuerunt, & ignorasse virtutem videntur, & non agnouisse sapientiam; nisi fortè inertis animi abiectionem pro virtute, arrogantis autem ingenij ostentationem pro sapientiâ coluere. Quod sanè quàm sit vtriq; iniurium, quis non videt? quid enim aut fortius virtute, aut potentius est sapientiâ atque doctrinâ? Virum virtus, hominem sapientia, vtraque similem Deo facit. *Falsò credita doctrina aduersa virtuti:* *vni cum alterâ benè conuenit.*

Fabulosam suam Palladem armauit virtute Iupiter, & sapientià decorauit; at certiùs & veriùs Societati suæ, quam contra impietatem & ignorantiam Deus eduxit, sociam tot fortissimis ordinibus legionem, de vtrâque prospexit. Ponite ante oculos vnumquemque eorum, quos Societatis huius quosdam quasi primipilos agnoscimus. Vultis incipiam ab Ignatio? vultis post stabilitam propagatamque & optimis disciplinis institutam Societatem, ab iis ipsis qui instituerunt eam? Quibus tandem adminiculis, nisi doctrinæ prudentiæque singularis, adiutus Ignatius ea conscripsit non tantùm argumenta virtutis, sed Philosophiæ plusquam Platonicæ documenta, sed Reipubl. ab se ordinatæ instituta tam plena, tam perfecta, vt eadem admirentur etiam ij qui non amant? Scio equidem, illum etiam tum rudem litterarum, cùm de Sanctissimâ Trinitate commentaretur subtilissima quædam atque certissima, non suâ tunc, sed cælesti vsum sapientiâ fuisse: non ignoro, cùm exararet sublimes iuxtà ac pias commentationes, quæ spiritualia Exercitia nuncupauit, adstitisse illi, magistræ dictantis habitu, MARIAM ipsam sapientiæ matrem: fateor, eiusdem præcipientis auxilio conceptas ab Ignatio, traditasque litteris, nouas illas, nec tamen nisi malè sentientibus odiosas Societatis Constitutiones: nego tamen hæc detrahere quidquam ei posse de opinione etiam humanæ ac naturalis scientiæ atque doctrinę; nisi quis fortè aut Angelicum Thomam, aut Seraphicum Bonauenturam, minùs eruditos fuisse contendat, ex eo quòd omnem propè, quam habuere, sapientiam hausere de cælo; atque adeò vitio vertere discipulo velit, sub optimis cum maximisque præceptoribus profecisse ad institu- *Societatis doctrina probatur.* *Ignatij doctrina.*

 tionem

tionem vſumque doctrinæ. Fuit ergo, poſt exhauſtos mirâ conſtantiâ multorum annorum in ſtudiis labores, Magiſter ac Doctor, poſt rigidiſſimum examen, à Sorbonâ renuntiatus Ignatius. nec tantum inde tamen apud æquos æſtimatores, quantum à ſcriptis ſuis nomen retulit ſapientiæ conſummatæ. Quid? Petri Fabri, Franciſci Xauerij, Iacobi Lainez, Alphonſi Salmeronis, Claudij Iaij, quam Aſia & Europa ſuſpexit, commiſſam cum barbaris & hæreticis, inanem fuiſſe doctrinam arbitramur? omitto reliquos: ſunt enim omnes pares propemodum inter ſe. Caniſium verò ſi quis roget, quid egerit, quid ſcripſerit in liberandâ ab erroribus Eccleſiâ; ſi quis item reliquos eiuſdem conſilij ſocios, Antonium Poſſeuinum, Iacobum Gretſerum, Gregorium à Valentiâ, Edmundum Campianum, Nicolaum Serrarium, Martinum Becanum, Petrum Cottonum, Carolum Scribanium, Ludouicum Richeomum, Iacobum Salianum, & ceteros ſine numero, ac præſertim Robertum Bellarminum, qui in hoc maximè controuerſo ſcribendi genere ſcientiam vnus omnium videtur aſſecutus; hos, inquam, omnes ſi quis interroget, quid agendo, quid ſcribendo ſecuti, quid aſſecuti ſint; num quis exſiſtat cui præter officium fortiſſimi defenſoris Eccleſiæ quidquam aliud iis propoſitum fuiſſe videatur? Quæ res Franciſcum Toletum adiuuit ad ſacrarum Litterarum adyta tam ſolidè penetranda? Quæ vis Serrarium, Pererium, Riberam, Lorinum, Caſtrium, Maldonatum, Emmanuelem Sà, Barradam, Iuſtinianum, & auctores Operis verè regij Pradum & Villalpandum, & innumerabiles alios, tam altè promouit ad liberè & tamen verè inueſtiganda ſecreta Dei? Quantas fuiſſe oportet cogitationes vnius Cornelij à Lapide totius ſacri Codicis volumen complexi? Quid dico illa propugnacula doctrinæ ſanctioris Suarez & Vaſquez? qui nihil, in tantâ licet inueſtigandarum rerum oppoſitâ mole, imperuium ſibi & meritò putauerunt? Quid defæcatiſſimæ puriſſimæque ſapientiæ viros Thomam Sanchez & Leonardum Leſſium? quorùm ille balbutiem (quæ Societatem IESV inire peroptantem vnica morabatur) dedoctus à Virgine MARIA, ſic eam ſemper coluit, vt dein, etiam in lubrico ſordidiſſimarum animæ quæſtionum, non niſi innocentiſſimè verſaretur. Clemens VIII. viſo examinatoque eius volumine, quod benè magnum de matrimonio, & pluribus eò ſpectantibus, accuratè conſcripſerat, & vnà monitus de innocentiâ viri, ac verecundiâ virginali, non hominem illum ſed illibatæ caſtitatis Angelum eſſe profeſſus eſt. minori ſanè indicio vel opis vel naturæ cæleſtis, ſordidiſſimis rebus immiſcet ſeſe lux ſolis, & manet incorrupta; relucent immunda quæuis in ſpeculo, nec illud vitiant; ardet rubus, candentes laminas virgo calcat; nec tamen aduritur; quàm ſuam in tam lubrico continentiam Thomas ille ſeruarit. Prætermitto Ludouicum Molinam, Franciſcum Turrianum, Iacobum Ledeſmam, & omnibus his antiquiorem Martinum Olauium, iam olim, etiam ante initam Societatem, notum auditumque in Concilio Tridentino. Nihil dico de compluribus aliis, & adhuc viuentibus, ne in exornandâ centenariâ iam & communi Societate noſtrâ aut longior ſim, aut non ſatis videar Religioſæ eorum verecundiæ conſuluiſſe: ſatis habeo (id quod de Cypriano Hieronymus)

Thomas Sanchez à Clemente VIII. dictus Angelus.

mus) verbo adſcribere: *Horum ingenij ſuperfluum eſt indicem texere, cùm ſole clariora ſint opera*. At verò vocales illos diuini verbi præcones, ſiue calamo, ſiue linguâ, quorum in omnem terram exiuit ſonus, & in fines orbis terræ penetrauere verba, quâ ego ratione diſſimulem, quando vel me tacente, inter innumerabiles alios Franciſcum Stradam, Benedictum Palmium, Edmundum Augerium, Franciſcum Coſterum, vniuerſæ quà patet Europæ ſua quemque vox prodet, & eſſe teſtabitur Angelos tubâ canentes? Finem non habeam, ſi perſequi vel nominando velim eos, qui in philoſophicis mathematicisque diſciplinis propemodum ad miraculum fuere verſati, quique Humaniora quæ vocamus ſtudia litterarum ingenio ſimul & induſtriâ ſuâ, etiam ad poſteros, feliciſſimè promouerunt: opus enim eſſet horum non nomina ſed Collegia recenſere. quandoquidem non vnus inter illos Conimbricenſis, non Dandinus, non Fonſeca, non Toletus vnus, non vnus Mendoza, non Vallius, non Ariaga vnus eſt: nec ſolus Clauius vel Aguillonius excelluere diſciplinis iis quæ Mathematicæ nuncupantur: nec vnicus Cyprianus Suarez & Emmanuel Aluarez, Fruſius & Perpinianus, Turſellinus & Maffeius, de la Cerda, &c. præcipiendæ & exprimendæ quà oratoriæ, quà poëticæ, quà hiſtoricæ eloquentiæ inſignes exſtiterunt.

Commune illud mundi totius oraculum, & publica vox Eccleſiæ, Concilium Tridentinum (in quo vix adhuc natæ Societatis illa lumina Theologi Pontificij, Petrus Faber, Iacobus Lainez & Alphonſus Salmeron, non ſemel conſpecti ſunt & auditi) quando informandæ ad omnem ſcientiam iuuentuti à nouellâ etiam tum Societate IESV præceptores potiſſimùm peti voluit; ecquid rudem illam, & non potiùs ſolidam in diuinis, in humanis ſubtilem, in humanioribus denique ſtudiis exercitatam iudicauit? *Per ſe clarum & illuſtre Ieſuitarum Sodalitium*, inquit Pontus Heuterus, *qui ſine moroſitate reformatam ad pietatis cultum vitam, inſuper purioris litteraturæ elegantiam prudenter ſectantur, teneramque in hac & pietate ætatem diligenter imbuunt, ac ad eloquentiam & ingenij acumen elimandum exercent.*

Tridentini teſtimonium & iudicium de doctrinâ Societatum:

Lib. 13. Vit. Car V.

ſententia Ponti Heuteri de eâdem:

Quid ſanctiſſimi Patres ac Paſtores Eccleſiæ? qui perturbatiſſimis, & paſſim corruptis in Europâ gymnaſiis ſcholisque litterarum, ampliſſimis non ſemel priuilegiis illectam Societatem impulere tandem, vt ad tradendas regendasque cum imperio quaſcumque, non abhorrentes ab inſtituto ſuæ Religionis, diſciplinas aſſumi ſe denique pateretur. plus nimirum oneris & difficultatis in hoc munere vitæ, quàm honoris aut dignitatis ineſſe non ignorabat illa, nec alienum eſſe ducebat à ſe, quod Deo ad gloriam, vel ad ſalutem prodeſſe poſſet alicui: omnibus enim omnia facta eſt fietque, vt omnes faciat ſaluos. Hoc vnum illa ſpectat, cùm ad puerilem, inter Fidei rudimenta, ſymphoniam inflectit Apoſtolicam vocem: hoc, cùm coniugandis & aptè componendis verbis & verſibus incumbit: hoc ipſum, cùm vel in ſocco vel in cothurno ambulat in theatris: hoc, cùm declamat in pulpitis, cùm perorat in roſtris: hoc, cùm vel inquirendo deliberat, vel diſputando nunc obiicit, nunc auertit: hoc, cùm vel loquendo præſentes edocet, vel ſcribendo venturos inſtituit: hoc etiam (quod fortaſſe non capies) hoc, inquam, vnum attendit,

de illâ ipſâ communis Principum ſenſus.

1. Cor. 9.

Variæ ſcientiarum exercitationes, quas Societas aſſumit.

dit, quin & solum IESVM scire tum & docere se credit, cùm ex vsu & præscriptione mathematicæ disciplinæ iam castra metatur, iam valla erigit, iam defendit vel offendit erecta: hoc, cùm terram reuocat ad mensuram, ad constantiam fontes & maria, ad tenorem astra cæli omnia, etiam illa quæ erratica nominamus: hoc denique, cùm ex discretæ, quam vocant, & continuæ quantitatis variâ proportione inauditas & maiores vulgi captu veritates educit. quomodo dirigantur, refringantur & reflectantur radij coloris & lucis, impensè tradit; vt vel sic in auditorum animos quacumque tandem viâ Christiana virtus irrepat. Illa & constituendo grauitatis centro, & quærendis duabus mediis proportionalibus inter datas, & quadrando, si fas est, circulo occupatur; si fortè, vel sic, humanæ menti constanter infigat & imprimat nomen illud numenque diuinum, quod Augustino per *circulum cuius & centrum vbique est, & circumferentia nusquam*, designatur. Neque nouitium hoc, aut nostrum, maximorum antè nos virorum, ipsiusque adeò Pauli, & ex eo Xauerij inuentum est. *Dum omni modo*, inquit, *siue per occasionem, siue per veritatem*, CHRISTVS *annuntietur; & in hoc gaudeo, sed & gaudebo.* Per occasionem aræ, ignoto Deo dedicatæ, quin etiam adducto profani Poëtæ testimonio, *Ipsius enim & genus sumus*, CHRISTVM Athenienfibus annuntiauit ille Doctor Gentium, & prædicator veritatis; qui non iudicauit se scire aliquid inter alios, *nisi* IESVM CHRISTVM, *& hunc crucifixum.* Quid Xauerius? ille in Indiâ alter Paulus, Orientis certè Apostolus, sumptâ etiam hîc ex mathematicis astrologicisque problematis occasione, in Iapone, & cautè tentauit, & feliciter expugnauit veritati clausos animos barbarorum. Quid demum per exempla virorum talium iam inde ab exordio instituta Societas? illud nimirum agit, in hoc excubat, in hoc tota est, vt siue per occasionem profanam, siue sacram veritatem, Christianæ Fidei documenta vel suauiter insinuet, vel fortiter imprimat humanæ cogitationi. Nec sanè inutilem hactenus fuisse hunc (inanem licet in speciem) laborem, admiranda etiam per Orientis & Occidentis Indias importatæ Fidei & salutis compendia docuerunt. Et quidem, ne huius ego generis infinita commemorem, nouissimis ex Oriente litteris à Patre Nicolao Fiuâ mense Ianuario anno M. DC. XXXVII. Macao scribitur in hunc modum: *Rex Chinæ an Christianus sit ignoratur, idololatra certè non est: nuper oblatum sibi à P. Adamo speculum, globos item duos & horologia curiosa tanti fecit, vt coram quatuor Colais, Magistratibus grauissimis, nostros impensè laudarit. qui cùm libros Kalendarij Chinensis correxissent, voluit eos administrandæ reipublicæ admouere, & esse quod Proreges solent: sed à doctore Paulo Colaorum Principe, & illo Christiano, admonitus est nos non ambire honores.*

Philip. 1. *Act. 17.* *1. Cor. 2.* *Scientiis etiam profanis adcouersionem Indorum & Iaponum vsus Xauerius:* *iisdem etiamnum vtuntur Socij fructu magno & commendatione.*

Concludam hæc ego (quæ de Societatis nostræ existimatione conceptâ ex studiis litterarum atque doctrinæ quasi compendio pauca proposui) gemino, & omnia quæ hîc dici à me possint complectente testimonio, & illo quod, nisi auctoritas ingerat, modestia erubescat. Florimundus Remondus *de ortu, progressu & ruinâ* (quam ominatur) *hæreseon*, vbi Societatis contra eas eductæ in aciem primùm meminit, *In his*, inquit, *Collegiis infinitus quasi est Iesuitarum numerus, quorum de doctrinâ*

Testimonium Florimundi Remondi de doctrinâ Societatis:

ctrinâ tanta est existimatio, vt scientiæ omnes perditæ eorum operâ restitui posse videantur. Et, interiectis aliquibus, conuersâ ad illos quos ita extulit IESV Socios oratione suâ: *At vos,* inquit, *ô inuicti & infatigabiles Æacidæ, cælitus vos missos credimus, vt tam longo & funesto bello finem imponatis. Vobis, vt à Mercurio olim Vlyssi, diuina illa herba moly à Deo data est, vt tantam miserorum hominum à veneficâ illa Circe hæresi incantatorum, & in bestias transmutatorum, multitudinem pristinæ formæ restituatis; aliosque, quos mali illius vis nondum attigit, præseruetis. A vobis, duces fortissimi, vltimus ille ictus Lernæo monstro infligendus exspectatur: in fatis namque est, vt, sicut Troia sub Pyrrho, sic sub vobis hæresis pereat atque exscindatur. Quamuis autem merita vestra & labores, non vt par est, ab omnibus excipiantur & compensentur, non tamen cessate victoriam vestram persequi, donec hostis planè prostratus & deuictus in triumphum à vobis ducatur.* Nec minora, quin illustriora etiam, sunt quæ Albertus Comes Palatinus Dux vtriusque Bauariæ anno M. D. LX. scriptis ad Iacobum Lainium litteris consignauit in hæc verba: *Quis homo verè Christianus non gaudeat ex animo, videns perexcellentem filiorum Paternitatis vestræ doctrinam, vitamque laudabilem, hæreticorum vires debilitatas, & pertinaciam confusam ac pudefactam? de quo meritò tibi, tamquam eiusmodi filiorum Patri, congratulamur, quorum operâ vnicè speramus hæreses tandem exstinctum, & Catholicam Religionem restitutum iri.* Annuat Deus tantorum virorum, atque adeò totius Ecclesiæ, voto tam pio; velitque nos (quod alios antè voluit) suæ tantùm gloriæ deuotos, ad plurimorum salutem piè ac sapienter *facere & docere.*

item Alberti Ducis Bauariæ.

CAPVT OCTAVVM.

Societatis IESV *felicitas singularis morientium in eâ priuilegio contestata.*

MVlti hominum, eorum præcipuè quibus vita lentè producta per otium optabilior videtur quauis morte etiam fortunatâ, de Societatis IESV communi & quodammodò fatali infelicitate conqueruntur. Quid enim, inquiunt illi, potest in Sociorum vitâ iucundum esse vel expetendum, cuius per laborem animi, corporisque contentionem, contracta nimiùm spatia tam properè decurrunt? Videas in eâ complures, studiorum & virtutis exercitatione, illâ præsertim quæ Deo & Religioni subigendis motibus occupatur, exhaustos, etiam illos qui nuper & naturæ temperamento & ætatis conditione florebant. Videas exesos macie plerosque, plurimos pallore suffusos, nonnullos etiam extenuato corpusculo ver ipsum vitæ non egredi, & effetâ propemodum maturitate autumnum moribus & doloribus referre. Alij nosocomiorum & carcerum pædoribus immoriuntur: alios rapit diffusa per vrbem lues dum eâ laborantium animis medentur, infectorum corporum horrore seposito. Plurimos haurit mare, siue cùm relictâ patriâ diuersa in orientem & occidentem Indiam exsilia, vbi vbi seruandarum animarum spes affulserit, auidè sectantur; siue cùm se pro Deo & Religione certantibus in Oceano militibus certi periculi socios præbent,

Sociorum vita breuis & laboriosa est æstimatione multorum.

cum

cum omnibus & singulis, quos non ipsâ in morte relinquunt, extrema passuros. Nec pauciores cadunt in acie, & moriuntur in campis, quò illos vel pugnâ cadentium vel morbo deficientium suprema necessitas vocat: quibus si addis complures alios, qui post dirissimas vbique quæstiones quas patiuntur causâ Fidei vel propagatæ vel defensæ, post ergastulorum squallorem, post exquisita genera tormentorum, generosè illi quidem sed miserè consumuntur; profectò intelliges esse quàm plurima, quæ angere & solicitam habere Sociorum ætatem meritò possint, cùm debeant illi tantis quotidie laboribus atteri, tot curis obrui, toties contra omnes & corporis & mentis iniurias de vitâ ipsâ dimicare. Fateor equidem, in præcipitatâ vitâ Societatis nil magnopere vnam intuenti naturam vel iucundum vel optabile videri posse; præsertim cùm probè intellexerit, illis & citò, & per difficillimos casus, & quotidie esse moriendum. Sed enim si quis altiùs eleuare voluerit animum ab hac necessitate & graui opere quo perfungimur vitæ mortalis, si quis reputare secum, quantum, exacto quasi per compendium cursu naturæ, insit in Sociorum morte solatij; censebit sanè non ærumnosam, sed potiùs inuidendam esse eam, quam comitetur tanta securitas, tanta felicitas consequatur. Quod cùm dico, intelligi volo non solùm de isto mortis genere, quo qui perfunguntur pro Deo & Religione constanter, de suâ immortalitate certi, de felicitate securi, intelligunt in portum se illicò beatitudinis infinitæ ex tempestate permodicâ & breui nauigatione esse venturos; etiam alios omnes, inquam, hæc spectat oratio mea, qui in Societatem Domini IESV adscripti, homines vsque eò tuentur in terrâ, donec (quod caput est) in assumpto semel ordine & statione constantes, iussu demum Imperatoris, id est Dei, sic è corpore decedant, vt è præsidio militari. Vultis quod intendo, clariùs expressiusque proponam? Verbo sic habete quod dico: *Hoc est hominum Societatis* IESV *priuilegium, vt mortuum Iesuitam obuius* IESVS *excipiat*. Felicem eum animum, qui è suo, quo depressus erat atque demersus, corpore mortali, in immortalem sinum Domini IESV beatamque mentem securus effunditur! Qui ita vixit, diu viuet; ita qui moritur, numquam est ille moriturus. At perculerit fortasse non neminem hæc sententia mea, liberè nimis & quodam velut oraculo dicta. Sanè nec mea illa, nec oraculo est expressa; & tamen habet aliquid oraculo simile, & plus quàm meum. Teresia de IESV (ille ductus à Carmelo fons & origo defæcatissimæ sanctitatis, in quo velut in speculo resplenduerunt ostenta tam illustria, tam inusitata de cælo; qui æterni solis igne diuino sic frequenter emicuit, vt ardere ipse & inflammare alios videretur) hæc, inquam, virgo Teresia degebat Cordubæ in Hispaniâ, eratque (quod solet) à sanctissimi Sacramenti communione in cælum & in Deum mente suspensa: quâ in speculâ dum consistit, ecce tibi è purgantibus flammis animæ, quæ magno numero & gratulatione festiuâ ferebantur & recipiebantur in cælum. ducebat reliquas vna formosior, & hanc etiam vnam præ omnibus IESVS CHRISTVS inter angelicarum mentium ordines factus obuiàm, suo dignabatur amplexu in signum beneuolentiæ singularis & amicitiæ sempiternæ. Hærebat virgo Teresia, hinc suauissimo recreata

non tamen odiosa Deum & æterna spectanti.

Priuilegium in Societate morientium assertum testimoniis.

Visum sanctæ Teresiæ à IESV.

Ex relatione R. P. Crisoelli anno 1616. 13. Ianuar.

recreata ſpectaculo, inde non ſatis intellecto prodigio conſternata: audet igitur interpellare animam de poſterioribus vnam, & petere quænam ipſæ forent, ac præſertim quæ ipſarum dux illa tam accepta Deo. cui ipſa breuiter: *Dux noſter eſt, è Societate* IESV *frater vnus: nos duci gratulamur, cuius virtuti ac precibus debemus quòd hodie liberemur. de Omnipotentis aduentu nil mirum, nil nouum; ſcilicet hoc eſt hominum Societatis* IESV *priuilegium, vt mortuum Ieſuitam obuius* IESVS *excipiat.* Obierat videlicet eo ipſo puncto temporis quidam Sociorum IESV Coadiutor, Cordubenſis Eccleſiæ noſtræ ædituus, qui annis plus minùs triginta ſacro hoc perfunctus officio, vt erat ſui obſeruator & cuſtos, ac pietatis Religioſæ ſectator egregius, quadringentas ampliùs virgines (quæ ex propoſito pio, diuino cultui ſunt vocanturque Deuotæ) diſtinguebat omnes auditâ voce, ſed nullam penitus earumdem de facie nouerat. Equidem non video, cur iam id quod ipſe ſentio de Sociorum ſecurâ & fortunatâ morte non audeam palàm dicere: quod eò certiùs mihi videor poſſe, quò plura & euidentiora ſuppetunt eiuſdem adſtruendæ veritatis argumenta. Ego felices Societatis primitias Ioannem Hoſium & Iacobum Codurium hinc abiiſſe arbitrer, vel cum diutiùs viuendi deſiderio, vel cum difficultate moriendi; & non potiùs cum incredibili gaudio ſuauiſſimæ voluptatis, quos vixdum egreſſos è corpore, Pater Ignatius adhuc ſuperſtes intuitus eſt cæleſti gloriâ circumfuſos? Voluerit profectò palàm facere diuina benignitas, quàm facilis eſſet & expedita via, non heroibus tantùm illis Ignatio & Xauerio, ſed quibuſuis etiam immaturis Ignatij filiis, eundi in illam vitam, quæ ſola vita eſt nominanda. Equidem efferor ſtudio videndi Socios illos, quos cùm in vnum collectos regeret Balthaſar Aluares, vir ille non vulgaris ſanctitatis, & virtutum non lenis exactor, aliquibus etiam tum imbecillitatis humanæ caſibus obnoxios eſſe dolens, flenſque coram Domino, querebatur. Enimuerò quàm æquo & quàm ſecuro animo neceſſe eſt eos abiiſſe de vitâ? nam eos omnes omnino ad æternam deſtinatos in ſua illâ perturbatione afflictæ mentis Balthaſar antè didicerat. Quid Alphonſus Rodrigues? exarſerat ille aliquando deſiderio videndi Socios ſuos quibuſcum tum viuebat in terris; ſed videndi in eo ſtatu & conditione quam habituri eſſent olim ab æternitate ſuſcepti: eratque illi, ſpem inter & metum, pronus quidem in gaudium, ſed anxius tamen animus; donec is Deo adiuuante ſupra humana ſe erigens (quod ſæpè faciebat) ſuorum ille Sociorum poſteritatem, etiam eorum qui ſe longo interuallo ſecuturi eſſent, ita proſpexit, vt intelligeret morti tantùm humanæ obnoxios illos, poſtquam è mortali vitâ exceſſiſſent, tum denique in cæli felicitate perpetuâ ſecum eſſe victuros. Et illuſtria quidem hæc; ſed tamen ampliora ſunt iſta. Franciſcum Borgiam orantem aliquando deprehenderat Marcus viri ſocius, & (quod rariùs animaduerterat) manantibus ex ſingulari lætitiâ lacrymis largè perfuſum. rogat ergo cauſſam vti promat tanti ſolatij; & cùm vrgendi inſtandique non faceret finem, ita demum ex Franciſco intelligit: *Scito, Marce frater* (hæc ipſa verba Borgiæ ſunt cum fide tranſcripta) *Deum impensè amare Societatem, eique conceſſiſſe beneficium, quod olim Ordini ſancti Benedicti, nimirum*

Exemplo Hoſij & Codurij probatur ſecuritas moriendi in Societate:

idem adſtruitur reuelatione factâ Patri Balthaſari Aluares, in eius Vitâ cap. 13. *& Alphōſo Rodrigues,*

rum vt trecentis primis annis nemo qui in eâ ad mortem vſque perſeuerauerit, damnetur. O præclarum diem (exclament hîc meritò Socij, non illi quidem infallibili teſtimonio de ſuâ beatitudine ſecuri, tantis tamen ſiue prædictionibus ſiue promiſſis erecti in ſpem magnam) ô felicem conditionem, quâ in illam ego ſocietatem hominum cœtumque me contuli, quâque ex mundi turbâ & colluuione diſcedens, illis ego viris aggregatus ſum, quorum ipſe merito & virtute conſequi poſſim, quod à propriâ ſperare non audeam! O fortunatam IESV Societatem, quæ adſcriptos ſibi Socios aptos æternæ felicitati vel inuenit, vel facit! De quo quidem eius tam ſingulari priuilegio quo minùs dubitem, facit tot tantorumque virorum tam expreſſa confeſſio: quos inter (ne cui fortè in cauſsâ hac noſtrâ exemplis ferè domeſticis vti videar) vnius ex alio Religioſorum Ordine ſanctiſſimi viri teſtatam morte ſententiam præterire non debeo. decumbebat ille grauiter ex morbo, & propè iam aberat à morte, ſui tamen compos & potens: eratque iam eo loci ac temporis, in quo, commonſtrante præſertim Domino, ipſa veritas & videtur clariùs, & liberiùs indicatur. Iubet itaque, cùm priùs aliquantulùm immotus animo velut libero proſpexiſſet æterna, vocari ad ſe Barcinonenſis Proregis Confeſſarium P. Matrezium, è Societate IESV Religioſum Sacerdotem. quem properè aduolantem, vt fieri aſſolet in neceſſitate supremâ, & vixdum ingreſſum in conclaue decumbentis, æger ipſe magnâ alacrique voce quaſi gratulabundus aggreditur: Felicem te, inquit, ô Pater, cui contigit Socium eſſe eius Ordinis, in quo quicumque decedit, vitâ fruitur ſempiternâ! Hæc mihi iam nunc Deus oſtendit, hæc palam omnibus nuntiare mandauit. Hærebat hîc noſter admiratione defixus: cumque tam ſingulare viſum, prohibente verecundiâ, non auderet admittere, & parem minimùm felicitatem datam auguraretur ipſius ægri Inſtituto, quod erat rigidiſſimæ etiam tum & incorruptiſſimæ diſciplinæ; addidit ægrotus, dixitque cum gemitu, ſeruari quidem ex ſuo Ordine quàm plurimos, ſed non omnes: ipſius autem Societatis omnes omnino ac ſingulos, ad mortem vſque in eâ ſi conſtiterint, eſſe ſeruandos. Cuinam ergo Sociorum hiſce cogitationibus imbuto, ac tantâ ſpe nixo, vita ſua, quantumuis moleſta ac breuis, poſſit eſſe non iucunda? quis non ſe conſoletur tot tantiſque periculis mortalitatis expoſitum, reputans ipſe ſe cum iis quos eiuſdem vitæ Socios vel præmiſerit abeuntes in cælum, vel olim ſecuturos poſt ſe relinquit in terrâ, ſemper & feliciter eſſe victurum. Quòd ſi in hoc ego erro (nec enim fide conſtat aliâ quàm humanâ) quòd animos Sociorum beatos fore confidam; libenter erro: dum tamen hic error, quo delector atque ſuſtentor, magis excitet ad virtutem. Occurret aliquando (& ad hanc vtinam perueniamus!) dies æterna, in quâ, quæ ex aliis iam audiuimus, re experti probare poſſimus.

CAPVT

CAPVT NONVM.

Societatis præclara fama, quam de illâ ſparſit honor varius eidem delatus à Pontificibus, Regibus, Principibus, & aliis.

Societas IESV *nihil ſibi arrogat præ aliis ſanctiſſimis Ordinibus:*

QVæ eſt iſta, inquies, in commemorandâ Societatis gloriâ tam inſolens oſtentatio, atque exaggerata laus ex capite non vno? an ſola ergo illa ſancta, fortis, admiranda, virtutibus prædita, exculta doctrinis, conſtans in vitâ, in morte ſecura eſt? Non equidem aut ita iudico, aut iudicare ita velim. Agnoſco & veneror Religioſiſſimorum Ordinum maiorum noſtrorum (quorum nos veſtigiis gaudemus inſiſtere) conſummatam in omni genere laudis exiſtimationem atque præſtantiam: ſiquidem illi omnes animo excelſo & alto, & virtutibus exaggerato cùm eſſent, ea nobis edidere exempla rectè factorum, quæ etiamnum haud oblita poſteritas excipit, & olim tantis æqua miraculis æternitas intuebitur. Quid? Societatem ego comparem Ordinibus illis? id ſi faciam, omnium illam minimam eſſe non iudicem. Deſiſtámne igitur à commemoratione earum rerum, quæ ſtimulare nos poſſint honeſtiſſimo deſiderio, & æmulatione virorum iſtorum, qui primi huius IESV CHRISTI militiæ rudimenta tam ardua poſuerunt? Enimuerò ſic obſcurari tam præclara merita, ſic diſſimulari tam iuſta præconia, & moleſtè ferant ij ipſi qui ediderunt, neque qui ament, imò qui oderint, patiantur. Habet nimirum, vt antè dicebam, hoc virtus ſibi proprium, vt fortes viros exhibita ſpecies eius & oſtenſa pulchritudo vel in hoſte delectet. Non verebor ergo, ne cui hæc quæ ſupereſt odioſa videatur oratio mea, quando illa non ex meo deprompta ſenſu, ſed factis verbiſque teſtata videbitur eorum hominum, quorum apud vtramque partem æquorum iuxtà ac iniquorum auctoritas plurimum valet. dicam ſanè non quod ego de Societate ſentio, ſed quod illi: & dicam breuiùs, quàm res tanta dici poſſit.

aliorum c[illegible] ſe indicis grato animo modeſtoque recenſet.

Ciaconus & Victorellus in Vitâ.

Studium Pauli III. in Societatem:

Paulus III. ex gente Farneſiâ Pontifex Maximus (fauſtum ac fortunatum Societati noſtræ nomen, primumque poſt IESVM & Ignatium in quod illa iurauit) ipſam à ſe confirmatam amauit vt filiam, eamdem primo ſtatim ortu ſuo geſtarum rerum gloriâ tam illuſtrem coluit vt parentem. Hic excitatum Romæ Collegium Germanicum, vnde laboranti ſub hæreſibus Septemtrioni opportuna ſubſidia peterentur, non aliis meliùs quàm Sociis commendandum committendumque iudicauit; quos videlicet ipſo iam vſu didiciſſet eſſe pro Deo & Religione deuotos omnes, pluſquam Codros Curtióſve pro patriâ.

Iulij III.

Iulius, & ille III. ne Societati Ieroſolymis, Conſtantinopoli & in Cypro Collegia conderet, niſi morte prohiberi non potuit. Intelligebat optimus Pater, Duxque vigilantiſſimus, meliùs nuſquam aut glorioſiùs, quàm medios inter hoſtes exponi fortiſſimum quemque militum, generoſiſſimumque filiorum. quin etiam Sociorum operâ vti voluit ad expiandas inſtituendaſque animas peregrinorum in Verbi incarnati æde illâ ſanctiſſimâ, quam tranſuectam per aërem Laureti denique diuina Prouidentia collocauit.

Victorellus. *Marcelli II.*

Quid Marcellus II. ille Romanæ Ecclesiæ, ille Societati nostræ tantùm ostensus, & satis tamen exhibitus Pater? adeuntem ad se Ignatium officij caussâ, & omnes in eo Socios arctè complexus, cùm voluisset duos ex illis Theologos submitti sibi, quorum in administrando Regno CHRISTI scientiâ ipse & sententiâ iuuaretur, ita denique: *Age, Ignati, tu milites collige & bellatores instrue, nos vtemur.* certissimo, quanti & Ignatium & Societatem eius ipse faceret, argumento.

Pij IV.

Nec gratam minùs commendatamque Pio Quarto fuisse Societatem IESV, post facta luculenta, ipsa eius sincerissimi affectus verba testantur. Etenim demortuo Cardinale Carpensi, Ordinis tum nostri protectore, quasi nollet aliis iam vltrà educandam credere dilectam sibi filiam, sed sibi illam tamquam vnicam fouendam dotandamque reseruare, *Patrocinium,* inquit, *vestrum nos ipsi recipimus, nos erimus vester protector.*

Pij V.

Pium verò Quintum si quis roget, quid egerit spectaritque in honorandâ & complectendâ, propemodum ad inuidiam, Societate nostrâ, profectò intelliget fuisse hanc eo apud ipsum loco, quo maiore esse non potuit. Ad obuium sibi aliquando Franciscum Borgiam lecticam suam stare iussit in publico, ibique cum illo perquam familiariter egit (exemplo sanè rarissimo in illâ supra omnes homines eminentissimâ dignitate) seu veneraretur in Francisco sanctitatem, seu Societatem in illo complecteretur vniuersam. Sanè quidem vt ostenderet, quàm sibi cordi esset hic Ordo, dotatum eum priuilegiis amplissimis, & exemptum iuri ac potestati omnium, præterquam suo, inter Mendicantes quos vocant Ordines esse vnum voluit, & voluit nominari. Socios ille Vaticanæ pœnitentiæ tribunalibus publicis iudices imposuit, cum summâ potestate. Eosdem ipse ad Vniuersitates admitti omnes voluit cum plenissimo iure docendi. Fuit vt mutandum à Pio Societatis habitum clericalem, quo nescio rumore spargeretur in vulgus: hoc ille audito, *Absit,* inquit, *à nobis tam grande peccatum.* quasi nefas esse duceret, IESV & Apostolorum sectatores, alio quàm ipsum IESVM & Apostolos, hoc est communi, habitu insigniri.

Gregorij XIII.

Iam verò cùm recordor Gregorij Decimitertij, cùm eius in Societatem cumulatissimè velut aggesta beneficia reputo; sic afficior animo, vt liberè audacterque sentiam, nec quid maius ab illo concedi, nec sperari à Sociis potuisse.

Aptus firmandæ Polonum inter & Moscum pacis arbiter quærebatur; in Societate inuentus est à Gregorio Antonius Possevinus. Edocendi erant Libani montis accolæ Maronitæ; ad eos Thomam Radium & Ioannem Baptistam Elianum doctores castæ Fidei Gregorius ablegauit. Erat in amplissimâ quâpiam orbis (quam appellant) Vniuersitate studiorum, reducendus in viam, à quâ temporum malignitate innocenter propè desciuerat Doctor Theologiæ nominatissimus inter suos; non alteri quàm Francisco Toleto Societatis Romæ Theologo negotium à Pontifice demandatum. quod ille suauiter fortiterque confecit.

Serm. 1. de SS. Petro & Paulo.

Legerat idem in Magno Leone, Romæ potissimùm, quæ ex *magistrâ erroris* iam olim à Petro facta est *discipula veritatis*; *conculcandas Philosophiæ*

phiæ opiniones, & *dissoluendas terrenæ sapientiæ vanitates.* Itaque, ne vlla vspiam gens ignoraret quod Roma docuisset, nouum in eâ sapientiæ domicilium struxit, magnificentiâ & amplitudine tantâ, vt non vna domus sed oppidum videretur, illudque Vrbis Gymnasium, siue Romanum Collegium, nominauit. Et iam doctrinæ solidioris omnisque disciplinæ erecta erat sedes, arx condita, classis instructa: at vnde potissimùm rectores propugnatoresque ac præsides peterentur operi tanto? vna, præ omnibus, quibus tunc abundabat Ecclesia, & Roma potissimùm plena erat, Ordinibus sapientiâ & virtute conspicuis, vna, inquam, licet omnium minima, IESV Societas Gregorio placuit, cuius fidei industriæque & pietati moles illa tam ardua crederetur. Itaque in amplissimi patrimonij possessionem vsumque perpetuum deducti sunt Socij illâ manu, quâ mundus regitur vniuersus; quò Gymnasij toto passim orbe celeberrimi famam primam doctrinâ & virtute promouerent etiam in maius. In hoc ille Collegio primùm institutam Annuntiatæ Virginis Sodalitatem approbauit Apostolico diplomate, quo eamdem amplè indulgenterque dotauit spiritualibus donis, translatâ in Generalem Præpositum Societatis IESV eiusdem toto orbe propagandæ Pontificiâ potestate. Illustre est quod in aulâ principe huius Collegij quadratis expressum litteris maximorum beneficiorum breue compendium exstat:

hic Collegium Romanum exstruit, & Societati in tutelam tradit:

Sodalitatē B. Virginis institutam confirmat: Generali Societatis potestatem tradit eius propagandæ:

GREGORIO XIII. PONTIFICI MAXIMO

HVIVS COLLEGII FVNDATORI

SOCIETAS IESV

AMPLISSIMIS AB EO PRIVILEGIIS MVNITA,

ET

INGENTIBVS AVCTA BENEFICIIS VNIVERSA,

IN HOC TOTIVS ORDINIS SEMINARIO

PARENTIS OPTIMI MEMORIAM,

SVIQVE GRATI ANIMI MONVMENTVM

POSVIT.

Quæ tanta, & plura etiam, vltrò ingesta Societati munera dederítne affectui Optimus Maximusque Pater & Pastor, an iudicio prudentissimus rerum omnium æstimator & iudex, ignorare ego malo, quàm dicere: hoc quidem certum, fuisse eum ad promouenda Societatis nostræ studia mirabiliter inflammatum; quando, inter cetera quæ toto passim orbe ad maiorem Dei gloriam patrari ab eâ quotidie audiebat, anno demum M. D. LXXXII. trium Regum Iaponiæ, Francisci Bungensis, Protasij Arimensis, & Bartholomæi Omurani consanguineos & Legatos

primos Iaponiæ Legatos deducentibus Sociis admittit.

tos duos nobilissimos adolescentes, Mantium Isum & Michaëlem Gin-ginum, primitias istius Ecclesiæ, deducente eos inde ab vltimo Oriente tot per terras & maria P. Alexandro Valignano, pedibus sacris affusos vidit; interque suas & suorum lacrymas, limpidissimæ testes lætitiæ, est amplexus. Negabat enimuerò alio quàm filiorum loco habendos esse abs se Societatis homines, per quos sanctæ Sedi ad obedientiam submitterentur populi tanti, ad instaurandas Europæ ruinas, alio propemodùm ex orbe conquisiti.

Clemens VIII. restituendam curat in Poloniâ Societatem.

Quæ autem res Clementem VIII. impulit, vt missis ad Sigismundum Bathorium Legatis, denuò recipiendam ab eo curaret Societatem, quam eius florentissimâ ditione potita hæresis exturbarat? Quid illum ipsum idem pro eâ conari iussit in Galliâ? existimatio, vt opinor, quam de Societate IESV habebat. eiusmodi, vt crederet murum opponi firmiorem pro domo Dei nullum posse contra impetus armatæ impietatis, quàm Sociorum in doctrinâ & virtute constantiam.

Quid porrò dicam de Paulo V. quid de Gregorio XV. quid de Vrbano VIII? Horum sanè voluntatem in Socios propensissimam si attendas, non adhuc remisisse se lapsu temporis (quod fieri in violentis motibus solet) Maximorum Pontificum impetum potiùs quàm affectum benefaciendi Sociis, sed etiam se intendisse iudicabis. Neque verò, si magnorum virorum est nihil expetendum sibi, nil promouendum cogitare, nisi quod laudabile esse & præclarum videatur; dubitare quisquam poterit de Societatis laude præclarâ, quam tanto expetendam studio, & promouendam conatu Pontifices Maximi censuerunt.

Pauli V. in Societatem fauor.

Ille, quem iam primò nominaui, Paulus V. siue cùm Byzantium & Belgradum Socios misit, ad asserendam promouendamque in illis vrbibus sub barbarâ Turcarum superstitione gementibus Catholicam libertatem, siue cùm in vltima Sinarum Regna soluentes inauratorum voluminum bibliothecâ donisque amplissimis cumulauit, quantum ipse & Societati tribuit & virtuti suæ!

Gregorius XV. Ignatium & Xauerium canonizat.

Omitto à tribus his, quos modò recensui, ac præsertim Gregorio XV. pluribus è Societate nostrâ sanctissimis viris, Ignatio, Xauerio, Borgiæ, Aloysio & ceteris honores Beatorum publicos esse decretos. Sileo quæ sæpè aliàs, ac demum nuperrimè Vrbanus Optimus Maximus per se ipse & suos illos verè Eminentissimos Cardinales Barberinos, in sæculari Societatis nostræ Iubileo exhibuit argumenta toto iam orbe notissimi, nec sat à nobis promeriti fauoris.

Vrbanus VIII. iam tum olim Cardinalis Nuntius iniuriosam Societati columnam deiiciendā curat.

Vnum sanè (quia Vrbanæ beneuolentiæ finem vel quærere omninosum est, vel inuenire difficile) animi eius erga nos, olim felicissimè auspicati, initium dissimulare aut præterire non debeo. Ipso hoc inchoante sæculo decimosexto missus à Clemente VIII. Vrbanus, (Maphæus id temporis Barberinus) Apostolicus extra ordinem Nuntius in Gallias, gratulaturus Henrico IV. & Mariæ Mediceæ Regibus Christianissimis primogenitam sobolem Ludouicum XIII. vbi Parisios venit, vidit illicò (erat enim iam tum sagax & oculata prudentia magni viri, & vel olim digna quæ ex summâ Ecclesiæ speculâ in omnem eius regendæ partem animum & oculos intenderet) vidit, inquam, ante Senatorium

ccc3 torium

torium palatium stantem adhuc infamem pyramidem in Religiosissimæ Societatis dedecus nuper erectam ab iis, qui hæreticorum plùs æquo rebus aliquando studentes, Sociorum innocentiæ vel ignaros vel inuidos, auscultarant. Sed non tulit Præsul æquissimus tantam virtuti iniuriam fieri in Christianissimâ ciuitate; & eos, quorum integritatem venerarentur etiam barbari, ab ipsis Ecclesiæ Romanæ filiis conculcari. itaque quâ erat & prudentiâ mentis, & pietatis affectu, & incorruptione iustitiæ, vsus etiam apud Regem Apostolicâ libertate dicendi, simul suscepit innocentiæ patrocinium, & se secuturis Ecclesiæ Principibus exemplum dedit imitandæ virtutis. Quid multa? suadente & vrgente Nuntio, deiecit Rex iniquissimum infamiæ numquam promeritæ monumentum; & ita quidem deiecit, vt expetenda Societati, non fugienda, fuisse tanta licet iniuria videatur: minus enim ab erectâ in nos columnâ dedecoris, quàm ab euersâ per Henricum, agente Barberino, existimationis & gloriæ redundauit.

Et in his quidem Summorum Ecclesiæ Principum promeritis in nos immortalibus hæret animus & acquiescit; sed minorum quoque (tametsi Eminentissimorum) benefacta referre gratæ Societatis candor hortatur.

Par studium in Societatem aliorum etiã Principum virorum:

Sed errat hîc, fateor, erubescitque mens scribentis ad vtriusque purpuræ, Ecclesiasticæ pariter & sæcularis, ingens studium, quo certatim illa non in Vrbe solùm vnâ, sed ipso passim orbe & prosecuta nascentem est, & tantùm-non obruit corroboratam licet atque robustam agendo patiendoque fortia Societatem. Quantum est (dicam enim sine ordine temporum delectuque personarum, prout se animo meo ingerent optimorum virorum & Illustrissimorum Principum gesta præclarissima in ostensionem existimationis eius quam de Societate conceperant) quantum est, inquam, studium illud, quod quadam æmulatione & contentione beneficentissimæ voluntatis, cumulatim exhibuere nobis Farnesij, Caraffæ, Ludouisij, Barberini, Maximorum & Optimorum Pontificum nepotes Eminentissimi, & posterorum nostrorum immortali memoriâ digni? testantur quod dico, & quæ iam pridem in Vrbe structa sunt, quæque struuntur adhuc, & quæ struentur in posterum, magnificentiæ plusquam regiæ monumenta, IESV, Ignatio Xauerioque consecranda.

item Cardinalium & Antistitum.

Iam Othonis Truchsesij Cardinalis Augustani quanta in Societatem IESV propensio animi, quantis indiciis, quantisque pænè ad virtutis ipsius inuidiam testimoniis comprobata! Caroli Cardinalis Lotharingi & ceterorum qui Concilio Tridentino interfuerunt totius orbis Antistitum, ille in nascentem adolescentemque feliciter Societatis Ordinem sensus fuit, vt certatim quàm plurimos vndequaque Socios submitti sibi constantissimè flagitarint, illud disertè asserentes, *se* (quod nominatim de Lotharingo narrant historiæ) *ipsi Societatis Præposito in amandâ tuendâque Societate nihil cessuros, suisque humeris eam in Galliâ, & vbicumque gentium possent, sustentaturos.* Quæ tanta in Societatem studia, vel excitarit ipse primus, vel certè inflammarit ardentiùs, Pius IV. id temporis Pastor Ecclesiæ, sæpè aliàs, ac nominatim coram Cardinali Morono,

Morono, & Duce Ferrariæ aliquando professus, *se* Societati de Fide & Religione tanta promeritæ *vsque ad sanguinem esse fauturum.*

Nec minor Henrici Cardinalis Eborensis; maior etiam Caroli Episcopi Virdunensis in Societatem animus fuit; non verbis ille, sed factis illustribus, atque adeò vno omnium maximo comprobatus, quo hic, potestate sibi factâ à Gregorio XV. sanguinis ordinisque sui purpuram, vtramque tam nobilem, tam illustrem, cum Societatis IESV Religiosâ modestiâ commutauit.

Carolus sanè Borromæus, ille post hominum memoriam sanctissimus Cardinalis, & dignissimus, in Mediolanensi Archiepiscopatu, post tanta etiam sæcula, successor Ambrosij, aduersus Ordinem nostrum integerrimâ voluntate pronum semper & promptum ita se gessit, vt cogitare eum de ingrediendâ Societate plurimi dicerent, ipseque adeò Pius IV. Pontifex iudicaret. Quidquid sit fueritque de famâ hominum sæpè non verâ, Carolus sanè (id quod verissimum est) sua olim tam consummatæ sanctitatis initia, & prima quasi semina, impressa sibi à sancto Societatis vsu & consuetudine fatebatur.

Alexander Cardinalis Vrsinus, ille qui annis abhinc pauculis, M. DC. XXVI. Romæ decessit, tanto in Societatem studio fuit, plus vt in illâ, quàm in purpurâ suâ viuere crederetur.

Concilij Tridentini in Societatem studium explicatè proponitur.

Denique, vt omittam innumeros alios ex Hierarchico Ordine, omni adhuc loco & tempore, cultores Societatis eximios & patronos (ne arctâ nimis commendatione & angustâ commemoratione nominum tam magnorum, deterere potiùs quàm augere videar ampla in Societatem studia & merita ingentia, eorum præcipuè, quorum spirantia etiamnum facta loquuntur omni oratione potentiùs) simul & semel, vno velut ore totius Ecclesiæ, totum dico quidquid in hoc laudum genere de Societate dici potest. Augustissimus ille Senatus (vt obiter antè tetigeram) sanctissimumque Religionis Concilium, quod ruentibus in peius Catholicæ rebus Ecclesiæ annis antè iam pluribus coactum Tridenti fuerat, cùm demum prioris sæculi anno supra sexagesimum tertio solui inciperet, finemque spectaret; tanta, conspirantibus vndique conuenientium Præsulum ac Principum testimoniis, de recenti hac IESV Familiâ inaudierat, tanta in Lainio, Salmerone, & ceteris ad Concilium vocatis hominibus Societatis coràm quoque spectauerat; vt, quantâ eam haberet in existimatione, pluribus id quidem sæpè aliàs, at duobus præsertim indiciis denique commonstrarit. Horum vnum hoc est, quòd, cùm instituenda iuuenum Seminaria censuisset ad idoneos ministros Ecclesiæ formandos, ac nemo propè esset qui non huiusmodi prouinciam Societati in suâ quisque diœcesi animo destinaret, ac permulti Collegia in eam rem postularent; Senatus ipse, laudatâ approbatâque tantorum Præsulum voluntate, ipsamet Societatis Collegia præstantia quædam iuuandæ Ecclesiæ Seminaria esse pronuntiarit. Alterum est, quòd, cùm de Regularibus Religiosisque hominibus tractaretur in Concilio, essentque extra illud maleuoli, qui contra Societatem apud varios magni nominis Antistites moliri multa vellent; non solùm non inuentus sit aliquis ex tanto Præsulum numero, qui aliquid

aliquid contra Societatem diceret esse statuendum; sed ipsum quoque Concilium, etiam cum honorificâ testificatione approbatæ à Sede Apostolicâ disciplinæ, summoque omnium cum consensu vnam Iesv Societatem à quibusdam legibus, quæ ceteris Religiosis iniungebantur, exceperit hisce verbis: *Per hæc tamen sancta Synodus non intendit aliquid innouare, aut prohibere, quin Religio Clericorum Societatis* Iesv, *iuxta pium eorum Institutum, à Sanctâ Sede Apostolicâ approbatum, Domino & eius Ecclesiæ inseruire possit.* *Sess.25 c.16*

Nec segniùs Ecclesiastico hoc quem vocant ordine in tuendâ & amplificandâ dignitate Societatis, Principum & Rerumpublicarum ordo politicus laborauit, adeò vt (qui potentiæ sæcularis in vtramque partem vel odij vel amoris impetus est in agendo) non satis ille sibi aliquando in procurandâ & defendendâ Sociorum apud omnes latè populos existimatione temperasse videatur. Nescit hîc quò se vertat, quid primum, quid deinde consectetur oratio mea; adeò in contentionem æmulationis honestissimæ ingerunt se mihi potentissimæ familiæ Cæsarum ac Regum, omnes pro se primarum in Societatis explicandâ gloriâ partium studiosæ. Quàm larga Lusitanorum Regum ac Principum (vt ab his incipiam prærogatiuâ primi temporis) ipsis ab incunabulis vixdum editæ Societatis, in Ordinem nostrum benignitas fuit! Ioannes III. ille non tantùm Lusitaniæ Rex, sed Orientis patronus Ecclesiæ, ac minimæ Societatis verè pater, cùm quacumque licet impensâ omnes qui essent vllibi terrarum, Societatis homines in Regnis suis alere & educare percuperet, ad eius constituenda & confirmanda per Sedem Apostolicam fundamenta non suam tantùm, sed etiam Imperatoris Galliæque Regis operam impensè detulit, religiosè consecrauit. Quoties ille non alienum duxit à Maiestate suâ Socios vel ægrotantes inuisere, vel illac, vbi ageret, fortè transeuntes ad se omnes adducere; velut si sese eorum, vt filiorum, conspectu pater indulgentissimus recrearet. Illi India inuectam in suos fines Societatem; illi Xauerium Legatum primò Apostolicum, tum deinceps Apostolum ipsius Indiæ, debet Societas; illi structa & hîc & in Oriente gymnasia, illi ædificata templa; illi commissam etiam Regiæ iuuentutis institutionem; illi confirmata & constabilita docendi dicendique priuilegia; illi denique paternum hunc tuendæ & obseruandæ Societatis animum suos in posteros, ipsumque adeò Sebastianum, & post eum in Regni sui dignissimos heredes Austriacos Principes plenè transfusum, & debet, & debere se gaudet. Quid? parúmne facit ad commendationem Societatis, altè impressam animis & affectibus Lusitanorum Principum, quòd Ludouicus ipse Ioannis Regis frater de capessendo communi cum Sociis vitæ genere seriò cum Borgiâ constanterque deliberauit? perfecturus haud dubiè, nisi Ignatius primò, ratus futurum magis è Dei gloriâ, si talis vir à fratris Regis latere non discederet, tum etiam præpropera mors votis sanctissimis tanti Principis interuenisset.

Sæcularium Principum & ordinum politicorum de Societate sententia.

Societati quid præstiterit Ioan. III. Rex Lusitaniæ.

Ludouicus, Ioannis Regis frater, Societatem amauit.

Armet hîc se contra studia partium æquissima scribentis manus oportet, si tantorum in Societatem virorum studia exarare stylo velit, & si Catholicos cum Christianissimis committere, si cum Austriacis

atque Polonis Valesios atque Borbonios comparare, ipsosque adeò Reges orbis terræ, amplificandæ Societatis omnes pænè ad æmulationis inuidiam studiosos, inter se conferre desideret.

Quis Albertos, Leopoldos, Carolos, Guilielmos, ceterosque Archiduces Austriæ, ac Bauariæ & Lotharingiæ Duces? quis Sacri Imperij Principes Electores? quis gentem Mediceam atque Farnesiam, & in hac Duces Alexandrum atque Rainutium? quis minorum quidem nominum, sed parium tamen animorum, Proreges & Principes, & inter hos Ioannem Vegam, laudatissimum illum pro Rege Catholico Siciliæ Præsidem, recensere possit pro libri huius angustiis amplè satis, & pro suis in Societatem meritis immortalibus gloriosè? Sed commemorabuntur illi, & iam sæpè commemorati sunt à suis quique clientibus, æternitati ipsi non tam Sociorum votis & vocibus, quàm suis quique operibus commendandi. Viuunt hodieque & adhuc spirant, imò viuent spirabuntque semper sacris & Religiosis ædibus Deo & Societati conditis primâ statim in fronte operum maximorum insculpta nomina, non tam verenda maiestate quâ pollent, quàm quo valent, & valere suos optant, amore veneranda. Leguntur loco non vno, & loquuntur expressiùs omni voce Ferdinandi, Philippi, Alberti: spectantur adhuc Caroli, Henrici, Ludouici, tria præsertim inde Catholici, hinc Christianissimi stemmatis auspicata nomina, non leuibus inscripta foliis, sed monumentis Societati, imò æternitati, positis dedicata.

Barbarorum Regum studium in Societatem, Age verò nunc (quoniam quæ longiùs ab Europâ nostrâ fiunt, & excipiuntur auidiùs, & rariùs audiuntur) quantâ Societas fuerit apud externos, eosque etiam barbaros, Reges ac Principes in veneratione, (quoad licet per rerum magnitudinem) obiter videamus. nimirum, numquam se hominum virtus & merita produnt illustriùs, quàm cùm sentiuntur & suspiciuntur etiam ab iis, qui nil sentiunt nisi quod ferit, nihil nisi quod humano maius autumant, admirantur. Ordiamur, si placet, à Regibus illis quos in extremum Orientis cum Iaponiis suis insulis auulsos ab orbe mortalium velut in metam quamdam Apostolicæ *Iaponum,* virtutis, solis adeundam Xaueriis, natura sepOsuit. Exceptos illi cum Xauerio suis finibus Socios sic primò amplexi, sic venerati sunt, vt simili honore ne summos quidem suorum Principum ipsi dignarentur. Recordetur animo, qui hæc negat, assidentem æquali in strato ac sede cum Bungensi Rege Xauerium, simul ad venerationem præsentium Procerum, & inuidiam circumstantium Bonziorum. Quid? minorísne Ioannes Vtayus, Rex & ille Bungensis, fecisse Societatem potuit, quàm alter ille Xauerium, quando Sociorum in terras suas aduentui acceptam referre se prosperitatem ac propagationem Regni ac tori sui adhuc sterilis, fidenter & sæpè professus est?

Prima illa fortunatissima post hominum memoriam suprà iam à me commemorata legatio ad Sanctissimum Dominum Gregorium XIII. à tribus Iaponiæ Regibus per adolescentes Regij sanguinis instituta, & vni Sociorum tutelæ ac fidei commendata, quantam arguit apud omnes Iaponiæ Reges ac Principes Societatis huius minimæ venerationem! Hanc sanè & complexi sunt animo passim omnes, & vnus etiam

ex

ex Legatis adolescentibus Româ redux in patriam, per vota Religiosa suscipiens, præferendam scilicet esse censuit paterni sanguinis & Regij stemmatis dignitati.

Quid porrò Iaponum iudicio sapientissimi mortalium Sinæ? ne illi quidem licet admissam segniùs Societatem minore quàm illi aut loco aut existimatione coluerunt. Omitto quæ de Sinensium Imperatorum ac Procerum veneratione persæpè nostris hominibus exhibitâ, in Matthæi Riccij accuratissimis de Regno Sinensi Commentariis Nicolaus Trigautius adnotauit. Etiamnum spirantis apud eos præcellentisque in omnium opinione Societatis testimonium esse poterit, quod nouissimis ex Oriente litteris de Sinensis Imperatoris in nos animo & voluntate perscribitur: eum scilicet religiosissimis iuxtà ac sapientissimis nostrorum hominum moribus delectatum, ita apud animum suum statuisse de iis, vt regendis eos sui vice Regnis Prouinciisque vastissimis admouendos (vti paulò antè dixi) esse decerneret. quam quidem principem inter Sinenses Proceres dignitatem cùm intellexit à nobis modestè reijci, versâ in maiorem tantæ virtutis admirationem veneratione, Socios plus etiam quàm antè sibi commendatos & charos, fundo exstruendis in vrbe Regiâ sacris ac Religiosis ædibus impertiuit. *Sinensium,*

Annus iam à Societatis nostræ confirmatione centesimus est. Eius tum gestæ rei memoriam die XXVII. Septembris aliquando recurrentem Zela Christus, frater Imperatoris Abassini, anno M. DC. XXIV. apparatu quàm exquisitissimo celebrauit: inter quem ipse, abiecto quo vtebatur habitu principali, nigram indutus togam ex more Societatis, prodiuit in publicum, numquam aliàs magis, ambitæ non sibi, sed Sociis gloriæ candidatus. nimirum non Proregem se, quoties cum illis ageret, sed filium haud verbo magis quàm opere testabatur; affirmans tot ornatos virtutibus non posse non summi fieri ab iis, quorum animos probitatis species, non vmbra vel inuidia occuparet. *Abassinorum.*

Fuêre & alij Proreges Abassiæ, prioris istius in colendâ Societate æmulatores eximij: horum alter, cùm indignum se diceret, qui vel infimum genus officij Sociis exhiberet, Christianum hominem muneribus amplè donatum suæ etiam mensæ adhibuit, caussâ non aliâ, quàm quòd Societatis nostræ Patribus ministraret. quin eò aliquando se demissionis abiecit, vt ciborum etiam reliquias, quæ à religiosâ nostrorum refectione supererant, sibi sumendas cum summâ veneratione colligeret. quâ de re cùm moneretur à Patribus, verecundè scilicet ac tantùm-non molestè ferentibus nimiam propè tanti Principis abiectionem, negauit quid commodius indulgeri posse caniculæ, nec quid sumi ab eâ melius, quàm micas à dominorum mensâ deciduas. Fuit qui venienti cuidam è Sociis in Damoti Regnum cum explicato in suos ordines toto exercitu obuiàm venerationis ergô procederet; vtroque ditionis illius, Ecclesiastico scilicet & Religioso Clero, suis cum instrumentis & machinis subsequente: qui honor exhiberi etiam illic nisi summis Imperatoribus non solet.

Quid? quòd Abassinus Imperator oblatas sibi conditiones pacis ab hoste sæuissimo, quem etiam ipse metuebat, abominari maluit quàm

 admit-

admittere; propterea quòd ex Sociorum saluti & incolumitati iniquæ & iniuriæ viderentur, ipso palàm conclamante Imperatoris exercitu bellum præ pace, mortem præ vitâ expetendam esse potiùs, quàm vt hostibus dedi paterentur eos, à quibus viam salutis edocti, amarentur vt filij, defenderentur vt clientes.

Intellexerat idem Imperator Abassiæ matrem Patris Petri Paëzij excessisse de vitâ: quid ageret? nefas esse censuit non dolere. itaque plus etiam, quàm si suam ipse matrem extulisset, afflictus & mœrens, totum illum diem impransus in luctu & in pullæ vestis squallore transegit.

Quo minùs mihi Europæorum etiam Procerum aut noua videri solent aut inuidiosa beneuolentiæ studia, quibus largè humaniterque prosequuntur eos, à quibus sic institui ad probitatem mores hominum atque vitam, & ipsam sic defendi Ecclesiam probè sciunt.

Ferdinandus II. Regum omnium & Principum aduersus Societatem studia complexus videtur.

Fuerit ergo ille, post natos notosque Germaniæ Cæsares sanctissimus & potentissimus, Imperator Ferdinandus II. in Societatis curanda ac promouenda decora & emolumenta supra modum omnem prodigè liberalis; inconsideratus certè non fuit. obuersabantur videlicet animo eius huiusce nostri Ordinis iam inde ab exordio sui in Deum & Religionem inflammata studia, atque ad laudem virtutis omnis opera exaggerata. quæ quidem hîc mihi commemorare, tam non licet prohibente modestiâ, quàm licuit optimo Cæsari vrgente eum suâ beneuolentiâ commendare.

Interim tamen, quia (vt ille loquitur arcanorum operum Ferdinandi Cæsaris testis & iudex) *orbe vniuerso iudice, tenerrimè Societatem* IESV *dilexit*; patitur, nisi fallor, imò exigit hic locus, vt non tam in Societatis nostræ, satis iam superque mundo cognitæ, commendationem, quàm in argumentum aliquod animi grati ex ingentibus & immortalibus in nos promeritis pauca commemorem. Quod vt faciam, nihil dicam de fundatis & erectis domiciliis Societati plusquam decem, nihil de instauratis & dotatis minimùm duodecim, nihil de vsu ac familiaritate perpetuâ, quâ, posito velut diademate ac Cæsareâ Maiestate, priuatim complectebatur Socios, & admittebat ad tractationem & oscula suæ dexteræ benignissimè exporrectæ. Hoc dicam, quod non ab vno quopiam aut inuido aut amico, sed vulgò iactatum est, *Ferdinando tangi & oculos & pupillam, cùm Societas tangeretur; non posse vllum Societatis hostem censeri, qui Ferdinandi hostis non esset; qui Ferdinando benè vellet, eum bene velle Societati.* Adhæc, quoties à suis ipse filiis Austriacis Principibus, etiam tum Regibus & Præsulibus, aut salutaretur adueniens, aut iisdem vel abeuntibus vel abiens ipse felicia precaretur, solenne semper fuit, vt amandam colendamque Societatem præciperet, dicens: *Id si egerint, felices ac beatos fore.*

At verò iam tempus est, vt nostrum hoc opus, grato ac simplici egressu ad commendationem Societatis nostræ plus nimio fortè prouectum, in suum aliquando ordinem reuocetur; ac deinceps ad publicum eius encomium non ego vltrà, sed ipsi de eâ, qui illam amarint, quin & qui oderint, eloquantur: certissimum nimirum & immortalis famæ præconium hoc est, cùm & verbis opera, & operibus verba respondent.

CAPVT DECIMVM.

Aucta & amplificata Societatis IESV *existimatio à virorum Principum testimoniis, qui de illâ, vt meruere bene, sic magnificè censuerunt.*

AGe ergo genus illud commendationis explicemus, quod totum à verbis est; non verbis tamen fucatur inanibus, sed in pectoribus æquissimâ beneuolentiâ præditis natum, laudatissimis encomiis enitescit. Magnam sanè & bonam laudis partem illa præsertim sibi vendicant, quæ à claris viris vel prolata grauiter, vel testata fideliter, grata posterorum memoria æternis signata litteris meritò comprehendit. Horum nos ex abundanti copiâ hauriemus tantùm id, quod ad commendationem Societati seruiat, non quod officiat veritati: fructum inde triplicem, & redditæ gratitudinis, & stimulatæ nostrorum hominum virtutis, & amplificatæ Dei gloriæ relaturi. *Maiorum laus argumentum minoribus ad virtutem.*

Ordiamur, si placet, ab iis, qui (cùm sint æternæ Religionis, ac subductæ à mortalium sensibus Diuinitatis interpretes, Ecclesiæ Romanæ Antistites, gentiumque custodes omnium) quot verba tot oracula, quot apices tot veritatis mysteria proloquuntur. *Testimonia Pontificum de Societate:*

Quid inter hos Paulus III. ille fundatæ Societatis primus confirmator ac patronus? Descriptum sibi Sociorum Institutum & Ordinem cùm legisset; *nihil esse in eo, quod pium & sanctum non sit:* adhæc ipsos sibi supplices Socios, *Spiritu sancto (vt piè creditur) afflatos* pronuntiauit. Modestum hoc & breue, quale scilicet inscribi fundamentis solet, verum tamen & efficax recèns approbatæ Religionis encomium fuit. altiùs adductâ eius fabricâ, altius etiam & amplius efferendum fuit: nimirum vt deinceps idem ille Paulus assereret Societatem *esse agrum fertilem, qui non annis, sed diebus singulis multiplices & vberes fructus proferret.* Fuit vt (quo nescio an maius aliquid aut breuius dici possit) admiratione motus earum rerum, quæ à minimâ Societate maxima gerebantur, *Spiritus Dei est hîc,* palàm & liberè testaretur. *Pauli III.* in Bullâ, *Regimini.* in Bullâ, *Licet debitum.*

Iulius, & ille Tertius, quâ motus ratione fuerit ad stabilitam iam à Paulo Societatem robustiùs etiam confirmandam, fatetur his ad Ignatium verbis: *Sacræ Religionis, sub quâ dilecti filij Societatis* IESV *reiectis sæculi vanitatibus gratum Altissimo præbent sub humilitatis spiritu famulatum, & feruentibus studiis per exempla virtutum, & solidam doctrinam, alios ad diuinæ Maiestatis obsequia trahunt, fauor exposcit, & deuotionis vestræ merita nos inducunt,* &c. *Iulij III.* in Bullâ, *Dilecte fili.*

Quid Marcellum II. Ceruinum illum vix ostensum Ecclesiæ Patrem, dicturum fuisse de Societate, quid scripturum existimatis, si vel tantulum vt aliquid Pontificio stylo conderet, superesse potuisset? Sanè quidem *tanto hic flagrabat amore huius Societatis, vt nonnumquam, cùm de eâ sermonem haberet, discedere ab eâ verborum parsimoniâ, quæ ei natiua erat, videretur. Aliquando in conuentu plurimorum hominum de hac Societate loquens dixit, se non legisse (quamuis esset in historiis versatissimus) vlli homini post* *Marcelli II.* Martinus Olauius in 1. part. Hist. Soc. l. 15. num. 60.

Apostolorum tempora concessum fuisse à Domino, quod Patri Ignatio, vt, dum viueret, tantum operis, cuius fuisset ipse instrumentum, incrementum videret. Significabat autem, apertissimâ hac testificatione declarasse Deum hominibus, quantum hoc Institutum approbaret. Is paulò antè quàm conclaue illud ingrederetur in quo Pontifex renuntiatus est, dicebat quodam die mihi, deplorans nostrorum temporum corruptelam, cùm ex pluribus rebus, quas in mundo geri videbat, grauissimum caperet animo dolorem; in illis tamen rebus, quas Dominus dignabatur per Societatem nostram operari, acquiescere & recreari solere. Postquam electus fuit in Pontificem, Patri Ignatio, me præsente, dixit, deliberasse se omnino duos Sacerdotes nostræ Societatis apud se habere, cum quibus de grauioribus rebus communicaret; propterea videret quos illi dare vellet.

Pij IV. Inuidiosum propè sit quod à Pio IV. paternus in nos affectus expressit, nisi paruulorum filiorum, si non merita, certè gratia aliquid sibi iuris apud studiosissimos sui patres præ filiorum reliquis arrogarent; illudque maiores ipsi minoribus benignè concederent, suauiter indulgerent.

In Bullâ, Dilecti filij. *Etsi* (inquit ille) *ex debito Pastoralis officij singulos Religiosos, qui, spretis huius transitorij sæculi pompis, iugum Religionis libenter amplexi, propriam voluntatem abnegare, & in cælis thesauros suos reponere decreuerunt, paternâ dilectione prosequamur; ad illos tamen, qui sicut nomen Sociorum* IESV *assumpserunt, ita opere, doctrinâ & exemplis Dominum nostrum* IESVM CHRISTVM *imitari, & eius vestigia sequi nituntur; maioribus fauoribus & gratiis prosequendum inuitamur. Attendentes, quantum dicta vestra Societas in Ecclesiâ Dei hactenus fructum attulerit, & quantum in futurum Deo dante sit allatura; & propterea vos, præ ceteris aliis Religiosis, maioribus fauoribus & gratiis fore meritò prosequendos*, &c. Nec verbis ille solùm, sed ipso statim Pontificatus sui initio factis etiam in Societatem beneuolus, cùm præstitisset ea quæ gratiam à Sociis amplissimam postularent, eamque omnium nomine ad Pium Patrem referret Præpositus Generalis Iacobus Lainius, *subiecit sanctissimus Pater (aderant Cardinalis Moronus, & Ferrariæ Dux, eo die apud Pontificem pransi) haud opus gratiis esse: Societati se vsque ad sanguinem fauturum. Alioque die cùm litteras in commendationem rerum nostrarum à Philippo Hispaniarum Rege accepisset, dixit, ab Imperatore quoque & aliis Principibus ad se eiusmodi commendationes missas; verùm superuacua secum talia officia pro Societate esse, ad quem commendare eam potiùs pertineret. Quæ non verbi caussâ dici, res, veræ animi indices, testabantur. nam quos per orbem Christianum vndique in prouincias dimittebat Apostolicæ Sedis Nuntios, iis Societatem plurimùm commendabat: & ei quem in Germaniam destinauit, disertè hoc addidit in mandatis, vt vias attentè dispiceret, per quas plurima eius Collegia conderentur. Ac nescio quo pacto Romæ, hoc potissimùm anno, lateque per Septemtrionis oras, hæc opinio percrebuit, ad corrigendos mores, restituendamque Religionem haud aliud præsentius oblatum esse remedium, quàm hominum Societatis quàm plurimùm operâ vti.*

Sachinus lib. 4. num. 7.

Non poterat non ex his in Societatem nostram Pij Pontificis studiis enasci dolor eius animo atque molestia, quoties sentiret à maleuolis cum iacturâ diuini honoris salutisque mortalium, eam impeti, quam ipse tan-

tantopere commendaret. quod cùm sæpè aliàs, tum præsertim testatus est litteris, quas in patrocinium Societatis iniuriâ læsæ ad Maximilianum Imperatorem, & Danielem Electorem Moguntinum luculentè conscripsit. in quarum alteris ita inquit: *Ad aures nostras peruenit exstitisse nonnullos, qui diuini timoris immemores, & conscientiæ suæ negligentes, inuidiâ scilicet, & prauis quibusdam studiis occæcati, libellos quosdam contumeliis, probris & maledictis plenos dissеminauerunt aduersus Ordinem totum Societatis* IESV, *& quosdam eius Professores nominatim, qui sunt ceteris notiores. Sanè molestè tulimus lædi famam & violari existimationem eius Ordinis, cuius tam multa & insignia constant erga Religionem Catholicam officia & merita. Quâ in re non modò eis iniuriam fieri putauimus, sed id agi intelleximus, vt pia opera, quæ per eos in diuersis orbis terrarum partibus effici consueuerunt, talibus calumniis impediantur.* Sachinus lib. 8. n. 3 A.

Nec minùs piè atque beneuolè Pio Quarto eum subinde secutus Quintus, & ille verè Pius, in Bullâ (quâ Societatis Constitutiones anno M. D. LXVIII. confirmauit) ipso statim initio, ac velut ex abrupto, excurrit in Societatis IESV merita, nimio propè verborum ambitu, non minùs ad omnium admirationem quàm nostram verecundiam exaggerata: *Innumerabiles*, inquit, *fructus, quos, benedicente Domino, Christiano orbi Societas* IESV, *viros litterarum præcipuè sacrarum scientiâ, religione, vitâ exemplari, morumque sanctimoniâ perspicuos, multorum religiosissimos præceptores, ac verbi diuini etiam apud longinquas & barbaras illas nationes, quæ Deum penitus non nouerant, optimos prædicatores & interpretes producendo, felicissimè hactenus attulit, & adhuc solicitis studiis afferre non desistit, animo sæpiùs reuoluentes nostro*, &c. Potuítne ille ex amplissimo PP. Prædicatorum Ordine religiosissimus ac sanctissimus Pontifex verbis aliis suorum virtutes hominum toto adhuc orbe clarissimas commendare prolixiùs, quàm exaggerare voluerit prima illa Societatis studia, non aliunde magis, quàm à maiorum suorum, sancti præsertim Augustini, Dominici & Francisci filiorum, exemplis, etiam tum recentibus, inflammata? Pij V. In Bullâ, *Innumerabiles.* 1568.

Et hæc quidem ille ne dixisse propensè magis aliquando videretur quàm verè, iteratò & fortiùs inculcat ita loquens: *Dum indefessæ considerationis intuitu perscrutamur, quantam Christianæ Reipublicæ vtilitatem attulerint dilecti filij Presbyteri Societatis* IESV; *ac planè conspicimus eos, verè mundi huius relictis illecebris, adeò Seruatori suo se dedicasse, vt, conculcatis thesauris quos ærugo & tinea comedit, lumbisque paupertate & humilitate præcinctis, non contenti terrarum finibus, vsque ad Orientales & Occidentales Indias penetrauerint; ac eorum aliquos ita Domini amor perstrinxerit, vt etiam proprij sanguinis prodigi, vt verbum Dei inibi efficaciùs plantarent, martyrio voluntario se supposuerint; perque eorum spiritualia exercitia etiam Regna ipsa fidem* CHRISTI *agnouerint; ac tam inibi quàm vbique terrarum charitatis & misericordiæ opera exercere studeant; facere nullo modo possumus, quin eos tamquam veros palmites in* CHRISTO *per charitatem coniunctos, & benignè amplectamur, & ea sibi specialiter concedamus, quæ & paupertatis per eos emissæ voto, & eorum instituto ac commoditati credimus profutura.* Idem in Bullâ, *Dum indefessæ.* 1571.

Quo-

Gregorij XIII.

Quoties quà priuatim, quà publicè, tam viuæ quàm ſcriptæ vocis oraculis Gregorius XIII. (ille numquam ſatis nec à me ſuprà, nec vmquam ab vllo laudatus Societatis noſtræ & totius Eccleſiæ Pater) ornatiſſimè de noſtro Ordine locutus eſt? ita vt nobis vnis defenſæ hoc tempore, atque adeò conſeruatæ Chriſtianæ Reipublicæ atque Religionis laudem daret.

Ex actis Congr. IV. Generalis.

Dederitne idem ille veritati an beneuolentiæ ſuæ, quòd adeuntibus ad ſe demiſſiſſimi officij cauſsâ Congregationis quartæ Patribus Romæ coactis dixit his verbis? *Hic ſanctus Ordo veſter verè ſanctus iam per totum orbem eſt ſparſus. In ſummâ non eſt ferè melius nunc aliquid quàm veſter hic Ordo ſanctus, qui à Deo conſtitutus eſt contra hæreſes, & quaſi eodem tempore cœpit; quo errores illi ſpargi cœperunt. Ideò plurimùm refert ad Principum & populorum profectum, & nos certè cupimus, vt quotidie augeatur & creſcat.*

Bullæ, *Saluatoris, Quanta in vinea, Pium & vtile.*

Bulla, *Aſcendente Domino.*

Non caput hoc tantùm expleam; ſed libros impleam, ſi vel fruſtatim hîc velim attexere quæ laudatiſſimus hic & perquàm ſtudioſus rei Catholicæ aſſertor Gregorius *in dilectos ſibi* quos vocat *Presbyteros venerabilis Societatis* IESV, ad laudem eorum & commendationem multa congeſſit: ego in paucula contraham, & breui, ſi fas, oratione ipſius tamen verbis comprehendam. *Aſcendente*, inquit, *Domino & Saluatore noſtro in nauiculam, ecce motus magnus factus eſt in mari: ipſe autem à diſcipulis rogatus ventis imperauit, & facta eſt tranquillitas, quam nos in Petri nauiculâ collocati, turbinibus excitatis, ab eodem Domino aſſiduis precibus poſtulantes, noſtram intereà operam & laborem in frangendis procelloſis fluctibus impendere non deſiſtimus. Cùmque tanti laboris ſocios & validos remiges diuina nobis prouidentia præparauerit, eorum opera in ſuperandis ſæuientis pelagi tempeſtatibus nos maximè ſubleuat, qui pro communi fluctuantium animarum ſalute propria commoda nihili pendunt, ſeque ad omnia diſcrimina exponunt. In quo cùm aliarum Religionum ſtudia, tum Societatis* IESV *aſſiduus pro* CHRISTO *labor, nec non vſque ad finem perſeuerantia, promptam ſe oſtendit; cumque prolem Catholicæ Religioni valdè proficuam, & ad omnia pericula pro vniuerſali Eccleſiâ ſubeunda paratam procreauit, aliam atque aliam à primâ non degenerem præſtante gratiâ Dei quotidie ſubſtituit, vt nobis eorum alumni per multiplices probationum gradus altiùs prouecti ſemper præſtò ſint, quos in rebus arduis ſuſcipiendis fructuoſos operarios adſciſcamus.*

Gregorij XIV.

in Bulla, *Eccleſiæ Catholicæ.*

Poſt Sixtum V. Gregorio XIII. ſuppar XIV. & ille Gregorius, conſimili ſtudio, & Apoſtolicæ auctoritate ſententiæ, *Religio*, inquit, *Societatis* IESV, *quam nouiſſimis hiſce diebus diuina prouidentia excitauit, adeò ſtrenuè laborauit, ac ſine intermiſſione laborat, vt illius vel turbationem & infirmitatem ad commune Eccleſiæ damnum, vel pacem atque integritatem ad eiuſdem vtilitatem maximè pertinere putemus.*

Clementis VIII.

Suarez l. 1. Societat. cap. 7. n. 5.

Clemens VIII. dum Patres, qui ex vniuersâ Societate Romæ congregati fuerant, pedibus ſuis affuſos alloqueretur, quid de eâ ſentiret his verbis teſtatus eſt: *Amo Societatem veſtram, atque vnicè charam habeo; eamque dexterum Eccleſiæ brachium meritò profiteor & profitebor.*

Pauli V.

Nec aliter Paulus V. ipſo ſtatim initio Bullæ quâ inſtitutum Societatis,

tis, & illi concessa à Gregorio XIII. priuilegia, promptè confirmat: *Quantum*, inquit, *Religio Societatis* IESV *in Ecclesiâ ad Fidei, pietatis & religionis augmentum profecerit, & in dies magis proficiat, nos ipsi scimus, & Christiana Respublica nouit vniuersa.* in Bullâ, *Quantum Religio.*

Denique (quoniam eò iam & successu temporum sponte deducti, & Pontificiæ commendationis serie continenti suauiter deuoluti sumus) de Gregorio XV. nuperæ eiusque beatissimæ recordationis, deque Vrbano VIII. spirantis adhuc & æternæ venerationis, Pontificibus Optimis Maximis, quid dicemus? Declinauisse eos à maiorum suorum laudatione magnificâ, quâ nascentis illi Societatis nostræ incunabula fulcierunt, an ipsam fortè Societatem à dignâ tantorum præconiis virorum consuetudine desciuisse? Absit vt illam vel optimis Ecclesiæ Patribus, vel Societati etiamnum innocentissimæ, & castissimæ matri nostræ, iniuriam cogitatione vel vnâ patiar irrogari. *Gregorij XV.*

Quod Reipublicæ Christianæ bono fiat (inquit ille Gregorius in litteris Apostolicis ad Carolum à Lotharingiâ, Lotharingo Duci sanguine proximum, Episcopum Virdunensem, cùm hic facultatem ineundæ Societatis fieri sibi à Sede Apostolicâ postulasset) *abiectis humanarum curarum opumque impedimentis ad eam te confer sacræ militiæ Societatem, Catholici nominis defensione, & hæreticorum excidiis clarissimam; quam quidem quanti nos faciamus, duo illi Christiani Imperij propugnatores Ignatius & Xauerius Sanctorum cognomento nuper à nobis aucti, cunctis terrarum prouinciis sæculorumque ætatibus declarabunt.* Et hos ille sanctissimos Heroës priusquam Catholicis aris templisque colendos admoueret, ita, auditis in Consistorio suo publico eorumdem virtutibus atque prodigiis, scribitur elocutus: *Meritò quidem miserentis Dei bonitatem atque potentiam in Ignatio Loiolâ Ecclesia Catholica veneratur. Cùm enim tenebrarum princeps super astra Dei solium suum exaltare, atque in Aquilone sedem figere studens, nouis hæreticorum armis cælum adortus, Catholicæ Religioni exitium minitaretur; peropportunè sanè Ignatius animum gerens mundo maiorem, & vltra vnius æui terminos opera suæ pietatis extendens, legionem in Ecclesiâ Dei fortissimam conscripsit, quæ vitam pro diuini cultus incremento paciscens, in Romani Pontificis verba iuraret.* in Bullâ, *Quàm dilecta.*

Nec minùs aut segniùs (inter alia promptæ in nos monumenta pietatis, quæ spirantia adhuc in Vrbano Ecclesiæ sanctæ Principe, emortuâ hac voce non indigent) non minùs, inquam, ipse Gregorium secutus Vrbanus, & celebratam ab illo SS. Ignatij & Xauerij Canonizationem, & eiusdem amplissima de Societate præconia suo etiam adiecto calculo confirmauit. *Ineffabilis*, inquit is, *Dei bonitas & misericordia, quæ miro consilio suis quæque temporibus aptè disponit, & præteritis sæculis, siue ad disseminandum Euangelium inter Gentes, siue contra subnascentes hæresiarchas, destinauit plures sanctitate & doctrinâ illustres viros; nouissimis temporibus, cùm pij Lusitanorum Reges in longinquas Indiarum terras ac remotissimas insulas latè patentem vineæ Domini propagandæ aditum aperuissent; nec minorem Catholici Castellæ Reges nouum in orbem ad Occidentem repertum patefacerent; veterem autem Religionem omnemque illius sanctitatem, ac perfectioris vitæ professionem Lutherus monstrum teterrimum, aliæque detestabiles pestes, blasphe-* *Vrbani VIII.* in Bullâ, *Rationi.*

mis eorum linguis in Septemtrionis partibus corrumpere & deprauare, ac Sedis Apostolicæ auctoritati detrahere conarentur; excitauit spiritum Ignatij Loiolæ, qui ex medio honorum cursu, & à sæculari & terrenâ militiâ admirabili quadam ratione vocatus, ita se diuino imperio regendum & formandum tradidit, vt demum nouâ Societatis IESV, *quæ inter alia pietatis & charitatis opera, Gentilibus conuertendis, hæreticis ad Fidei veritatem reuocandis, & Romani Pontificis potestati tuendæ, ex instituto se totam impendit, Religione fundatâ, vitam admirabili sanctitate traductam sanctissimo pariter concluserit exitu, ac plurimis sit miraculis illustratus.*

Præsidum Concilij Tridentini, in Diplomate dato Tridenti 1. Nouemb. 1561.

Nec aliter quàm Summi Pontifices de Societate ipsi etiam Præsides Concilij Tridentini censuere; quorum ne singula viritim dicta proferam, hæc fuit in commune sententia: *Religio Presbyterorum Societatis* IESV, *quæ iam latissimè per Christianorum & Gentium etiam prouincias (Deo quod cœpit opus promouente) cum maximo animarum fructu patet, instituta in Ecclesiâ Dei, & approbata per Sedem Apostolicam fuit.*

Summis hisce Pontificibus, eorumque Cathedræ Assessoribus, qui directæ mentis intuitu certum habent cum cælo & veritate commercium, approbasse opus suum laus prima sit atque præcipua. Est certè non infima, viris in quouis ordine principibus placuisse: illustre videlicet id esse necessum est, quod vibratione suâ, etiam non attendentem, ferit. Et attendebant illi quidem intendebantque virtuti, quos nunc proferre constituo, Ecclesiæ iuxtà ac Reipublicæ Principes; sed non quo Pontifices oculo tam infallibili, tam perspicaci; nec minùs tamen etiam illi & perspexere Societatem penitus, & ex vero commendarunt.

Cardinalis Guidiccioni,

Bartholomæus Guidiccionus Cardinalis, ille (vt initio memini) nouarum Religionum sub ipso Paulo III. tam acer & tam pertinax insectator, vt non verbo tantùm, quod calidè faciebat in sacris congressibus, sed scripto etiam (vti fertur) ex Lateranensi & Lugdunensi Concilio, lapsam potiùs veterum Ordinum disciplinam erigendam esse, contenderet, quàm instituendam nouam; Societatis fine percepto, sic animo commotus est, vt diceret: *Nouas Religiones non probo, hanc tamen non probare non audeo: sic enim interiùs afficior, eos motus animi diuinitus sentio, vt, quò me humana ratio non ducit, eò voluntas inclinet, & affectu quodammodò inuitus complectar quæ argumentis anteà repudiabam.* Nimirum non humanis metienda rationibus sunt opera Dei; nec mortali accommodanda iudicio, quæ in ordinem diuinæ suæ prouidentiæ Mens æterna disposuit.

& aliorum Cardinalium:

Mitiùs iam inde ab initio, nec tamen minùs magnificè alij de Societate Cardinales amplissimi, & variarum Ecclesiarum dignissimi Præsules censuere: quos inter Eminentissimi, & iam sæpè nominati, Farnesij, Ludouisij, Barberini, ipsis suis immortalitate dignis operibus hodieque proloquuntur affectum suum. Alij autem, & illi olim sanctissimi Tridentini Concilij Assessores & Præsides, Gonzagæ, Moroni, Sabelli, Truchsesij, Hosij, ceterique quà publicis quà priuatis monumentis & tabulis illud se Tridento retulisse testantur in patriam vnum inter alia non minimum, quòd ibi primùm agnitam IESV Societatem deinceps & amare potuerint, & impensiùs obseruare.

Pari

Bartholomæi Torres, & aliorum Episcoporum: Martini Azpilcuetæ.

Pari in Societatem animo & voce vsi sunt Bartholomæus Torres, Petrus Guerrerus, Hieronymus Osorius, aliique laudatissimi Præsules, quorum vt præterire verba, sic affectum dissimulare non licet.

Quid Martinus Azpilcueta Nauarrus, vir & doctrinâ & pietate notissimus? Is, cùm Salmanticâ fortè transiret, ita de Societate sentiebat, vt piè omnes in eâ vrbe Socios deque genu complexus, candido admoneret affectu: *Cùm Ignatius* (sic enim ille loquebatur) *contra satanam eam instruxisset ornassetque classem, quâ nulla vmquam maior esset instructa, magnas Societati tempestates minimè defuturas.*

Nec defuere qui iam obituri diem suum, non sine admirabili exaggeratione verborum Societatis meminisse cogerentur, etiam tum cùm omnia excidissent, & quidem illo ipso puncto temporis, quo plerique, remotis inuidiæ nebulis, & perturbationum humanarum tempestate sedatâ, veritatem ipsam & clariùs vident, & certiùs apprehendunt. Quos inter quidam in Regno Neapolitano nuper Episcopus, infularum, dum vixit, quàm Societatis amantior: *O sancta* (inquit moriens) *Societas, quam anteà neque satis cognoui, neque merui! tu superas & præcedis Peda Pastoralia, Mitras, Purpuras Cardinalitias, Sceptra, Imperia & Coronas.* Quem ego sensum morientis Episcopi sicut exaggerare non audeo, sic non debeo eleuare: licet enim (nisi fallor) vt cum eo pro consolatione priuatim suâ Socij sentiant, licet vt ab eodem pro suâ in Societatem beneuolentiâ non dissentiant alieni; Iacobus certè Treuirensis Archiepiscopus Elector Imperij cùm obiret, intermortuis etiam vocibus illud præsertim inclamasse dicitur, *O sancta Societas.* affinitate crediderim aliquâ cùm roborati in Socios affectus, tum sanctissimi IESV nominis, quod Societati quasi proprium fatali illo tempore recolebat.

P.Rocca in litteris anni 1609.

Annuæ Prou.Rhenanæ 1581.

Testimonia Regum & Principum:

Quid porrò de Societate Reges ac Principes? illi qui difficillimis temporibus, nullo non orbis loco, apud omnes latè gentes & populos, admirabili celeritate enatam veriùs quàm propagatam Societatem habuere & suspexere semper miraculi loco?

Philippus II. & Ioannes III. ille Hispaniæ, hic Lusitaniæ, & singularum Indiarum singuli tum Reges, & primi in suâ quisque ditione vt propagandæ Fidei, sic inferendæ Societatis auctores, quàm de illâ cum suis vterque Principibus beneuolè censuerunt?

Ioannis Tertij Regis Lusit.

Hunc Xauerij & Rodericij virtus heroïca paucis omnino mensibus Olisippone perspecta eò impulit, vt, perinuitos licet & sæpè reclamantes, & illos, & omnes deinceps illorum Socios, *Apostolos* nominaret; maiori scilicet & illustriori nomine, quàm vlla, post primos Ecclesiæ Præsides, hominum merita postulent, & Societatis, omnium Ordinum minimæ, Religiosa modestia patiatur. Sed enim modum nescit veneratio, mensuram non capit affectus, cùm semel Regum ingentes animos regi (nedum cogi) nescios occupauit. Virtutem admirantur omnes homines; sed illam viri Principes vt obseruant acutiùs, sic impensiùs venerantur.

Nihil erat in illo, quem iam antè nominaui, Philippo Secundò humile; quin erant summa omnia, eaque, in quibus & magnum Carolum & Austriacum genus agnosceres. mirum adeò nil fuit, hunc, etiam cum Regiâ suâ coniuge Mariâ, & ceteris aulæ Hispanicæ Principibus

viris, tam citò perſpexiſſe Apoſtolicæ virtutis lumen illud, quod Regno illi nobiliſſimo par Societatis alterum Faber & Araoſius inferebant. Ij Valliſoleti primùm agniti, ſanctiſſimorum operum aſſiduitate,& varietate munerum, apud ſummos pariter & infimos vtriuſque ſexus & omnis ætatis homines id effecerunt, vt cateruæ ipſæ mortalium,velut graui

Aulæ Hiſpanicæ ſub Philippo II. Auſtr. excitatæ de ſomno, ad aſpectum nouæ lucis vndique conuolarent; &, cùm aut nomen adhuc Societatis IESV aut inſtituta non nouiſſent ſatis, Socios tamen alij *Papiſtas*, titulo quàm odioſo hæreticis, tam Catholicis glorioſo; alij *Apoſtolos magni Dei; homines* alij, ſed *humanæ carnis expertes* nominarent.non capiebant ſiquidem (vt aliàs narrare me memini) in aulâ quàm plurimi, & mirabatur Philippus ipſe vehementer, inter tot irritamenta nequitiæ, poſſe homines ætate non graues, tot inſtructos à naturâ gratiis,ab omnibus tam impensè ſuſceptos, tantâ non vitæ ſolùm, ſed ipſius etiam famæ integritate verſari. *Illius certè fortiſſimi*

Philippi II. *Principis honeſtiſsima de Societate iudicia, ipſa quoque Curiæ lumina vt conſimili eos honore colerent, admonebant.* Et Philippum preſsè ſecutus Fer-

Ferdinandi Siluæ: Hiſtor. Soc. p.1.l.5.n.66. dinandus Silua Comes Cifontanus, magno apud Carolum loco, eam hauſerat opinionem de ſanctitate Sociorum, *vt cùm ad eos adiret,illud ferè haberet in ore: Conferamus nos ad Clericos ſanctos.*

Aulæ Gallicæ: Sed hinc iam nos ex Heſperiâ, ſi placet, in Galliam transferamus, Valeſiorum quoque & Borboniorum Regum Franciæ laudatiſſima in Societatem ſtudia audituri. Quid Carolus IX. quid Henrici II. & IV? omnes quàm ſinceræ Religionis cupidi, tam ſtrenui agitatæ non ſemel

Franciſcus Montanus in Apolog. pro Societate cap.54. per ea tempora Societatis aſſertores & patroni. Carolus quidem, pro ſuâ in Socios beneuolentiâ pænè præcipiti, ſi,quæ iam deſignauerat animo, proferre palàm non fuiſſet immaturâ morte prohibitus, reipsâ

Caroli IX. oſtendiſſet(quod inquiebat) *ſe vnicum Ieſuitarum Collegium pluris facere & pro Religionis & pro Regni amplificatione, quàm omnium munitiſsimam totius mundi arcem, ſeque Ieſuitas & pro ſubditis fideliſsimis agnoſcere, huiusque Societatis incrementum ad gloriam quoque & maieſtatem Regni & populi Gallicani pertinere.*

Alexandri Farneſij Ducis Parmenſ. Similem Alexandri Farneſij Parmenſis Ducis pro Societate ſententiam ipſa mox, in quâ prolata eſt, Prouincia Belgica commendabit.

At verò Henricus IV. ille cognomento Magnus, datis ad Rupella-

Henrici IV. Ex P. Ioanne Argento ad Sigiſmund. Polon. Regem. nos XV. Kal. Octobr. anni M. DC. VI. litteris verè Regiis,ita pro Sociis: *Experti*, inquit, *pluribus in vrbibus Regni noſtri probitatem, capacitatem atque modeſtiam PP. Societatis* IESV, *qui in omni conſuetudine moribus atque doctrinâ ſat liquidò oſtendunt, nihil ſe niſi vnam Dei gloriam habere præ oculis.* Et poterat ſanè ſe expertum dicere,qui cùm eſſet acri vir ingenio,& perſpicaciſſimâ mente, nouem ipſos annos, quibus de reducendâ in Gallias Societate deliberatum eſt, diligenter inquiſiuit, num quid in Societate culpabile reperiret; nec aliquid ſe in illâ non integrum reperire potuiſſe non ſemel profeſſus eſt.

Sanè ſi optimus ille,etiam bonorum virorum iudicio, habendus eſt, qui vitiis pro humanâ infirmitate quàm pauciſſimis vrgetur; quo fuerit apud Henricum & ceteros Galliæ Principes loco Societas, quam, tanti teſtimonio Regis, immunem ab omnibus eſſe conſtaret? Hinc, credo,

emanauit

emanauit illa ipsius Henrici IV. in litteris IV. Kalend. Decembris ann. M. DC.VII. ad sextam Societatis Congregationem Fontebello datis assertio: *Se commune Societatis nostræ bonum inseparabiliter cum ipsius Ecclesiæ bono coniunctum arbitrari.*

Hinc tam Cleri quàm Nobilitatis in Comitiis generalibus Regni Gallici Parisiis anno M.DC.XV. pro Societate postulantium illæ voces: *Ingentes fructus & singularia officia quæ Patres Societatis* IESV *tum in Religione Christianâ propagandâ, tum iuuentute bonis moribus & scientiis informandâ,* &c. *olim præstiterunt, & nunc etiam præstant in Ecclesiâ Catholicâ, & nominatim in hoc Regno, nos omnes adducunt,* &c. *Comitiorum Generalium Regni Gallici:* Ex eodem P. Argento.

Nec secùs quàm priores illi laudatissimi Principes (quod quidem sine comparatione vllâ, vel studio partium, dictum velim) Poloniæ etiam Reges, Ducesque Bauariæ censuerunt. *Aula Polonica & Bauarica:*

Testatur Episcopus Præmisliensis, audiuisse se in conclaui Regio, cùm palàm & apertè diceret inuictissimus Stephanus Poloniæ Rex: *Fore vt, quàm diu stabunt homines, in suâ Societas integritate persistat, quòd cum pietate doctrinam prouidè admodum atque admirabili temperamento coniunxerit.* Ingens nec dubiâ nixum ratione testimonium prudentissimi Regis: quod ad suam vnius gloriam, & commune bonum Ecclesiæ, ratum esse iubeat, qui potest, Deus. *Stephani Regis Poloniæ:*

Sed quantam ille opinionem de Societatis virtute conceperit, clariùs nemo vel illustriùs quàm ipsemet diplomate suo Regio Stephanus declarauit: in quo, *Ab eo,* inquit, *tempore, quo ad hunc Regni nostri thronum diuinâ prouidentiâ euecti sumus, nihil nobis antiquius fuit, quàm vt antiqua pietas (quæ est omnium Regnorum solidissimum firmamentum) in omnes Prouincias nostras restitueretur, atque in alias quoque prorogaretur. neque verò quidquam fructuosius experti sumus, quàm si multos operarios nancisci possemus ex Societate* IESV, *qui tamquam expediti velites, quoquouersum ad lucrandas animas excurrerent,* &c. Gretserus in Apologiâ contra monita priuata lib. 1. cap. 11.

Iam non vni alicui Duci, sed toti Bauaricæ domui perpetuus in Societatem affectus fuit continensque laus, non operibus minùs expressa, quàm verbis. Hæc inter minimè obscura sunt illa quæ circa annum prioris sæculi sexagesimum Dux Bauarus Monachio dedit ad Lainium Societatis IESV Præpositum Generalem: *Ex litteris,* inquit, *quas anno ad te proximo dedimus, satis, vt remur, constat, quid de vniuersâ Instituti vestri ratione nobis persuasum sit; quantum inde labenti Christianæ rei commodi polliceamur. Nec sanè nos spes ista fefellit vmquam: illi enim ipsi de Societate vestrâ, quos nuper ad nos misisti, iactis feliciter fundamentis, publicis concionibus, & priuatis etiam adhortationibus, rem fortiùs tentant. quassatos vineæ Domini muros ita sine intermissione reficiunt, vt non modò furiosus ille aper egregiè ab vuis arceatur, sed vineam ipsam seminibus noxiis & sentibus purgatam spes sit puriorem conseruari haud difficulter posse. Ex his vestris seminariis primitiuæ Ecclesiæ faciem iam iam contueri incredibili gaudio gestimus. Quis enim, nisi sit ipse quoque communi, qui totum propè Christianum per orbem grassatur, morbo infectus, non lætetur ex animo, insanam hæreticorum pertinaciam summâ eruditione innocentiâque vitæ tuorum tandem infringi? Verè igitur ac meritò tibi gratulamur talium filiorum parenti, in quibus* *Ducis Bauariæ.* Hist. Soc. par. 2. l. 4. num. 123.

reuiuiſcentis Religionis exſtirpandarumque hæreſum vna firmiſſima ſpes conſiſtit.

Vrbium de Societate iudicia:

Quis porrò vrbium, quis rerum quà publicarum quà ſcholaſticarum, de Ordine noſtro ſenſus fuerit, infinitum ſit & ſcribendo perſequi, & aſſequi audiendo. Vnum pro vrbibus Aſculum in agro Piceno, alterum pro Academiis omnibus Ingolſtadium ſententiam dicet, publicam veriùs, quàm ſuam. Ita ergo in datis anno M. DC. XIII. ipſis Kalendis Octobris ad Paulum V. Pontificem Maximum Aſculum loquitur: *Beatiſſime Pater, ſi veſtra Beatitudo poſſet videre mutationem morum, quæ in noſtrâ ciuitate facta eſt, poſtquam ad nos venerunt Patres Societatis* IESV, *ipſummet Aſculum non ampliùs agnoſceret. Senes antiqua odia poſuerunt, iuniores nouas amicitias inierunt. gladiis & pugionibus precarij libri atque coronæ ſucceſſerunt, & ſanguis diſcordiarum conuerſus eſt in lacrymas pœnitentium. Vbi anteà otioſi hominum conuentus fora occupabant, nunc piè celebrant Eccleſias, & inſtitutas à Patribus congregationes frequentant: in quibus qui anteà odio diſſidebant, amicè conueniunt, & mutuis humanitatis charitatiſque officiis inter ſe certant: vt non recenter in gratiam rediiſſe, ſed verâ ac diuturnâ amicitiâ coniuncti fuiſſe videantur. Illa quoque ſunt admiratione digna; obedientia filiorum in parentes, parentum amor in liberos. Quæ omnia vt noua apud nos agnoſcimus, ſic ea Patrum educationi, aſſiduoque labori, grati accepta referimus. & hîc humi proſtrati*, &c. *anno* M. DC. XIII. *die prima Octobris.*

nominatim Aſculi:

Vniuerſitatum, & ſignanter Ingolſtadienſis: Raderus in Bauariâ ſanctâ Tomo 3. pag. 124.

At verò Academiæ Ingolſtadienſis Cancellarius Doctoreſque omnes de Societate, cuius in tribus omnino hominibus ipſa penitus inſtituta perſpexerant, ita denique cenſuerunt: *Nuper quantam lætitiam cepeſrimus omnes ex aduentu trium Theologorum, Claudij Iaij, Alphonſi Salmeronis, & Petri Caniſij, vix dici poteſt. quorum præſentia non ſolùm famam de ipſis excitatam non minuit, ſed etiam auget. quorum ſingularis in ſacroſanctis ſtudiis ſcientia, tum in omnibus diſciplinis exercitatio, poſtremò ſanctimonia vitæ, exſpectationem omnium, eamque maximam, non ſolùm æquat, verùm etiam ſuperat.*

Hiſtoricorum variorum: Vincentij Blaſci de la Nuza, Tom. 1.

Pari cum vrbibus & Academiis ſtylo & animo loquuntur Hiſtorici paſſim multi: ex quibus nunc vnum ex Hiſpaniâ, alterum è Galliâ produxiſſe ſit ſatis. Vincentius ergo Blaſcus de la Nuza in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ & ſæculari Aragoniæ teſtimonium Latinè redditum hoc ponit: *Quod illuſtrem fecit hunc annum, facietque in ventura retrò ſæcula, fuit quòd Sancta Sedes Apoſtolica confirmarit Religionem Societatis* IESV. *cælo dignum ipſiſque Cælitibus ſtratagema, dare hiſce temporibus ſacrum illud Inſtitutum, vnde tanti tamque ſancti & docti homines prodierunt.* Conſentit in Martyrologio ſuo Gallicano Andreas Sauſſaius. *Ipſo die ſancti Ignatij Loiolæ Presbyteri & Confeſſoris glorioſiſſimi, qui ſingulari diuinæ bonitatis arcano orbi datus ac in lucem editus, imminente tempore, quo aperto abyſſi puteo, æternus pietatis hoſtis, tetrâ hæreſeon caligine ſolem Fidei Catholicæ clariſſimum obſcurare, & per ferales emiſſarios* CHRISTI *Eccleſiam funditus ſubruere ſatagebat. excitus zelo Dei nouæ militiæ Dux, nouam in aduerſum aciem, Societatem ſcilicet* IESV, *felici prorſus auſpicio inſtruxit; vel hoc ipſo nomine, vniuerſis inferorum copiis formidandam. Quam Regulæ ſanctiſſimis præceptis inſtitutam, Sedis Apoſtolicæ auctoritate munitam, diuinâ prorſus ſapientiâ*

Andreæ Sauſſaij,

regens,

regens, toto orbe diffudit, aduersus impietatis cohortes, & fera peccati monstra perpetuo certamine bellaturam. Cuius fortissimæ phalangis victoriæ, deuictâ ferè iam vbique hæresi, Fide mirificè etiam apud Ethnicos propagatâ, sepultâ ignorantiâ, vindicatâ pietate, quocumque sol lucet, latè patent: hisque trophæis ouans Catholica Ecclesia, impensè Ignatio quotidie triumphanti, iamque cum CHRISTO *regnanti, gratulatur. Qui Sanctorum præclarè gestis animatus, tam mirandas res* CHRISTO *auspice Lutetiæ Parisiorum aggressus, ipsi* CHRISTO IESV *(cuius nomen altè præcordiis infixum gerebat) immensam gloriam, Ecclesiæ perpetuum munimen & commodum, sibi verò sempiternum decus peperit.*

His porrò solidissimis grauissimorum virorum pro Societate testimoniis vnum lubet adiicere, non leue id quidem, sed ad suauitatem tamen sensu & verbo benignissimè comparatum, expressumque ab Amplissimo viro Erycio Puteano Musarum delicio, illo non apud Belgas tantùm, sed vbi vbi vmquam fuit, candidissimi notâ pectoris viris etiam maximis semper caro: *Quod maius*, inquit, *Religioni Christianæ bonum patrum æuo accedere potuit, quàm vt, turbato opinionum dissidiis orbe, viri prodirent optimi, doctissimi sanctissimi, quorum operâ & industriâ aurea virtutis renascerentur sæcula, & nouo feruore Christianæ legis arcana inualescerent, nouo diuinitatis pondere firmarentur, mortalium partim frigore, partim scelere expugnato? Societas illa* IESV *est; quam cùm nomino, satis laudo. illa victrix hæresum, pharus virtutum, perfectio sæculi, gloria disciplinarum.*

Erycij Puteani. in Oratione de Purificatione Virginis-matris.

Nec vna Societatem commendauit Europa, barbaræ, etiam trans Oceanum, nationes ac Principes, nascentis apud se Societatis tamquam fortunati sideris exortum celebrauere verbis pro more gentis suæ magnificis ac sinceris. omnia hîc proferre non licet; non quæ Cangoximanus in Iaponiâ, non quæ Aluarus Congi, non quæ Malaciquettus Æthiopiæ, non quæ Zamorinus Calecuti, non quæ Achebarus Magni Mogoris, non quæ Cafrum in Monomotapâ, ceterorumque per Africam & vtramque Indiam populorum Reges ac Principes in Societatem & Socios encomia effudere, tam prodigè, vt immoderationem istam barbaram continentia Religiosa non ferat.

Barbarorum Regum ac Principum de Societate testimonia:

Omittere tamen non possum illud breue quidem, sed illustre encomium, quod sacris expressum notis Societati dicauere iam pridem Sinensis Imperij Gubernatores duo. Horum alter sub ipsa initia admissorum in Sinas Sociorum (cùm moderationem in iis eximiam, & in exponendâ CHRISTI lege virtutem animi atque solertiam perspexisset, & porrò suspexisset impensiùs) versâ demum in venerationem admiratione ita statuit, eos non transeunte verbo, sed expressis, ex more gentis suæ, affixisque tabulis perpetuis honorare. fieri id solet, factumque est hac, quam subiicio, celebritate, quâ summi quique Magistratus suam in familiares tantùm ac pares sibi, beneuolentiam publicè contestantur.

duorum Sinensium Gubernatorum.

Binas tabulas insigni opere striatas & coloribus illustres, eo qui in similibus obseruari solet apparatu, ad nos misit; adiectâ voluntate suâ, quâ desiderabat earum vnam sacræ apud nos ædiculæ vestibulo imponi, alteram in eâ optabat aulâ statui, in quam officij & salutationis gra-

tiâ

Nicolaus Trigautius l. 2. de Exped. Christianâ apud Sinas cap. 5.

tiâ conueniebant amici nostri. Illa cubitalibus characteribus hoc præferebat elogium, *Diuorum floris ædes:* hæc verò paribus expressum litteris hoc Societatis encomium exhibebat, *Gens ex Occasu sacrosancta.* minoribus infrà notis adscripto Gubernatoris ipso nomine. quo quidem à grauissimo illo inter Sinas Magistratu, fieri ad amicam venerationem illustrius nihil potest. Cui affine & omnino geminum officij genus & laudis amplissimæ, quo pluribus pòst annis Pequinensis vrbis Gubernator affecit Socios recèns tum missos in possessionem aulæ suburbanæ, ad P. Matthæi Riccij sepulturam, & vsum Societatis perpetuum, auctoritate regiâ attributæ. is simili vt antè ritu adornatam missamque tabulam tumulo Patris imposuit, cum hoc lemmate: *Ad iustitiæ famam venienti Matthæo Riccio è magno Occidente.* Quo quidem Sinæ, iustitiâ & ratione omnia metientes, ad summam venerationem significantius efferre nihil solent. Et ita sanè etiam citra adulationem vel inuidiam ille potuit; cùm maximorum eo ipso tempore Magistratuum crebrò de Sociis audirentur hæ voces: *Quod est totâ hac aulâ tribunal, quod non intelligat legem illam, quam prædicatis iustam esse, veram esse?* summâ fateor ac debitâ veneratione Fidei Catholicæ, at non minimâ etiam commendatione Sociorum, quorum non minùs è moribus, quàm verbis, iustitiæ ac veritatis Christianæ lux sese incorrupta prodebat.

Idem l. 5. cap. 21.

Summum testimoniũ Ferdinandi Cæsaris II. de Societate.

Age verò vt finis sit aliquando, hunc tantorum orbe toto Principum virorum consensum, vnius (sed quo maiorem melioremque non nouimus) Ferdinandi II. Austriaci Cæsaris semper Augusti primâ ac supremâ, hoc est, perpetuâ in Societatem nostram voluntate tabulis expressâ solennibus consignemus. Is XIV. Kalend. Martias ann. M.DC.VIII. Austriæ tum Archidux, hauddum suscepto Imperio, in litteris ad sextam Patrum Congregationem Ratisbonâ datis, *Ego,* inquit, *pro meo erga vos, Reuerendi admodum Patres, fauore, & ab ineunte ætate beneuolentiâ atque obseruantiâ, elaborabo, ne in vestræ eximiæ Religionis tuendâ & augendâ dignitate mea opera vel studium vel officium vllum desiderari vmquam possit. Amo enim vos, & vnicè diligo, ita vt vestras calamitates, infortunia, & rerum omnium vestrarum acerbitates, proprias meas esse prorsus existimem; & ideò Collegia vestra, quæ partim à meo Serenissimo & charissimo parente Carolo, partim à me in meis prouinciis erecta & aucta sunt, vt meas proprias facultates & familias tueri, amplificare & ornare non desinam.*

Quæ tanta potentissimi Principis existimatio de Societate concepta eò subinde increuisse visa est, vt in eiusdem commendationem iam tum Cæsar aliquando diceret: *Si liber essem, vt fratres mei hodie sunt, Societatem* IESV *omnino ingrederer.*

In Compen. virtutum Ferdinãdi II. P. Guil. Lamormani cap. 25.

Quali ergo vixit in Societatem, tali & mortuus est animo Ferdinandus. de quo ne vllus ambigeret, in codicillo, quem testamento suo attexuit, ita scribi iussit: *Ante omnia autem seriò singularique ex zelo ipsis* (nostro natu maximo filio regnaturo Domino Ferdinando Ernesto, omnibusque nostris liberis, heredibus ac successoribus) *commendamus peruenerabilem Societatem* IESV; *eiusque Patres, vel ob id maximè, quòd illi suâ doctrinâ, charæ iuuentutis institutione, vitâque exemplari in Christianâ Catholicâ Ecclesiâ, non solùm in his interioris nostræ Austriæ Prouinciis, sed*

Regnis

Regnis nostris omnibus, omnibusque nostris Prouinciis, imò toto orbe Christiano, multùm, benè, vtiliter operantur; in conseruandâ promouendâque Catholicâ Religione fideliter omnino, & præ aliis adlaborant; contrà verò ingratus hic malusque mundus eos præ ceteris odit ac persequitur: vt proinde maiori protectione, auxilio, assistentiâ indigeant, dignique sint. Hæc omnia supradictos nostros heredes & successores sincerè præstituros confidimus. Est verò hæc vna vltima nostra intentio & voluntas.

Illa Augusti Cæsaris, parentis verè pij, verè Christiani, Ferdinandi nouissima verba sunt; quibus, quo esset in Deum, in Ecclesiam, in Societatem, in posteros animo, & qualem cuperet hereditatem suis filiis, vnam præ omnibus, securè transmittere, ostendit liquidò satis. sed hæc ille dederit amori suo, necessitati certè non dedit. Ipse iam pridem sanguis integerrimi patris, ipsa indoles inuictissimi Cæsaris, ipse (si ita loqui fas) Ferdinandi II. genius transfusus in Augustam Austriacamque prolem, sic eam instituit, nihil vt in Ferdinando III. nihil in Leopoldo parentis optimi & maximi vt requiras. Pergunt illi, quia amare & propugnare Ecclesiam, tueri etiam atque defendere Societatem: pergunt inde à Germaniâ (id quod ab Hispaniâ studio pari facit Philippus IV. cum Ferdinando fratre suo) in sparsam toto orbe Societatem, suum, ceu gemini sideris, fortunatum lumen effundere. Sic agite bis gemini Heroës Austriaci stemmatis, par vtrumque dignum cognato inter vos sanguine magnorum Caroli & Ferdinandi. amate quam amauere maiores Societatem IESV, vestro subiectam Imperio benignè suscipite; vestro & diuino vobiscum nomini consecratam, velitis, iubeatis esse sempiternam. Ita Belgæ & cum Belgis multi vouent.

CAPVT VNDECIMVM.

Societatis IESV *existimatio à pluribus aliorum, ac præcipuè Religiosorum, testimoniis confirmatur.*

REferunt Annales nostri ad annum prioris sæculi LXIII. ita tum apud omnes floruisse Societatem Romæ, perque eam ea diuinam effecisse bonitatem, vt vir nobilis ab Vrbe in patriam reuersus, quærenti quid vidisset Romæ pulcherrimum, Societatem IESV responderit. Quo porrò, quamque stabili fundamento veritatis talia vel dixerit hic, vel ille perscripserit; non erit arbitror qui dubitare vltrà possit, aut quærere, cùm audierit quæ quantaque de Societate testati sint ij, quos supra falsitatem & ignorantiam sanctitas atque scientia, supra adulationem summa dignitas, supra studia partium candor & innocentia collocarunt.

Verùm enimuerò (vt satisfiat fortè nonnullis, qui parem commendationem Societatis requirent etiam ab iis, quos, vt ipsi quidem autumant, Sociorum æmulos, atque ex æmulatione censores esse persuadent sibi) attexam hoc ego loco nonnulla in quæ incidi testimonia Religiosorum hominum, quorum non exemplis minùs quàm verbis ad virtutem inflammata Societas, patrocinio niti gaudet, & auctoritate defendi.

Enimuerò non ſtulta magis quàm improba eſt inductio animi illa, quâ plerique mortalium (ex ſenſu opinor ſuo alia quæ ſunt humanis maiora metientes) Religioſos inter Ordines eſſe putant æmulationi vel inuidiæ locum; quaſi non ſint inter illos, pluſquam naturâ fratres, nedum amicos, omnia communia; etiam laudes & merita. Auditi ſunt illi in Eccleſiâ Dei Heroës Ordinum,& militiæ bellantis Eccleſiæ quaſi primipili, SS. Auguſtini, Dominici, Franciſci, & ceterorum ex inſtituto Religioſi viri, cùm dicerent viſâ nimirum illâ minimâ ac nuper editâ, in qualequale auxilium afflictæ Religionis, Societate : *Soror noſtra es, creſcas in mille millia.*

Accepta ab aliis Religioſis Societas, tamquam ſoror à fratribus. Geneſis 24. Valderama Serm. de Beatificat. S Ignatij.

Votum accepimus, conditionem amplexi ſumus, generoſi fratres, quod ſoror eſt inter germanos, primos paternæ hereditatis ex vſu & iuſtitiâ poſſeſſores, hoc eſt inter vos, & vult eſſe Societas noſtra minima, nullo magis titulo quàm honore veſtri nominis & ſpiritus accepto munere glorioſa. Sed enim hæc vt liquidò pateant, fiatque ſatis opinatoribus illis, quæ ſint aliorum Ordinum de Societate iudicia, videamus.

Quid Ioãnes Auila de Societate: Hiſt. Soc. par.1.lib.9. num.59.61.

Religioſis meritò accenſendus eſt ille in Bæticâ ſanctitatis & eloquentiæ Apoſtolicæ nomine, totâque celebratus Hiſpaniâ Ioannes Auila, experientiſſimus virtutis magiſter, idemque ſcriptor egregius! Præſtans hic Doctor actorque Chriſtianæ, ac, ſi per ætatem licuiſſet, Religioſæ vitæ, vſque eò Societatis erat, & tam præclarè de hoc Ordine eiuſque præſertim auctore Ignatio ſentiebat; vt, cùm illi per affectam valetudinem in eum ſe recipere non liceret, diſcipulos ipſe ſuos ad illum quotquot poſſet ſummâ voluntate dimitteret. Diceres (ſi fas diuinis humana ſubiungere) alterum quaſi Ioannem Baptiſtam, alteri Seruatori ſtudioſiſſimo animarum, omnem ſuam opem, ſtudium, diſciplinam, vitam demum, virtutemque ſubmittere.

Orlandin. lib.14.n.60.

Inſerere hîc iuuat id quod ab ipſo Ioanne Auilâ Michaël Turrianus audiſſe ſe ſcribit, cùm diceret: *Ex animo complecti ſeſe & excipere ſpiritum Societatis, & cuncta eius inſtituta; idque ſe facere naturali quadam quaſi proprij amoris illecebrâ, quòd omnia planè congruerent cum eâ formâ, quam in animo ſuo ipſe deſcripſerat: id eſſe, quod ſuo ſenſiſſet in ſpiritu: verùm ſe paranymphum inſtar ſancti Ioannis fuiſſe, & gaudio gaudere propter ſponſum. Nec aliter ſibi contigiſſe atque ſi puer conetur lapidem ingentem attollere, qui dum præ virium infirmitate rem numquam perficit, vir ſuperueniens robuſtus pro virium magnitudine nullo negotio tollit, ſuoque loco aptè conſtituit.*

quid Ruardus Tapperus:

Attexere liceat huius religioſiſſimi Doctoris Auilæ iudicio, alterius, non profeſſione quidem, ſed voto tamen & innocentiſſimâ vitâ religioſi item Doctoris, grauiſsimique viri, Ruardi Tapperi, Louanienſis Academiæ Cancellarij, teſtatæ in hunc noſtrum Ordinem beneuolentiæ monumentum. Is cùm ſolennem, quam vocamus, Adriani ab Adriano Profeſsionem exciperet, ſumpto argumento à verbis Domini dicentis Ioannis 3. *Mandatum nouum do vobis vt diligatis inuicem, ſicut & ego dilexi vos. In lege*, inquit, *veteri carnalibus rudibusque Iudæis mandatum fuit, Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Hoc verò nouo* CHRISTI *mandato, quemadmodum ſanctus Cyrillus exponit, iubentur diſcipuli diligere proximum ſupra ſeipſos: nempe ſicut* CHRISTVS *dilexit nos. idque eſt quod*

Hiſt. Societatis part.1. lib.11.n.43.

quod hæc sancta & noua IESV *Societas studet, hoc eius filiis propositum est; ex hoc nouo* CHRISTI *mandato, nihil charitate fraternâ prius habere, sui nullam rationem ducere, seipsos exinanire, totos se ad Dei honorem & salutem proximorum effundere, quemuis laborem, quoduis discrimen subire, denique vitam ipsam pro* CHRISTO *& animarum salute contemnere. Nouus inauditusque charitatis modus, quem* CHRISTVS *Dominus transiturus ex hoc mundo ad Patrem commendauit suis. Hoc itaque nouum mandatum pro fundamento & radice sancta hæc Societas habet. Qui enim ei se mancipant, non vni cuipiam, vt aliæ Religiosæ Familiæ, charitatis officio sese dedicant, sed planè omnibus, ad quæcumque quascumque terrarum in oras mittantur. Quod quidem adeò præstans & sanctum est, vt omnem superare intelligentiam videatur; mirumque non sit, si hæc sancta Societas cognoscatur à paucis. Quæ meritò planè sanctissimo* IESV *nomine appellatur, non, vt quidam peruersè dicunt, quasi alij sint de Societate diaboli; sed quia Dominum* IESVM *eiusque Apostolos præstantissimo modo sectatur.*

Et adhuc quidem hosce singulos: iam eòdem conspirantium Ordinum etiam integrorum Religiosum agmen educo. Præibit virorum dux femina sancta Teresia de IESV, illa quàm notæ tam non inculcandæ sanctitatis mulier verè fortis, de Sociis ipsa sic scribit: *Fuit propter maius bonum meum, vt ego cognoscerem & tractarem cum gente adeò sanctâ, qualis est Societas* IESV.... *Laudatus sit Dominus, quòd mihi dederit gratiam obediendi meis Confessariis, qui quasi semper fuerunt isti benedicti homines Societatis* IESV.... *Habitabam prope illos, gaudendo valdè quòd tractarem frequenter cum illis; quia tantùm cognoscendo sanctitatem illorum conuersationis, erat magnus profectus quem anima mea sentiebat.*

quid sancta Teresia: S Teresia in suâ Vitâ Romæ impressâ anno 1601.

Facere non possum quin attexam hîc fragmentum Epistolæ quam ipsa sancta Teresia XXVIII. Iul. ann. M.D.LXVIII. Abulâ dedit ad Christophorum Rodrigues de Moya, cùm ille Seguræ de la Sierra erigere percuperet claustrum Discalceatarum virginum, in idque suas filias ipse inducere eâ tantùm lege, vt Societatis directioni tam filiæ quàm reliquæ abs se fundati Cœnobij virgines subiacerent. Sanctæ Teresiæ sententia verbotenus ex Hispanico Latinè sic sonat: *Homines Societatis* IESV *sunt mei Patres, quibus, post Deum, debet anima mea bonum omne, si quod habet. Filiabus tuis afficior ex eo, quòd intelligam eas cum Patribus istis agere solitas: nec enim quæuis, spirituales licet sint, illicò conueniunt nostro Instituto, nisi quibus illi à confessionibus sunt, quales sunt propemodum omnes Monasteriorum nostrorum alumnæ: neque memini vllam recepisse me quæ non esset illorum filia, quandoquidem eæ præsertim nobis aptæ sint. Equidem gratias ago Deo, quòd eorum, qui me genuere, Patrum spiritus mea in Cœnobia ab iisdem transfusus sit .... Itaque Reuerendissimus Generalis noster nuper hac transiens ita præcepit; vt Patres Societatis exhortationes haberent ad nostras, nec vllius auctoritate prohiberi possent, absoluerentque passim confiteri cupientes. Obstare quidem Constitutiones eorum, non vetare tamen quo minùs interdum id fiat, nobisque inter agendum rectè consulant; quod faciunt magno cum fructu. Desiderium tuarum filiarum, vt nouum illud Cœnobium tuum Patrum curæ subiiciant, idem & meum est. Scito tamen illos id non admissuros, esset licet Principum feminarum; qualia, modò vellent, ex hoc multa haberent: adeoque, quod*

And. Lucas Vitæ sancti Ignatij lib. 5. cap. 26. ex authentico.

optas, fieri non poteſt. Benedictus ſit Deus habere nos præ aliis libertatem agendi cum Patribus iſtis, quam nec auferet vllus vmquam, neque aufert. Ita tum quidem ſenſit de Societate Tereſia; ſentiretque, ſi viueret, etiamnum, eumdem apud nos, de quo ſibi tantopere gratulatur, Ignatij, imò Dei, ſpiritum (quod huius vnius munus eſt) inuentura.

Vnum ſupereſt, editum dicámne à Deo, an ſanctâ ipsâ Tereſiâ? quo neſcio num illuſtrius dari de Societate teſtimonium poſsit. Viderat hæc (animum eius illuſtrante lumine diuinitatis, illo quo latentia in receſſu locorum ac temporum, etiam homini aperta ſiſtuntur) inſtructiſsimorum in bella militum exercitum candida, in argumentum victoriæ, ſigna portantium: (expreſſam hoc oſtento fuiſſe Societatem IESV ex ipſius Tereſiæ ſecretis priuatiſque tabulis teſtatur inter ceteros ille qui à confeſsionibus fuit ſanctæ Virgini, Sanctius de Auilâ Epiſcopus Seguntinus.) de Societate ergò, in commentariolo quem habebat conceſſarum ſibi à Domino gratiarum, ipſa ſic loquitur: *Vidi grandia de toto iunctim iſto Ordine. Vidi non ſemel eos in cælo cum ſignis candidis in manu. Vidi alia admirationis ingentis, ideoque magnâ in veneratione habeo Ordinem ipſum; præſertim cùm vſu & conſuetudine diuturnâ deprehendam vitam eius ac mores cum exhibitis mihi prodigiis conuenire.* Sanè cùm hæreret hinc ſtupore defixa Tereſia, inde magnis lætitiis incederet ex vehementi quo in charum ſibi iſtum Ordinem ferebatur affectu, ita exaggerantem apud ſe ſua oſtenta audiit aliquando Dominum IESVM, cùm diceret: *Quin ſi ſcires tu quanto olim auxilio futuri ſint illi Eccleſiæ ſanctæ.* plus ſuſpensâ hac & breui, quàm perfectâ quauis oratione ſignificans.

Vitâ S. Tereſiæ cap. 38.

Ribera lib. 4. cap. 5.

quid B. Thomas Villa-noua Auguſtinianus:

B. Thomas de Villâ-nouâ ex Auguſtinianâ Familiâ Valentinus Antiſtes, ſi quem de Societate amoueri Valentiâ cerneret, auxilia ſibi detrahi peramanter expoſtulabat.

quid ſanctus Philippus Nerius:
And. Lucas Vitæ ſancti Ignatij l. 5. cap. 26.

Sanctus Philippus Nerius, cùm familiariter vteretur Ignatio, in eoque Societatis IESV admirabilem Ordinem, quaſi compendio, videret expreſſum, ita in eum exarſit, ſic inflammatus eſt ſtudio imitandæ virtutis, vt in illum admitti ſe vnicè poſtularet. Sed nempe non admiſit Ignatius. hic enim, vt erat non ſui, non Societatis abs ſe conditæ, ſed ampliandæ tantùm diuinæ gloriæ ſtudioſus; præſcius adhæc arcano monitu Congregationis eius, quam Eccleſiæ tanto bono Philippus inſtituit; futurum credidit è re Domini publicâ, ſi non ſuo eum Ordini aggregaret, ſed diuinæ prouidentiæ relinqueret, aliâ eâque non minùs expeditâ viâ deducendum ad ſalutem, etiam proximorum.

quid Ludouicus Granatenſis Dominicanus:
Hiſt. Soc. p. 1 l. 11. n. 69.

Ludouicus Granatenſis, ex Ordine ſancti Dominici nobilis Eccleſiaſtes & Scriptor, ſic amauit pro beneuolentiâ ſuâ, tantique fecit nouellam tum IESV Societatem, vt aliquando Eboræ, & pro concione publicâ diceret, *eam Apoſtolicum quemdam cœtum eſſe, qui ad hominum ſalutem omni ratione tuendam, renouandamque in Eccleſiâ Dei veterem ſanctitatem, totis viribus conſpirarit.*

quid Bartholomæus de Martyribus Dominicanus:
Hiſt. Soc. p. 2 lib. 4. n. 150.

Bartholomæus de Martyribus, ex eâdem ſancti Dominici Familiâ, Eccleſiæ Bracharenſis Antiſtes, clarus admiſsâ, ſed clarior depoſitâ iterum dignitate, ad Lainium *credere ſe* ſcribit *Societatem procul dubio cælitus emiſſam ad horum miſerabilium temporum ruinas & calamitates reparandas.*

Deni-

Denique grauissimus doctissimusque vir Franciscus Romæus, iam sæpè nominati, nec satis vnquam laudandi Patrum Prædicatorum Ordinis Magister Generalis, dum scriptis Româ litteris x. Decembris, anno M. D. XLVIII. suos admonet, vt recèns approbatam à Sede Apostolicâ Societatem, Presbyterosque eius tamquam suos commilitones iuuare, & contra impugnantes protegere velint. *Pateat*, inquit, *vobis, qualiter hoc calamitoso tempore, quo Religio Christiana hæreticorum telis impetitur, malorumque Christianorum peruersis moribus labefactatur, nouus Ordo Presbyterorum regularium sub titulo nominis* IESV, *de vrbe quasi præsidiaria manus Dei benignitate submissus est: quem ob ingentes fructus, quos lectionibus & concionibus publicis, priuatorum adhortationibus, confessionum audientiâ, ceterisque sacris exercitiis, ac sanctorum morum exemplis, in Ecclesiâ facit, Sanctissimus in Christo Pater & D. N. Paulus Papa III. approbauit & confirmauit. Quod ideò vobis significatum voluimus, ne huius Instituti nouitate seductus quispiam vestrûm, commilitones suos ad eumdem scopum tendentes, & à Deo sibi suppetias missos per errorem fortassis oppugnet, eorumque detrahat institutis, quorum fructibus gratulari & pios actus æmulari debuerat.*

quid Franciscus Romæus, Magister Generalis PP. Præd.
Orland. l. 8. num. 50.

Nec hoc fuit vnius huius aut Ordinis aut personæ, vtriusque licet summæ, de Societate iudicium. Emmanuel Rodericus ex Seraphico Ordine non minùs aut beneuolè aut copiosè eam commendauit: de eius enim origine sic ait: *Omnipotens sermo Dei de regalibus sedibus veniens, charissimam suam sponsam Ecclesiam visitans, suscitauit à cælis Ignatium Loiolam cum sanctissimis Sociis, qui zelo omnes feruentissimo æstuantes, contra Lutherum omnesque eius sequaces castra posuerunt, pœnitentiam prædicantes*, &c. Et paulò pòst de eodem Ignatio in hanc scribit sententiam: *Qui iunctis illis secum strenuissimis* CHRISTI IESV *commilitonibus Italiam venit, vbi sanctissima opera per ipsos in augmentum sanctissimæ Fidei animarumque salutem Deo indies operante, constituerunt Congregationem istam, non Ignatij, sed Societatem* IESV CHRISTI *appellari, adeò vt inde veniant Iesuitæ appellati.*

quid Emmanuel Rodericus Ordinis Seraphici:
Quæst. Canonic. & Reg. Tom. 1. q. 2. art. 9.

Par etiam Carthusianorum innocentissimæ Familiæ, eiusque summi Prioris Petri de Sardis, Generalisque eorum Conuentus, in nascente adhuc Societate, sensus & pietas, datis anno M. D. XLIV. ad Ignatium è maiori Carthusiâ litteris comprehensa. eæ sic habent: *Auditâ famâ odoriferâ, fratres in Domino dilectissimi, de vestrâ exemplari conuersatione, salutari doctrinâ & voluntariâ paupertate, ceterisque virtutibus, quibus in tenebris nostri deplorandi sæculi refulgentes perhibemini homines in viâ perditionis errantes ad arctam viam salutis reuocare, vacillantes stabilire, stantesque ad proficiendum in virtutibus stimulare, & magnum in Domino Ecclesiæ Catholicæ fructum afferre; gauisi sumus in Domino, gratias illi agentes, quòd in tantâ desolatæ Ecclesiæ suæ calamitate, quâ premimur, excitare dignatus est & mittere nouos operarios in vineam suam, recordatus misericordiæ suæ*, &c.

quid Petrus de Sardis, Prior magnæ Carthusiæ cum suis:
Hist. Societ. part. 1. lib. 4. num. 107.

Bruno Loherus Agrippinensis Carthusiæ Procurator, continere non se potuit, quin maiorum suorum secutus exemplum, id quod de Societate nostrâ sentiebat, scriptis ad Ignatium litteris explicaret. Inter

quid Bruno Loherus Carth.

 cetera,

Andreas Lucas in Vitâ S. Ignatij lib.4.c.10.

cetera, *Dolebamus*, inquit, *interim gliscentibus hæresibus, non esse multos qui contra istos tartareos spiritus se opponerent: cùm ecce præter omnium opinionem non multò pòst tu exstitisti, Pater celeberrime Ignati, spretis mundi pompis, honoribus, diuitiis, voluptatibus, spretâ generis dignitate*, &c. Quibus, post magnificam commemorationem earum rerum quæ ad Dei gloriam & Ecclesiæ bonum præstaret vbique Societas, ita demum subiungit: *Si ob flagitia & errata vmquam relinquendi sumus à Deo, iam vel maximè id timendum est, quando vsque eò omnis creuit impietas, vt vix possit vltrà progredi; vnum dumtaxat superest, quod nobis melioris spei fiduciam ingerit, vestræ nimirum Sodalitatis noua ista præclaraque professio, & numquam satis laudatum vitæ institutum. Prorsusque nobis persuademus fore, vt per vestros quandoque* CHRISTI *Ecclesia in melius reformetur.*

quid Zacharias Bouerius in Annalibus Capuccinorum: anno Christi 1534.

Nec illustre minùs de fundatâ primùm Societate testimonium inseruit Annalibus Minorum Capuccinorum Zacharias Bouerius: *Ceterùm*, inquit, *hoc anno, in quo Henricus VIII. Angliæ Rex, post Catholicam Religionem verbo & scripto propugnatam, ob Annæ Bolenæ coniugium, ac Catharinæ vxoris repudium, schismate in Angliâ concitato, à Pontificis obedientiâ, ac postremò à Fide desciuit, maxima Dei in Ecclesiam tum prouidentia, tum benignitas enituit: nam hoc ipso tempore prima illustrissimæ Societatis* IESV *fundamenta iacta sunt, Deo primùm, tum sancto Ignatio Loiolâ auctore; qui hoc anno sex sibi adiunctis Sociis, vt apud illius Vitæ Scriptores videre licet, præcipuâ voti religione Pontificis se obedientiæ adstrinxit; vt quod in Rege & Regno ceciderat, in sancto atque Apostolico viro, atque in eius Societate resurgeret.*

quid Renatus Choppinus: lib. 11. num. 18.

Cui consonat quod Renatus Choppinus de Sacrâ politiâ tradit his verbis: *Misellâ etiam hac tempestate, excitatus est à Superis nouus Religiosorum hominum Ordo, qui vt à* IESV *Societate nomen obtinent, sic assiduâ sacræ Paginæ lectione, concionibus, scriptorumque editione nutantem fulciunt Christianam Rempublicam, rara ingenij doctrinæque munera ad ornatum templi Dei, id est Ecclesiæ, conferentes. Potiuntur certè hi partâ ex optimis studiis insigni gloriâ, quæ nixa veræ virtutis radicibus numquam deflorescet. Nec verò me latet sacri huius Ordinis nouitatem inuidiosam fuisse nonnullis: sed, fractis inuidiæ repagulis, Iesuitarum Ordo radices egit velut de cælo missas: quo fortissimi* CHRISTI *milites rediuiuam veterum hæresim oppugnarent æquè strenuè, vti impiis Albigensium erroribus obiecti sunt à Numine quondam Dominicanæ normæ Sacerdotes.*

quid Franciscus Enriques:

Breuiter, sed neruosè, Franciscus Enriques: *Habet sapientiæ lumina Ignatius cum suâ Familiâ, & eum iustissimo titulo Vrbanus VIII. appellat Ducem & Atlantem Ecclesiæ, qui doctrinæ suæ humeris mundum fulciat atque sustentet.*

quid Valerius Ximenes:

Nec his multò longiùs, fortiùs etiam atque vehementiùs, Valerius Ximenes de Embun, sacræ Theologiæ Professor in Cæsaraugustano Conuentu Patrum Carmelitanorum: *Voluit*, inquit ille, *Dominus cæli & terræ ditare & illustrare nobilem Societatem* IESV, *columnam Ecclesiæ firmissimam, murumque fortissimum & inexpugnabilem contra hæreticos. Ex quâ vnâ tot prodierunt, prodeuntque quotidie, doctrinâ & virtute duces robustissimi, quot ex aliis omnibus simul iunctis Ordinibus clericalibus.* Quid ais,

vir

vir magne? ex Societate tot quot ex aliis simul omnibus? Non agnosco, & nobis hoc arrogare non velim: beneuolentiæ hic error & excessus amoris est, vasto natus animo, & verbis expressus ingentibus; qualem necesse est animum fuisse Præfecti Quitensis eius, qui Limam ad Proregem de Sociis ita scribere ausus est: *Mihi affirmanti credat Excellentia sua, ad rem Christianam promouendam, ad opportunam his hominibus opem ferendam, pluris esse illos vnos, quàm omnes aliorum Ordinum Familias; propeque illud affirmare ausim, pluris interesse Reipublicæ, illos esse in his terris quàm Regios ipsos auditores.* Sed enim, vt semper comparatio omnis odiosa sit, nemo tamen conferri quin & præferri ceteris vnum aliquem moleste fert eo tempore, quo solennitati eius & gloriæ datur aliquid, aliis quoque, cùm locus tempusque fuerit, concedendum. De quolibet Sanctorum suorum solenni versu canit Ecclesia: *Non est inuentus similis illi.* & hoc ipsi encomium; etiam qui sunt longè maiores, Apostoli non inuident; quin gratulantur potiùs, & gaudent aliquam in eum, vel à se suisque meritis, gloriam deriuari.

quid Præfectus Quitensis: Ann. Piou. Peruanæ 1594.

Audeo ergo (quando annuentes hîc mihi & applaudentes audire videor eos, quorum iustissimam expostulationem verebatur humana persuasio) audeo, inquam, quæ etiamnum se mihi ingerit aliorum in nos Religiosorum hominum illustrem proferre sententiam.

Nobilissima (inquit Ioannes le Page in Bibliothecâ suâ Præmonstratensis Ordinis) *& celeberrima illa Societas* IESV, *quæ quot Collegiis constitutis in orbem diffusa fuit, tot velut lucidissimis doctrinæ & sapientiæ luminibus mundum vniuersum illuminauit, tenebrasque illas Cimmerias illi offusas laudabiliter dispulit.*

quid Ioannes le Page:

Siluester quoque Maurolycus, Abbas sanctæ MARIAE de Roccamadore, Ordinis Cisterciensis, post multa eleganter de Ecclesiâ & Societate disputata, ita demum: *Non alto absque mysterio disposuit æternum Numen, vt ab almâ vrbe Româ,* CHRISTI *in terris Vicarij summâ Sede, suam traherent originem Socij, quorum Institutum forte scutum, & inexpugnabile munimen Romanæ Ecclesiæ esse debebat.* In eamdem ferè sententiam Martinus Carrillus Abbas Montis-Aragonij ex Ordine Canonicorum Regul. S. Augustini, ait videri diuinitus Ignatium mundo datum, vt se Luthero & Caluino Fidei Catholicæ pestibus opponeret. Id ab eo eiusque filiis factum strenuè iuxtà & feliciter: horum operâ CHRISTI vineam vberrimos fructus produxisse: horum non modò laboribus, doctrinâ, scriptis, vitæ exemplo, sed & sanguine defensam conseruatamque veram Religionem; nec veretur, ob multitudinem eorum qui in hac caussâ vitam profudêre, Societatem Matrem Martyrum appellare.

quid Siluester Maurolycus:

Annal. l. 6. ad annum 1540. & 1556.

Claudet hoc caput Prudentij de Sandoual ex sacrâ diui Benedicti Familiâ Episcopi Pompeiopolitani, Caroli V. Historiographi Cæsarei, augustum de Societate iudicium. *Intelligant*, inquit, *omnes Catholici curam quâ Ecclesiam suam sponsam sibi vnicè dilectam Deus amplectitur, quamque tempestatibus fatigatam, diuinis fauoribus recreat, nouos in eâ spiritus & generosos milites industriosque gubernatores euocando, per quos, ne quo casu illa pereat, constituatur in tuto. Cùm à Septemtrionalibus Europæ partibus suum secuti Lutherum plures alij emergerent brutales hæretici, fera-*

quid Prudentius de Sandoual. Tom. 2. l. 24. § 24.

rum

rum instar coniurati omnes æquare solo vineam Domini; ipse ab Occidente gloriosum excitauit Ignatium, qui, abstractus à militiâ armisque terrenis, arma inter alia & opera magis heroica poneretur. adeoque cum ceteris, armandis ab se, Sociis in ipsum Apostolorum & Ecclesiæ primæuæ munus officiumque succederent: itaque per illos sua demum fides diuino constaret oraculo: In omnem terram exiuit sonus eorum. Quod certum nunc & ipso expreßum opere nostris nos oculis contuemur; quando Patres illius sanctæ Societatis orbem ex hoc vniuersum circuiuere, Deique legem annuntiando mortalibus, eò demum, quò nec ipsi penetrarunt Apostoli, peruenerunt. Illis nempe nouos orbes vtriusque ad Orientem & Occidentem Indiæ, maiorem certè partem earumdem, veluti destinato seruauit Deus, vt ibidem gens illa benedictà Apostolicorum Sociorum munere fungeretur.

Psalm. 18.

CAPVT DVODECIMVM.

Commendatio Societatis IESV *etiam ab infidelibus & hæreticis vi veritatis expressa.*

Commendatio illa certissima quæ ab hoste.

HIc finis testimoniorum illustrium, hoc maximè pertinentium ad laudem Societatis IESV, quòd illa à Principibus viris in omni ordine prolata sunt. Sed est (nisi fallor) commendationis genus etiam aliud, quod ab hostibus, iisque improbis & inuidis, quandoque deducitur. Enimuerò quod illi laudandum esse senserunt, si fatentur palàm, maximè si exaggerant; constat profectò non posse non esse præstantissimum opus illud, cuius commendationem non conciliarit amica virtuti beneuolentia, vti contingit à viris bonis; sed veritas expresserit, illa calumniæ etiam inueteratæ & maleuolentiæ victrix: quod accidere nonnumquam vel ab improbissimis solet.

Aptissima sunt, fateor, ad conciliandam rebus existimationem, quæ in naturæ quouis ordine summum obtinent locum; ineptissima, quæ infimum. Inter elementa, & ea quæ ab elementis orta, nihil igne ipso, nihil luce perfectius, ad conferendum rebus splendorem, nitoremque etiam sideribus parem. Mirum tamen, quantum ex ipsius aliquando aquæ alluuione, imò & cœnosæ telluris attritu, res aliquæ, obscuræ priùs & inamœnæ, splendescant.

Quid de Societate hæretici: Melanchthon in primis:

Audiamus igitur quid hostes veræ Religionis quandoque de Societate senserint. Melanchthon morti suæ infortunatissimæ iam vicinus, cùm fortè audiret à quopiam Iesuitas peragrare terras, transmittere maria, nec quemquam ferè nunc esse orbis angulum, quò non penetrarint, vbi non iecerint Romano-Catholicæ Religionis semen, non sudore tantùm sed etiam sanguine irrigatum; ductis ex imo corde suspiriis, exclamare non vni auditus est: *Ah! quid hoc eße dicam? video sanè totum mundum breuì Iesuitis repletum iri.* Sentiebat videlicet versipellis ille, nullum vulpinis suis fraudibus locum fore, quò importatæ per IESV Socios fidei sincerus candor intrasset.

Flor. Remondus de Ortu & occasu hæreseon, lib. 5. cap. 3. art. 6.

quid Theodor. Beza:

Quid Beza? credámne dicenti? imò mentienti non credam; ita tamen

men ille: *Nulla se in Franciâ vitæ Christianæ & integritatis vestigia nisi in Iesuitis videre.* nimirum cùm sint & micent vndequaque illustrissima cælo lumina, vllum tamen ex his, nisi quod fortè obijcitur, inuidentis imò nil videntis oculus non videt. Dixisse Beza debueras, ne mentirere: *Nulla te in Franciâ Arrianæ vitæ & improbitatis vestigia nisi in Caluinistis videre.* In annuis Prouinc. Franciæ, ann. 1586.

Inuidiosè in Ecclesiam, gloriosè nimis in Socios vtrobique sine fide Kemnitius, *Societatem*, inquit, *à Romano Pontifice excogitatam, vt labentem Ecclesiam fulcire aliquo modo posset.* Fundatæ supra petram Ecclesiæ, portæ etiam inferi præualere non possunt, & labentem tu fingis? tu fulciendam aliquo modo ab Societate vnâ iactas, quam tot ceterorum Religiosorum, tanta Hierarchici Ordinis vis ac tutela ornat veriùs quàm defendit, mole stantem suâ, radicatam solo, inhærentem cælo, fixam vtrobique & firmam, etiam inter ruinas mundi & fatiscentis in se naturæ extrema dissidia permansuram? Demus tamen excogitatam à Pontifice Societatem: sed nimirum ab illo Pontifice, *qui compati possit infirmitatibus nostris*, illo Sacerdote in æternum, illo IESV, cuius ipsa se nomine signatam gaudet. demus etiam subfultam aliquo modo ab Societate Ecclesiam, quia scilicet omnem eò modum & operam contulere plures Religiosorum Ordines, impellente eos pronissimâ voluntate, potiùs quàm Ecclesiæ necessitate cogente. *quid Kemnitius:* Paiua de Origine Societatis.

Tolerabilius est quod Franciscus de Verulanio Cancellarius Angliæ, agens de institutione iuuentutis, *Quæ*, inquit, *nobilissima pars priscæ disciplinæ reuocata est aliquatenus quasi postliminio in Iesuitarum Collegiis; quorum cùm intueor industriam solertiamque tam in doctrinâ excolendâ, quàm moribus informandis, illud occurrit Agesilai de Pharnabazo: Talis cùm sis, vtinam noster esses.* Cuius quidem hominis admittenda videri possit & cum veritate sententia; sed detestabile votum est: nimirum tales cùm simus, vestri numquam erimus; sed conabimur, vti vos, vti omnes homines, nostri, hoc est Dei, sitis. *quid Franciscus de Verulanio:* Lib. 1. de Dignitate & augmentis scientiarum.

Sed quid hæreo in Europæ tantùm nostræ sordibus veriùs quàm sententiis? audire & referre iuuat quid Afri, Asiatici, & vtriusque solis infideles populi de Sociis & de Societate censuerint. *quid de Societate Ethnici:*

Taicosama, ille Iaponios inter Reges imperio primus & viribus, cùm per adulationem laudaretur à suis eo maximè titulo, quòd Socios, illos, vt aiebant, impios & legis impiæ professores exegisset Imperio suo; *Vos*, inquit, *ita dicitis, me eos exturbasse; sed non fuit ea caussa quam vos allegastis: mihi enim numquam aut Patres illi improbi visi sunt, aut lex eorum impia: imò ego affirmo homines esse probos, & legem eorum bonam. Sed feci quòd essent exteri & peregrini, ac lex eorum contraria esset legibus Chami & Fotochi, quòd sectas nostras omnes & priscas Imperij nostri cæremonias funditus euertebant cum ludibrio & ignominiâ nostrorum*, &c. *quid Taicosama Iaponius Imperator* Ex Relat. P. Froës.

Fuit plurium in Æthiopiâ schismaticorum Monasteriorum peruersus Antistes, qui visis inibi Societatis hominibus, diceret *se affirmare id certò posse, vidisse se viros Apostolis quàm simillimos, qui ea solùm quærerent quæ Dei sunt, non quæ hominum aut quæ sua.* *quid Schismaticus Antistes Æthiops:* Ex annuis Æthiopiæ, ann. 1607. 1608.

Negabat Rabbi Salomon Iudæus, apud Armusios nominatus in paucis,

apud Rabbi Salomon Iudæus: Vita Gasparis Barzæi lib. 2. c. 12.

cis, *se cum multis Doctoribus congressum, quid simile vnquam Societatis hominibus reperisse: ita enim eos esse in colloquiis subtiles, vt ea res vni diuinæ gratiæ possit attribui.* Sed errarit hic fortassis in ceteris, in vno verum dixit; quidquid vbiuis gentium Societas agit pro Religione, quale vel quantum alij iudicent, minus certè voto suo, vni hoc totum diuinæ gratiæ attribuit, vni iam pridem diuinæ gloriæ consecrauit.

Quid dicam de iis, quæ per Xauerium moti Bonzij atq; Brachmanes, quæ per Barzæum Saraceni atque Iudæi, quæ per Anchietam Brasili, quæ per Bellarminum nostri in Europâ hæretici, quæ per alios alij, de Societate, deque institutis eius, ipsâ approbante inuidiâ laudatissimis, censuerunt? quid de iis denique, quæ per Ignatium, quà viuentem adhuc, quà deinde mortuum, coacti etiam maligni spiritus, mendaci quidem illo nec suo ore, fide tamen & relatu dignissima prodiderunt?

And. Lucas in Vitâ sancti Ignatij.

Ioannes Vega, laudatissimus ille Siciliæ Prorex, cùm Româ intellexisset per secretas ad se litteras obitum sancti Ignatij, quem cum vniuersâ Societate viuentem impensè coluerat; non dubitabat ille quidem, quin (vt ipse tum Drepano perscripsit ad Socios) cælesti beatâque post vitam in terris tam religiosè traductam frueretur in cælo: auebat tamen, pro suo in Sanctum inque Societatem animo, penitius quid de vtrisque cognoscere. Priùs ergo quàm de Patris obitu cum vllo conferret, energumenam, quæ tum fortè sacro Ecclesiæ carmini adiuranda subiacebat, interrogari disertè iubet, vbi sit, quid rerum agat Ignatius. hîc illa cum gemitu (quem nempe sibi tam odiosa veritas exprimebat) *Ignatius*, inquit, *ille capitalis hostis meus, iam obiit, locumque in cælo alios inter Fundatores Ordinum Dominicum & Franciscum medium tenet.* Plura sunt eiusmodi malignorum spirituum oracula, quibus suum Ignatio & Societati nostræ locum dignitatis in triumphante pariter & militante Ecclesiâ consignarunt. Sed enim, postquam IESVS olim dæmonia clamantia, *Quia tu es Filius Dei*, increpans non sinebat ea loqui; nec ipse iam velit Ignatius, aut sibi, aut suæ, imò IESV Societati, aliquod à tam improbis testibus peti patrocinium veritati. Vnum ergo solum, sed voti & submissionis caussâ, subijcio; illud scilicet, quod Regio Prophetæ, quod Ignatio, quod Societati nostræ iam inde à principio sui familiarissimum, non solenne iam aut sæculare, sed quotidianum carmen est: *Non nobis Domine non nobis, sed Nomini tuo da gloriam.*

Etiam à dæmonibus Ignatij Societas commendata.

Luc. 4.

Psal. 113.

Cùm passim hoc toto Libro viros gloriosos & parentes nostros externorum præconiis ornauerimus; nemo, nî fallor, iure nobis succenseat, si eosdem litterariâ aliquâ exercitatione celebremus.

EXER-

EXERCITATIO ORATORIA.

ORATIO PRIMA.

Societas eò magis à Deo honoratur, quò minùs honorem suum quærit, & omnia refert ad maiorem Dei gloriam.



Nter cetera Religionum miracula, à summo Numine ad suorum pietatem excitandam atque confirmandam iam inde ab Ecclesiæ incunabulis edi solita, vnum illud vel maximi à se æstimatum, atque à posteris in pretio habendum, vir acris iudicij & multæ lectionis, quique ob vitæ merita Summus Pontifex declaratus est Marcellus eius nominis secundus, affirmare non dubitauit; tam breui spatio, quod vix decem & sex annos excedebat, sacram hanc militiam, quam Ignatius à cælo designatus Dux atque Imperator & primus instruxit, & felicissimè gubernauit, potuisse tam longè lateque per tot maria, totque Regna ac prouincias, non sine præclarâ nominis sui commendatione propagari. Et verò quem non in admirationem atque stuporem rapiat, intueri minimum aliquem cœtum tam breui temporis curriculo ad vtrasque Indias aciem explicasse, subsidiarias turmas quoquouersus emisisse, circumtulisse vbique victricia signa, tot ac tantas de idolis, hæresi, ceterisque vitiorum portentis, victorias reportasse? Vt illud non iniuriâ cum Societate nostrâ communicare posse videar encomium, quod Persarum olim Reginæ Estheri sacrarum Litterarum monumenta dederunt: *Fons paruus creuit in fluuium, & in lucem solemque conuersus est.* Non quòd humanæ industriæ viribus, aut scientiarum adminiculis ea putem accepta referenda: sed quòd munifica illius manus, qui librauit fontes aquarum, & de tenebris fecit splendescere solem atque lunam, ea omnia sponte atque liberaliter in eam congessit: vt in ipsum, tamquam verum auctorem, tanta quanta est operis tam præclari gloria redundaret. Enimuerò volenti altiùs perscrutari, è quâ tandem scaturigine ingens ille torrens per omnes oras sese effuderit; aut è quâ luce radij illi promanarint, qui non minùs quàm sol terras, sui fulgore mentes hominum perstringunt, & gratissimâ voluptate oblectant; non aliam deprehendere licuit, quàm quòd primum atque solenne eius sacramentum nuncupetur, Principi omnium rerum Deo, atque munificentissimo parenti, seruire non metu suppliciorum, non mercede stipendiorum, non spe præmiorum, non exspectatione muneris alicuius, quæ alioquin nobilem indolem ad heroica facta solent erigere; sed propter inflammatum quoddam desiderium eius honorem & gloriam propagandi, ex sincero ac genuino amore profectum, & quia infinita eius dignitas ac maiestas id omni ratione promeretur. est enim illa propria liberalis animi atque ingenui nota, parentem amare, omnique obseruantiâ colere; non quòd pæ-

Mirabile incrementum Societatis.

Esther 10.

Societas Deo non spe nec metu seruit, sed filiali amore.

pœnam minitetur, aut opulentam spondeat hereditatem, sed quòd optimi parentis nomen & patria potestas id iure suo exigant. Mercenarius quorumdam cultus iure à cœtu verè amantium proscribitur, qui vix præmiorum illecebris in officio continentur, nec vmquam offensi Numinis pœnitudine commouentur, nisi præsenti suppliciorum metu percellantur. Seruilis hoc est ingenij eorum, qui aut de lapide empti sunt, aut non vno stigmate inscripti, sublato timoris freno, in omne genus intemperantiæ, audaciæ atque libidinis effundi, nec quidquam pulchrum aut honestum ducere, quod non mercede aliquâ aut vili lucello comparetur. Longè alia est ratio filiorum Dei, qui patrem amare se profitentur, eiusque Numini propterea solùm obsequi, & sanctissimis eius legibus obtemperare, quia id eius infinitæ dignitati ac maiestati debetur, quia magnificus omnium opifex est, quia quidquid sumus, illius, inquam, & opus, & peculium, operum omnium peculiare præmium: quo fit vicissim vt amabilissimi illius atque suauissimi Parentis amor in eos prouocetur vehementiùs, inflammetur ardentiùs, foueatur teneriùs. Et quoniam munificentia illa infinita nulli vmquam cedere consueuit, sed cunctos superare benefaciendo; suarum etiam partium esse ducit, hanc qualemcumque mortalium liberalitatem inusitato cælestium beneficiorum influxu irrigare, sibique magis obnoxiam reddere. Et sanè adeò altè tum in Constitutionum suarum libris, tum maximè in animis singulorum id infixum atque impressum Ignatius esse voluit, vt pro tesserâ atque imperatorio signo, quod quisque non segniùs quàm aquilam Romanus miles sequeretur, hoc vnum haberent omnes, *Ad maiorem Dei gloriam*. Atque hinc tandem admirabile illud & numquam intermissum certamen, inter Deum veluti parentem amantissimum, & Societatem tamquam dilectam eius filiam, licet contemplari: dum illa nihil laudis sibi deposcit, nullam nominis sui existimationem sibi propositam habet; hic autem nouis eam semper ornamentis cumulat. Et verò quis ignorat, primis legibus huius sacræ militiæ non modò aditum omnem atque viam ad sacras Infulas ceteraque præclara Reipubl. Christianæ munia intercludi; verùm etiam sacramenti religione interpositâ oblatos vltrò honores & honorum insignia (quæ, vt corpus vmbræ, virtutes comitari solent) quàm longissimè ab hoc cœtu remoueri? Quod quidem ita sacrosanctum habetur, vt nullius nisi Summi Ecclesiæ Præsulis auctoritatem atque imperium huic voto intercedere voluerit Ignatius. Et quo honoris tandem genere, eum, cuius studium est humiles atque abiectos erigere, hanc tam profundæ demissionis exercitationem existimatis voluisse remunerari? Ecce tibi diuino prorsus inuento, iam inde ab eius exordiis, ad militaris huius cohortis vexillum euocatos Duces Gandiæ, Aquauiuas, Carolos à Lotharingiâ, Marchiones Gonzagas, & sexcenta illustrissimarum familiarum capita; quorum vel sanguinis nobilitati, vel virtutibus, præclarisque facinoribus, & primæ in aulis Regum dignitates, & sacræ Infulæ, Romanæque maiestatis purpura communi orbis suffragio debita censebantur. Altera res, quæ non minùs speciali iure Societatem hanc diuino obsequio ac perpetuo cultui mancipatam probet, est publica illa atque ante oculos omnium præfixa

Pium inter Deum & Societatem certamen.

Votum Professorũ non admittendi honores.

Deus ad Societatem vocat viros illustres.

fixa foribus inſcriptio: Non ſolùm propriarum animarum ſaluti cum diuinâ gratiâ vacare, ſed etiam cum eâdem impensè in ſalutem proximorum incumbere. Quod quid eſt aliud quàm operam omnem atque induſtriam vitamque & ſanguinem in aliorum ſubſidiorum Dei cauſâ deuouere; abiicere ſe ad mendicabula in compitis, ad mancipia in triremibus, ad nautarum fæcem in tranſtris, ad ſemiuiua cadauera in noſocomiis omni ope ſubleuanda? Genus profectò palæſtræ, quod præter moleſtias, incommoda, morborum contagionem, variaſque ærumnas, nihil concedere videtur athletis. Verùm numquam ita ſe Societas ad infimam plebem demittere, aut ad ſeruilia etiam obſequia abiicere potuit, quin altiùs eam ſemper diuina Maieſtas extulerit. Itaque hæc quæ vilia & contempta videntur, Deo tantæ ſubmiſſioni vicem reddente, & opinionem probitatis, & famam ſcientiæ, & auctoritatem nominis apud præcipuos orbis Chriſtiani Principes ipſi conciliarunt. Mendicato viuebant Oliſipone Rodericius & Xauerius, & ad abiectiſſimi cuiuſque pedes nocturnam quietem in noſocomio captabant. ſed Rex confeſtim palatium pro domicilio, cibum regium pro victu obtulit. Cumque in illo pulcherrimo certamine viciſſet animi ſubmiſſio, hoc ſaltem honoris excutere Simon Rodericius non potuit, vt regios iuuenes piis monitis ac præceptis ad omnem virtutem identidem conformaret.

Societatis exiſtimatio apud Pontifices, Reges, Principes.

In vrbe Româ, celeberrimo Religionis theatro, puerili inſtitutioni operam nauabat Lainius: at illum Summus Eccleſiæ Præſul Paulus III. ſibi Theologum delegit, vt in illo maieſtatis pleniſſimo Tridentino conſeſſu, inſtar oraculi, grauiſſimam doctiſſimamque de Immaculatâ Virginis Conceptione ſententiam dicens audiretur. In Germaniâ heterodoxorum ſe calumniis & maledictis expoſuerunt, imò in continuâ iactatione & aſſiduis vitæ periculis, quaſi peripſemata aut catharmata quædam, verſati ſunt Iaius & Caniſius: at religioſiſſimi Imperatores illos in oculis tulerunt, imò ad Infulas etiam ſummaſque dignitates prouexiſſent, niſi potiorem ſibi Ignatij ac Societatis quàm affectus ſui rationem habendam duxiſſent. In Hiſpaniâ Galliâque, aut tamquam hominum quiſquiliæ propter CHRISTVM in ergaſtula catenaſque compacti ſunt Sodales, aut tamquam nefarij ac perduelles è toto Regno proſcripti; ſed calumniarum tempeſtatibus cæciſque mendaciorum nubibus ac procellis paulatim veritatis luce diſcuſſis, tanto in pretio Regibus illis fuerunt, vt partim eos in ſacros Oratores aulæ ſuæ, partim etiam in conſcientiæ ſuæ moderatores aſſumpſerint. Quid de Potentiſſimis Poloniæ Regibus, quid de Sereniſſimis Bauariæ Ducibus, Tranſiluaniæ Principibus, aliiſque Septemuiris per Germaniam? quid de Nobilitate per Italiam non inferiori commemorem? quid de purpuratis Patribus, aliiſque per Europam Eccleſiæ Antiſtitibus? quid denique de potentiſſimis noui orbis Monarchis? ſi maiorum noſtrorum, huius ſæculi, dico, annales euoluerimus, videbimus pleriſque omnibus in pretio fuiſſe Societatem. Quid, quòd Summorum Pontificum his centum annis nemo vnus inuentus ſit, qui non aut honorificentiſſimè de Societate ſenſerit, aut eamdem paterno fauore affectuque non ſit proſecutus. Teſtis mihi ſit inſtar omnium ſanctiſſimus Pontifex Vrbanus VIII. cum Eminentiſſimis

ſuis nepotibus Franciſco atque Antonio Barberinis : qui non verbis, ſed ſingularibus beneficiis oraculum illud aliquando à Gregorio XIV. datum confirmare cupientes , Societatis vtilitatem & gloriam ad totius Eccleſiæ vtilitatem & gloriam pertinere, quem orbi Catholico vniuerſo affectum & munificentiam teſtari poterant,eam omnem in hunc minimum cœtum ſæcularibus his feſtis, ſtupente & applaudente Româ, profuderunt. Hoc itaque, Pater Beatiſſime, vosque Eminentiſſimi Cardinales, dum ſtabit hæc Societas, quam diuino munere perennaturam ſperamus; hoc, inquam, palam omnibus profitebitur, ſe anno ſæculari expertam in Sanctiſſimâ atque Eminentiſſimâ Maieſtate veſtrâ IESVM Romæ non ſolùm propitium, iuxta fidem oraculi Parenti noſtro Ignatio datam, ſed etiam vltra ſpem votumque liberalem ac munificum. Infinitum hîc fuerit commemorare, ſed non æquè gratum omnibus, quæ domicilia tum Romæ, tum in Luſitaniâ,Auſtriâ,Hiſpaniâ, Galliâ, Bauariâ Societati liberalitate ſummorum Principum ſint conſtituta, quæ ſapientiæ gymnaſia & Academiæ eius inſtructioni directionique concreditæ , quàm profusâ liberalitate vitæ ſubſidia ſubminiſtrata. Vt nonnemini videri poſsit illud Iſaiæ vaticinium , quod in Eccleſiâ Chriſtianâ gaudemus impletum, ad Societatem ſuo ſenſu aliquo pertinere : *Erunt Reges nutritij tui , & Reginæ nutrices tuæ . Suges lac gentium, & mamillâ Regum lactaberis. Erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam.* Abſit verbo inuidia. Sanctè enim gloriari ſibique congratulari poteſt Societas, quòd, quemadmodum ipſa in omni actione ac negotio maiorem Dei gloriam velut ſcopum intuetur, ita Deus maiorem nominis celebritatem & maiora ſemper decora, licet immeritæ, ad cumulum beneuolentiæ congerat. Et verò ſi candidè & ſine fuco animi mei ſenſum apud beneuolos auditores licet deponere, cur non videatur æternus Pater in ornandâ Societate potiorem nominis ſui, Filiique ter auguſti, quàm Societatis ipſius rationem habuiſſe? Etenim ſi, teſte Chryſoſtomo, præ ceteris belli Ducibus, ſingulari illâ poteſtatis prærogatiuâ conceſſum eſt Ioſue, vt ſolem in medio curſu ſiſteret, propterea quòd nomine ſuo adumbraret auguſtiſsimum nomen IESV; quid mirum, ſi ab eodem ſole radius aliquis ad illuſtrandam hanc Congregationem deriuetur, quæ ſplendidiſsimâ nominis illius inſignita eſt nomenclaturâ? Quâ in re nemo, vt ſpero, mihi iure ſuccenſeat. Nimirum homines humano more loquimur, eaque proferimus, quæ ne ab ipſo quidem iure herciſcundæ hereditatis aliena ſunt. Notæ ſunt teſtamenti tabulæ Romani Sempronij, qui filiam heredem iuſtituens, hac eam clauſulâ conſtrinxit: Sempronio nepoti meo plus tribuas in honorem nominis mei, id eſt, quia nomine meo compellatur. Nota ſimilis apud Græcos teſtatoris voluntas Lyconis Philoſophi, litteris apud Agellium conſignata : Lyconi fratri præcipua do, quòd nomen is ferat noſtrum. Ignoſcite, Auditores, & his ludis ſæcularibus ſuſtinete modicum quid inſipientiæ meæ. Nihil aliis Religioſis Ordinibus detractum volo, quos maioribus etiam encomiis ſuo tempore exornabo. Nunc igitur hoc affectui meo, & coniecturæ à ratione non abhorrenti indulgete, vt aſſeram Patrem æternum in ipsâ quoque Societate Filium ſuum pro-

Iſaiæ 49. & 60.

Hom. 27. in Ep.ad Hebr.

l. *Cùm filius,* §. *Pater,* ff. de Legatis 2.

in Noct. Att.

propter nominis communionem exornare voluisse; ipsamque Societatem, licet immerentem, quia Filij nomine insignitur, & augustissimum IESV nomen toto orbe ad Antipodas vsque circumfert, peculiaribus honoris prærogatiuis cumulare voluisse. Itaque, quòd eam Pontifices, Imperatores, Reges, Principes in pretio habeant, hoc magno nomini Ducis sui acceptum refert: cuius amplificandæ gloriæ dum studet (studebit autem, dum leges ab Ignatio conditas, & Instituti sui scopum intuebitur) nec Pater Filio, nec Filius affectui suo deerit, vt maioribus eam semper gloriæ cumulet incrementis.

ORATIO SECVNDA.

Ignatius magnus in minimis.

MAgnum Ignatium virtutum illustrium exemplar, argumentum dicendi omnino amplum mihi propositum, si silentio quodam admirationis ac venerationis pleno præteriero; vehementer ambigo, an minus aliquid sim præstiturus, quàm si copiosè de illo verba fecero. Materiam hanc sibi vt plurimùm sumpserunt Oratorum principes; in hac consumpta est ætatis pænè vnius eloquentia, & tamen intra meritum semper laus omnis stetit: rudis ars visa est, indiserta facundia. A me verò, quem nec ad dicendum satis instruxit natura, nec vsus exercuit, si ad dicendum accessero, quid exspectandum est, nisi vt quæ summa in eo sunt, extenuentur dicendo; quæ singularia, communi ratione pronuntiandi reddantur vulgaria; quæ illustria, orationis meæ nebulis inuoluantur? Præfari solent plerique, iam ad dicendum comparati, tenuitatem infantiæ suæ argumenti magnitudine confirmari, non posse, quantumuis rudes atque infantes, cùm ampla sit materia, non esse disertos. Alia ab his ego passus sum: illa me materiæ copia, & Parentis nostri gloria mediocritatis admonet meæ, ne in summis illis, quæ non satis assequitur styli sublimitas, infantiam meam pro dignitate versari posse confidam. Tandem inopi consilij (silere enim me non patitur eorum auctoritas, quibus nihil fas est negare) hoc mihi mea suggessit desperatio, contrà quàm fert Oratorum consuetudo, ipso statim orationis exordio nihil me politum ingenio, nihil elaboratum industriâ in medium allaturum, præfari: argumentum fore, non magna, sed minima, studio à ceteris præteriri solita; ex mensâ aliorum lautissimâ micas deciduas; post messem aliorum opimam, neglectum pænè spicilegium. Cogitatio, scio, humilis, & ab excelsâ tanti viri virtute aliena: hoc præstabit tamen, vt quam intactam prætereo, excellentiæ non derogem; & in præconum illustrium numero, symbolum meum conferam, de minimis minimus Oratorum dicturus. Hæc meditanti mecum Diuus ipse ob oculos versari visus est, & in negotio quidem leui, sed per vitam omnem sibi familiari, examine scilicet in se moresque suos instituto rationum exactor suarum: opportunè sanè in rem, vt apparet, meam accuratus in minimis obseruator. Quid enim tam religiosæ menti grauius obreperet? Iam inde, cùm ex maioribus illis, quæ in militaris vitæ licentiâ occurrere potuissent, criminibus emer-

Ignatius examine particulari in se inquirit.

emersisset, per triduum iis Sacerdoti sæpiusque exinde & accuratiùs declaratis, vidit vir altà quadam mente præditus, cùm à grauioribus sibi cautum esset, tendenti ad summa solere obesse minima; eosque qui ausi sæpè magna magno molimine, ex vanitatis studio ad virtutem, ex licentiâ ad austeram vitæ rationem, posthabitis & honorum titulis & opum ludibriis, se proripuerunt, exinde res minimas facere cœpisse non minimi; & qui maximis se spoliauerant, cùm minimis se denudare non possent, hæsisse in salebris, nec ad eum quem animo designauerant perfectionis apicem pertigisse. Enimuerò minima, cùm minima sint, vti obseruantur à paucis, ita negliguntur à plurimis, à paucissimis omnino superantur: & ex agro vastissimas citiùs arbores, quàm lolium & filices eradices. Hoc cùm aduerteret vir in iis quæ rationes animi concernunt sagacissimus, & illud etiam videret, se, qui rudentes peccatorum ictu propè vno abripuerat, erratorum quæ supererant licia haud ita facilè multiplicatis etiam ictibus rescissurum; & qui hostem fortissimum, mundi, inquam, affectum, semel ex animo exterminauerat, non tam feliciter defectus ceteros repressurum; legem sibi dixit examine assiduo, si quid latere vel minimum vspiam posset, inuestigare. Itaque inquirere cœpit in se ipse studiosiùs in horas singulas, & indagare non turpes maculas, aut camarinam vitiorum mouere; sed culpæ vmbram rimari, imperfectionum atomos obseruare; eosque non, sicut æstimari poterant, vt errata minima, sed vt rerum maximarum impedimenta detestari; expiare fletu, pœnisque etiam à se exactis profligare. Quâ in re cùm & illud occurreret, simul oppugnanti omnia, elabi singula; & eum, qui multas consectatur, raras enumerare victorias; hanc methodum sibi ac metam fixit, non vniuersim omnes, sed vicibus quamque suis, singulas singulari quasi duello animi passiones oppugnare. hostemque hîc sibi primùm deligebat eum, qui rationibus suis esset infestior. Atque has nouus miles Ignatius suas enumerabat de seipso victorias, longè quàm ab hoste obtineri vllo possent, illustriores. Minora forsan hæc magno Ignatio & eius animis inferiora censebuntur, non ab iis modò, qui, cùm maiora vitia declinare nolint, minima ne quidem in vitiis numerant; sed à nonnullis etiam perfectioris vitæ (vt sibi quidem videntur) studiosis, qui sanctimoniam rebus quibusdam vulgi opinione maioribus, & fidem nostram excedentibus metiuntur: tamen apud æquos rerum æstimatores locum aliquem opinioni magnæ minimum hoc Ignatij studium faciet, quibus illa numquam visa sunt minima, per quæ maxima obtinentur. Ecce enim tibi subitò hominem, dum persequitur minima, maximis etiam inolitisque vitiis superiorem. Non dicam hîc illum, ex quo meliora concepit, tanto præteritæ vitæ tædio fuisse affectum, & earum maximè rerum, quæ cum aliquâ voluptate coniunctæ sunt, vt fœdæ voluptatum imagines omnes illi confestim ex animo effluxisse viderentur. singularis hoc prærogatiuæ, non industriæ fuit, post vitam militari licentiâ traductam, cessasse in homine viribus integro ac vegeto carnis stimulos, quos nec spinis, in quas se induit Benedictus; nec niuibus, in quibus se nudum volutauit Franciscus; nec frigidissimo stagno, cui se immersit Bernardus; nec ætatis ingrauescentis algore, quod in se deplo-

Minima in spiritualibus magni facienda.

Minimorum obseruatio signũ magnæ virtutis.

deplorat Nazianzenus; nec trinâ Numinis inuocatione, quam adhibuit Paulus, compeſcere potuere. Ea potiùs in medium producam, in quibus illius deſudauit induſtria, & mortificationis falce meſſem ſibi fecit; & vt ex vno atque altero de ceteris liceat arbitrari, periculum in iis faciam, in quibus pænè nemo ſe ſui impotem diffitetur. Studium illi fuerat ætate primâ (vt in milite vſu venit) ne famæ ſuæ iure tantillùm cederet, in factionum hærere partibus, & pro dignitatis certamine quælibet diſcrimina vitæ & ſalutis non recuſare: abripiebat eum audax ac præfidens animus, natura feruens, ſanguis ebulliens. Ceterùm hunc vindictæ appetitum & naturâ congenitum, & conſuetudine roboratum, domare aggreſſus, arte illâ ſibi familiari ita breuiſſimo tempore perdomuit, vt conſuetudinem iam ætate corroboratam abruperit, & naturæ vim intulerit, nec iam igneus ampliùs ſanguiniſque præferuidi, ſed frigidus lentuſque à Medicis fuerit exiſtimatus. Triginta omnino annorum ſpatio, quibus meliora ſectatus eſt, adeò non contumelioſè tractatus eſt ab eo quiſpiam, vt ne quidem verbo fuerit violatus. Præſidebat à ſe conſtitutæ Societati, curis moleſtis & grauibus; at in omnibus eâ mentis ſerenitate & æquitate animi, vt nec in aduerſis nec proſperis vmquam ſui diſſimilis appareret. Neque hæc ætatis languori adſcribi poterant: vigebat enim etiam tum in ſene vegeta virtus; &, ſi quando res ita tuliſſet, vt ad caſtigandam culpam vultum indueret ſeueriorem, eâ vi & pondere verborum id exſequebatur, vt non audientium tantùm animi, ſed parietes tectaque non dubio motu nutare & concuti viderentur. Adeò nihil in illo torpebat, nec omnino paſſiones elanguerant; ſed quaſi doctæ habenas audire, vt ait Poëta, freno laxato imperium capeſſebant ad audendum præclari aliquid, rurſuſque minimo nutu redeuntes ad officium ſubſidebant. Hæc animi porrò compoſitio & morum æquabilitas non ſolùm in minoribus iſtis cernebatur; ſed iniurias etiam, contumelias, carceres, inſidias, ipſiuſque vitæ diſcrimina non aliter læto animo erectoque complectebatur, quàm gratulationes alij honoreſque excipere conſueuerunt. In vincula nonnumquam maleuolorum calumniis abductus, non modò non reluctatus eſt, verùm etiam liberâ voce profeſſus, non tot in vrbe Salmanticenſi eſſe compedes manicaſque ferratas, quin plures ipſe pro CHRISTO geſtare ambiret. Lutetiæ vacanti litteris peculiolam in victum magno labore corrogatam ſurripuerat contubernalis: ſed ille adeò non exarſit vindictæ cupiditate, vt cùm eum Rotomagi morbo afflictum decumbere inaudiſſet, è veſtigio ſe in iter dederit, iterque tridui tantâ celeritate confecerit, hominique peſſimè de ſe merito tanto affectu ſubuenerit, vt à morbo recreatum litteris in Hiſpaniam datis, familiaribus notiſque impensè commendarit. Illud verò quantæ manſuetudinis eſt, cùm tactus inuidiâ non nemo dignitate primarius Ignatio Ordinis à ſe fundati iam Præſidi renuntiari iuſſit, omnes ſe Societatis iſtius homines, quotquot in Hiſpaniis Perpiniano Hiſpalim vſque inuenirentur, flammis eſſe traditurum; repoſuiſſe Ignatium, optare ſe viciſſim, vt eum cum ſuis omnibus, quos haberet per orbem charos, diuinus amor ſuis ignibus inflammaret? Quid, quòd illum ipſum, quem in mortem

Ignatius feruorem naturæ compreſſit.

in aduerſis æquo ſemper animo.

Ignatij manſuetudo.

ſuam iuratum, ſicâ inſtructum, domicilij ſui ſcalas conſcendiſſe nouerat, in conuictum Societatemque immemor iniuriæ aggregauit? Ita profectò ex milite impotente ſui dominus euaſerat, vt nihil vmquam priſtini feruoris in publicum prorumperet; prorſus vt ad auream ætatem rediiſſe videretur, cùm imperiis humanis non ſolæ feræ belluæque indomitæ, ſed paſſiones animi belluis omnibus ferociores ſubiacerent.

Ignatius honoris ſtudium compeſcuit. Alterum, in quo hominem, id eſt cereum in vitia flecti, ſeipſum quilibet experitur, honor eſt, & inanis gloria; honor, inquam, ſuaue malum, eoque periculoſius, quòd & vitium & virtus illi mater eſt: atqui hunc aggreſſus Ignatius, ſingulari, vt ſic dicam, certamine, tam certis impetiuit ictibus, planeque profligauit; vt vir aliàs in rebus ſuis taciturnus hoc ſibi elabi ſiuerit, à vitio nullo ſibi cautum eſſe magis, quàm ab inani gloriâ. Vnde ſic ille ſtatuerat, haud illubenter ſe nudum, ſordidatum, cornibus indutum, habitu quantumcumque ridiculo, per vicos obambulaturum, riſui ſe omnium ac ſannis expoſiturum, ſi quidem id ad Dei gloriam pertineret. Quantum porrò ſuam oderat, tantum pro diuinâ gloriâ certabat alacriùs. Hanc ſpirabat animo, hanc crebro ſermone vſurpabat: adeò vt amatores gloriæ ſuæ (in quâ re quiſque non tam amans quàm amens eſt) longo poſt ſe reliquerit interuallo. Ex quo factum, vt, cùm Societati ſuæ Conſtitutiones daret, hoc obſeruarit vnicè, vt legi cuicumque aut ſtatuto verſus hic pænè intercalaris accederet, Diuina gloria, diuinum ſeruitium, diuina laus, diuinum obſequium: ita vt, ſi IESV amator eximius habeatur Paulus, qui ampliùs quingenties in litteris ſuis nomen illud ſacroſanctum celebrauerit, diuinæ gloriæ procurator inſignis haberi debeat Ignatius, qui nuſquam non ſuos ad illius ſtudium prouocauit. Magna me video & ſingularia, dum minima & vulgaria ſector, in medium protuliſſe. Ita profectò ſe

Perfectio in minimorum obſeruatione conſiſtit. Nierembergius de Adoratione l. 2. cap. 14. res habet, in viris illis magnis, quorum vitæ ſanctitas eximia eſt, nihil difficiliùs quàm minima reperias, cùm quæ cenſes eſſe minima, eiuſmodi ſunt, vt ex iis maxima quæque coaleſcant. Rectè nonnemo dixit, non hunc ſtatuarium Polycleto parem exiſtimandum, qui truncum norit ſpoliare, corticemque in fruſta ſecare; hoc enim negotij nihil eſt; at qui feſtucas minutiſſimas reſcindere, & ſubtiliſſima lineamenta ſcalpello ducere nouerit, hic demum perfectus eſt ſtatuarius. Magnum exhibere fortè nonnulli viſus fuiſſem Ignatium, ſi quæ recèns à vanitate conuerſus cum ſtupore omnium peregit, in medium protuliſſem: hominem ex medio honorum curſu inopinatò ſe proripuiſſe, ad Virginis aram arma ſuſpendiſſe, veſtibus pauperi conſignatis indutum ſacco, nudis pedibus ante Marianam ſtatuam nocte totâ ſtationem habuiſſe; exinde ſe Manreſano intuliſſe xenodochio, immiſcuiſſe ſe mendicabulorum cœtibus mendicabulo ſimilem, multorum annorum ieiuniis corpus extenuaſſe; ita incurium ſui vixiſſe, vt cæſarie impexâ, capite nudo, ne quidem vngues ſibi præcidi, aut barbam attonderi pateretur: admirationis res eſſet plena, ſpectare ter quotidie flagellis acriter in ſe ſæuientem, & genibus humi poſitis per ſeptenas horas in oratione defixum. Quid ſi nunc Manreſâ in Italiam, indeque in Palæſtinam nobilem hunc mendicum deduxero, infinitis conflictatum incommo-

dis,

dis, magna certè ac ſingularia imperitis in medium protuliſſe videbor; ſed æquis rerum æſtimatoribus nihil veterano dignum Ignatio, qui ætate ac religione prouectior, hæc melioris vitæ rudia quædam ac impolita tirocinia conſueuerat appellare. Non eſt procul dubio, non eſt imago illa perfecta, quæ magnas vmbras & lacunas colorum exhibet: in tenuiſſimo radio, & ſubtilium linearum ductu, admirabile ſpecimen artis ſuæ reliquit Apelles. Eâdem planè ratione tum demum maximus fuit Ignatius, cùm in ſe minima quæque expreſſit, quæ viri etiam ſummi à ſe numquam impetrare potuerunt. Adeò vt, cùm de illo minima me recenſere profitear, non videar tamen eius honorem atque exiſtimationem reddidiſſe vulgarem. Alium hîc ego iudicem non requiro, præter ipſum Ignatium: qui cùm leges Familiæ ſuæ conderet, licet eas alij ſuſpicerent, quibus rerum terrenarum contemptus, iniuriarum perpeſſio, feruens animarum zelus, ac ſincerus amor diuini Numinis imperatur; ille tamen vbique minima inculcat, ſine quibus ſumma aut vix, aut numquam, conſequantur. Si mentem in oratione cum Deo coniungi deſiderat, ſtatas orationi præſcribit horas, ſitum corporis certum, vnde cogitationum deſumas exordium, cui parti inſiſtas: quin & præludia præſcribit, & poſt meſſem recollectionis (quam vocat) ſpicilegium. Si continentiæ normam præſcribit, eas etiam voluptates eliminat, quæ ſine noxâ delibari poſſunt: ſi obedientiæ normam ſtatuit, imperfecto etiam charactere manum de tabulâ tollendam admonet, ſimul ac obedientiæ vox inſonuerit. Denique, ne ſingula perſequar, magnæ perfectionis illi norma eſt, quæ in minimarum legum obſeruatione cernitur; & eadem non infima laus Ignatij. Hæc enim parallela iure dixeris, legem & Ignatium. In Ignatio perfecta lex viuit: in lege, quantus fuerit Ignatius, à ſeipſo deſcriptus eſt. Vnde mihi rectè atque ordine feciſſe viſi ſunt maiores noſtri, qui cùm genuinam eius effigiem repræſentare vellent, pro ſymbolo Regularum codicem illi appoſuerunt. Si tamen argutari lubeat, quæram ex pictore, cur hoc potiſſimùm ſymbolo eum expreſſerit, in quo ſingularia ſunt omnia. Poteras illi cor ſagittis transfigere, aut flammis adurere; numquam non ardebat amore cæleſti, qui ex obuij floris aut vermiculi conſideratione in admirationem rapiebatur auctoris. Poteras illi in manum tradere ſacroſanctum illud nomen radiis illuſtre, quod ſuis gentilitium dederat in vltimas vſque terrarum oras deportandum: poteras eius pedibus ſerpentem ſubiicere, cum quo crebra illi fuit in vitâ concertatio: poteras hæreſum exuuias in trophæum appendere; in illarum enim ruinam diuinitus eſt deſtinatus: poteras eius lateri aut Deiparam adiungere comitem, aut CHRISTVM æternam Dei Sapientiam præſidem; trigeſies enim eoque ampliùs aut CHRISTVS aut beatiſſima eius Mater hunc ſuum clientem amœniſſimo ſuo adſpectu recrearunt. Denique non inſcitè appoſuiſſes auguſtiſſimam diuinitatis vnius Triadem, de quâ ea vidit, eaque litteris conſignauit, quæ ſumma ingenia meritò ſuſpiciant. Illuſtria ſunt hæc in hoc viro ſummo, & ſingularem habent commendationem. ſi tamen virtutum eius quamdam quaſi complexionem exprimere velimus; nihil magis appoſitum fingi poterit, quàm

Ignatius regulas minimas ſuis inculcat.

Ignatius quare cum libro depingatur.

vt legum ſacrarum codex illi tribuatur. Quid enim hoc legum codice perfectius? quid minimis illius regulis magis admirandum? Sanè eas quæ de exteriori modeſtiâ præſcribunt, multis ſibi lacrymis ſtetiſſe fatetur Ignatius. Quid rurſus huius vitâ magis perpolitum, quæ etiam in minimis tam admiranda eſt? Vnum fortaſſe requiri poterat, vt eius vita cæleſtibus quibuſdam aut ſupra naturam prodigiis illuſtraretur. Suâ hac in parte cuique laus eſt: ab aliis perpetuo ſilentio damnata dæmonum oracula; ad aliorum preces montes loco ceſſerunt; aliorum imperio mortui ad vitam reuocati ſunt; aliorum cadauera gratiſſimum odorem exhalarunt. Neſcio quo Numinis fato ſua hîc Ignatio ſors obtigit, vt in iis quæ minimè ad eum pertinent, adeoque in minimis prodigioſus euaderet. Admirabilem olim Petrum reddidit vmbra corporis, quæ inani etiam contactu morbos expellebat: mirabilis Paulus, à cuius corporis contactu, neſcio quæ diuina vis ipſis etiam ſemicinctiis adhæſit. Magna profectò dignitas in rebus minimis, ſi tamen minima dici poſſunt è quibus tanta dignitas exſiſtit. Nihil igitur in te minimum eſt, Ignati, quando quæ minima videntur, tam vberem gloriæ ſegetem ac materiam ſubminiſtrant: quando, inquam, quæ minimum tui habuere corporis tui pulueres reſidui (ne plus tui conſequeremur exundans inuidit Tiberis, tuis, ni fallor, votis obſecundans) pulueres, inquam, tui infinitis languoribus medentur, infinitis puerperis opitulantur, ne fetus priùs luce priuentur, quàm lucem adſpiciant. Quid dicam aquam ipsâ pulueris permixtione plurimis ſalutarem? quid nomen tuum chartæ inaratum dæmonibus terribile exſtitiſſe? prætermitto Monobregenſem imaginem infinitis propemodum prodigiis nobilitatam? Et hæc quidem ex paruis reculis, ac propemodum vix tuis, gloria conſurgit, vel hoc ipſo celebrior, quò faciliùs res iſtæ minimæ ſeu de veſtimento lacerna, vel de corpore puluis, vel de vultu imago adumbrata, vel chartæ nomen illitum, ad vltimas vſque Orientis oras penetrarunt.

Ignatius miraculis clarus, etiam in minimis.

Opportunè me hæc gloria tua monebat finem dicendi vt facerem, niſi æquè opportunè hoc anno ſæculari ſe mihi obtuliſſet minima tua Societas, ſed laus tua non minima. Quinimò maximum tuum miraculum eſſe Societatem, & in eâ Dei ſpiritum reſidere, complures cum ipſo Summo Sacrorum Antiſtite, iam tum, cùm naſceretur, agnouere. Non minimè quidem illa tua eſt, quæ ſecundùm Deum ex te habet, quòd nata eſt, quòd floret, quòd huc vſque magnâ populorum commendatione propagatur. Locum tamen illi inter minima tua dedit illa ſingularis animi demiſſio, quâ minimam inſcribi & alieno nomine indigetari voluiſti, vt quæ maxima quæque à IESV obtinuit, per Ignatium aut nihil, aut minimum quiddam conſecuta videretur. Non minor tamen idcircò tibi laus debetur, cuius præceptis & inſtitutis acceptum refert, quòd & virtute doctrinâque floreat, & ad vltimos vſque terrarum fines vnicâ ætate ſit propagata. vt non immeritò illud Prophetæ videar vſurpare poſſe: *Dicite iuſto quoniam benè, quoniam fructum adinuentionum ſuarum comedet.* Venient enim tibi fructus vberrimi ex omni prouinciâ ac regione: hinc pœnitentibus excuſſæ lacrymæ, inde puerorum ab interitu vindicata innocentia; hinc virtutes ad maturitatem

Societas minima magnum Ignatij miraculum.

Iſaiæ 3.

ritatem

ritatem excultæ, inde ad sincerum Dei cultum adducta barbaries; hinc de prostratis idolis manubiæ, inde de profligatâ hæresi trophæa; hinc veritatis sole discussæ calumniarum nebulæ, inde tormenta inconcussâ virtute superata. Hæc cùm præclara sint & singularia, suum præconem semper inuenient: illud ego semper inter singularia eius & magna reponam; numquam eam tam de magnitudine suâ propagandâ, quàm de minimis quæ nascenti tradideras obseruandis laborasse. Et, nisi me fallit opinio, per hæc minima denique perfectum est, vt minima cùm esset, è minimis emerserit; cùm scilicet maior esset Religiosæ disciplinæ, quàm sapientiæ cura; maior de errato quouis exterminando, quàm de pomeriis dilatandis solicitudo; maior legem minimam, quàm prouincias conseruandi posteris iniuncta necessitas. Hæc illa fuere minima, quæ ætatis vnius amplitudinem eduxere. Nunc agite, Patres religiosissimi, & his vestigiis insistite; hoc idem studium vobis sit commendatissimum, & indubiè succedent sæcula sæculis beatiora: fortunam primam maior semper excipiet; nec priùs accrescere magnitudo desinet, quàm minimorum cura vobis à magno auctore commendata minuetur.

ORATIO TERTIA.

De S. Francisco Xauerio.

DVm per vniuersum terrarum orbem cogitationem circumfero, & singulas illius partes tam varias, tam dissitas inter se, tam amplas atque diffusas animo percurro, tot vbique specto virtutum à Xauerio relicta vestigia, tot laudum insignia, tot prodigiorum monumenta, vt, quantus quantus orbis est, non aliud fuisse videatur, quàm theatrum quoddam virtutum, & rerum ab illo præclarissimè gestarum. Et Europa quidem gloriatur, virum se talem tantumque genuisse, terris primùm, deinde per Ignatium Deo; illius hospitio se iactat Africa; Asia verò diuturnum se illi præbuisse domicilium deprædicat; America tandem ab eiusdem se posteris ac sociis, eius potissimùm exemplo excitatis, excultam agnoscit: Oceanus, venti, flumina, rationis expertes animantes, sol, nix, pluuia, resque adeò omnes Xauerij imperium expertæ, tot præconia congerunt, tot laudum amplissimarum ornamenta & titulos accumulant, vt, quamuis vnus ipse satis fuerit iis omnibus promerendis, enumerandis tamen vix vlla sufficere possit oratio. In cælis verò infinita illa multitudo fortunatissimarum animarum, quas in illud beatitatis domicilium transtulit, in vnum conuersa Xauerium, eum patrem, defensorem propugnatoremque vitæ ac fortunarum suarum, salutis post Deum auctorem suæ, victorem debellatoremque dæmonum, superstitionis impiæ euersorem, expulsorem flagitiorum omnium, immortali præconio, laudibusque profitetur sempiternis. Quorum vocibus vt nostra in terris consentiat oratio, in hunc præclarissimum illius de idolis, de immanissimis ac teterrimis humani generis hostibus, de vitiis, de impietate triumphum paulisper oculos defigam: reliqua omnium virtutum decora, & dignitate ac splendore maxima,

& numero propemodum infinita, ne oratio in immenſum excurrat, ſciens ac prudens prætéribo.

Auſpicaturus difficillimum Indiarum bellum Xauerius, pro loricâ rudem tunicam induit; pro gladio coronâ Virgini-matri ſacrâ accingitur;pro tubis ac tympanis adhibet tintinnabulum, quo exercitum ſuum, hoc eſt rudium puerorum quantam poteſt manum, ſub ſigna conuocet:atque illo belli apparatu inſtructus, hoſtilibus copiis ſeſe infert,tantò illuſtriorem relaturus triumphum, quantò minùs iſta auxilia ſunt ad victoriam comparata.Sed nimirum erat in ipſo Xauerio ingens quędam virtus, quæ coniuncta cum naturâ nobili, eam dederat eius oculis, ori, verbis, nutibus efficacitatem, vt palàm non iactaretur modò, ſed etiam reapſe ſentiretur, Xauerium audere & poſſe omnia, in Xauerio vim eſſe quamdam virtutemque pænè diuinam. Et fuit profectò potentiæ plusquam humanæ, tot barbararum regionum incolas à belluinâ ferocitate ac truculentiâ, ad manſuetudinem, ad morum honeſtatem, pietatemque traducere; idque non verborum ac ſententiarum pondere, cùm verbis quæ vellet, ignoratione peregrinæ linguæ, ſæpiſſimè exprimere non poſſet, ſed mutâ pænè & elingui oratione. Quamquam quid admiramur, ſine linguâ, ſine voce, in mortalium animis illum tanta efficere potuiſſe? quid tandem illi opus fuit voce? Deum pronuntiaret? at toto oris habitu ac ſpecie illum ſatis loquebatur. cæleſtem gloriam verbis deſcriberet?eam animus intuebatur aſſiduè, & quodammodò ſub omnium oculos adſpectumque proferebat. virtutis pulchritudinem dicendo exornaret? illius in ſe formam, ac venuſtatem omnem, viuis coloribus effinxerat. Neque verò de inferorum cruciatibus, de libidine, de reliquorum vitiorum turpitudine quidquam neceſſe erat declamare; cùm non animi tantùm, ſed ipſius etiam corporis horrore, auerſanda eſſe ſatis commonſtraret.

Xauerij magnanimitas.

Rideamus, ſi placet, cùm audimus magni Iouis nutu concuti Olympum, terram cælumque tremere, vt Poëtæ fabulantur: at ego, quoties nutu Xauerij, cælo altiores, Olympo firmiores, duriores ſcopulis hominum voluntates concuſſas & labefactatas cogito, toties in admirationem trahor ac deprędicationem tantæ poteſtatis:quam cùm dicendo non modò non exornare, ſed ne quidem enarrare me poſſe intelligam; oro quæſoque vos, Auditores, quandoquidem cogitatione id faciliùs quàm verbis conſequi licet, vt illius effecta quædam animis veſtris vos ipſi obiiciatis, aut ex edito quopiam loco vos ea contemplari exiſtimetis. Videbitis illum exiguâ puerorum manu ſtipatum, imbellibus profectò copiis,vicos Indiarum maximos atque oppida celeberrima expugnantem: videbitis Regna ampliſſima, incolarum multitudine frequentiſſima,diuitiis opulenta, infenſiſſima Religioni Chriſtianæ, Deo ſubiugantem, nequidquam ex aduerſo frendentibus inferorum turbis: videbitis barbarorum exercitus, ſtrictis gladiis immiſſiſque telis toto impetu irruentes, ſiſtentem, & cogentem retrò pedem referre: videbitis in impiorum vltionem euocari ignem de cælo, cinereſque ac pumicum vim ingentem depluere: videbitis in Mauricâ regione, quæ terra aſperrima eſt, belluarum non hominum receptaculum, barbaram illam

Indos Chriſtianâ Fide & moribus imbuit.

gentem solâ feritate celebrem, quæ veneno ac ferro sæuiat etiam in suos, in coniuges (si tamen coniuges ibi vsquam sunt) in liberos, in parentes, Xauerij potentiâ frangi, flecti ad humanitatem, ad omne se imperium submittere: videbitis Comorinenses, oræ Piscariæ ac Trauancoridis incolas, Tutuchurinos, Manarios, Iaphanapatanios, Macazarios, Ceilanos, Amboinios, Molucenses, Malabares, Basainos, Parauas, Ternatinos, Melindæos, aliosque populos numero propemodum infinitos, eorumque Sacerdotes ac Reges, eiuratâ belluinâ viuendi licentiâ & vitiis omnibus, se Xauerij imperiis submittentes: vt non immeritò quis credat Indos de vno Xauerio exclamasse, quod olim eos putauisse narrant historiæ, cùm viso potentissimo Macedonum exercitu dicerent, Deos ad se armatos è cælo descendisse. Sed nihil egimus, nisi Iaponiam, vltimam Orientis regionem, quæ inter plurimos honorum titulos, peculiari quadam ratione propria Xauerij laus est, ab hoc fortissimo Imperatore nostro subactam in medium produxerimus. Erant huic genti sub vno summo Imperatore Reges omnino sexaginta: maxima potentia erat Sacerdotum quos Bonzios vocant, summa apud omnes ordines auctoritas propter vetus institutum auitæ religionis: erat gentis totius insolens & fastidiosa superbia, quâ ceteros omnes aspernabantur, aduenas arroganter accipiebant, egenos atque inopes cælo prorsus excludi volebant: superbiæ coniuncta erat propudiosa quædam libidinis omnis licentia, quæ tantam animis caliginem offuderat, vt etiam teterrimi flagitij turpitudinem nullam viderent. Explorauerat Xauerius ea omnia, perspexerat mores, ingenium & indolem satis præclarè à naturâ institutam, nisi à Bonziorum disciplinis non minorem quàm alij à vitiis labem accepisset: intelligebat in tam variis Regum, Sacerdotum, populi malis expugnandis non vnâ esse opus machinâ; & cum triplici hominum genere, quasi cum Cerbero quodam aut Geryone, esse dimicandum. Sed quid ageret paupertas apud opulentiæ studiosos? quid castimonia apud homines impuros? quid animi submissio apud insolentissima ingenia? quid vnus ipse, & peregrinus quidem, apud Reges sexaginta? Nihil tamen in hac re tantâ, tamque difficili, desperat vir verè magnanimus; sed toto impetu ac mole belli incumbit in eam partem quam esse iudicabat firmissimam: Bonzios aggressus est, hominum genus callidum ac fraudulentum, contumax prætereà & arrogans; eos palàm conuictos, coactosque cedere iudicio veritatis constringit; explodit friuolas superstitiones ac cæremonias, detectisque eorum fraudibus, odio illos Regum, populique contemptui ac ludibrio subiicit. Hac firmissimâ acie perfractâ & superatâ, iam leuis erat cum populo pugna, nec difficilior cum ipsis Regibus: vltrò ex diuersis prouinciis, quò eius fama peruaserat, legati mittebantur, vltrò exposcebant tamquam hominem, diuino sibi consilio destinatum: Proceres in vias & vrbium portas effusi aduentum gratulabantur, in regiam deducebant, plausu & lætitiâ omnia personabant, collocabant regio in solio, sua illi sceptra & regna, animos & voluntates suas eius imperio flectendas, consilio moderandas, auctoritate regendas committebant.

Xauerius Iaponiam ad CHRISTI *Fidem conuertit.*

Figite hîc paulisper animum cogitationesque vestras, Auditores, in

amplâ

amplâ atque augustâ specie Xauerij contemplandâ,tot subactis Regibus triumphantis, tot coronas, tot sceptra, tot gentium populorumque spolia ac trophæa ad pedes suos abiecta numerantis; & cum illius gloriâ ac maiestate, Regum omnium, qui vllâ vmquam ætate viguerunt, gloriam magnificentiamque conferte. quid in illis reperietis, quod in hoc non luculentissimè resplendeat? quàm multa in hoc,quæ illorum splendori defuisse videantur? Memini olim ductu auspicijsque Cæsaris cæsa esse ac profligata vndecies centena millia hostium: at ex illis quantulam partem Cæsar suam vocat? & quænam ista laus est, mortem intulisse miseris, quam mancipium quodlibet etiam Regibus inferre potest? Xauerius, quod ne vni quidem mancipio Rex præstare vllus potuit vmquam, ampliùs decies centenis millibus vitam dedit; & animæ quidem, hoc est non fugacem & mox perituram, sed immortalem ac sempiternam. Videte nunc, obsecro,quod caput est,quàm exiguo tempore rem tantam perfecerit. Non multò ampliùs decennij spatio, Indias Iaponiamque peruagatus, tot Regna, tot prouincias, tot vrbes adiuit, tot immensa maria emensus est, vt illi vix satis temporis ad tanta itinera conficienda fuisse videatur; & intereà tamen tot centena hominum millia, abducta ab idolorum cultu, & sub CHRISTI ditionem redacta, salutari fonte lustrauit. Si verò reliquas nationes ac gentes adiunxero,quas absens auctoritate & consilio suo,operâ & labore suorum, ad veri Dei cultum traduxit; si Christianos insuper,quos à vitiis abstraxit, neque numerum inire, neque exitum reperire mea poterit oratio.

Deprauatos Christianorum mores corrigit vbique in Indiis.

Et sanè haud scio an non fuerit cum hisce illi multò difficilius certamen, quàm cum ipsis barbaris; atque adeò vt desperatior victoria, ita etiam præclarior triumphus: horum certè quidem impietatem atrocitate scelerum flagitiorumque superabant; pudorem omnem audacia atque inueterata consuetudo peccandi deterserat; animata luxu licentia, roborata diuitiis, inflammata commercio barbarorum, ita omnem probitatis ac Religionis speciem aboleuerat, vt solo nominè dicerentur Christiani: & barbari quidem ferè volutabantur tantùm in suis vitiis ignoratione virtutum, ac legis diuinæ; hos verò præfracta in sceleribus animi obstinatio retinebat. Quid hîc ageret Xauerius? non hîc consuetæ artes sufficiebant; alia erat ineunda ratio, noua industria, noua vis, nouæ machinæ erant adhibendæ. Nactus erat nescio quem ex eo numero, cuius improbitatem consuetudine peccandi roboratam auxerat licentia atque audacia militaris; & statuerat apud se homo pertinacissimus numquam resipiscere,numquam Xauerio manus dare. atque illud decretum ita altè animo infixerat, ita obstinatam peruicaciam munierat, vt frangi vincique numquam posse videretur. Hunc hominem, difficilem adeò & repugnantem sapientissimus iuxtà ac potentissimus animorum Imperator noster, familiariter ac blandè aggressus, extra vrbis pomeria deducit; credo, quasi otij fallendi causâ: cumque peruenissent ad saltum quemdam vrbi vicinum (vt ferebat natura regionis) palmis consitum, videns se locum & occasionem esse nactum præclarè rei gerendæ, omnem animi vim contentionemque adhibet, hortatur, minas intentat, blanditur, obsecrat. Quid tandem? cùm nihil quidquam horum

prodesse

prodesse cerneret, corpus nudat, aculeatum flagellum arripit, & accenso atque inflammato vultu tam crudeliter in se ipse desæuit, vt contumax ille spectaculo perculsus, ad genua Francisco acciderit; & erumpentibus lacrymis, Ah parce tibi, Xaueri, inquit; ignosce, ego sum qui scelus admisi, ego pœnas commerui; ego plecti, cædi, laniari debui: desiste, tuus iam sum; quidquid placuerit, impera. Æmulabatur hîc, vt opinor, Xauerius maximum illud ac potentissimum imperium, quod olim, dum vixit in terris, in mortalium animos atque orbem vniuersum humani generis Seruator exercuit; qui vinctus ad durissimam columnam, atque immaniter cæsus, mortem deinde turpissimam in cruce nostri caussâ perpessus, vi potentissimâ omnia permouit, & ad se pertraxit. Neque verò vnius tantùm obstinatione pertinaciâque induratum pectus emolliit; incubuit in Goam, irruit in Malacam, in Cocinum, in Ternaten, in Armusiam illapsa est eadem vis, vrbesque omnes Christianorum incolarum frequentiâ nobiles, at vitiis & sceleribus haud paulò nobiliores, peruagata est, excussit, deleuit, euertit. Si quid non castum, non pium, non sanctum erat, proscripsit; effrenatam licentiam castigauit; malam auaritiam lucris iniquissimis inhiantem repressit; odia, inimicitias, strictos in mutuas ceruices gladios discussit; ex ædibus plurimorum pellices exterminauit; intempestiua conuiuia ritu Saracenorum celebrari solita, turpitudines Mahometicas, quæ palàm impunè grassabantur, planè aboleuit. contrà verò collapsam pietatem, iustitiam, sanctitatem pristino vigori restituit: omnes denique sub ditionem imperij sui, seu veriùs Dei, potestatemque redegit. Magnifica quidem esse solet oratio ista, & plurimum habere admirabilitatis: Xauerius viginti quinque mortuos ad vitam reuocauit: Xauerius imperio suo stabilem illum ac perpetuum solis cursum stitit, ac retardauit: Xauerius tempestuosi maris fluctus pacauit, compressit ventos, pisces è mari ad obsequium euocauit, morbos cuiusque generis exstinxit, cacodæmones compescuit, & ex mortalium corporibus eiecit. At quantò hæc magnificentiora sunt & augustiora? Xauerius decies centena millia animarum æternæ mortis suppliciis liberata meliori vitâ donauit: Xauerius in vltimas Orientis oras visum anteà numquam veritatis solem induxit: Xauerius non solùm ventorum procellas, sed hominum iras ad expetendam vindictam præcipites, non maris tantùm, sed turbulentissimos etiam animorum fluctus compescuit: Xauerius non pisces tantùm ex aquâ, sed homines etiam ex profundissimo flagitiorum gurgite extraxit. Nemo hîc mihi obiiciat flexanimam illam, quam Tullius rerum omnium dominam ac reginam vocat, eloquentiam: quid enim habet quod cum Xauerio in contentionem venire queat? Nemo mihi fabulas illas Poëtarum decantet, Orphei, Amphionis, Arionis, Apollinis, Musarum ac Sirenum, nisi fortè, vt, quæ de iis ficta sunt, à Xauerio facta esse fateatur: hic siluas traxit, cùm barbaros atque agrestes, incolas siluarum, permouit: huic lapides & saxa blandè obsecuta sunt, cùm adamantina mortalium pectora emolliit: hic fluuiorum cursus retinuit, cùm defluentes in omne vitiorum genus prauas consuetudines restrinxit: hic feras mitigauit, cùm animos crudeles flexit

ad miſericordiam: hic,exſilientibus ad vocis aut citharæ ſonum lapidibus,Thebas exſtruxit, cùm pretioſos illos lapides ad cæleſtem Ieroſolymam ædificandam promouit. Nihil erat in mortalium animis tam aſperum aut indomitum, quod non ſubigeret: nullus vſpiam terrarum patebat locus ad orientem ſolem, quò non incredibili ardore CHRISTI imperium ſemper longiùs extendendi penetraret. Vnicus ſupererat Aſiæ terminus, Sinarum regio, non ſolùm externorum hominum commerciis non frequentata, ſed occluſa etiam perpetuæ ſeruitutis aut capitalis terrore ſupplicij. Hæc etiam repagula, inſatiabili exæſtuans cupiditate ſemper vincendi, perrumpenda ſuſcepit Xauerius, ne qua eſſet mundi regio ſolis huius, quem oculis adſpicimus, radiis colluſtrata, quam ipſe victoriarum ſuarum ſplendore non peruaderet. At ecce tibi,in ipſo portu, & iam pænè ingreſſu, Sinarum ex hac mortali vitâ euocatur. Dum nouos ille labores cogitaret, laborum illi præmium præparabat Deus, & hiſce ad ſe vocibus inuitabat: Satis eſt,Franciſce, ſatis eſt; omitte tuam iſtam vocem inſatiabilem laborum iuxtà ac victoriarum, Amplius, amplius. Iam te ſatis diu mare, venti, procellæ, Syrtes, naufragia exercuerunt; iam ſatis diu in te fames, ſitis, peſtilentes pauperum tabidorum morbi, æſtus, frigora, nuditas, angores, ægritudines, aliæque id genus cohortes incurſarunt: ſatis eſt, Franciſce, ſatis eſt: iam his ſuus definitus eſt terminus, deliciis verò ac voluptatibus cæleſtibus laxanda eſt æternitas. aduerſus barbaros, aduerſus deorum Sacerdotes, nihil præter odia in te & cædem anhelantes, aduerſus furibundas dæmonum legiones depugnatum eſt ſatis; te iam æterna Beatorum pax & ſecuritas poſthac manet, te cæleſtis patriæ incolæ ſuum ciuem repetunt, tibi obuiàm properant, tibi coronas deferunt, tibi honores, titulos, plauſus ac triumphos parant ſempiternos. Hîc incertus hæreo, gratularíne Xauerio debeam, an ampliſſimi Regni calamitatem deplorare: eius certè felicitate infelices Sinæ, eius ad cælos diſceſſu ipſi viam, quâ eò perueniant, non agnoſcent. O ſua ſi infortunia miſeri noſſent, iam Regni ſui obices effringerent, neque auidè modò venientem præſtolarentur, ſed in occurſum vndique effuſi aduolarent, ad ſuas illum rapturi ſedes. Difficilè, fateor, hîc acquieſcat humana mens, niſi perſuaſum habeat,à Deo non eludi noſtram ſpem, ſed occulto conſilio ac ſapientiâ ad ſuos plerumque fines ſuauiſſimè dirigi, ac maiore, cùm id minimè ſperes,bono cumulari. Deo certè non deerunt efficaciſſimæ rationes ac modi, quibus hanc iſtorum populorum iacturam reſarciat. Tu verò,virorum beatiſſime,poſt tot huius vitæ procellas ac tempeſtates, ſuccede in portum felicitatis æternæ, quò te tui vocant labores ac triumphi. Sed id modò age, id cura apud æternum Numen, vti, cùm per te ipſe id perficere non potueris, Regni Sinarum repagula commilitones tui conuellant. en tibi, ad quæuis pericula promptos ſeſe atque alacres offerunt,difficultates nullas horrent,nullam,quamuis duriſſimæ ſeruitutis,conditionem reformidant: id vnicè optant, vt ſanguis, qui in venis tuis ægrè potuit retineri, in ſuo corpore viam inueniat, vt Sinarum campi hoc imbre ſanguineo rigati,Fidei Chriſtianæ fructus vberes ſalutareſque producant.

Ad Sinas profectionem parat.

ORA-

ORATIO QVARTA.

De verâ maiorum nostrorum gloriâ ad æmulandum nobis propositâ.

SI virorum Principum & magnorum sepulchra, in quibus opes ac
pretiosa ornamenta vnà cum corporibus terræ mandantur, profa-
nas illas dumtaxat opes haberent; nulla profectò libido quemquam iu-
re impelleret, vt ea, quæ nimis in rebus humanis fragilia & caduca
sunt, apud mortuos quæreret, nec effosso iam thesauro (vt solent amen-
tes illi, quos S. Iob ait *gaudere vehementer cùm inuenerint sepulchrum*) Cap. 3.
lætandum sibi arbitraretur. Sed quoniam non solæ istæ opes repe- *Sepulchra*
riuntur apud iam vitâ functos, sed magnarum etiam virtutum dignâ *maiorum*
statuis atque immortalitate monumenta; non pigebit (vt credo) vos *virtutibus*
mecum animo ad sepulchra descendere, & quæ maiores nostri decora, *maximè*
quæ reliquerint ad imitandum omnibus exempla, recognoscere. Quam- *nobilitan-*
quam haud scio, sepultíne dici debeant, quos sua iamdudum virtus ex- *tur.*
tulit; an sublati potiùs in montem illum Pharan, in quo primus He-
bræorum Ductor Moyses Deum aliquando splendore & gloriâ fulgen- Deuter. 33
tem vidit, igneam legem dextrâ prætendentem. Nam si omnis iste
montis apparatus & maiestas quoddam fuit nostrorum temporum, &
tot nobilium palmarum, vaticinium; ánne putandum est, aditum huius
loci non maximè patuisse Ignatio, & tot eius fortissimis Sociis, quorum
inflammatis studiis & laboribus per orbem pænè vniuersum ignea ista
lex promulgata est? Ergo & illi in cælesti illo monte iam laborum suo-
rum mercedem consecuti, conuersis in Deum oculis & manibus testan-
tur, quid pro illâ lege aliquando egerint, quídve perpessi sint; & nobis
interim, ad inflammandos animos nostros, sub cineribus corporum suo-
rum igniculos quosdam reliquerunt: quos vt hodie meliùs afflatu no-
stro suscitare atque accendere possimus, referte mecum, quæso, paulis-
per animum ad illam postumi Vatis, D. Ioannis inquam, plenam magna-
rum rerum inuolucris historiam; & quo cultu, quâ formâ corporis au-
ctorem Societatis IESVM viderit, attendite; facileque, quibus virtutibus
maiores nostri, qui ab illo nomen & vitæ rationem duxerunt, excel-
luerint, intelligetis. Obtulerat se aliquando, in amplissimo Diuorum *Virtutes*
cœtu, sacro Vati contemplandum Deus: hic cùm iam dextrâ librum *hominum*
prægrandem teneret, præconis voce iussit inquiri, num quis illius euolu- *sanctorum*
tionem explicationemque in se susciperet (& verò erat ad aperiendum *Societatis*
perdifficilis, multisque sigillis obsignatus:) vbi nemo vnus qui hoc at- IESV *ex-*
tentaret, aliquamdiu apparuit; prodiit tandem Agnus in medium, rem *pressæ in*
quâ de agebatur, perfecturus. fit propior, accessit ad Deum, aufert è *Agno li-*
manibus librum, soluit, aperit, profert in lucem arcana; euulgatisque *brum ape-*
omnibus tanto cælum omne gaudio compleuit, vt longè lateque effusa *riente.*
gratulantium vox & acclamatio illa personaret: *Vicit leo de tribu Iuda.* Apoc. 5.
Mira profectò signa rerum, visumque admirandum. in quo cùm om-
nia sunt inuoluta, & ab humanis sensibus & cogitatione remota, tum

nihil admirabilius, quàm quòd idem ſit & agnus, & leo, idem, inquam, ille, qui librum aperuit: quo quid eſſe poteſt magis naturâ diuulſum atque contrarium? Et tamen intermicant in hiſce tenebris non modicæ è doctiſſimorum virorum ſententiis ſcintillæ claritatis: qui quoniam omnes hæc vni Liberatori generis humani CHRISTO attribuunt, manifeſtè conficitur, rebus tam inter ſe diſſimilibus & diuerſis ſignificari tres illius præcipuas maximeque proprias virtutes, ſanctitatem, fortitudinem & ſapientiam. Et verò ſi rerum omnium vim & naturam perſpicere volumus, quid eſſe poteſt tam conueniens agno, quàm quædam vitæ Deo conſecratæ ſanctitas & innocentia? quid tam proprium leoni, quàm fortitudo? quid illa apertio demum explicatioque libri aliud nobis innuit, quàm rerum omnium abſolutiſſimam cognitionem atque ſapientiam? Omnia ſunt CHRISTO conformia, omnia ita manifeſtè conſonant, vt in re tam perſpicuâ nullus eſſe poſſit ampliùs ambigendi locus. Videamus hîc iam num quid huic leoni ſimile maiores noſtri virtute eniti atque efficere potuerint: nam & ſanctitate, & fortitudine, & ſapientiâ excellere eos oportuit, & habere quamdam neceſſitudinem communionemque virtutum, ſi non immeritò tam præclaro nomine ac titulo inſigniri hanc IESV Societatem volumus, in quo hæc maxima & ampliſſima fuerunt. Ac primùm quidem, quantâ innocentiâ vitæ, quàm excellenti virtute præditi fuerint, cognoſcite ex eorum Inſtituto, normâque viuendi, quam non tam verbis quàm operibus, non tam libris quàm moribus expreſſam nobis tradidêre. Ex quo enim ſanctiſſimus Parens noſter Ignatius huius Inſtituti ſignum extulit, & ad omnes heroicas virtutes nobis præiuit, numquam defuerunt generoſæ mentes, quæ omni conatu ad ſolidam laudem eniterentur. De his ego propenſo animo ſæpè cogitans, tam expetendâ eorum conditione non mediocriter oblector, gaudeoque tam multos fortaſſis nos habere Fratres & Socios in illis cœtibus iam beatos, quàm hîc nobiſcum adhuc verſantur in terris. Etenim vt è terris cæleſti rore perfuſis ſol tenues & ſubtiles ſpiritus ſegregat, eoſque ſuis radiis excoctos ſurſum attrahit, & attollit in altum: ita mihi videntur è pietate noſtrâ, in quâ eſt ros quidam cæli perpetuus, educi quotidie in altum nobiles & puri ſpiritus, quos Sol ille diuinus, dum adhuc corporibus permixti ſunt, primò quidem ſacris quibuſdam motibus calefacit; deinde verò ab humanis affectibus, & ab omni concretione mortali ſegregat; poſtremò vbi iam plenè expurgati extenuatique ſunt, neque aliquid ampliùs terrenum veluti quidam in corporibus genij ſpectant, tum demum ſupra terram eleuat ad ſe, vt propioribus ignibus in aliquâ cæli regione collocati incaleſcant. Ex hoc illos numero eſſe puto, qui ceteris ad immortalitatem viam aperuere, duo illa Orientis & Occidentis noua ſidera, Ignatium dico & Xauerium; quorum tam eſt certa probataque ſanctitas, vt alter non Manreſam ſolùm & Hiſpaniam, ſed Europam totam celebritate nominis ſui & beneficiis impleuerit: de altero Indi dicere ſoleant, pænè miraculi inſtar eſſe, ſi miſerorum precibus inuocatus miracula non aſſiduè patret. Ex hoc virum egregiâ animi moderatione deſpicientiâque ſui, Franciſcum Borgiam; ex hoc Aloyſium,

Sanctitas, fortitudo, ſapientia maiorum noſtrorum in Agno Apoc. exhibentur.

Sanctitas & vitæ innocentia in noſtris maioribus.

Sanctitas Ignatij & Xauerij & aliorum.

ſium, Koſtkam, & non ita pridem è Belgio in Italiam, ex Italiâ in cælum, non ſine magno comitatu virtutum profectum Berchmannum, ex hoc ſanctiſſimos clariſſimosque viros, Ouiedum, Guttierez, Realinum, Rodriguez, & ſexcentos alios, quos hîc conſultò prætereo (de quibus erit opportunior fortaſſis dicendi locus;) omnes aut iam irrefragabili Romani Senatus iudicio aſſertos cælo, aut miraculorum gloriâ ab ipſis etiam hoſtibus Fidei, barbarisque nationibus, dum adhuc in terris agerent, plus quàm humanâ veneratione cultos.

Sed multò admirabilius videri debet, Iudæos & Mahometanos, quorum animis odium in Chriſtianos penitus inſitum atque inuſtum eſt, tam eximiè dilexiſſe Gaſparem Barzæum, vt illi quidem eum tamquam alterum Ioannem Baptiſtam, aut vnum aliquem delapſum è cælo colerent: hi verò fanum noſtris hominibus inacceſſum, ac ſi ipſa religio ingrederetur, aperire illi non dubitarent. Hæc barbarorum tam luculenta teſtimonia dum habemus, quid eſt quòd pluribus de virtute maiorum noſtrorum diſputemus? quaſi verò ea vita hominibus dubia videri debeat, quam belluis ipſis immaniores populi venerati ſunt. *Mahometanorum de P. Gaſpare Barzæo opinio.*

Age iam, quanta vis animi & fortitudo in illis ipſis eluxerit, videamus: neque enim ſatis eſt ad laudem nominis noſtri fuiſſe illos ſanctitate & innocentiâ vitæ conſpicuos; ſed hoc etiam ad cumulum laudis accedat oportet, fuiſſe eos conſtantes, robuſtos, magnanimos, verbo vt dicam, leones, & quidem (vt habent Abaſſinorum inſignia) in altero vngue crucem tenentes. Quid enim pro huius gloriâ, Chriſtianæq; Religionis amplificatione non egerunt? quid non moliti ſunt? Soleo ſæpè mecum tacitus admirari, & non mediocri voluptate affici, cùm reuoco in memoriam litteras Heroum iſtorum, quas plenas alacritate, plenas cæleſti voluptate, è laboribus ſuis, tamquam roſas è ſpinis, tamquam ſcintillas ex circumquaque ſtrepentibus flammis, ad nos tranſmiſerunt. Fieri profectò nullo modo poſſe exiſtimaremus, vt humana mens tam diuerſa comprehenderet, tam difficilia ſuperaret, tam omnia infra ſe poneret, niſi pænè in ipſis eorum litteris viros illos ſtrenuè cum malis omnibus depugnantes eſſet contemplari; vt tam ignauum atque inertem inter homines arbitrer eſſe neminem, qui non, cùm hæc ab illis ſcripta aut audiuntur aut leguntur, iiſdem ſe ignibus ſentiat inflammari. Quis enim non intimo ſenſu commoueatur, cùm legit illos in mediis Iaponiæ niuibus igne diuini amoris colliqueſcentes, in continuis laboribus maiori ſemper animarum zelo æſtuantes, in mediis periculis pre diuine conſolationis affluentiâ lacrymantes, in ipsâ deniq; morte triumphantes? An poteſt aliquid hac excelſitate animorum eſſe maius? *Fortitudo maiorum noſtrorum.*

Audire magnos iam videor duces
Non indecoro puluere ſordidos: Horat. lib. 2. Ode 1.

egentes, anguſtiatos, afflictos, in ſolitudinibus errantes, in montibus, & ſpeluncis, & in cauernis terræ, quærentes vbique virtuti materiam, quam nos oblatam ſæpè repudiamus. Alij ſecuti Principum ſuorum caſtra pernoctant ſub Ioue frigido, hibernant cum militibus, in medias pugnantium acies ſeſe ingerunt, opemque morientibus allaturi omnia ſigna circumuolant: alij grauiora in mari pericula non reformidantes, Hebr. 11. *Labores noſtrorum varij.*

 iactan-

iactantur maris fluctibus & procellis, interque frequentes bellicorum tormentorum boatus & fulmina, vtriusque elementi tempestates experiuntur: alij, dum pestilens aliqua lues in oppidis grassatur, velut communis salutis victimæ, vitam pro miserorum solatio prodigunt, nec verentur ea tuguria subire, in quæ vix aliquis ingredi præter mortem & horrorem possit: alij apud heterodoxos publico abstinent, nec nisi nocturnis tenebris tecti domicilium permutant, vt Catholicis omni subsidio destitutis auxilio sint & solatio. Quid nunc eos commemorem, qui barbaras inter nationes, omni humanitatis commercio sunt destituti, vt D. Hieronymi verbis vtar, scorpionum tantùm socij & ferarum? Omitto ceteros laboribus exhaustos, calumniis oppressos, obtrectationibus laceratos. Non possum tamen eorum virtutes & gloriam tacitus præterire, qui de tyrannorum ac barbarorum cruciatibus inuicto animo triumpharunt. Atq; horum quidem fortissimorum pugilum, quàm non modò illustres victoriæ, sed ingens etiam est numerus & multitudo? Prorsus admirabile videri debet, & pænè incredibile, si quis ætatis nostræ, temporumque omnium rationem duxerit, quàm multos his ipsis centum annis Societas habuerit, qui mortem pro Deo fortiter oppetierunt. vt non minùs Sodalitium quoddam ἀποθνησκόντων, quàm illud olim Apostolorum, hominumque mortem potiùs quàm vitam anhelantium, Societas esse videatur. Nam

Multitudo Martyrum.

Qui gurges, aut quæ flumina lugubris
Ignara belli? quod mare barbaræ
Non decolorauêre cædes?
Quæ caret ora cruore nostro?

P. Antonius Criminalis primus.

Apud Comorinenses confoditur tribus vulneribus Antonius Criminalis, primus tot magnorum Ducum, illam palmam non minore fortitudine quàm felicitate, consecutus: hunc permulti alij terrâ marique magnis passibus & animis ad cruciatus mortemque secuti sunt. Ignatius Azebedus trigintanouem Sociorum Dux in Oceano, Petrus Correa in Brasiliâ, Gonsaluus Silueria in Monomotapâ, Ioannes Baptista Segura cum suis in Floridâ, Iacobus Sales in Galliâ, & in Salsetanis agris cum quinque suorum funeribus Rudolphus Aquauiua. Deus bone, qui viri! quâ dignitate, quo splendore nominis & generis! quâ commendatione famâque virtutum memoriæ sæculorum omnium consecrandi! Sed nusquam terrarum acriùs dimicatum est, quàm in Iaponiâ: quæ quidem mihi semper visa est theatrum quoddam in vltimis Orientis finibus ad spectandum orbi vniuerso erectum, in quo summa fortitudo nostrorum & constantia cum summâ feritate hostium palàm congrederetur: in hoc Paulus, Iacobus, Ioannes, tres fortissimi Heroës, in excelsâ cruce stantes, intrepidi transuerberandum latus carnifici obtulerunt: in hoc Carolus Spinola, post tetrum & calamitosum trium annorum carcerem, duabus horis perstitit inter flammas, ita lætus & alacer, ac si alter phœnix in nidulo suo moriens, iamiamque imminentem longè beatiorem vitam præsenti voluptate prælibaret.

Martyres varijs in locis,

præsertim in Iaponiâ.

Infinitus sim, si in hunc campum exspatiari voluero. Quidquid enim

enim tyrannorum furor ac rabies machinari potuit, quidquid carnificum manus inferre, hoc iamdudum totum in corpus nostrorum hominum videtur expromptum. Neque tamen vlla est pœna tam acerba & intolerabilis, quam illi non forti excelsoque animo susceperint; nullus equuleus tam durus & acerbus, in quo quidquam de eorum constantiâ decesserit; nulla mors tam diuturna, tamque omnium suppliciorum genere cumulata, quam non multò antè summè concupiuerint. O constantiam! ô fortitudinem admirabilem maiorum nostrorum! ô viros egregio animi robore non iam homines, sed leones! Illi, illi demum sunt animi, qui, quidquid amplificationi nominis Christiani obstabat, generosè repulerunt. Illi Angeli veloces, qui remotissima exterarum nationum Regna summâ celeritate & incredibili alacritate peragrarunt. Illi Argonautæ, qui plura maria nauigarunt, quàm alij nouerunt; qui, cùm vnius alicuius regionis angustiis contineri non possent, partiti inter se orbem, duce Xauerio in vltimas Orientis oras perruperunt: duce Anchietâ in Americam nouam Fidei lucem inuexerunt: ducibus Nuñez & Ouiedo desudarunt in magnis illis Africæ caloribus & arenis: duce Canisio in variis Germanici Imperij ciuitatibus & oppidis acerrimum cum hæreticis bellum susceperunt: illi duce Matthæo Riccio in maximum cultissimumque Regnum Sinarum omni ex parte terrâ marique obseptum penetrarunt: illi denique sunt Heroës, qui solis instar, toto terrarum orbe inter tot horrenda tristiaque perlustrato, eumdem semper vultum, imò & serenitatem, etiam in occasu suo tenuerunt. Maneat igitur, maiores nostros meritò leones dici, quorum tanta fuit in aggressione magnarum rerum fortitudo, tanta in perpessione constantia. Reliquum est, vt de præclarâ eorum eruditione & doctrinâ (nam hoc erat extremum, quod illâ apertione libri significari diximus) pauca dicamus. Ego enim sic existimo, non malè fortitudini cum sapientiâ conuenire; quamuis illa foris in sole ac puluere exerceatur, hæc intra domesticos parietes occupetur. fuit enim etiam ab antiquis Poëtis affitta præsidi sapientiæ Palladi ægis & hasta & galea: & ille ipse Romani Imperij primus moderator Cæsar, cùm non minùs eruditione & doctrinâ quàm fortitudine omnes Imperatores antecelleret, à suis statuam obtinuit, quæ alterâ manu gladium, alterâ calamum teneret, his verbis inscriptam: *Ex vtroque Cæsar.* Ego verò in hac causâ, quâ de nunc agimus, hac vtar moderatione dicendi, non vt eos hac quoque laude Cæsares esse dicam; sed vt neque omnibus antepossuisse, neque omnem illis laudem detraxisse videar. Itaque non commemorabo, quantâ ingenij felicitate, quantâque doctrinæ copiâ, quantâ denique nominis nostri gloriâ, duo sæculi sui lumina Suarez & Vasquez in ipsis diuinæ sapientiæ adytis versati sint: non dicam, quàm præclaram ad defensionem Fidei panopliam posteritati reliquerit Bellarminus: non ostendam, quantâ doctissimorum virorum commendatione Salmeron, Pererius, Lorinus, à Lapide, ceterique pænè innumeri, in euoluendis Sacris paginis versati sint: non Aluarum ac Rodericium Societatis nostræ Epictetos in medium adducam: prætermittam denique eos omnes, qui aut Mathematicis disciplinis aut cultioribus

Per totum orbem ostendit se industria & labor nostrorum.

Doctrina & sapientia nostrorum.

Doctrina & fortitudo benè conueniunt

Varij Societatis Scriptores.

tioribus Humanitatis litteris nomen suum posterorum memoriæ commendarunt. Illud breuissimè dicam, quod præcipuâ quadam ratione ad commendationem minimè vulgarem nostræ Societatis semper mihi visum est pertinere, quod à Sapiente Prouerbiorum nono capite dicitur: *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem. Misit ancillas suas vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis: Si quis est paruulus, veniat ad me.* Quid enim? an non liceat nobis aliquâ ratione domum illam, Sapientiæ domicilium nuncupare, cuius fronti æterna Dei Sapientia nomen suum quod in terris habebat, inscribere dignata est? Nunc si columnas requiras (absit verbo inuidia) iamdudum viri grauissimi, adeoque Romani Præsules, Societatem hanc ad fulciendam calamitosissimis hisce temporibus Dei Ecclesiam excitatam esse pronuntiarunt. Quænam autem in eâ columnæ reperiantur, æquis rerum æstimatoribus iudicandum relinquo, nequis modestiæ fines me transgressum esse criminetur. Hanc tamen laudem libenter Societati vindico, quòd filiis in omnem partem dimissis, hanc eius vocem plateas omnes & compita peruagatam summi infimique commendant: *Si quis est paruulus, veniat ad me.* Amplectantur ceteri quod cuilibet maximè arriserit: hoc Societatis esto elogium: *Si quis est paruulus, veniat ad me.* Hoc à suo IESV didicit, qui olim paruulos amantissimè complexus est. Hoc summi in illâ viri, tametsi rerum grauissimarum occupatione distenti, semper sibi velut proprium vsurparunt ac suum. Ignatium in primis communem Parentem intuemini. Vix ille in Generalem huius Familiæ Præpositum electus erat, cùm statim publicum catechizandi munus obiuit. Quid Lainium commemorem? Vix ille in grauissimo illo Christiani orbis theatro Tridenti congregato sententiam dixerat, cùm statim ad pueros Christianâ doctrinâ erudiendos se conuertit. Quid magnum Orientis lumen Xauerium referam? Nónne vir tantus, Legati Apostolici titulo ornatus, rudem ac promiscuam iuuentutem tintinnabulo per plateas congregauit? Quid multa? nónne quotquot in Societatis Collegiis supremum Præfecturæ munus gerunt, sepositis tantisper negotiis, ad pueriles curas se conuertunt? Imò vix vllum tanti ponderis tantique momenti negotium est, quod eos ab hoc munere nobis tam charo tamque impensè commendato eximat. Hæc igitur maiorum nostrorum prima fuit cura, teneras puerorum mentes optimis Christianæ vitæ præceptis instruere: hos promissis alebant, allectabant munusculis, extollebant laudibus: in omnem denique partem se versabant magna illa ingenia, vt illos à lacte nutricis ad integritatem vitæ morumque transferrent. Sed quid multis opus est? Satis iam librum euoluimus, & quid in commendationem Societatis contineat, exposuimus.

Societas domus Sapientiæ:

paruulos docet.

Quid restat, nisi vt CHRISTO bonorum omnium auctori lætum illud acroama cum cælesti cœtu cantemus, *Vicit leo.* Et quia Societatis caussa cum Dei causâ coniuncta est, addamus & illud, *Vicisti Societas.* Multis quidem hoc sæculo calumniis impetita es, multis tyrannorum ac barbarorum exagitata tormentis, multis cum Ecclesiæ perduellibus certaminibus exercita. Sed vicisti vitæ innocentiâ maleuolorum calumnias: vicisti inconcussâ fortitudine tyrannorum tormenta: vicisti


soli-

ſoliditate doctrinæ, rectâque puerorum institutione, heterodoxorum Eccleſiæ perduellium ſophiſmata. Viciſti igitur, viciſti: nec iam victoriæ tuæ anguſtis finibus continentur; iiſdem, quibus ſol regionibus, ſpectantur & audiuntur. Gaude iſto tuo tam fortunato hactenus ſucceſſu, lætare præteritæ ætatis memoriâ, paſce & oblecta animum tuum conſideratione factorum tuorum: ſed ita interim te oblecta, vt non tam de præſenti ſtatu exultare gaudiis, quàm de futuri temporis gloriâ ſolicita & ſuſpenſa eſſe videare. Proſpero quidem flatu cæleſtis auræ ad optatos exitus prouecta es, eaque molitione magnarum rerum, labore & induſtriâ es aſſecuta, quibus maiora & ampliora ſperari vix poſſunt. Sed tamen ille tam felix ſtatus tuus, omnique ex parte (vt videtur) munitus, neſcio quid adhuc ſolicitudinis habet & metus. magna adhuc hæreticorum vis eſt: quorum conatibus etſi perſæpè fortiter reſtitiſti; tamen de illis ita triumphaſti, vt, tamquam informes Hydræ, diminuti potiùs quàm extincti, repreſſi quàm victi, noua capita & vires acciperent. Quid, quòd maleuolorum atrox inuidia omnem occaſionem venatur, quâ tutò in nos poſſit venenatum aliquod telum contorquere? Nihil dico iam de tempeſtatibus illis ac procellis, quæ extra Europam in vaſtiſſimâ vtriuſque Indiæ barbarie noſtris imminent: omnia vos ſolicitos habere debent, omnia vos admonent, non eſſe cuiquam de maiorum veſtrorum virtute, curâ, ſtudio, labore deflectendum. Quare agite, confirmate animos veſtros, expellite ignauos timores, exſecramini otium; &, vt relictum vobis ſplendorem Ordinis veſtri conſeruetis, omni animi contentione laborate. Non eſt enim (mihi credite) non eſt quòd rem tantam, tam arduam atque excelſam, & cum plurimorum ſalute coniunctam, mediocribus animis peragi poſſe arbitremini. ſtrenuis viris profectò, generoſis athletis, fortiſſimis Heroibus opus eſt: tales vos eſſe cupit Eccleſia, cuius acerrimos defenſores maiores noſtri ſe præſtiterunt: tales vos deſiderant omnes hominum ætates & ordines: quibus etſi plurimum vtilitatis & emolumenti attuleritis; tamen noua quotidie ornamenta pietatis & ſubſidia ſalutis à vobis requirunt. tales poſtulat orbis vniuerſus, aliquid à vobis lucis in his tempeſtatibus cæcisque nubibus ac procellis exſpectans: tales denique vos exoptat Societas. Quæ cùm ſit generoſa mater, filios non patitur eſſe degeneres. hæc vnumquemque veſtrûm his verbis compellare mihi videtur: Videtis quantæ à maioribus noſtris vbique terrarum res excitatæ ſint, quantum pondus gloriæ virtute noſtrâ ferre & ſuſtinere debeamus: cernuntur in omnibus mundi oris ſigna nominis noſtri, rerumque præclarè geſtarum. non poteſt, mihi credite, non poteſt tanta gloria diu firma conſiſtere ſine veſtrâ induſtriâ: in veſtris humeris nititur, veſtrâ virtute continetur, ex vobis pendet vniuerſa: fieri non poteſt, quin, ſi aliquanto remiſſiores eſſe cœperitis, omnis nominis noſtri ſplendor extinguatur. Cauete igitur, per Deum immortalem, ne qua labes nomini veſtro inuratur: nolite permittere, vt in quo ordine iam tot nobiles omnium virtutum palmæ obtentæ ſunt, aliqua per vos diminutio priſtini vigoris irrepat; & vbi non minùs ſudoribus quàm cibo & potu vitam duximus, ibi quiſquam aliquid magnum aggredi propter difficultates laboresque reformidet.

EXERCITATIO POETICA.

IDYLLION.

S. Ignatius, & primus eius Socius Petrus Faber, ſub perſonâ Daphnidis & Lycidæ, inter Dei laudes ac pia documenta, varios animi ſui ſenſus exprimunt. Faber ad mortem ex amore adſpirat; Ignatius ex eodem viuere non recuſat. *Ribadeneira in Vitâ.*



Eſtus erat, radiiſque Italos feruentibus agros
Findebat Titan, Tiberis Romana per arua
Exiguo tepidos voluebat gurgite fluctus.
Quà tamen arcebat ſolem, ripamque tegebat
Denſa comis laurus, Lycidas & Daphnis in vnum
Conuenere, ambo flammâ maiore calentes.
Hîc, labentis aquæ queis pronas ſiſteret vndas,
Queis traheret ſiluas, modulari carmina Daphnis;
Et prior in laudes cœpit ſic Numinis ire,
Sic cœpit Daphnis: Lycidas ſic deinde ſecutus.
D. *Ludere ſi calamis, ſi carmina dicere curæ,*
Prima Deo dicenda: Dei ſtant omnia nutu.
Ille regit terras, cæli regit ille patentis
Atria, cumque ſuo magalia ruſtica cælo.
L. *Ille ſator rerum, & vitæ quam ducimus auctor:*
Auctori vitæ ſua laus, ſua ſemper apud me
Carmina erunt: vos hæc memores ediſcite lauri,
Tuque, pater Tiberine, cauis euolue ſub antris.
D. *Aſpicis, vt ſegetes agros, vt gramina campos*
Læta tegant, lætæ tumeant in collibus vuæ?
Omnia ſunt illius opus: ſi deneget ille,
Nec ſegetes veniant agris, nec gramina campis.
L. *Aſpicis, vt torrens modò terris incubet æſtas,*
Aëris vt vitio pecudes moriantur & herbæ?
Omnia ſunt illius opus: tantùm velit ille,
Iam venient pluuiæ, iam vincent flumina ripas.
D. *Triſte gregi ſcabies, demeſſis imber ariſtis,*
Florenti ceraſo nebulæ; iuuenilibus annis
Inſaniſſe mihi. Felix cui criminis expers
Ætas prima fuit, nec turpibus ignibus arſit.
L. *Dulce apibus flores, ver floribus, aura Fauonî*
Purpureo veri; tecum mihi viuere Daphni.
Tu mihi dicebas, primùm te noſcere cœpi,
Numen ames Lycida: quis enim tam dignus amari?
D. *Iam propè me perfecta virum firmauerat ætas,*

Cùm mihi nil gratum, nisi quod me perderet, esset.
Eheu! quid volui demens? compescere vento
Esuriem, salsisque sitim restinguere lymphis.
L. *At mihi vixdum etiam malas lanugo tegebat,*
Sequana cùm fausto iungi nos omine vidit:
Tempore ab hoc sic ille meo sub pectore creuit
Ardor, vt æstiui maturâ luce calores.
D. *Qui foditis terram, qui vomere finditis agros,*
Robusti iuuenes, quandò fera buccina signum
Ediderit, quamuis armis fulgere decorum est,
Parcite castra sequi, pietas vix cognita castris.
L. *Qui tutum gregibus pastum, laticesque salubres*
Quæritis, in celsos pueri ne ducite montes.
Montibus ipse lupos stabulari, montibus ægrum
Ire pecus vidi, pecudumque iacere magistros.

Alpes, vbi natus Faber, tum hæresi infectæ.

D. *Eheu! quàm pingui taurus macilentus in aruo!*
Vbera quàm referunt Corydoni sicca iuuencæ!
Impius est Corydon, nec munera ferre sacellis,
Nec curat dare vota Deo; Deus illa rependit.
L. *Ægoni salui ludunt cùm matribus hœdi,*
Lac sub solstitium, lac frigore suppetit illi:
Pars premitur, teneris pars fetibus altera cedit.
Prima Dei cura Ægoni; Deus illa rependit.
D. *Formosum terris ver est, cùm ruris honores,*
Cùm nitidi redeunt soles; autumnus & vuis,
Pleiadis ante ortum, & pomis formosus; at horum
Si auctorem spectes, nihil est quòd munera laudes.
L. *Pulchra nitet cæli facies, seu nocte fugatâ*
Aurora in roseis effert se lutea bigis,
Sidera seu rutilans vesper succendit; at horum
Si Dominum spectes, iam cælum & sidera sordent.
D. *Omnia sol lustrat, quouis diffunditur aër.*
At quò nec penetrat sol, nec diffunditur aër;
Intimus hîc Deus est. frustrà fugit, & sua sperat
Improbus in cæcis abscondere crimina siluis.
L. *Disposuit certis suus omnia sedibus auctor.*
Flumina amant pisces, siluas animalia, cælo
Gens hominum nata est. frustrà sibi conserit hortos,
Frustrà aliquis longos multâ prece postulat annos.
D. *Hei mihi, quàm breuis est quæ nobis ducitur ætas!*
Vt fugit! vt ritu numquam reuocabilis vndæ
Labitur! ô miseri! tam paucos fata dedére,
Et tamen è paucis multos amittimus annos.
L. *Quid tum si breuis est? lux vna absumit amantes:*
Non ita per campos radiis solaribus vsti
Deficiunt flores, neque sic vbi noxius humor
Incidit, exesæ pereunt rubigine messes.

Vvvv 2 D. *Et*

D. *Et quisquam, ô Lycida, consumi nolit amando?*
Mors ea non mors est, vitæ est melioris origo:
Sic iterum flores videas cum vere renasci,
Sic putre in grauidas excrescere semen aristas.
L. *Tityre, quid clausi balant in ouilibus agni?*
Absunt iam nimiùm matres. absentibus agni
Matribus vt mœrent, vt matres, Tityre, quærunt;
Sic absente Deo nihil est quòd viuere curem.
D. *Thyrsi, quid est festâ quòd tempora fronde coloni*
Vincta gerant, agitentque choros? spem fertilis anni
Verni imbres fecere: iuuat spes illa colonos;
Spes me, Thyrsi, Dei (nec erit mora longa) videndi.
L. *Nulla mihi non longa mora est. quàm lenta feruntur*
Sidera! quàm tardos Titan agit æthere currus!
Sidera, vosque precor solis properate iugales;
Iam mihi lux toto quæuis est longior anno.
D. *Nec pisces saturantur aquis, nec rore cicadæ,*
Nec volucres cantu, nec apes florente salicto;
Nec mihi sufficiunt quibus intus amoribus vror.
O amor, ô nostras violentiùs vre medullas.
L. *Nec teneræ ventos coryli, nec frigora myrti,*
Grandinibus mixtos nec vinea sustinet imbres;
Nec mihi fert tantos animus, quibus æstuat, ignes.
O amor, ô nostras moderatiùs vre medullas.
D. *Solus amans nouit, quo fructu protrahat annos.*
An segetes æstas, autumnus vina daturus
An sit, in incerto est: fallunt sua sæpè colonos,
Pastores sua vota; Deus non fallit amantes.
L. *Solus amans nouit, quo claudat funere vitam.*
Res amor est violenta, mori nos denique coget.
Atque vtinam cogat! crescet post fata, nec illum
Finiet extremum, quod finit cetera, letum.
Sic ambo cecinere, gregi dum cedere ripam
Poturo monuit, cantumque abrupit Amyntas.

ODE

ODE PROPEMPTICA

DE BRACHIO S. FRANCISCI XAVERII EX INDIA ROMAM ADVECTO.

O Nauis, orto quæ celeres inis
Cum sole cursus, depositum tibi
Quàm grande committunt secuti
Solicitis tua vela votis
IESV *Sodales! non tibi nauticum*
Cupido funem sordidus abscidit,
Non vela pandit; non auaro
Diuitias Arabumque gazas
Debes profundo: sanctior impulit
Te cura nostris linquere littora
Diuulsa terris, & remotos
Hesperiæ penetrare portus.
I rumpe fluctus, labere naufragi
Secura ponti. Nereïdum chorus
Per Afra deducat volantem
Saxa, Paratoniasque Syrtes.
Cursu peracto, tu superis eris
Locanda Regnis (hoc pretium viæ)
Et inter vndosos tumultus
Vela reges, trepidamque pinum.
Fauete venti: tuque frementibus
Motum procellis qui mare temperas,
Minasque ventorum, & furentes
Imperio moderaris vndas,
Compesce fluctus; & tibi creditam
Serua carinam, dum pater alueo
Admittat exceptam benigno
Ausoniis Tiberinus oris.
Non illa Regem Regum Agamemnona,
Non Argonautas vellere nobiles,
Raptasque nequidquam fremente
Colchidos exuuias dracone,
Domum reducit. vellere clarius
Et maius Argo depositum vehit,
Xaueriana digna cælo
Pignora relliquiasque dextræ.
Hæc illa dextra est, addita tot sibi
Non antè visarum agmina gentium
Quâ plaudit æther; cui Sinarum
Primitias Iaponumque debet:
Cui trux Auernus plus vice simplici,
Et ipsa summo perfida Numini

Diuasque detestata leges
Impietas, superata cessit:
Hæc est tot olim in bella ruentium
Quæ barbarorum perculit agmina,
Vertitque in auctores paratas
Gentibus innocuis ruinas:
Quæ præstituti lege potentior
Fati, sepulcris fœtida de suis
Cadauera in vitam reduxit,
Et gelidos animauit artus.
Sed quod minaci turbine concitum
Perstringit aures murmur? inhorruit
Pontus procellis, atque aquarum
Mille voluminibus carinam
Haurire fluctus non sine prælio
Luctantur. atro concita turbine,
Quantâ laborat in Charybdi
Digna ratis meliore cursu!
Proferte sacræ pignora dexteræ,
Pij Sodales: hæc rabiem & minas
Furentis exarmabit Euri,
Hæc pelagus, pelagique motas
Compescet vndas. Fallor, an ætheris
Caliginosi sidera diuidunt
Amica nubes? an serenùm
Haud dubiis micuere signis?
Audimur. altum dextra silentium
Imponit vndis; vim solitam æquora
Experta spirauere pacem, &
Imperio potiore supplex
Nereus repressis detumuit minis:
Fluctus residunt. Pergite, nauitæ,
Et nube detersâ, secundis
Vela alacres, data vela ventis.
Benè est. Olympo tecta minantia,
Turresque iam nunc adspicio procul,
Portumque, Tarpeiosque colles
Septuplici micuisse cliuo.
Vtcumque faustos excipiat sinu
Vtroque ventos; præcipitem ratem
Iam fama pennarum citato
Remigio, volucrique curru
Præuertit. En vt gloria candidis
Inuecta bigis per Capitolium,
Vicina cessantes Quirites
Ausoniis monet esse terris,
Commissa ponto pignora, pignora
Seruanda cælo, tot Latio diu

Peti-

Petita votis. Quis frementum
Lætitiâ insolitoque plausu
Dignè Quiritûm gaudia dixerit?
Vidi Latinas, vidi ego Tibridis
Latè superfusas cateruas
Littore; cùm simul omnis, Iô,
Crepat sonoro ripa celeusmate,
Iö, bis ïo, ter resonabilis
Responsat Echo: muta gaudent
Saxa datos iterare plausus.
Hic vela strictis nectere supparis,
Lauro ille clauum cingere; pars amat
Velare remos, pars corollis
Incolumem redimire pinum.
Quin purpurato murice fulgidi
Litanda templis vota ferunt Patres,
Dextramque, sacratisque certant
Relliquias cumulare donis.
Quò, Musa, tendis, omnia peruicax
Tentare? non hæc tam tenui lyrâ
Cantanda; non rudi Camœnæ
Conueniunt, humilique plectro.

MORS S. IGNATII.

ELEGIA PRIMA.

DIus Amor, quem nulla quies vel cura quietis
Aut tenet, aut certè sera tenere solet,
Vt multam in noctem pharetrâ grauis iuit & arcu,
Et iaculis sparsit vulnera grata suis;
Fessus oberrato tandem stetit orbe viator,
Quà Tibris herbosis errat amœnus agris.
Delius albentes tum fortè coquebat aristas,
Vltimaque autumni mella legebat apis.
Gramineum struit ergo torum Tiberinide ripâ:
Herba soporifero sponte fit apta toro.
Seque attollit humo, densoque insurgit aceruo:
Ipsa comis pueri subdita ridet humus.
Hîc simul incubuit, geminas sibi complicat alas,
Et caput auersis fulcit amor manibus:
Supponitque humero pondus sibi dulce pharetræ:
Implicitus teneris arcus erat pedibus;
Quem vel ebur credas, niueo vel rore pruinam.
Non erat: hic arcus cum niue vincit ebur.
Languidulos tandem sopor imbuit vdus ocellos,
Victa papavereâ lumina nube latent.

Intereà

Intereà dulces Eos quos depluit imbres,
Dum legit è liquidis turba susurra crocis,
Auricomísve thymis, violísve insidit odoris,
Iamque refert grauido mellea dona pede;
Ecce tibi deprendit apis, gens casta, pharetram,
Quæ temerè in viridi strata iacebat humo:
Dumque cauas subrepit iens per tela latebras,
Aluear in pharetrâ credidit esse suum.
Hîc latet, hîc puro liquidum mel exprimit imbri,
Imbuit hîc gratis aurea tela fauis.
Nec mora, nectareos mox tela bibêre liquores:
Si qua ferent posthac vulnera, blanda ferent.
Vna nihil merito sua spicula fixit amori,
Deuia quæ pharetrâ forsan aberrat apis.
Sensit, vti tener est puer, & sine veste, dolorem,
Et simul è viridi subsilit ille toro;
Quid moliris apis, tua cùm mihi spicula figis?
Nulla nocent nobis vulnera, dixit Amor.


ELEGIA SECVNDA.

IAm vigil Æneadum turres suspexerat altas,
Iam satis in tenero flore quierat Amor;
Ecce procul radius volucri sublustris in auro
Promicat, angusto quà lare rima patet.
Quis iubar hoc viuâ neget effulsisse lucernâ?
Ignis hic Ignatî, cor cui flagrat, erat:
Languida supremas vbi lumina claudit in vmbras,
Lumina sidereâ fulgere digna domo.
Vulnus enim penitis sedet immedicabile venis,
Sæpè quod immissâ cuspide fixit amor.
Victor at hic iterumque iterumque vt vincere posset,
Seligit arma nouis experienda modis.
Illa quidem absinthî funestis tingere succis
Mors voluit, sæuos mors meditata dolos:
Iamque aloën calamis myrrhamque parabat amaram,
Furtiuo adrepens insidiosa gradu.
Sed vetuit, cui tela humeros resonante pharetrâ
Increpitant: furuas depulit inde manus:
Spiculaque ingratis ne quis linat improbus herbis,
Iam cupit Hyblæis esse peruncta fauis.
Eueniet quod amauit apis: dedit omina votis
Certa piis, casto spicula melle fluent.
Spicula promit Amor pharetrâ: sed melle tenaci
Sensit vbi hærentes leniter articulos,
Scilicet obstupuit (quis enim dixisset amantem
Floris apem tali mellificasse loco?)

Dum tacitos pharetrâ egrediens Apis vna labores
Prodidit. Ingenium dulce probauit Amor.
Et ſimul adducens ſinuato cornua neruo,
Impoſuit geminâ tela regenda manu.
Illa volant. fixum Ignatî ſtat arundine pectus:
Ardet, & vda ſacro mella ſub igne bibit.
Iam moritur. Bona mors! non mors, ſed mortis imago;
Quâ moriens, vitæ gaudia blanda tulit.
Quàm placidi gemitus! ſuſpiriaque orba querelis!
Quæ lacrymæ! quales ima per oſſa faces!
O quibus illecebris perfuſæ hinc inde medullæ!
Qualia tum cordis vota micantis erant!
Qualis odor, labiis dum vita nataret anhelis,
Roſcida ſeu patulis cùm ſalit aura roſis!
Quis mihi, quis fato dabit vt perfungar eodem!
Cùm mors melle linit ſpicula, dulce mori eſt.



S. Ignatius saxi fragmine percussus ignem diuini amoris concipit.



Percussus concipit ignes.

SI liceat (Vati licet omnia scire) rogabo,
Blande puer; verbis pauca docenda tuis.
Audiit; en placidè conuertit lumina, qualis
Manè leuat croceo Lucifer è thalamo
Purpureos vultus. ô Numen amabile terris,
Quid malè inassuetos deteris articulos?
Quid tua conflictu solertia suscitat ignes?
Exiguum est silicis quod dare vena potest.
Cùm libet, excusso misces incendia telo:
Cùm libet, extremis ossibus ardet amor.
Ah! caue, dum tenuis quæruntur semina flammæ,
Ne digitis ferrum, ne noceatque lapis.
Sic ego. Risit Amor, Vatemque affatus amicum,
Disce mei quæ sit caussa laboris, ait.
Dura silex, & durus homo est; tamen abdita duris
Flamma latet, latebris elicienda suis.
Nec mora, cùm volui, venis excuditur ignis:
Nemo adeò, vt rigeat, saxeus esse potest.
Loiolides titulos & puluerulenta secutus
Præmia militiæ, durus & asper erat.
Læsimus (ô quantum fati pendebat ab isto
Vulnere, quo melior nulla medela fuit!)
Protinus ille meos concepit saucius ignes:
Et quis non illo fulsit ab igne locus?

Igna-

Ignatij crebra & per multos dies continuata ieiunia.



Exiguo viuit, quia proxima cælo.

VT reparet vires, prædam Iouis armiger vngue
Diripit, & tepido rostra cruore notat.
I licet, & tuus est quaquà patet arduus æther:
Ætheris in campis pascere: tuta via est.
Ecce recens sudat madidis Aurora capillis,
Et fauet & pennas euocat aura tuas.
J procul, & tenuem magis ac magis aëra carpe:
I, matutinas combibe delicias.
Exiguum stillæ satis est, & simplicis auræ:
Stilla sitim tollet, tollet & aura famem.
Dum loquor, illa solum fugiens Ioue pascitur vdo:
Sed tamen arguto quod capit ore, parum est.
Non tibi Loiolidæ tenuis se conferat ales,
Dum nihil in terris, quo satieris, habes.
Septimus Eois iam sol caput exserit vndis,
Cùm tibi non vllus venit in ora cibus.
Scilicet æthereo pendes sublimis olympo,
Et Superûm latices ambrosiamque bibis.
Viuitur exiguo, quoties mens proxima cælo est:
Quid petat è terræ puluere plena Deo?

 Nobilis

Nobilis quidam, qui, niſi Ignatius vſtulari mereretur, ſeſe igni deuouet, eodem die igne perit.



Malè luditur igne.

QValis miſſus ab Indiis
Humani docilis ſimius ingeni,
Dum ludit procul arbitris
Accenſóque ſalit fomite, Martio
Si fors ſubdita pulueri
Ætnæis tonuit flamma fragoribus;
Ille turbine protinus
Commiſtus piceo, fertur in æthera:
Talis ludere, Telephe,
Audes igne ſacro, dum malè deuoues
Flammis innocuum caput;
Et dignus niſi ſit, ipſe voracibus
Conſumi petis ignibus.
Audiris facili, Telephe, Numini:
Audiris, neque roſcidis
Noctem vectus equis Heſperus inuehet,
Quin votis Deus annuat,
Et te vindicibus torreat ignibus,
Mutans ſeria ludicris,
Et riſu gemitus, & lacrymis iocos.

Ignatius

Ignatius P. Fabrum adhibet ad conuersionem Xauerij.



Solus non sufficit ignis.

ARte opus Ignati : solus non sufficit ignis:
Arte opus est : flectes arte, quod igne nequis.
Vidi ego, cælatum clypei cùm fingeret orbem,
Non solò ferrum molliit igne faber.
Non labor vnus erat : pars vrget follibus auras,
Mersaque stridenti temperat æra lacu;
Pars massam exercet, pars altera forcipe versat;
Hæc duris aptat cotibus, illa terit.
Manabat plenis sudor per corpora riuis:
Vsque adeò multâ flectitur arte chalybs.
Æstuat, & valido flagrat Xauerius igne;
Formari solo non tamen igne valet.
Verùm vbi solertis Fabri manus addita, sese
In partem duci quamlibet arte sinit.
Adspice vt immissos exercet spiritus ignes,
Totaque flammato massa recocta foco est.
Ardentes animos (animus stridoribus ardens
Proditur) iniectæ temperat imber aquæ.
Quem gemitum referunt auditi incudibus ictus?
Quâ non exhaustus sedulitate labor?
Mille operum Faber est : nec respirare potestas.
Tantæ Xauerium fingere molis erat.

Ignatius è cathedrâ diuini amoris igne concionem inflammat.




— Cælestibus armis
Eminus expugnat. —

Bella Syracosiis affuderat horrida portis
Mauors, Sicanum classe Neptunum premens:
Vndique mortis erat pauor: hinc hostilia tela,
Et inde dira fortius telum fames:
Obsessis spes nulla super, solatia donec
Summa Archimedes orbe speculari attulit.
Nempe leues radios dispersáque lumina cogens,
Hostemque classemque igneo inuoluit globo.
Prisca fides. Nostri sed non est fabula sæcli
Ignatius igne corda cælesti occupans.
Cernis? vt ore tonet, vt vibret fulmina linguâ,
Totoque vultu flammeas spiret faces.
Eminus è sacris expugnat pectora rostris,
Quæ prona ad omne vela pandebant nefas.
O benè! Vincit amor, sacro flagrat igne, timeri
Quæ turba cælo potuit, & potuit solo.
Vicit amor! Victor (mirum) victique triumphant:
Arsisse corda, vincere & vinci fuit.
At vos ô flammis rutilum genus, ite, dearum
Induite formas, lucidisque siderum
Permistæ choreis, similes Tritonidos Argus,
Monstrate tutam ratibus incertis viam.

Sicut naues Æneæ in deas mutatæ.

Ignatius

Ignatius feruenter orans à terrà eleuatur.



Surſum rapit ignis.

QVid toties volucres Perſei per ſidera curſus,
Bellerophontæum quid celebratis equum?
Quid canitis paribus, fato licet impare, pennis
Cum patre æthereas Icaron iſſe vias?
Credula gens Vatum, fallique & fallere gaudens,
Non iter hoc homini, quo petat aſtra, datur.
Diſcite quæ proſint terras fugientibus artes:
Quà Loiola præit, non operoſa via eſt.
Cernitis, accenſæ tendant vt in æthera flammæ,
Et ſubeant celeri per ſpatia alta fugâ?
Hæret iners terræ puluis priùs; at ſimul ignem
Concipit, ignauam linquere geſtit humum:
Sic mens ad ſuperas euadere nititur auras;
Nititur, at tardo pondere preſſa iacet.
Verùm vbi diuinos de cælo concipit ignes,
Seminaque in claras emicuere faces;
Nulla mora eſt, ſequitur, cognataque ſidera lambit:
Interdum & corpus, quò volat ipſa, rapit.
Tantaque vis flammæ eſt, clauſo diſrumpitur æſtu.
O nimiùm felix ſors in amore mori!

Som-

Somnium Xauerij de ſubſidio Indis ferendo.



Credimus? an qui amant ipſi ſibi ſomnia fingunt?

CRedimus? an qui amant ipſi ſibi ſomnia fingunt?
Credamus: faciunt ſomnia vera fidem.
Ardebat nigros Franciſcus viſere Mauros:
Qualia de Mauris ſomnia finxit amor!
Sæpè per ardentes diſcurrere viſus arenas,
Sæpè rubis plantas vrere, ſæpè niue.
Nunc audita queri, nunc ſpondâ viſa ſedere
India, ſquallenti ſanguinolenta comâ.
Interdum niueos illic inducere mores,
Interdum ſacrâ tingere corpus aquâ.
Sæpè etiam inflexâ Maurum ceruice ſubibat:
Paruaque ceruici ſarcina Maurus erat.
Quid Franciſcus amet, Franciſci conſule noctem;
Fallere te, quamuis fallere docta, negat.
Non illas Morpheus, non illas Phantaſus vmbras
Obtulit: hæc vates ſomnia miſit Amor.
Hinc niger Auroræ populus, multuſque recurſat
Maurus, & in curſus barbara Regna patent.
Has amat, has quærit merces: hæc ſarcina feſſo
Gratior eſt gazis, Indica terra, tuis.

Xaue-

Xauerius, orbe peragrato, moritur in littore Chinarum.



Tum te terra teget, cùm totum impleueris orbem.

Cingite fronde caput: Xauerius orbe laboris
Deficit impleto: cingite fronde caput.
Amplius ille nihil potuit ſuperaddere cœptis:
Tota peragrata eſt India, iam ſatis eſt.
Chinæ, Goa, Iapon, Ternata, Moluca, tot vrbes,
Quæ toties initæ cauſſa fuêre viæ;
Totque aliæ gentes, tot primo ſubdita Phœbo
Littora, ſudoris plus habuêre ſatis.
Ergo vel extremam cùm nil ſupereſſet ad Eon;
Ipſis terrarum finibus immoritur.
Immoritur votis ingentibus, orbe repleto:
Cynthia ſic etiam plena perire ſolet.
Cynthia terrarum, cæli Franciſcus ab vmbrâ
Palluit: exanimis vultus, amantis erat.
Obruitur tenebris & furuâ Cynthia nube:
Franciſcus radiis obruit aſtra ſuis.
Non iubar hoc magicæ carmen tenuauerit artis:
Nil opus ad numeros æra repulſa ſonent:
Perſtat, & integros vbi vita reliquerit artus,
Maius ab extincto corpore lumen erit.

B. Franciſcus Borgia ſtemma ſuum virtute nobilitat.



O, nihil: at numeros ſic facit innumeros.

CVi ſceptrum, cui proſit ebur, cui ſanguinis auctor,
Gloriaque à magnis vera petatur auis,
Noſtra tabella docet. Priſcæ cunabula gentis
Luſtret, & ex ortu ducat vtroque Iouem;
Nobilitas nihil eſt. Armis victricibus hoſtem
Terreat, & ſceptro Regna ſubacta ſuo;
Ah nihil eſt. Nihil eſt titulis clarere ſuperbis:
Nec ſi terrarum margine claudat opes.
Vt tamen vna ſuum numeris dat littera pondus,
Sic pretium virtus omnibus vna facit.
Lombaiæ turres, & magnum Gandia nomen,
Spretaque Franciſco purpura teſtis erit.
Progeniem longo deductis ordine ceris
Enumera: titulis par erit illa ſuis.
Prima tamen ſtirpis laus eſt Franciſcus: ab ipſo
Nobilitas verum ſumpſit auita decus.
Quid modò digeſtis tabulis comprendere laudes
Incipiam? numero copia maior erit.
Nil ceræ veteres; at ceris addita virtus
Ex nihilo numeros condidit innumeros.

In

In imaginem B. Aloysij, cuius pedibus adiacet corona Marchionatus euersa.



Rectè de gloriâ iudicat, qui eam ex alto despicit.

QVid iuuat Oebalio Regum procedere cultu,
Et noua sub titulos cogere Regna suos?
Cui non auriferis Hermus celebratus arenis?
Nec tamen hoc felix nomine Crœsus erat.
Et Priamus quondam Regnis opulentus auitis;
Vna tamen tantas nox tumulauit opes.
Quid, quòd Alexander domito tandem orbe subactus,
Mentitum didicit non superesse patrem?
Decipit Imperij fulgor simulatus, & aurum
Fallit, nescio quo lumina victa modo.
Decipiunt oculos gemmarum luce coronæ:
Ex alto pronas despice, tutus eris.
Sic vtinam fasces spectasset Iulius! & tu
Qui proprio, Antoni, turpiter ense iaces!
Impia non medio flagrassent bella Senatu,
Nec gemeret versos Roma sepulta lares.
Scilicet insano stimulos sub pectore versat,
Et famæ nimis est imperiosa sitis.
Proteris euersas melius, Gonzaga, coronas:
Sic Regum titulis altior ire potes.

B. Stanislaus pridie Virginis Assumptæ moritur.



Vt assumar.

Fortè leues vacuo quassabat in aëre pennas
Ad solium magni præpes itura Iouis.
Viderat hanc viridi speculatus regulus vlmo,
Et simul æthereas arsit inire vias.
Sæpè fatigatum vidi requiescere, sæpè
Nitentem pennâ deficiente queri.
Quid faciat? vacuâ gemeret cùm solus in vmbrâ,
Hei mihi! quàm visu pulcher olympus, ait:
Scilicet excelsâ nihil est formosius æthrâ:
Non tamen est pennis hæc subeunda meis.
Tollite me saltem Zephyri, me tollite nimbi:
Remigio adspirans proderit aura meo.
Dixerat hæc, sibi vel potuit dixisse videri,
Aëre cùm vacuo fulua pependit auis.
His, ait, his etiam cælum tentabimus alis,
Et tergo admissum sustulit illa suo.
Ecce etiam ad Superos rapitur pulcherrima Virgo,
Quam circum aligeri concinuere chori.
Mater, ïo, magni cælum conscende Tonantis:
Sed puer est, Dominæ qui velit ire comes.
Da veniam: per te superas euadat ad arces:
Te colit, & puer est, nec graue pondus erit.

Marty-


Martyres Societatis IESV.



Cæſa triumphat.

LAurus ô magnis celebrata Diuis,
Laurus ô vatum decus & voluptas,
Digna tu Regum redimire crines,
Digna Deorum!
O quis hinc tandem referet coronas,
Cælitum textas manibus, comiſque
Cælitum dignas! age, cui paratur
Nobile ſertum?
Dic puer cuius petitur triumpho?
Ille par vobis humiles relinquet
Celſior terras, hominesque ſupra
Sidera viſet.
Sanguinis ſi quos animæque magnæ
Prodigos hauſit ſceleratus enſis,
His triumphalem proprioque ſparſam
Sanguine laurum,
His & auguſtam Superûm Senatus
Deſtinat pompam, niueosque currus.
Dixit, & victrix acies IESV
Fulgida ſignis
Emicat campo, meritiſque vincta
Frondibus celſo parat ire olympo,
Et canit magnâ ſimul omnis ïo
Voce triumphe.

Martyres vaſa Dei electa, quibus Iaponia triumphat.



Hæc ſigna triumphi.

ADſpicis impoſitis nuper coëuntia flammis,
Nunc iterum flammis vaſa perire ſuis.
Sic quoque quam caſtris pietas adſcripſit IESV,
Obiicitur ſanctæ turba cremanda pyræ.
Quis dolor hæc, quis ſigna furor feralia ſtruxit?
Barbara quæ tantos edidit ira rogos?
An pia gens iterum tædis lucebit in illis,
Quæ fulſere tuis, Roma cruenta, viis?
Non hæc, barbaries ludos imitata Neronum,
Flamma tua eſt: quamuis hæc quoque flamma tua eſt.
Scilicet hæc ſacris olim deuota triumphis
Agmina ad Auroræ littora miſit Amor,
Et totidem ſoles mundo dedit. O quis euntem
Me ferat in campos barbara terra tuos,
Vaſa triumphales vbi ſpargunt ignea flammas,
Viſaque ſunt radiis eſſe decora ſuis!
Inde Fides pulſis collucet pura tenebris,
Aſtraque ſunt medio mille videnda die.
Iungere Phœbus equos fruſtrà velocibus horis
Imperet: hæc alium lux dedit orta diem.

P. Ca

P. Carolus Spinola lento igne comburitur.




Dulce & decorum est.

OMnia qui vincit, victus calcabitur ignis?
Discet & effrenis frena subire rogus?
Iam didicit. Victo salamandra potentior igni
Nequidquam ardentes excipit ore faces.
Scilicet indomiti non semper vincitis ignes:
Est etiam quæ vos vita domare potest.
Languida vis flammæ est, animos si flamma ministrat,
Maior ab interno si venit igne vigor.
Eustachius tauro frustrà conclusus aheno
Viuit, & à flammis ne moriatur habet.
Languida Laurentî periisset laurea, ab ipsis
Nî foret hæc illi laurea nata rogis.
Theclam quis nosset, nisi Theclam proderet ignis?
Luce suâ maius Lucia nomen habet.
Quid memorem Heroës alios, quibus vna voluptas
Fortiter ardentem sustinuisse pyram?
Ardet, & in rutilis florescit Spinola flammis,
Multaque ceu dulci vernat ab imbre rosa.
Sanguineusque rosis color est; atque inde decorum
Ignibus in mediis viuere, dulce mori.

IMA-

IMAGO PRIMI SÆCVLI SOCIETATIS IESV.



LIBER SEXTVS.

SOCIETAS FLANDRO-BELGICA.

CAPVT PRIMVM.

De Societatis in Belgium admißione.



CAROLO Cæſare Belgarum Principe, Mariâ Hungariæ Reginâ Caroli ſorore Prouincias gubernante, Societas IESV Romæ condita, trans Alpes per Galliam in Belgium progreſſa, quantò difficiliùs tardiuſque radices agere cœpit, tantò iam ſemel actas ſparſit latiùs, & maiori firmitate defixit. Id planum facere aggredior toto hoc libro ſingulari. Nam cùm copioſè hactenus tractatum ſit de vniuersâ, quàm latè patet, Societate; æquum ſanè de noſtrâ Belgicâ ſingulatim aliquid dicere. Quæ, ſi omnes orbis Chriſtiani partes circumſpicis, nulli quidquam de ſtatu & flore concedit; &, quod paucis conceſſum Prouinciis, inde vſque à primis Societatis incunabulis ſua arceſſit exordia. Conſtat enim iam tum olim à primis ex illo decemuiratu Patribus, Ignatio ipſo, Petro Fabro, Iacobo Lainio, Alphonſo Salmerone; ab aliis magnis poſt eos viris, Hieronymo Domenecco, Andreâ Ouiedo, Franciſco Stradâ, Hieronymo Natali, Petro Ribadeneirâ, & id genus aliis noſtræ militiæ Anteſignanis, aditum atque habitatum Belgium fuiſſe. Et Ignatius quidem, animo iam ab armis ad litteras conuerſo, in Pariſienſi Academiâ neceſſariis ad proſequenda ſtudia præſidiis deſtitutus, è Belgio noſtro, quâ potiſſimùm laude gloriamur, è Belgio, inquam, noſtro, præ aliis ferè nationibus benigno in egentes & liberali, petenda ſibi (nec fruſtrà) exiſtimauit.

S.P. Ignatius è Belgio ſtipem petit.

Frequens

Frequens enim colligendâ in annum ſtipe Antuerpiam Brugaſque venit, hanc Flandriæ, illam Brabantiæ opulentiſſimas eâ tempeſtate vrbes: ac Brugis quidem ad conuiuium vocatus à Ludouico Viue, magni nominis doctrinæque viro, ita ſe geſſit, vt, remotis menſis, Viues eum hominem ſanctum, atque haud dubiè Religioſam aliquam Familiam conditurum dixerit. quod viri ſapientis dictum nonnemo ex conuiuis ſtatim ipſi Ignatio retulit, & ab Ignatio certâ cauſsâ proditum Ioannes Polancus vir omni fide digniſſimus (qui & ipſi, & duobus poſt eum Præpoſitis Generalibus Lainio ac Borgiæ, à ſecretis fuit) teſtatum litteris ad poſterorum memoriam reliquit. Antuerpiæ verò in multorum coronâ Petro Quadrio Methymnenſi affirmaſſe conſtat, fore vt is ipſe in ſuâ patriâ Collegium aliquando Societati excitaret. & excitauit ſanè Quadrius multis pòſt annis, pari ſuæ pietatis & Ignatij vaticinantis comprobatâ fide. Nec ſilentio inuolui debet, quod à nonnullis piè obſeruatum, ad quas Antuerpiæ diuertebat ædes Ioannis Cuellar, in earum ſuperliminari lapide inſcriptum legi, *Non nobis Domine, non nobis*. quaſi veſtigium Ignatianæ pietatis apud hoſpitem relictum, iam tum ſuum illud ſolenne ſpirantis, *Ad maiorem Dei gloriam*: aut modeſtè indicantis, quò ſua his ſubſidiis alenda ſtudia ſpectarent, & denique eſſent euentura. Ceterùm vtrobique non modò liberaliter, ſed velut ſanctum hominem reuerenter habuere viri opulenti, præſertim genere Hiſpani: quem moleſtâ in Belgas excurſione leuaturi, collectam inter ſe eleëmoſynam ei conſignauere Pariſiis; ac multorum nomina hodieque memorantur, quorum poſteri ambitiosè pro ſummâ laude ſibi vendicant, Ignatium apud parentes ſuos hoſpitem fuiſſe. Quid iam Petrum Fabrum, Sociorum ab Ignatio ſecundum, tres ipſos menſes traduxiſſe Louanij dicam, ſummâ naſcentis ibi Societatis commendatione? quid Iacobum Lainium ſupremo apud nos fungentem Magiſtratu, Bruxellis, Antuerpiæ, Louanij fuiſſe, ac præclara ſuæ ſapientiæ, grauitatis, eloquentiæ argumenta Belgarum populis dediſſe? quid Alphonſum Salmeronem, geminatis vicibus, nunc Cardinali de Motulâ, nunc Carolo Cardinali Caraffæ ad Philippum Regem Legatis, comitem à Supremo Pontifice datum veniſſe Bruxellas, ac conſilio ſuo & eruditione rei Catholicæ plurimùm profuiſſe? Sed neceſſe non eſt diutiùs commemorare viros illos Societatis principes, qui iam olim noſtro Belgio illuxere: rem ipſam aggrediamur, &, quod ſuperioribus quinque libris de vniuersâ oſtenſum Societate, iam de Belgicâ, quibus orta ſit initiis, & quò progreſſa; quid egerit, pertuleritque; quibus clara ſit ornamentis; certo Capitum ordine, quantâ poteſt breuitate, dicamus.

Sacchinus in præfatione Apologeticâ Hiſt. Societatis.

Hiſt. Societ. lib. 1.

Plures è primis Patribus in Belgio fuere.

Naſcituræ in Belgio, & magnos in animorum ſalute procurandâ progreſſus facturæ, Societatis vaticinium celebre fuit, antequam illa Sedi Apoſtolicæ pro Religioſo Ordine probaretur. Nam anno ſupra ſeſquimilleſimum trigeſimo ſexto Arnhemij, principe Geldrorum oppido, Reynolda perquam honeſta mulier ac Deo familiaris, poſt mariti mortem facultatibus ſuis xenodochio tranſſcriptis, vſu carnium piſciumque ſibi interdicto, admirabilem vitam agens, altiſſimæ rerum diuinarum contemplationi vacabat. Huic aliquando Deus ſuauiter illabens, futu-

Vaticiniũ de Societate Belgicâ.

futuram proximis annis Reipublicæ Christianæ speciem ob oculos posuit; ostendens quantis propediem tempestatibus ac procellis esset agitanda Religio, quæ dissidia Principum, quique bellorum turbines totâ Germaniâ Galliâque, ac ipsis potissimùm Belgicis Prouinciis, futuri. posthæc spectandum dabat nouum quemdam Sacerdotum Ordinem; qui salutis humanæ diuinæque gloriæ sitientissimi, in deducendis ab errore mortalibus, & Catholicâ Religione restaurandâ, strenuissimam pariter atque vtilissimam operam nauarent. Hoc visum sibi diuinitus oblatum Reynolda cùm in coronâ cognatorum ex ordine retulisset, ad Canisium tredecennem puerum inter propinquos fortè adstantem conuersa, leniterque demulcens, ex Religiosis illis Sacerdotibus nouis vnum inter primipilos fore prædixit. Itaque non casu aliquo, aut humanâ destinatione, sed consilio prorsus diuino Reynoldæ olim communicato, ab eâque tantò antè prædicto, delata in Belgium Societas tam modicis cœpit initiis, tot iactata est ventis ac tempestatibus antequam agere radices potuit; vt, si alia deessent signa, hoc vno satis illius in Belgio collocatæ auctor proderetur Deus. Certè annis omnino quatuordecim laborandum fuit, antequam possessionis iure donaremur. Cuius tantæ moræ caussas video manifestas, aliorum maleuolentiam, aliorum præoccupata iudicia, & rerum nostrarum ignorationem; altiorem & reconditam, occulta Dei iudicia patriæ delicta vlciscentis. Sed hoc agamus, atque ab initio enarremus, quemadmodum illo tot annorum spatio cum maximis difficultatibus luctata Societas, extricatum denique laqueis pedem, iure suo Regiâ auctoritate concesso, posuerit in his Prouinciis, stabilemque adhuc tenuerit, magno rei Catholicæ, magno Belgarum bono.

Flagrabant atroci bello nobilissima Europæ Regna Hispania Galliaque, rupto inter Imperatorem Carolum & Franciscum Regem fœdere, ibatque tum sæculi superioris annus supra quadragesimum secundus; quando Rex Franciscus seuerè edixit, vt, quotquot de Cæsaris ditione erant, excederent Regno omnes ante octauum diem. Ergo de sedecim Sociis tunc Lutetiæ studiorum gratiâ versantibus Hispani octo, Domeneccus, Ouiedus, Aragonius, Strada, Æmilianus Loiola Ignatij nepos, Ribadeneira cum duobus aliis exire coguntur; Deo vtique illam è Galliâ eiectionem in Belgarum commoda disponente. Nam Domeneccus, qui Parisiensi Domui præfuerat, nouæ ductor coloniæ cum septem Sociis, haud dubio Numinis instinctu, Louanium, vnicam tunc Belgij Academiam, ingreditur Idibus Augusti, non toto à confirmatâ Societate biennio; ibique sua singuli studia vel Theologiæ, vel Philosophiæ, persequi instituunt.

Qui primi de Societate venerint in Belgium.

Est Louanium magno scripta Lipsio ciuitas Brabantiæ prima, prædiues olim lanificij emporium, nunc præstantiore ornamento publicum doctrinarum omnium Gymnasium. Situs loci amœniórne sit an salubrior, incertum: certè cum Europâ totâ meritò contendit. E pratorum enim æquabili planitie, tam intra quàm extra muros, amœni colles exsurgunt, aut vitibus consiti, aut siluis & fruticetis opaci, aut cerasetis & pomariis vberes, aut ædificiis conspicui; quidam etiam per accliuia segeti-

ſegetibus læti. Hos inter Dilia fluuius nauium patiens, & gemini aliunde torrentes ex fontibus circùm vndique ſcaturientibus effuſi, per vrbem rapidè feruntur. Cùm igitur in hac tam amœnâ vrbe ac nobili diſciplinæ omnes in primis florerent, ex eâque tamquam ex fonte doctrina & religio in reliquum Belgium deriuarentur; nihil opportunius euenire potuit, quàm noſtros in eâ ſedem figere, vt ceteræ Belgarum vrbes, vnde erant ſolitæ pietatem petere ac eruditionem, inde vtramque nouæ acceſſu ſcaturiginis defluentem deinceps copioſiùs haurirent. Iamque à Sociorum aduentu vertebatur annus, nequedum præter bonæ vitæ exempla quidquam ab iis agebatur in ſalutem animorum; cùm Stradæ iuueni quartum ac vigeſimum agenti ætatis annum, atque in Falconenſi Gymnaſio Metaphyſicis operam danti, iniectus eſt ardor, quod nuper in Italiâ fecerat, ex agro quoque Belgico meſſem aliquam Deo colligendi. Res erat dubiæ ſortis vtram in partem acciperetur: tamen aleam iecit, & cecidit opinione feliciùs. Ante omnes Ruardum Tapperum, Louanienſis Academiæ Cancellarium, primæ auctoritatis virum, velut caput arcemque aggreſſus, eò iuuenis ſuo ſermone induxit, vt ternas quotidie horas ex ſummis ereptas occupationibus, in exercendo ſpiritu rebuſque diuinis noſtro more commentandis collocaret. Expugnato Tappero, quaſi iam curſu ad omnem victoriam prono, Cornelium Vishauæum, probatâ vitæ ſanctimoniâ Sacerdotem, ſuopte ingenio ad ineundam Societatem propenſum, vt citò manus daret impulit, ſuiſque adiunctum caſtris, eodem armorum ſpiritualium genere tam feliciter pugnare docuit, vt Belgarum deinde multi à Cornelio victi, ad Societatis ſigna, Deo in ſalutem hominum militaturi, conuolarint.

Strada Louanij Societatem illuſtrat.

Ignatius intereà tanti ignarus incrementi, miſſis ex Vrbe litteris, iubebat quamprimùm, deſerto Louanio, Socios omnes in Luſitaniam proficiſci. Nam cùm Ioannes Tertius, æternâ Rex memoriâ dignus, peramplum Conimbricæ Collegium & Academiam nobiliſſimam moliretur, ſuos vndequaque eò mittendos putauit Ignatius; ſed potiſſimùm euocatos Louanio, vbi cum inopiâ ſtudiis inimicâ luctabantur. Sed qui Societatis ſemina iam commiſerat Belgio, eamdem radices quoque inibi agere volebat Deus; eoque Sociorum profectionem, ab Ignatio immaturè imperatam, ſuo ipſe quo gubernat vniuerſa conſilio retardauit. Iam enim obediendi ſtudio Sociorum tres, Strada, Ouiedus, Aragonius, reliquis mox ſecuturis, præcucurrerant Louanio in Zelandiam, captandæ nauigationi: ſed, aduerſis ventis iter prohibentibus, ægrotante inſuper Aragonio, diuinam inde voluntatem prudenter interpretati, Louanium deſperatâ per id tempus nauigatione redierunt. Haud multò pòſt adfuit Coloniâ Petrus Faber, iuſſu Ignatij & ipſe nauigaturus in Luſitaniam, & Sociorum reliquos, ſi fòrs reſtarent, ſecum Louanio abducturus: ſed ne tum quidem maturum abitum, non abſque prodigio, diuina oſtendit prouidentia. Nam cùm Faber aduentu ſuo mirè lætum Cornelium Vishauæum, atque inſtar Marthæ ſatagentem, animaduerteret, iuſſit hominem ſine curâ eſſe, nec fatigari tractando vnius noctis hoſpite, propediem ſe ac Socios duce obedientiâ in

Petrus Faber Louanium venit, excipitur à Cornelio Vishauæo homine ſancto.

in Lusitaniam vela facturos. Perculsus tam inopinatâ voce Cornelius, Aduersari, inquit, obedientiæ nec ausim equidem, mi Pater, nec omnino debeo. Sed illum tamen, qui, cùm ex vsu est, obedientibus frenum iniicit, CHRISTVM inuoco, ne te hinc auolare permittat, sed, quanto tempore necessarius es, remoretur. Subrisit Faber, ac nihilominùs postridie Antuerpiam pergit, inspecturus Lusitana nauigia, quæ Veras Walachriæ in Zelandiâ oppidum appulsa ferebantur: quæ vt instructa & ad soluendum expedita iam vidit, confestim nauigationis socios deducturus Louanium redit. Vix redierat, cùm tertiana febris quasi in limine præstolata, virum inuadit sternitque, ac tamdiu tenet, vt iam Medici, morbo artem superante, de vitâ conclamatum pronuntiarent. In hoc tandem discrimine cùm Fabro venisset in mentem Cornelij pro suâ Louanij commoratione nuper CHRISTVM obtestantis, eum ad se accersitum rogat, iam retractet preces, & quibus votis tam diuturnam febrim aduocarit, iisdem aliquando depellat. Fecit imperata simplici candidoque pectore Cornelius; atque exinde meliùs factum est laboranti. vt iam nemo dubitaret, morbum illum non humanâ caussâ, sed diuino nutu aduenisse; & palàm Medici fatebantur, nequaquam videri à naturâ tantam illius mali fuisse pertinaciam.

Faber quid egerit Louanij.

Sanè Faber quo tempore Louanij per inualetudinem moratus est, incredibile quanta fecerit animorum lucra, quantum famæ ac nominis pepererit Societati. Quotidie viri magni, vrbis atque Academiæ Principes, grauissimis de rebus decumbentem illum quasi quoddam oraculum consulebant. Permulti, sepositis domesticis curis, illi se dabant piis commentationibus excolendos: quorum in numero Theodoricus Hesius Leodiensis Ecclesiæ Prodecanus, Quæsitorque Catholicæ Religionis, qui quondam Adriano Pontifici Maximo ab arcanis, & à sacris confessionibus fuerat; imò cuius consiliis Pontificatum ille suum rexisse ferebatur, quemque, propter vitæ integritatem splendoremque doctrinæ (nisi mors interuenisset) in amplissimum Patrum Purpuratorum ordinem cooptasset. Hic talis tantusque vir, post illas mentis exercitationes, totum se Fabro tradidit, Societatem, si suâ voluntate res ageretur, cum eo initurus. id quod Faber, ætatis personæque habitâ ratione, haud permittendum ratus, suasit, vt & optimæ vitæ exemplo, & quâ valebat auctoritate, Canonicis vniuersoque Leodiensium Clero ad dignos illo statu mores virtutemque populo spectabilem pergeret prælucere. Nec verò suis deerat, qui tantopere proderat alienis. Franciscum Stradam excitauit tironem vetus Magister ad Latinas conciones: quas ille iuuenis magnanimus primùm in Falconensi Gymnasio ad discipulos, quorum ipse erat vnus, cum bonâ Magistrorum gratiâ habuit; tum in Porcensi quoque, ac demum in Pontificio Theologorum Collegio peramplo; concurrentibus tantâ copiâ ad eum audiendum Academicis, vt Doctorum primi, quò latiùs pateret vtilitas, Fabro auctores fierent transferendæ concionis ex istis Collegiorum angustiis in Diui Michaëlis sacram ædem, de præcipuis vnam. quorum postulatis haud grauatè annuit Faber: vtque animos in re arduâ iuueni adderet, néve noui laboris cura vel Philosophicis officeret studiis, vel vires ad magna crescentes

præma-

præmaturè obrueret opprimeretque; concionum argumenta dictabat æger ipse de lectulo, ac diuidebat in partes, variumque addebat ornatum. id quod Faber extemporaneo sermone haud difficulter poterat, depromens opes ex thesauro cultissimi pectoris, tamquam ex quodam sapientiæ sacrario, nihil vt Stradæ propemodum præter actionem vsumque memoriæ, quâ valebat plurimùm, relinqueretur. Hac igitur tantâ ope validus iam orator, Fabri dimicabat armis, ardorem addebat de suo; tamque auidè audiebatur, vt præcipui Theologiæ Doctores, & quotquot Louanij residebant Ordines Religiosi, ex vnius adolescentis ore penderent. tantosque excitabat animorum motus, vt nemo non copiosis manaret lacrymis, atque ipsæ feminæ, famâ concionantis excitæ, quamuis Latini imperitæ sermonis, totâ ex vrbe concurrerent ad spectandum os agentis, & quos spirabat ignes, si intellectu non possent, visu saltem ipso colligendos.

Hactenus bellissimè & supra spem secundis ventis Louanij Societas ferebatur: suspiciebant Fabrum ceu hominem cælo lapsum: in Stradâ vim eloquentiæ inauditam admirabantur: Cornelius veterem sanctimoniæ famam maiori nunc etiam ratione possidebat. Sed tam blandè ridentem felicitatem breuî tempestas Academica interrupit eò grauior, quia multarum post se identidem procreatrix. Vrgebat importunis apud Ignatium litteris nouas Sociorum copias Conimbricam mittendas Simon Rodericius, decemuirorum vnus, Prouinciæ Lusitaniæ Præfectus: eodemque tempore Ioannes Poggius Romani Pontificis Nuntius agebat, vt supremo imperio Faber Coloniam redire iuberetur, ad prohibendas eius Ecclesiæ nutantis sub Hermanno Archipræsule ruinas. Itaque ex diuturnâ ægritudine conualescenti Fabro, noua mandata ex Vrbe adferuntur, vt, Sociis sine cunctatione in Lusitaniam dimissis, ipse pristinam Coloniæ stationem repetat, retenturus in fide Hermannum, nobilissimamque Ecclesiam ab insanâ Lutheri contagione vindicaturus. Ergo dum iter suum pro se quisque adornant, sparsus de Patrum profectione rumor compleuit vrbem, atque ex Academicis lectissimos iuuenes nouemdecim, Belgas omnes, excitauit ad petendam à Fabro vitæ atque itineris societatem. Faber tanto numero prudenter vsus, selegit nouem, quos cum Stradâ, Ouiedo & Aragonio in Lusitaniam destinat: ipse cum Æmiliano Loiolâ, & Lamberto Castrio Leodiensi, Theologiæ Baccalaureo, ac nuper in Philosophico stadio primâ palmâ donato, Coloniam profecturus, reliquos Cornelij curæ commissos vetuit abire Louanio, ad tempestatem, quam impendere prospiciebat animo, ne vehementiùs fureret, mitigandam. Vix cum illo messis collectæ manipulo Faber ac Strada discesserant; continuò in Cornelium, nullâ prioris vitæ sanctitatisque reuerentiâ, insurgere ciuitas, dolore animi vincente rationem: alij suos liberos, alij discipulos repetere à paucis impostoribus (sic loquebantur) indignissimè raptos. Sed in primis fremebant Gymnasiarchæ, quos tot suorum tam insignium Academicorum tam repentina iactura vehementiùs torquebat. Itaque Cornelium palàm incusabant tantorum auctorem malorum; eius congressu colloquioque interdicebant suis, ne diuino scilicet Spiritu afflarentur:

Nouemdecim Belgæ Fabro se tradunt in Societatē.

Ex Archiuo Coll. Louan.

Cornelius Vishauæus patitur Louanij.

rentur: ac ſi quem fortè Cornelio propenſum odorabantur, hunc verbis deterrebant, & quaſi grande auerſuri malum, domeſticis Collegiorum clauſtris arctiſſimè cuſtodiebant. At enim quæ ſpes victoriæ in pugnâ cum Deo? aut quæ tanta humanæ mentis ſagacitas? quæ vis conſiliorum? quæ prudentiæ magnitudo? qui conatus tam fortes aduerſus decreta Numinis nutu omnia gubernantis? Sanè quantò illi prohibebant magis, tantò præſtantiſſimus quiſque Academicorum, diuino agente Spiritu, ad noſtrum Ordinem ardentiùs conuolabant: quorum in numero Adrianus Adriani Antuerpienſis, Antonius Vinckius, Petrus Gillonius, Nicolaus Florentij Goudanus, qui primam ex Philoſophiæ curriculo lauream fuerat adeptus; viri omnes deinde magni, & rebus in Societate geſtis illuſtres. Nimirum illis ipſis, quæ contra nos ſumpſerant, armis in ſua damna, & lucra noſtra, vtebantur aduerſarij: nec enim, ſi vellent, ſuorum ad nos acceſſum promouere magis poterant quàm prohibendo.

Inter hæc Faber, poſtulante rurſus Luſitano Rege, & nutu accedente Pontificis, Coloniâ per Belgium in Luſitaniam tendebat: cuius poſtliminiò redeuntis conſpectu reſpirauit Cornelius; &, quod vix credas, ad præſentiam viri tetra illa Louanij nubes quaſi ad conſpectum redditi ſolis euanuit. Inde Veras Luſitanarum nauium in Walachriâ Zelandiæ inſulâ ſtationem pergenti comes ire Cornelius voluit. Quo in itinere hoc memoriâ dignum eueniſſe noſtri Annales memorant. nauem, quâ vehebantur, medio in curſu ventus repentè defecerat, & remiges dabant manus vano labore iam fracti: qui cùm Fabrum Corneliumque inter ſe ſine curâ colloquentes adſpicerent, ſtomachum in eos vomunt, linguâque vernaculâ increpant, quid ita improbè garrirent, cur non orando ſatagerent, vt ſecundus afflaret ventus, quo deſtituti numquam Veras eâ nocte pertingerent? Faber Allobrox cùm, quid illi inter ſe iactarent, ex Cornelio reſciſſet; reprehenſionem placidè ferens, Rectè, inquit, monent; age demus nos in preces. Simul eas inchoabant, ſimul ventus optatus exoritur, & breui temporis ſpatio, admirabundis nautis, Veras appellunt, cælo vel Fabri modeſtiæ, vel amborum precibus adſpirante. Hinc Cornelius ad ſuos, Fabro valere iuſſo, Louanium reuertit; ac ſubinde ab Ignatio per litteras monetur, vt, quamuis in Academiâ illâ non æquis oculis aſpicerentur Socij, ſua tamen ſtudia conſtanter tenerent, & quà liceret alienæ ſaluti operam dare non prætermitterent. Habitabant Louanij ad eum Socij diem non vnà omnes, ſed, ad declinandam inuidiam, locis tectiſque diſcreti; cùm ab Ignatij litteris animoſiores, in eamdem conuenere domum, impetratâ priùs ab Epiſcopo facultate viuendi more inſtitutoque ſuo. atque ita rebus omnibus in commune collatis, apertè profeſſi Societatem, certas diſciplinæ cauſsâ ſibimet ſtatuêre leges; quas nullas dum ex Vrbe acceperant: ac, ne membra ſine capite viderentur, Cornelium agnouere Rectorem, donec nutus exſpectatur Ignatij. qui quamuis ratam habuit electionem; tamen, ne noua inuidiæ flamma, traductis illo auctore ad vitam Religioſam nouis quotidie Academicis, hominem inuolueret, ſubducendum tempori & ad ſe Romam cenſuit euocandum; proque Cornelio gubernare familiam iuſſit Petrum Gillonium:

Sociis præficitur Louanij.

nium : quo & ipso breuî in Vrbem accito, Iacobum l'Hostium, Sociis Louaniensibus summoperè expetitum, aliquando concessit. Erat l'Hostius Geldoniensis ex Brabantiæ oppido; ac sacram doctrinam in celebri apud Antuerpianos Præmonstratensium Cœnobio tradebat, quando sublimius quid spirans Romam profectus est, eâ mente vt nomen Societati daret. in quam admissus, eamdem ipse primus in Siciliam inuexit. At ille dum Ignatij iussu ex Siciliâ Louanium Sociis præfuturus maturat, Bononiæ morbo correptus exstinguitur; cui suffectus Adrianus Adriani, vir diuino, quod dies docuit, beneficio datus subuehendæ Societatis infantiæ ad firmiorem ætatis adultæ gradum. Conciliabat ille auersos multorum animos, sibique demerebatur labore indefesso, & gratissimâ vitæ consuetudine: interque complures Henricum Baxium Diui Michaëlis Parochum tantopere deuinxit, vt ille nostros ex angustâ & insalubri domo in aliam transferret; quam & moriens testamento Sociis legauit. quin & templum suum ad quæuis Instituti munia non patere tantùm volebat Adriano, sed humanissimis etiam verbis, ne id admittere grauaretur, orabat.

Ex Archiuis Collegij Louaniensis.

Adrianus Adriani Socios regit Louanij.

Histor. Louan.

Hisce incrementis paulatim se Societas Belgica erigebat: quæ vt firmiori consisteret gradu, visum Sociis (quod adhuc re immaturâ tentatum non erat) oblato supplici libello postulare ab Aulâ ius obtinendæ in Belgio possessionis. Gubernabat iamdudum Prouincias Maria Hungariæ Regina, pro fratre Carolo Imperatore, quæ, sinistris de Societate præoccupata sermonibus, libellum repudiauit, magno Sociorum, magno amicorum, Ludouici, inquam, Blosij Abbatis Lætiensis, Ruardi Tapperi Cancellarij, Ioannis Hasselij Sacræ Theologiæ Doctoris, & aliorum qui Adrianum Sociosque nouerant, luctu. Atque ecce tibi alia domi ex placido repentè tempestas, eò periculosior quò charius petebat caput. Academicus in Falcone adolescens Magistro ante alios charus, cui nempe ingenij doctrinæque præstantia, Philosophiæ stadio propè iam emenso, primam promittebat palmam, ab Adriano Societatem obnixè etiam atque etiam petit. Haud obscurum erat nouarum periculum turbarum. Quare vt se ac suos periculo Adrianus eriperet, importuno isti candidato auctor fit abeundi Coloniam, & amplectendæ istic sub Leonardo Kessèlio Societatis. Hoc dum fit, Magister tantæ impatiens iacturæ, tamquam de capite ageretur, in ius Adrianum vocat; ac præcipiti tumultu homo impotens id agit, vt vir mitis ac innocens, qui se veritate dumtaxat & æquitate animi tuebatur, falsis accusationibus circumuentus, quodam velut turbine rapiatur in custodiam : è quâ, rebus statim agitatis ac discussis, eodem dimissus est die. Huius tantæ procellæ, nouellam Societatem Belgicam concutientis, strepitus Tridentum vsque perlatus, Patres illos de summâ Catholicæ Religionis agitantes perculit vehementer, anxios quò tandem vergeret illa tam insolens Academiæ nobilissimæ in approbatum à Sede Apostolicâ Religiosum Ordinem tumultuatio. Et sanè poterat hic turbo nascentem in Belgio Societatem in ortu suo extinguere, nisi eam potens diuinæ prouidentiæ sustentasset manus, atque illud Adriano illatum dedecus in maiorem gloriam sibitò vertisset. Nam simul ille animi furor deferbuerat, circumspicere

Agitur in Aulâ pro admissione Societatis in Belgiū, frustrà.

Adrianus incarceratur.

omnes ſe, &c, quod factum erat, negare fieri debuiſſe, vnoquoque culpam tam indigni facinoris abs ſeſe in alium auertente. Certè Ruardus Cancellarius, cùm non multò pòſt Ignatij vicem fungens, ſolennem Adriani Profeſſionem excepit; inter alias viri laudes non dubitauit ſe indignum dicere ſoluendis illius calceamentis, qui pro nomine IESV dignus fuiſſet habitus carceris contumeliam pati. Adrianus quoque Brouvvershauius Theologiæ Doctor, Rectorque Magnificus, graui oratione in Magiſtros ac parentes inuehebatur, qui diſcipulos filióſve retraherent ab ingreſſu Societatis, quam Religionem Apoſtolicam, & difficillimis Eccleſiæ temporibus à Deo excitatam prædicabat, quæque haberet viros eximiâ virtute ac doctrinâ præditos, in Concilio Tridentino inter Pontificios Theologos cum inſigni dignitate obtinentes locum. Ad hæc Georgius ab Auſtriâ Leodienſium Epiſcopus, cui in ſacris tum ſuberant Louanienſes, ſolenni ſententiâ abſoluit Adrianum innocentem, & omni infamiæ labe purgauit. Atque vt virtutem non premi aduerſis, ſed creſcere animaduertas; Petrus Curtius Theologiæ Doctor, ac primus deinde Brugenſium Epiſcopus, Adrianum è Diui Michaëlis in primariam Diui Petri ædem, cui erat Paſtor, ad confeſſiones audiendas magno honore traduxit.

Ruardi Tapperi & aliorum de Adriano teſtimonia.

Nouæ turbæ in Adrianum & Socios.

Hoc in campo dum Adrianus ſudat, noua ſe extulit offenſionis ſeges. Curionum aliqui tantam Adriano confitentium frequentiam & celebritatem iniquo animo ferentes, conſpiratione initâ tulere mandatum, ne quis de ſuâ Curiâ noxas deponeret apud Ieſuitam, & verò etiam iureiurando ad id ſuorum fidem obſtringere ſtudebant. Sub hæc libellus inuentus eſt in vrbe, neſcio quæ vota, & certas corporis verberationes continens; qui quamquam nullum præferebat auctorem, tamen facili multorum fide Societati tribuebatur. Super hoc libello ſæpiùs à Theologis Louanienſibus inſtituta deliberatio: & ſanè graues ex eo erant apud populum offenſiones, vbi præſertim emanauit, quaſdam eſſe mulieres, quæ ſemel in hebdomadâ pietatis ſpecie à Confeſſariis cæderentur. Nec falſa narrabantur: ſed ſuſpicio grauabat innoxios. Verùm re compertâ, & deprehenſis talium ludibriorum architectis, ad conteſtandam Societatis innocentiam edicta publicè affixa ſunt, per eamque occaſionem omnibus interdictum, ne cui extra ſuam Curiam alio Sacerdote ad confeſſiones vti liceret, præterquam homine Societatis. Curiones autem qui confitentium numero circumcingi Adrianum indignabantur, Ruardus Cancellarius graui oratione monuit; non illum eſſe animarum zelum, ſed inuidiam ab animarum hoſte inflammatam, impediendis à deteſtatione ſcelerum & conſequendâ ſalute mortalibus. Enimuerò Adrianus in tractandis hominum animis habebat aliquid humano maius, & occultâ vi quadam rapiebat Academicos, formabatque ad omnem pietatem: nec paucos Societati aggregabat, in primis Cornelium Crocum Amſterodamenſem, Franciſcum Coſterum Mechlinienſem, parque amicorum nobile, Theodoricum Gerardi, & Theodoricum Caniſium; hunc Neomagenſem, magni illius Petri germanum fratrem; illum Amſterodamium rarâ ſorte omnium conſenſu iudicum primam Philoſophię lauream adeptum.

Capta-

Captabantur intereà mollia fandi tempora apud Mariam Gubernatricem pro constituendâ in Belgio Societate, totisque id viribus agebant viri Principes, & ipse frater Ferdinandus Romanorum Rex, Cardinalis item Polus Apostolicæ Sedis Legatus, & Petrus Sotus ex Dominicanâ Familiâ Carolo Cæsari à sacris nuper confessionibus. Quin Academia Louaniensis super hac re sententiam rogata, miro Dei ius in animos exercentis impulsu, secùs ac timebatur, graue pro Societate dederat testimonium. Et nihilominùs Gubernatrix præceptam semel de eâ opinionem semper secuta, solis verborum officiis, & spe sine fine dilatâ caussam nostram & quos dixi patronos ducebat; donec inclinante sæculi anno quinquagesimo quinto, Carolo Cæsare Prouincias abdicante, ipsa quoque earum gubernatione, quam annos quinque & viginti pro fratre Cæsare obtinuerat, sese abdicauit. Itaque ad Philippum Caroli filium Belgij heredem, tamquam ad orientem mundo solem, respici cœptum; nouisque animis tentata res apud Principem nouum: cui post innumerabilia beneficia, volente ita Numine, etiam admissæ in Belgio Societatis gloria debebatur. In primis Ignatius Romæ ad clauum sedens, in omnem intentus auram, ac velut in speculâ quasuis rei promouendæ occasiones eminus obseruans; auditâ Caroli abdicatione, continuò ad Philippum Regem ex Vrbe misit Ribadeneiram cum litteris, quas ex Hispano sermone in Latinum conuersas, ad posterorum memoriam non pigebit apponere. *Gratia & amor Domini nostri* IESV CHRISTI *cælestibus suis donis Maiestatem Tuam cumulare dignetur. Posteaquam intelleximus Cæsaream Maiestatem sese abdicasse Regnis ac ditionibus Inferioris Germaniæ, inque Regiam Maiestatem Tuam transtulisse; magnam in* CHRISTO *Domino voluptatem percepimus, tum propter exemplum singulare eo facto exhibitum à Maiestate Cæsareâ, tum quia confidimus cum diuini obsequij incremento, ditiones illas à Maiestate Tuâ gubernatum iri. Quod vt eueniat, humillimis à Deo precibus ac sacrificiis postulare non cessamus. Quoniam tamen non vnâ hac re, sed quibuscumque pro nostrâ tenuitate possumus modis Maiestati Tuæ obsequium, vti par est, præstare cupimus, persuasumque habemus ex diuino & Maiestatis Tuæ obsequio fore, si qui istius gentis ac sermonis ex hac minimâ Societate nostrâ datam sibi à Deo gratiam impenderent Prouinciis Germaniæ Inferioris, quæ ob viciniam & commercium cum Superiore magis obnoxiæ sunt accipiendo damno, in Dei Domini nostri & Maiestatis Tuæ iniuriam; idcircò visum mihi in Domino, mittere Magistrum Ribadeneiram hasce traditurum Maiestati Tuæ, & caussas explicaturum quæ nos in eam sententiam induxerunt: vt, postquam Maiestas Tua iudicauerit id esse ex Dei Domini nostri obsequio & suo, dignetur hanc minimam Societatem in tutelam suam suscipere in illis Prouinciis, quemadmodum alibi suscipere dignata est, & Collegiorum istic exstruendorum facultatem dare: vt, sicut aliis in Regnis ac ditionibus Maiestatis Tuæ nauat pro viribus operam, Deo secundante, in salutem animarum, ita in istis Prouinciis, quæ magis indigent, obsequium Maiestati Tuæ debitum præstare possit, ad Dei Creatoris & Domini nostri gloriam, & emolumentum eorum quos Maiestati Tuæ regendos dedit, vti pleniùs intelliget Tua Maiestas ex ipsomet Ribadeneirâ, cui eamdem quam mihi fidem habere dignabitur. Finio, Deum Dominum nostrum precatus, vt gratiam nobis vberem conferat, quò percipere possimus,*

Epistola S. Ignatij ad Philippum Regem pro admittendâ Societate.

mus, & implere ſanctiſſimam eius voluntatem. Romæ, XXIII. *Octobr.* M. D. LV.

Petri Ribadeneiræ oratio ad Regem pro admittenda Societate.

Has Ignatij litteras Ribadeneira Philippo Regi Antuerpiæ legendas offerens, ſimul, quâ erat eloquentiâ, exponebat Societati non id eſſe propoſitum vt ſibi viuat vni, multorum Ordinum Religioſorum more, ſed vt in aliorum quoque ſalutem pro viribus incumbat. Multos Sociorum iam eſſe Belgas, viros doctrinâ & virtute præſtantes, exteris nationibus per quas ſpargebantur mirum quàm vtiles, haud dubiè ſuis popularibus longè futuros vtiliores, tum confirmandis Catholicis, tum hæreticis conuertendis, tum (quod maximè opus) erudiendâ iuuentute, paratos ad Regis nutum, velut ſigno dato, in patriam reuolare. Societatem, id quod Rex optimè norat, Religionem eſſe ab Apoſtolicâ Sede comprobatam, & variis Europæ locis etiam Regi ſubiectis, inſignem rei Chriſtianæ operam nauare, conarique modis omnibus populum in officio erga Deum & ſuos Principes continere. Optare ergo quidquid poſſet obſequij, etiam in Belgio exhibere Maieſtati Regiæ, eò ſtudioſiùs, quò maturiùs incendio hæreticorum indies inualeſcenti occurrendum videbatur. Sed neceſſariam eſſe manum Regiæ benignitatis, quâ excipiantur, certiſque collocentur in ſedibus: tum ſi quid populi pietas donabit, recipere fas ſit ad perpetuam Sociorum, quos ſuccedere nouos ſeneſcentibus oporteat, ſuſtentationem. Id Societatis Parentem ac Moderatorem Ignatium, pro eo quantum diuinam gloriam, & felicitatem commiſſarum Regiæ fidei Prouinciarum exoptaret, ſuppliciter orare. Facturum Regem Catholico nomine rem dignam, & Regum Regi CHRISTO acceptiſſimam, & Societati variis terræ partibus non mediocriter profuturam. Populos enim exteros nonnullos, ab hac ſapientiſſimi Regis actione ſuſpenſos, differre Sociorum admiſſionem, magno interim Catholicæ rei damno; mox vbi in Belgium admitti viderint, ſine morâ tanti Regis exemplum ſecuturos. Cùm finem dicendi feciſſet, benignè Philippus cuncta ſibi probè intellecta ait, & reſponſum in tempore daturum. Capita poſtulati, vt erant ſcripto comprehenſa, accipit, expendendaque Viglio Zuichemo Concilij Sanctioris Præſidi tradit. E Regni

Dux Feriæ patronus Societatis.

Proceribus nemo vnus perinde cauſſam ſuſcepit ac Gomeſius de Figueroa tum Comes, deinde Dux Feriæ, Regi à puero percarus: qui omnes conficiundo negotio vias rimatus, non labori, non gratiæ, non induſtriæ parcebat, tamquam rem ſuam ageret. Maria quoque Caroli Imperatoris filia, quæ opportunè ex Bohemiâ in Belgium venerat, patri ſeceſſum Hiſpanienſem meditanti valedictura, cauſſam noſtram apud germanum ſuum Philippum egit, ſanè perquàm ſtudioſè. Contrà tendebant de Clero & Religioſis Ordinibus nonnulli, ſiue ſiniſtrâ imbuti opinione, ſiue acceſſu noſtro detractum iri ſuis commodis veriti; ſed ante omnes hæretici, quorum maximè intererat, emptis pecuniâ multorum in nos odiis, diſſeminatiſque calumniis, quibus quibus valebant artibus fraudibuſque, furtim & per cuniculos obſiſtebant. Verùm nihil æquè ac Viglij Præſidis, quamquam à Bloſio Abbate vt faueret multùm rogati, remorabatur auctoritas, exiſtimantis iura Epiſcoporum lædi priuilegiis noſtris, ſubſidia Mendicantibus defutura auerſis ad nos eleëmoſynis,

Ribadeneira satisfacit argumentis Viglij Præsidis.

mosynis, aliaque huiusmodi. quæ Ribadeneira liquidò refellebat. Nam quî posse Episcopos molestè ferre, si Societas potestate vtatur sibi à CHRISTI Vicario sponte datâ, à quo & ipsi acceperint suam? Sed neque nos adhuc vsos priuilegiis, neque porrò vsuros cum Pastorum offensione, quibus non æmuli veniamus, sed adiutores & administri, vltrò expetendi in tantâ præsertim custodum penuriâ, & verò quorumdam etiam hæresi infectorum perfidiâ, tam multis vndique lupis desertum ac proditum CHRISTI gregem laniantibus. Contendere, vt ad labores, quos Prouincia Belgica sit maximos allatura, venire nobis liceat, humanas quidem spectantibus rationes præposterum meritò videri; sed enim ex hoc reddi manifestum, non aliò spectare conatus nostros, quàm vt Pastores, quibus onus periculo plenissimum incumbit, aliquâ ex parte leuemus: quod profectò ab ipsis solicitè rogandi, ac, ne rogati defugeremus, obsecrandi fueramus. Nam qui timerent subsidia Mendicantibus defutura, non benè eos de prouidentiâ Numinis, cui & passeres curæ sunt, de Principum Austriacorum pietate, de beneuolentiâ Belgicorum Magistratuum ac ciuium arbitrari, & inexploratam penitus habere vitæ nostræ rationem.

Mali rumores de Societate.

Hæc cùm doceret Ribadeneira, mendaciorum patre, cuius caput iam feriò petebatur, nouam vndique odiorum materiam conuehente, litteræ ex Hispaniâ in Regiam perueniunt nuntiantes, Theatinas, hoc est mulieres nostra templa frequentantes, ter in die sacram adire mensam, mediâ nocte itare ad Theatinos; ita nostros appellabant. quam turpissimam fabulam, inuidiosè ad ludibrium, suis sermonibus plures in Aulâ ventilabant. Præterea Cæsaraugustanus tumultus, & calumniæ superioribus annis in Corsicâ natæ passim decantabantur, nullâ veritatis indagandæ curâ. Denique ex variis terrarum oris tam multi in horas famosissimi aduolabant rumores, auideque arripiebantur, vt ad mendacia dumtaxat retundenda mittendum Borgiam, aut alium primæ auctoritatis virum, censerent amici; dissentiente tamen semper Ignatio: qui obtrectationes quasi nebulas solâ veritatis luce dissipandas ratus, monebat Ribadeneiram, ne infructuosus hæreret in Curiâ, sed vel Louanij vel aliâ vrbe vicinâ habendis concionibus aliisque Instituti muniis exercendis vacaret. id non modò ad ponendam operam vtilius, sed ad negotium quoque peragendum opportunius fore. Nec Ignatium haud rudem talium sua fefellit opinio. Ribadeneira Louanium profectus, statim ab Academiæ Rectore inuitatur vt Latinè dicat; idquod iam pridem Strada tam præclarè fecerat. eôdem impellitur à Ruardo Tappero Cancellario. planè vt videretur Deus eamdem viris illis iniecisse mentem quæ fuerat Ignatij, qui Ribadeneiræ ex Vrbe abeunti præcipuè commendarat, vt Latinè diceret Louanij. Ergo ille vbi audiri cœptus est, non modò fructum quem quærebat vberrimum tulit; sed quem minimè quærebat, etiam plausum vsque adeò inuidiâ maiorem, vt qui anteà cum laude & admiratione dicebant, Doctor Amerotius, & alter Dominicani Ordinis clarus Ecclesiastes, indicto sibi silentio, cum omni suâ concione starent auditores. Et audiebantur eodem tempore, Adrianus vernaculâ ciuium linguâ, & Bernardus Oliuerius (quem Prouincia-

Ribadeneira Latinè dicit Louanij.

 lem,

lem, si quando Rex annueret, Ignatius designarat) Gallicâ; vterque fecundissimis hominum auribus, dicentium, videri vt olim in Apostolos, ita nunc in Patres linguarum varietate sanctum Spiritum incidisse. Nec latêre hæc Regem poterant, quæ in tantâ luce gerebantur. Alij super alios sermones boni, non temerè, aut ex incerto, sed ex præsente Sociorum vitâ gestisque nati, obiectum calumniarum vallum crebro velut ariete conuellebant, donec via tandem strata est veritati: quæ admissa in aures animumque Regis, breuî benignum nobis reddidit, tamque diu optatam, totque studiis quæsitam obtinuit gratiam. Ego quidem istas, quamuis rei Christianæ parum tunc opportunas, tamen Societati benè ominatas, interpretor admissionis moras. Quemadmodum enim sic naturâ comparatum est, vt, quantò molestiore partu fetus in lucem editur, tantò ferè sit viribus præstantior, atque in egregiam corporis magnitudinem assurgat: haud absimili ratione Flandro-Belgica Societas, quantò difficiliùs est nata, tantò maioribus adolescens incrementis, in virilem denique statum robusta euasit, beneficio primi rerum Parentis Dei, gratiæ suæ opera plerumque ad naturæ modum suaui prouidentiâ attemperantis.

Rex admittit Societatem.

CAPVT SECVNDVM.

De Societatis per Belgium propagatione.

MAgísne in collocandâ apud Belgas, an propagandâ Societate, se prodat fortis æquè ac suauis prouidentia Numinis, haud facilè iudicarim. Certè quàm multa sunt toto Belgio Collegia, tam varias eorum origines contemplans, certissimam Dei in tantâ varietate manum, per aduersa prosperaque vrgentis opus suum, ac denique perficientis, cogor agnoscere. Iam primus erat, isque difficillimus, ingenti molimine apud Regem superatus labor, donatâ iure Belgij Societate; sed adiectis eiusmodi conditionibus, quibuscum haud fermè impari conatu luctandum fuit: donec has quoque post annos octo & viginti, pro suâ sapientiâ idem ille Rex sustulit, tamquam boni publici moram, segetemque dissidiorum. Intereà Romam, quæ hîc gesta erant, nuntiaturus Ignatio, quem Societas Belgica in primis solicitum habuerat, Ribadeneira properabat; ignarus eum morte iam obitâ cælo receptum, rei actæ non modò spectatorem, sed actorem quoque primarium exstitisse. Nam vix tertio post mortem eius die, Rex nullâ nouâ caussâ Societatem admisit, haud dubio Ignatij de cælo patrocinantis instinctu. id quod Ribadeneira ipse, rem tempusque considerans, liquidò prædicabat. Ceterùm Ignatius, haud ita diu ante fatalem diem, quem diuinitus cognitum habuisse creditus est, ordinarat Societatem, inque duodecim Prouincias distinxerat; & Germaniam quidem diuisam in Superiorem Inferioremque, illam Petro Canisio Belgæ, hanc Bernardo Oliuerio item Belgæ, dederat gubernandam. Sed Bernardum, inito necdum Magistratu, nouella hæc amisit Prouincia, illo ipso tempore quo communem Romæ Parentem Societas amittebat. At in demortui Ignatij locum subrogatus

Prouincia Germaniæ Inferioris ab ipso Ignatio instituta.

tus Iacobus Lainius, ſtatim ad Prouinciam ſuo capite orbatam reſpexit, nouumque illi ducem Româ miſit Euerardum Mercurianum Belgam, eum qui deinde ad vniuerſæ Societatis gubernacula poſt Franciſcum Borgiam ſedit. Hic itaque primus Germaniam Inferiorem Prouincialis rexit octennio propè toto; donec Lainius, ad Ignatij quaſi exemplum, quo anno gubernare ac viuere deſiit, Prouinciam aliquot iam Collegiis auctam partitus, alteram à Rheno Rhenanam dictam Antonio Vinckio Belgæ impoſuit, alteram cum veteri nomine Inferioris Germaniæ, quæ & Belgica dici cœpta eſt, reliquit Mercuriano. Verùm Franciſcus Borgia Lainij ſucceſſor, Romæ ſibi Aſſiſtentem retinens Euerardum, eius loco Franciſcum Coſterum Belgij Prouincialem iuſſit; ac continuatâ exinde ſerie rexerunt, Balduinus ab Angelis, iterum Coſterus, Oliuerius Manaræus, Georgius Duras, Bernardus Oliuerius, illius primi ab Ignatio deſignati nepos, Franciſcus denique Flerontinus: donec & Belgium, iam nimis amplam Prouinciam, diuidere placuit, Alberti Archiducis arbitrio commiſſâ partitione, qui diſcrimen idiomatis ſecutus, quâ parte Flandrici ſermonis eſt vſus, Flandro-Belgicam; quâ parte Gallici, Gallo-Belgicam fecit. Et noſtram quidem Flandro-Belgicam rexere Guilielmus Veranneman, Carolus Scribani, Antonius Sucquet, Florentius Montmorency, Iacobus Stratius, Guilielmus de Wael, Fredericus Taſſis, & nunc regit Ioannes de Tollenare. Hæc idcircò commemorare viſum, ne quis exſpectet omnium, quæ toto Belgio ſunt, Collegiorum origines, ſed eorum dumtaxat, quibus Prouincia noſtra conſtat. Horum Princeps Louanienſe eſt, cuius firmam poſſeſſionem adiuimus, moderante Belgium Margaretâ Auſtriacâ Parmenſi. Nihil Albano Duce profectum. At Requeſenius Antuerpiæ, Brugis, Traiecti nos collocauit. Alexander deinde Farneſius Parmæ ac Placentiæ Dux Cortracum, Gandam, Ipras, Bruxellas, Groningam induxit: & vnde hæreſis expulerat, reduxit Antuerpiam, Brugas, Traiectum, pari merito ſeu primùm collocatæ ſeu reſtitutæ Societatis. Reliqua Collegia, Winocibergenſe, Siluaducenſe, Ruræmundanum, Mechlinienſe, Dunkercanum, Caſletanum, Belliolanum, Aldenardenſe, Liranum, Aloſtanum, Hallenſe, adde Profeſſam Antuerpiæ Domum, Alberto & Iſabellæ Sereniſſimis Belgarum Principibus debemus; ac denique Bredanum ſoli poſt Albertum iam mortuum Iſabellæ. Gallo-Belgica Prouincia (vt Anglorum Patrum Gandaui, Leodij, Audomaropoli, Watenis, prætermittam ſedes) viginti tribus conſtat domiciliis, quorum bina ſunt Tornaci, Duaci, Montibus Hannoniæ; ceteris vrbibus ſingula, Cameraci, Audomari, Atrebati, Inſulis, Leodij, Namurci, Valencenis, Luxemburgi, Dionanti, Ariæ, Armenteriæ, Athi, Bethuniæ, Hui, Heſdinij, Malbodij, Niuellis.

Societas Belgica in duas Prouincias diuidtur.

Sed hæc alterius Prouinciæ Collegia nominaſſe, ſit ſatis; noſtram nunc Spartam excolamus.

Admiſſa nutu Regio in Belgium Societas adhuc nullam terræ particulam ſuo iure poſſidebat, cùm Elias Schoranus Concilio Brabantiæ à ſecretis, vir pietatis ac prudentiæ laude conſpicuus, hortos ædesque peramplas Louanij viâ Bacalenâ ſitas, ſuo nobis ære comparauit. Inclinauerat huc viri animum peruerſorum erga nos odium; quod vel ſolum

Origines Collegiorum Prouinciæ Flandro-Belgicæ.

lum, ſpectatæ alioquin, probitatis argumentum ſufficiens cenſebat. At enim per patriæ leges ea domus in poteſtatem noſtram venire non poterat, niſi Brabantiæ Ducis accedente conſenſu; ad quem obtinendum, neceſſe erat & ipſum conſentire Louanienſis vrbis Senatum. Huic igitur Schoranus per ſe ipſe, quò pleniùs benefaceret, pro nobis ſupplicauit. Verùm à Senatu re totâ ad Mendicantium Ordines Parochoſque, minùs tunc noſtræ cauſſæ fauentes, reiectâ, nihil actum. Nec tamen primo deiecta conatu deſperauit Societas; ſed meliore, vt putabat, per viros Principes viâ rem denuò tentauit. Et Margareta quidem Auſtriaca, Belgium pro Philippo fratre in Hiſpaniam profecto gubernans, id concedi à Senatu vehementer optabat. Comes autem Feriæ, poſteà Dux, noſtri Ordinis amantiſſimus, omnino tranſigendum ſuſcepit, miſſo ad Louanienſes Marchione Bergenſi: cuius ea vis in agendo fuit, vt petentibus longam conſultando diem, negaret re infectâ ſe Louanio abiturum. Senatus his anguſtiis comprehenſus, ne repugnare ſolus videretur, quos maximè rebatur aduerſaturos, Academiæ ſuæ Doctores, Religioſorum Mendicantium Ordines, & Parochos admonet, quo res loco ſit; in mediumque proferre, ſiquid contrà ſentiant, iubet. Parochorum Decanus, vir & gradu & ſcientiâ Theologiæ venerandus, acerrimè contra nos diſputauit. At Mendicantium Ordines, vt Religioſos decebat viros, gratias egêre Senatui, quòd ſuorum commodorum meminiſſet; ceterùm ſe noſtro acceſſu nihil magnoperè incommodi timere; aut ſiquid etiam timerent, longè ſe commodum anteferre ciuitatis, quæ bonorum virorum numero augeretur.

Agitur Louanij, vt Societas fundo donetur.

Academia omnium nomine ſententias dicturos miſerat duos præſtantes Theologos, Tiletanum, & Martinum Rithouium, haud multò pòſt Iprenſium Epiſcopum; qui ſupra ſpem liberè cauſſam noſtram ardenterque egêre, vt iam Senatui non eam amplecti, verecundia eſſet. Hoc rerum cardine dum expertes conſilij ſeſe ipſi anxiè circumſpiciunt, audentior nonnemo, & ceteris irreligioſior, fit huiuſcemodi auctor ſententiæ: vt, quando Gubernatrix Margareta, Comes Feriæ, alijque ita poſtulent, accipiatur Societas, ſed iis legibus, in quas conuenire ipſamet nolit; ita fore, vt nec Collegium Louanij ſit, & Senatus tamen Principum poſtulatis annuiſſe videatur. Haſce leges conquirentium non maior ſedulitas fuit, quàm imprudentia: non ſolùm enim noſtro aduerſantes Inſtituto, verùm etiam Eccleſiaſtico Summi Pontificis & Antiſtitis Leodienſis iuri contrarias conuexêre, iiſque oneratum Senatuſconſultum edidere. Eâ re quamquam offendebatur Marchio Bergenſis, orabat nihilominùs Socios, vt, diſſimulato tantiſper iure ſuo, ad iniqua deſcenderent, haud dubiè perexiguo lapſu temporis æqua obtenturi. Eruditi quoque homines prorſus auctores erant, docebantque irrita eſſe, quæ ſæcularis Ordo ad Eccleſiaſticum ſpectantia inſerüiſſet; ac facilè etiam tolli poſſe, imploratâ Pontificis auctoritate. Senatus vt vidit noſtros non repugnantes, opinione ſuâ falſus, decreti ſeueritatem mollire cœpit quibuſdam verborum officiis, promiſſiſque; atque interim pactis religioſè ſtandum admonebat. Enimuerò ſtetêre Socij, ac ne habendarum concionum poteſtatem (ea erat ex conditionibus vna) à Senatu pete-

peterent, aliquantiſper iis abſtinuere. Circa confeſſiones, quas iniuſſu Parochorum audire nefas ſtatuerant, illud commodè cecidit. Ciuium multi quotidie petendâ Patribus confitendi facultate ſuos Parochos adeò defatigabant, vt victi importunitate, ac præcipuè Decanus ille, qui contrà maximè tetenderat, nunc ſupplices peterent, ne ſuorum confeſſionibus dare aures grauaremur. Intereà Euerardus Prouincialis Senatuſconſultum Granuellano Cardinali exhibebat, qui indignas conditiones deteſtatus, nihilo tamen plus à Senatu obtinuit. At Leodienſis Epiſcopus Robertus à Bergis Marchionis frater(nam Georgius ab Auſtriâ diem ſuum obierat) re intellectâ, primò Senatum læſæ iuriſdictionis ſacræ grauiter accuſauit, deinde Adriano, Sociiſque quos ille idoneos cenſuiſſet, concionandi, & à criminibus quoque, quorũ cognitio ad ſe vnum legibus ſpectaret, abſoluendi poteſtatem ampliſſimam conceſſit. Pius item Quartus Pontifex Maximus, Apoſtolicis litteris ad Granuellanum datis, ei patrocinium Societatis ſingulari curâ demandabat. quod Granuellanus ſuſcipere palàm profeſſus eſt. His rebus factum, vt, in quæ pacta Patres neceſſitate deſcenderant, vim ea nullam obtinerent; functiones ſuas illis liberè exercentibus, Senatu tacente. Sed non idcircò tranſactum erat. Noſtris poſſeſſionem legitimè adire cupientibus haud negabant apertè, ſed variâ ludificatione aliam ex aliâ nectebant moram. Ac ſubinde nouam fundi ampliandi occaſionem diuina bonitas obtulit per Gualterum Rouſſelium in D. Petri Canonicum, qui amplas quaſdam ædes Schoranis contiguas Societati coëmit.

Iacobus Lainius Præpoſitus Generalis venit in Belgium.

Inter hæc vertebatur ſæculi annus ſexageſimus ſecundus, cùm Iacobus Lainius Præpoſitus Generalis è Galliâ, quò eum Pontifex miſerat cum Hippolyto Cardinale Eſtenſi ad prohibendas Catholicæ Religionis ruinas, re iſtic fortiter geſtâ, in Belgium progreſſus eſt cum Hieronymo Natali, magnoque gaudio ac honore exceptus Bruxellis à Margaretâ Principe, quæ illum Romæ concionantem audire, &, ſi quando impediretur Ignatius, ad exomologeſin adhibere conſuerat. Granuellanus quoque Cardinalis, ac Præſes Viglius iam benignior, collaudatâ Sociorum vitâ, prolixè operam Lainio Societatique addixêre, non vno poſteà nobis probatam argumento. Inde Antuerpiam profectus, prima ibi iecit fundamenta Collegij. Ad extremum Louanij ſummâ honoris ſignificatione habitus eſt; præſertim à primis Academiæ Doctoribus: quippe quem Tridenti in iſto orbis theatro partes agentem ſuas cum admiratione plauſuque viderant, ac ſciebant etiam nuperrimè in Pauli IV. demortui locum ad ſupremas infulas non paucis Cardinalium ſuffragiis deſignatum. Hîc tum Louanienſis Senatus, vel tanti viri aduentu, vel futuri Antuerpiæ Collegij rumore velut à ſomno excitatus, ſeriam, vt videbatur, cogitationem de admittendâ Societate ſuſcepit. Accerſuntur in Curiam noſtri. Vtrimque in has leges conueniuntur. Domus Patrum, volente, iubente Senatu, ad manus mortuas tranſito. Patres ne horâ ſeptimâ matutinâ primâve pomeridianâ concionantor. Ne præter ſuos alium in ſuâ æde, niſi magnâ cauſâ, ſepeliunto. Ne vinum cereuiſiamque vendunto. Ædificia ſarta tecta habento. Grammaticam, Græcam ac Latinam, Rhetoricam, Philoſophiam, do-

Senatus Louanienſis admittit Societatem.

ctrinam Christianam, ædificatis à Senatu scholis, & constituto Magistris alendis censu, docento. Iam res confecta erat, cùm per summam alicuius fraudem malè conscriptis tabulis, vitiata pacta obtruduntur; quibus nostri meritò repudiatis, cum Senatu de iniuriâ expostulant nullo fructu. Tot tantisque iam frustrata conatibus Societas, sustentabatur nihilominùs spe bonâ; & quidquid opportunum videbatur circumspiciens, missâ contentione publicâ, ad captandam priuatim singulorum beneuolentiam se conuertit. Nimirum singuli fermè minùs acriter repugnant, quàm cùm conspirant vniuersi. Hac velut prensatione mirum quàm mutati animis Senatores: Ioanni Tympelio Consuli rem omnem committunt. Is Theologicam Facultatem consulit: quæ donandam respondit vrbe ac fundo Societatem, cuius Institutum pluribus iam Pontificibus, ipsique adeò Concilio Tridentino, probatum esse constaret. Ad hanc communem Doctorum sententiam addidit Cunerus Petri Brovvershauius, qui deinde Leowardiensium Episcopus fuit, suas priuato studio preces. Atque hîc demum victus auctoritate & patrocinio Senatus, potestatem Roussclio facit quas emerat ædes, Societati legitimè ac iure tradendi. De Schorani ædibus iam vitâ functi, quoniam cum heredibus quæstio intercedebat, nihil tum actum. Prima Sociorum cura publicas maturare tabulas, quibus Senatusconsultum, non vt aliàs spurium, sed ex fide sincerum traderetur. Deinde Bruxellis curatus Brabantiæ Ducis assensus. Hac de re datum diploma Regium mense Augusto, anno sesquimillesimo sexagesimo quinto. Hæc illa est prima Belgici soli hereditas, sanè pretiosa, si quibus laboribus empta perpendimus. Reliqua deinceps, semel obice superato, facilia fuerunt. Nam cùm Roussclius fundo vellet adijcere, Senatus nihil omnino repugnauit. Mox & Schorani ædes, re cum heredibus transactâ, ad nostras manus facili Senatusconsulto transmissæ sunt. Denique anno M. D. XCVIII. cùm pro Sociorum numero angusta iam esset illa habitatio, & in vrbis angulum retrusa, neque ædes firmæ satis ob vetustatem; sedes transferre placuit in eum, vbi nunc agimus, locum, vniuerso Senatu annuente, vt nouas ædes ciuili exemptas iure inter Ecclesiastica bona liceret referre. quas ædes Socij sensim suis aptauêre vsibus, omniumque maximam, cui Arschotanæ nomen, in templi aliquam speciem conuertêre, cuius hodieque est vsus. Ceterùm de Louaniensi Collegio optimè ante omnes quà fauore, quà donatione meritus est æternâ dignus memoriâ Læuinus Torrentius Antuerpiensium Episcopus, iure optimo indeptus nomen atque insignia Fundatoris.

Collegium Antuerpiense. Nihilo faciliores, non Senatus quidem, sed æmulorum machinatione, Collegij Antuerpiensis origines fuêre: quæ quamquam ab ipso olim Ignatio eius vrbis hospite duci possunt, propiùs tamen veriusque Iacobo Lainio tribuuntur. ad quem Antuerpiæ agentem anno M. D. LXII. cùm primarius quisque Hispanorum salutandi studio accederet; ita viri virtute, sapientiâ, grauitate capti sunt, præsertim vbi aliquoties de diuinis rebus verba facientem audiuêre, vt omni ope apud se, gentis suæ Ecclesiasten futurum, retinere contenderent. Sed eam commorationem cùm neque persona Præpositi Generalis

ralis quam Lainius sustinebat, neque à Pio IV. imperatus ad Tridentinam Synodum reditus, paterentur; hoc saltem impetratum, vt viros de Societate præstantes appromitteret. nec promisit faciliùs, quàm dedit. Ex eo tempore de Collegio agi cœptum. Et Euerardus Prouincialis iacta semina studiosè fouebat, haud ignarus quàm opportunam domicilio Societatis collocando Antuerpiam Ignatius ipse censuisset; quippe vrbem cum primis Europæ comparandam, incredibili gentium exterarum frequentiâ, vnde perpetuum litterarum cùm toto orbe commercium. Agebatur hæc res maximè Hispanorum studiis: inter quorum primarios & Canonicorum Collegium hac lege conuenerat, vt Canonici darent fundum, in quo Hispani nobis ædificarent. sed ea consilia sinister de Societate rumor sparsus è Galliâ dissipauit. Intereà ne Sociorum labor solis desudaret Hispanis, placuit & ad indigenas dicere Belgicâ Gallicâque linguâ. Primus Belgicè auditus pro concione loqui Franciscus Costerus, iam tum Prouincialis Euerardo suffectus; Gallicè Robertus Claissonius, nuper à concionibus Reginæ Galliarum, & propter eloquentiam Argentea Galliæ tuba vulgò nuncupatus: qui etiam Orator potissimùm electus est, communi Canonicorum suffragio, quando Franciscus Sonnius coram Albano Duce Aulâque vniuersâ Antuerpiæ inaugurabatur Antistes. Et sanè magnis apud Antuerpienses proficiebant augmentis existimatio & amor Societatis, postquam tres nobilissimi Ecclesiastæ, Hispanus, Belgicus, Gallicusque, vno tempore in primariis vrbis templis Euangelicas inflarent tubas. iamque spes magna erat Collegij à Senatu impetrandi, nisi furiale illud Iconomachorum bellum ex improuiso, velut hiante terrâ ab inferis excitatum, pulcherrima cœpta deformasset disturbassetque, Costero vrbe pulso, Claissonio ad tempus delitescere coacto, Hispanis metu conticentibus. donec, tempestate discussâ, redditoque vrbi sereno, ad suam quisque stationem rediêre; ac tum denuò Hispanis Lusitanisque, simul & ciuibus, ardor fuit coëmendi commodum Collegio erigendo locum. Id quoniam inconsulto Belgij Gubernatore aggredi leges vetabant, Hispanorum Lusitanorumq; primi eam facultatem ab Albano petere instituerunt. Sed nihil vmquam impetrari ab homine potuit, tametsi maximè vrgeret Ruizius negotiorum Regis Lusitaniæ administrator, qui, præter studium suum & operam, annuum quoq; vectigal in templi fabricam & Patrum alimenta spondebat. Ac ne ipsius quidem Reginæ Annæ Austriacæ, Philippo Regi desponsæ, hinc in Hispaniam abeuntis, valuit commendatio. Itaque conductis ædibus acquiescendum fuit; iamque Socij numerabantur quatuordecim. quos omnes alebat mercatorum tum Castellanorum, tum Bæticorum liberalitas, imperatis sibimet eleëmosynis, quas in singulos menses Patribus repræsentabant. Ac licet Bætici, suborto cum Castellanis dissidio, pium hoc symbolum conferre cessarent; nihilo tamen minus Societas accepit, Castellanis Bæticorum defectum duplicatâ largitione supplentibus. Ringebatur interim inuidia, nec ferre iam poterat tam constantem mercatorum, quos inter facilè princeps erat Ferdinandus de Friaz, in stabiliendâ Societate conatum. Timor aduersarios habebat, ne domicilij ius sensim acquireretur Patribus,

Iconoclastæ 1566.

Castellani de Societate benè merentur Antuerpiæ.

bus, si longior daretur quies. ergo in arbusculam adhuc radice tenerâ euellendam facta conspiratio. Primùm ereptus domestici sacelli vsus sententiâ Episcopali. dein structæ ædibus insidiæ, conductis quidem adhuc illis, sed spe nostrâ ac destinatione aliquando possidendis. Turbauit Patres improuisa necessitas emigrandi. sed, Deo res nostras altiore consilio dirigente, feliciter aduersantium machinationes elusæ. facti indignitas stimulauit amicorum animos ad nouas ædes quàm studiosissimè quærendas: quas etsi voto suo seriùs (biennij enim fuit labor) longè tamen aptissimas inuenere. Pascebat nihilominùs aduersarios nostra exagitatio; & successu animabantur, vt quos commouere iam cœperant, impellerent in ruinam. Haud obscurum erat Societatem præcipuè expeti ciuibus, docendæ iuuentutis gratiâ. Id si præstarent alij, nimirum illa inutilis reddebatur, aut minùs certè expetenda. Huc igitur collatis curis viribusque, Gymnasium aliquod excitatum est Seminarij Episcopalis nomine, in quo eadem omnia, quæ à nobis ciuitas exspectabat, ab aliis præceptoribus traderentur. Quæsitus in eam rem Moderator, ac denique repertus Iacobus quidam Tilmannus, nostri Ordinis desertor, homo vanus & impotens sui, sed qui ad breue temporis personam sciret grauem sustinere. Is magnificas ædes in ludum litterarium conduxit, magistros aduocauit, librorum exponendorum syllabum nostro more contexuit, scholas aperuit. Magnum apparatum secuta par exspectatio. & initia, vt fit, speciem aliquam habebant; sed breuî, quod ille ait,

——— atrum
Desit in piscem mulier formosa supernè.

Moderator siquidem iste, præter magnam ex vitæ licentiâ infamiam, grande etiam æs alienum immoderato familiæ sumptu & vestium luxu contraxit. Quâ causâ clàm ex oculis se subducere coactus est, postquam non toto biennio rexerat Seminarium. Huiusmodi aduersis exercebatur Societas, donec Albano Duci successor datus est à Rege Ludouicus Requesenius, magnus Castellæ Commendator, insigni pietate vir, & amantissimus nostri. Hoc Belgij Gubernatore tametsi spes certa erat obtinendæ possessionis, in morâ tamen periculum erat, ne dilaberetur quæ pulcherrima inuitabat emendæ domus occasio. Quare Ferdinandus de Friaz extremo postulato tentandum duxit Albanum, si fòrs annueret abiturus. Quem vbi nihilo fauentiorem sensit, haud vrgendum ratus, ne importunitate peccaret, & vsurus tamen occasione antequam fugeret, dissimulato nomine domum emere statuit, in eamque rem ipse florenorum quinque millia statim obtulit, alij mercatores quatuor millia addidere. Visebatur Antuerpiæ ampla & magnifica domus, in quam olim Carolus V. Cæsar cum sorore Mariâ Hungariæ Reginâ accepti fuerant, viginti duobus florenorum millibus oppignorata Italis mercatoribus. quæ summa nisi ad diem repræsentaretur, venalem illam proscribere dominus cogebatur. erat ea sanè tum situ, tum laxitate Societati admodum opportuna, in quam ipse Antuerpiensis Senatus, ante ædificatam, quâ nunc vtitur, Curiam, sexaginta florenorum millia obtulerat; nunc triginta dumtaxat & quatuor millibus æstimabatur. Continuò ad eam summam conficiendam adiecit animum Ferdinandus,

breui-

breuique tantum conflauit argenti, quantum Italis mercatoribus debebatur. Ac ne quid emptio dissimulata postmodum negotij facesseret, clàm ipse adit Gasparem Schetzium, Grobendonckij Toparcham, illarum ædium dominum, remque aperit ex fide. Is vbi resciuit Patribus domum suam quæri, non modò vendere non abnuit, sed de pretij summâ remisit mille, vt in partem tam boni operis veniret. Ita, negotio quàm occultissimè transacto, restabat impetranda Senatus auctoritas: quem etsi adhuc propensum senseramus, metus tamen hærebat aliquis, adeoque visum tentare priùs animos, quàm de coëmptâ nobis domo vulgaretur. Appositus in hoc vrbis Gubernator Perenottus: qui cùm interrogasset, probaturíne essent si qui amicorum opportunam Societati compararent domum, respondêre, nullam in vrbe suâ tam esse splendidam, quam non ei ex merito se debere faterentur; ac si nulla esset aut ampla satis aut commoda, voluntatem sibi neutiquam deesse ad excitandam nouam, sed iniquitate temporum negatam facultatem. Hac Senatus benignitate res in tuto posita est; de Aquensi domo clarè indicatum; emptio legitimè perfecta; quin vltrò etiam, quod ærario ex eâ transactione debebatur, Societati condonatum.

Senatus Antuerpiensis in Societatē beneuolentia.

Iam suum fundum habitabant Patres, templo vtebantur alieno. Carmelitanum id erat, quod nostris maximè muniis tum florebat. sed eorum, quibus nostra dolebat fortuna, molitionibus factum, vt hoc quoque nobis interdiceretur. Occasio ea fuit in nostro ædificandi. Ferdinandus de Friaz, pridie D. Laurentij opus festinanter aggressus tantâ celeritate confecit, vt ante sequentis anni Februarium templo commodo neque inconcinno vteremur. Hîc tandem Societas, post annorum propè quatuordecim nullâ certâ sede iactationem, aliquando conquieuit. Quis non miretur tanto pretio emptam domum, templumque ædificatum, eo maximè tempore quo bellis plusquam ciuilibus ardebat Belgium, cessabant mercimonia, res pecuniaria laborabat, validissimi ex omni ordine aduersarij obnitebantur? Nimirum haud vulgare id fuit Dei Societatem suam seruantis ac fouentis argumentum. Fruebantur partis tanto labore possessionibus Patres; ædes sacra ciuium honestissimis frequentabatur; scholæ & numero & dignitate florebant; cùm secundissimas res (quæ est humanorum vicissitudo) casus tristissimus euertit. Sublato è viuis Requesenio, Belgij Ordines Reipublicæ gubernacula tenebant, cùm fatalis ille annus septuagesimus octauus Societatem domo atque vrbe expulit ob negatam Deo Regique perfidiam. quâ de re proprius recurret sermo in loco. Post exsilij octennium cum bono Deo Alexander Farnesius Parmæ Dux vrbem Regi, vrbique Societatem cum fœnore restituit. Nam breuî ea fuere Collegij incrementa, multis amicorum, sed præcipuè Ioanne Delrio Cathedralis Ecclesiæ Decano, & Ægidio Gerardi viro Consulari collaborantibus, vt in mentem veniret diuisionis. quod consilium deinde promouit auctoritas Claudij Aquauiuæ Præpositi Generalis, iampridem in Belgio Professam meditantis domum. Ergo nouæ Collegio ædes quæsitæ; antiquas Patribus Professis relinquere placuit. Domus erat nomine Anglicana, quam olim Anglis mercatoribus vtendam dederat

Domus Professa Antuerpiæ;

florens Respublica, salubri cælo amœnoque. Hæc visa aptissima. Sed enim vbi de illâ agi cœptum, ingentes motæ difficultates, quas breuî omnes feliciter Caroli Scribanij enodauit industria. & verò Consul ipse Henricus van Etten cum Senatu sponte suâ nostris partibus fauebat. Huc igitur Collegium anno huiusce sæculi septimo translatum: vbi, præter Humaniorum litterarum, etiam Theologiæ studiosi agunt partim nostri, partim externi, ex Seminario Episcopali. & nostros quidem Theologos dotauit Petrus Oostendorpius, vectigalium, quas Licentias vocant, Præfectus, & à Consiliis Regi. de Collegio autem optimè merita est Anna Sgreuens. At Professorum Domus, separato licet Collegio, non statim suo nomine gauisa est, tametsi id summopere vrgeret Claudius Generalis, obstante temporum iniquitate, & angustiis rei familiaris: quibus sensim manifestâ Dei ope superatis, tandem anno sexto decimo perfectè constituta stabilitaque est totius prima Germaniæ, cùm duobus antè annis iacta essent fundamenta templi, quod anno primo & vigesimo è marmore perfectum Ioannes Malderus Antuerpiensium Episcopus diuo Ignatio Societatis Parenti toto orbe primum consecrauit. Præter hæc duo Antuerpiæ domicilia, nuper etiam excitatum est Conuictorum Collegium, magno iuuentutis non dico Belgicæ, sed Europæ bono; Hispanis, Italis, Germanis, Gallis, Anglis, Hibernis, liberos suos mittentibus ad domesticam Societatis institutionem. Certè Conuictores scholarum nomen eruditione, frequentiâ, nobilitate, sed potissimùm singulari, quam à nostris domi hauriunt, morum probitate commendant.

& Collegium Conuictorum.

Collegium Brugense.

Brugæ quoque, vt Antuerpia, Parente nostro ac Fundatore gloriantur Ignatio; post quem longo interuallo primus Collegij semina in patriam intulit Robertus Claissonius anno M. D. LX. Is dum ad suos ex Superiorum imperio grauibus de caussis diuertit, in D. Donatiani æde vrbis principe rogatus pro concione dicere, obstupefecit Brugas, & sui nominis celebritate compleuit. Inde vt Romam, quò vocabatur, abscederet, vix permissum: adeò in amorem concionatoris exarserat ciuitas. Creuit amor ex absentis desiderio; nec quies fuit, donec redonatus est Brugis. Excepit reuertentem communis omnium gratulatio. Ipse ante omnes vrbis Episcopus Petrus Curtius tanti hominem fecit, & in eo Societatem vniuersam, vt ad Lainium Præpositum Generalem litteras daret, quibus sibi orabat potestatem suscipiendæ Claissonij Professionis; fine non alio, quàm vt eâ solennitate apud Brugenses nomen Societatis redderetur illustrius. Dedit Lainius summâ voluntate, quod honori ac bono Religionis nostræ Præsul optimus petebat. Ergo in Cathedrali Ecclesiâ, quanto maximo potuit apparatu Sacris operatus Antistes, coram Mercuriano Prouinciali, Balduino ab Angelis, aliisque Sociorum nonnullis ad celebritatem euocatis, accepto Roberti profitentis solenni voto, magnificam de nostro Instituto ac moribus ad Clerum, ad Senatum, ad ciues maximo numero circumfusos, & nouæ rei lætos spectaculo, instituit orationem. Ingens ex eo præconio pondus accessit famæ commendationique Societatis: cui & nouum additurus momentum, in maturanda Collegij principia vehementer

Curtius Episcopus excipit Claissonij professionem.

menter inclinatus Episcopus, Claissonium voluit promulgare solenniter acta Conc. Tridentini in summâ æde coram vtroque Senatu tam vrbis quàm Franconatus: Optimatum hic ordo est, quartum, vt vocant, Flandriæ membrum. Hæc Collegij præludia fuere: quo tempore nostros domo suâ hospitaliter accipiebat Antonius Monachi Canonicus Cathedralis Ecclesiæ, egregius nostri Ordinis patronus. Anno demum M. D. LXX. petente Remigio Druitio Episcopo, Curtij successore, stabilis Sociorum habitatio inchoata est. Coëmpta domus, & nostris aptata vsibus. apertæ scholæ. dotem aliquam Magistris alendis Episcopi & amicorum pietas conflauit: ciuitas, propter communem inopiam, nihil tum quidem contulit. Initia tam bona, spesque meliores infregit fatalis ille septuagesimus octauus annus; quo rerum potiti perduelles, Societatem Brugis quoque pepulere. At septimo pòst anno, reconciliatâ Regi per Alexandrum Parmensem vrbe, & nos in integrum restituti sumus. Exinde constans fuit habitatio, sed non eâdem domo. Transitum est ex angustiore viginti annos habitatâ in laxiorem, magisque nostris idoneam functionibus: templum hîc non incommodum semestri spatio à fundamentis eductum: cui nunc aliud magnificum, vt tardò, ita pretioso molimine succedit. sed & splendidum erudiendæ iuuentuti Gymnasium vterque Senatus quadraginta florenûm millibus ædificauit. Verùm è Flandriâ pedem in Brabantiam referamus.

Traiectum ad Mosam ciuitas est mercimoniis peropportuna; quæ ante hæc bella opibus & multarum Prouinciarum commerciis florebat. Hîc prima Collegij fundamenta iecit Henricus Dionysius Neomagensis; nisi fortè mens sit altiùs repetere à Petro Fabro, qui post diuturnum Louanij morbum hac iter habuit, vrbemque suis concionibus tantopere incendit, vt ad eum multi se venturos Coloniam reciperent, vel inituri Societatem, vel certè operam sacris commentationibus daturi. Inclinabat præteriti sæculi annus sexagesimus quintus, cùm Leodiensium Antistes (cui Traiectum paret in sacris, & ex parte in politicis) Gerardus Groesbequius Roberto Bergensi subrogatus, gregi suo in tantâ circumstantium luporum rabie solicitus Pastor, à Leonardo Kesselio Sociorum Coloniæ Præfecto, suppetias flagitauit. datum par nobile, Franciscus Costerus, qui paulò pòst Prouinciam gubernauit, & quem dixi Dionysius, ambo Sacræ Theologiæ Doctores: quorum ille Hassletum, hic Traiectum à Groesbequio destinantur. vterque Fidei Religionisque re aliquamdiu strenuè gestâ, cùm iam nihil magnopere necessarij viderentur, Coloniam vocati rediere. Haud sanè diu pedem retulerant, cùm ecce tibi insanum illud sacrilegumque cum templis & imaginibus bellum eò vnde abierant, confestim reuocauit. Ex eo die mansit Dionysius, quoad vixit, in Traiectensi statione; obque rem Catholicam suâ virtute restitutam Apostoli cognomentum inuenit. Groesbequius ipse, datis ad Margaretam Gubernatricem litteris, tam facilem subitamque vrbis conuersionem vni Dionysio referebat acceptam; qui hæresum doctoribus ad certamen quotidie prouocatis, quotidie deuictis, ad pristinam Fidem moresque omnia reuocasset. Ex hoc capite prima de Collegio à primis Traiecti viris suscepta cogitatio. Sed ante

Traiectense Collegium. 1574.

Strada de Bello Belg. l. 6.

omnes Nicolaus Stratius, genere, doctrinâ, dignitate conſpicuus (erat enim in D. Seruatij principe vrbis æde Decanus) cùm incredibiliter Dionyſij amore caperetur, in Sociorum quoque, quos vitâ ſimillimos meritò credebat, deſiderium exarſit. At eum de Collegij rationibus dies noctéſque cogitantem mors immatura ſuſtulit; ac nihilominùs moriens venturam Societatem fortunarum ſuarum heredem ſcripſit ex aſſe. Hoc Decani exemplo permota ciuitas, atque etiam adiuta ab Henrico Ruyſſenbergio, Teutonici Ordinis Commendatore Prouinciali, partem dotis aliquam in eâ temporum calamitate haud contemnendam decreuit. Quibus auſpiciis res cœpta eſt anno M. D. LXXIV. ac quadriennij lapſu vix benè adoleſcebat, cùm fatalis ille turbo Socios domo ac mœnibus eiectos in exſilium deportauit. Quo tempore admirabilis enituit charitas Nicolai Philippi de Conueit, eiuſque coniugis Eliſabethæ, qui eiectos Collegio Patres in ſuam accepere domum, vel cum vitæ periculo, & aliquamdiu liberaliter habuere: donec ingraueſcens hæreticorum furor hinc quoque expulit noſtros, eorumque hoſpitibus præmium charitatis fuit bonorum omnium glorioſa proſcriptio. At recuperatâ Farneſianis armis ciuitate, ſuis quoque ſedibus reſtituta Societas fortunato conſequentium annorum curſu ſeſe in præſtantem magnitudinem erexerat, & conſtanti virtute ſtatum ſuum floremque retinebat; donec vnius maximè viri perfidiâ vniuerſo periclitante Belgio, Traiectum à Batauis circumſeſſum expugnatumque, ingenti bonorum omnium luctu, certiſſimo damno Religionis, octauum iam annum ſub hoſtium poteſtate gemit, nouum exſpectans Alexandum.

P. Andreas Boccatius ſedem Societati quærit in Friſiâ.

Inter prima hæc Flandro-Belgij domicilia, non ſanè poſſum quin commemorem egregios Andreæ Boccatij conatus in ſuam quoque Friſiam, quæ extrema Belgij ad Boream prouincia eſt, auxiliares Sociorum copias inducere molientis. Agebat hominem incredibilis patriæ aduerſus hæreſes tutandæ ardor. Itaque impetratâ à Lainio facultate, coloniam eò ducit quatuor Sacerdotum, vnius præterea rerum domeſticarum adminiſtri. daturus ſe in viam, quò faciliores haberet aditus, patronos adhibet Viglium Zuichemum Sanctioris Concilij Præſidem, & Ioachimum Hopperum eiuſdem Concilij Senatorem, ambos domo Friſios: quorum operâ à Ioanne Lignio Arenbergæ Principe, Prouinciæ illius Præfecto, commendatitias ad Friſiæ Senatum abſtulit. quibus munitus, defertur in patriam, prona ſibi omnia & facilia promittens. Bonam ſpem ſiniſter fefellit euentus. Nihil Arenbergij litteris profectum. Ergo ipſius Regis nomine diploma mittitur à Bruxellenſi Curiâ, quo poteſtas Boccatio fiebat iuuentutem, vbi vellet, Societatis more inſtituendi; & iubebantur Prouinciales Magiſtratus patrocinium opemque conferre. Hoc imperio permotus Friſiæ Senatus, Boccatium & Socios admiſit. Domicilio figendo eligitur Sneca oppidum, in ipſo Prouinciæ ſinu. Ibi diſtributis in ſuas claſſes Magiſtris doceri cœptum. Concurrebant ex vicinis locis adoleſcentes magno numero ad nouæ ſcholæ famam; & magnæ meſſis ſpes erat præſens. Verùm breuî veteratoriis maleuolorum artibus collapſa res eſt. Senſerant nimirum peruerſi homines ſuis rationibus Societatem haud commodam fore. Inter

alia

alia criminantur ſpecioſo ſcholarum nomine Ieſuitas Hiſpanienſem de rebus Fidei quæſtionem, &, vt vocabant, ſanguinariam crudelitatem inuectum veniſſe. Hoc metu Senatui quoque incuſſo, iam nec Regium Diploma vllum pretium habebat. Statim edicto publico cauetur, ne quis ciuium è ſuis quempiam Boccatio in diſciplinam tradat; néve aduenarum vlli ſcholas Ieſuiticas frequentanti de domo commodet ſub graui mulctâ. Is rerum ſtatus tam ſubitò mutatus, Boccatium quoque ſua mutare conſilia & ſolum vertere coëgit. At ne omnino ſuos Friſones deſereret, Woldſendæ pauliſper ſubſtitit, opem hinc, quam poſſet, laboranti patriæ laturus. Verùm ea ſtatio propter difficiles vias minimè erat idonea inſtituendis ad vicina loca Apoſtolicis expeditionibus. Ergo collecta rurſum vaſa, & Ilſtam migratum, oppidum circumferendis Sociorum laboribus ſatis opportunum. Hîc ædes conductæ, & aperta litterarum palæſtra. Præter Grammaticæ Rhetoricæque, etiam Dialecticæ ac Muſicæ præcepta tradita, ad maiorem iuuentutis illecebram. Rem diuinam Patres in ſacello domeſtico peragebant: habendis concionibus templum oppidi maius accepere. Triennij non longior commoratio fuit. Præualente in Prouinciâ hæreſi, exoſos capitaliter, vitamque in miſeriis ægrè trahentes, deſperato fructu Superiorum reuocauit auctoritas. Hunc finem habuit tentata veriùs quàm indepta Snecæ habitatio. Quare nec Collegiis annumeranda, quæ adhuc quatuor non plura habebamus, Louanienſe, Antuerpienſe, Brugenſe, Traiectenſe, quando illud ingens patriæ malum (quod Procerum quorumdam iamdudum parturiebat ambitio) ad extremum Caluiniana hæreſis peperit, digna hoc fetu mater, nefariam dico ab auitâ verâque Religione, atque à natiuo Belgarum Principe defectionem. Atque vtinam pluribus aliquantò locis tunc Collegia fuiſſent, munitiſſimæ aduerſus hæreſim futuræ arces! & fuiſſent profectò, niſi cæca multorum inuidia, vel quid neſcio aliud cauſſæ, propagationem Societatis, quæ promouenda fuerat, retardaſſet. Conſtat, Belgarum peſſimos rebus nouis ſtudentes, qui pro Religione ſuas libidines habebant, totis pugnaſſe viribus, ne Ieſuitæ, inuiſum (ita nominabant) nouæ ſuperſtitionis genus, Belgio reciperentur à Rege: recepti, vt quàm minimè ſe diffunderent, nec facilè ciuitatum iure donarentur. Quocircà ridebant in ſinu, otioſeque ſpectabant dimicantes aduerſus incrementa noſtra Catholicos, & fruebantur conatibus bonorum hominum non bonis, reſpuentium ſcilicet auxiliares copias contra præſentem hoſtem, non modò arma coniungere paratas, ſed vltrò ſeſe ad prima maximeque ardua belli offerentes, ac infimis precibus laborem periculaque omnia depoſcentes. Sed ſiue hic hominum fuit error, ſiue voluntas Numinis, in cuius arcana mortalibus ingredi nefas; partes interim certè ſuas agebat teterrima illa peſtis hæreſeos, totoque Belgio impunè volitans iactabat ſua virulenta capita, deplorando tot animarum interitu. neque dum (prò dolor!) tanto annorum ſpatio inter tot belli Duces & Heroas hydra illa ſuum inuenit Alciden.

Ilſtæ in Friſiâ Collegium inchoatum.

Prouinciarum à Rege defectio.

Haræus Annal. Belgic. Tom. 3.

Intereà poſt Ioannem Auſtriacum Belgij Gubernatorem mortalibus ereptum Alexander Parmenſis pro Catholico Rege ac Religione fortiter

Origo Collegij Cortraceni. 1583.

titer feliciterque depugnabat, quando ante ceteras Flandriæ vrbes Regi ſuo perduelles egregio paucorum ſtratagemate Cortracum recuperatum eſt, oppidum in Flandriæ ſinu frequens populo & elegans, ſalubri aëre, loco amœno & fertili. Erat tum vrbi Paſtor Ioannes Dauid, magnâ virtute doctrinâque vir: qui quo tempore cum bonâ ouium ſuarum parte, quibus Religio præ patriâ chara fuerat, apud Duacenos exſulabat, amore Societatis captus aggregari voluit; ſed illa ſubita, quam dixi, vrbis reſtitutio ardentiſſimis viri votis aliquam iniecit moram. Itaque iuſſus pro ſuo munere diſperſum gregem colligere, & ſi quâ infectum deprehenderet ſanare; dum id ſeriò & omni virium contentione agit, haudquaquam neglexit publicis priuatiſque ſermonibus deprædicare Societatem, in eiuſque deſiderium ciues inflammare: ac ſubinde, vt ipſe eſſet ad ineundam expeditior, ſibi Collegam adlegit Petrum Simonis, eum, qui haud multò pòſt Iprenſium Epiſcopus renuntiatus eſt. Hiſce rebus ex animi ſententiâ confectis, à Prouinciali Balduino ad Societatis tirocinium euocatur. Quo lætus nuntio, quaſi aut rude donaretur, aut mitteretur manu; captato ſolenni die quo ad frequentem populum pro more dicebat, in ipſo orationis curſu mutatâ voce conſilium animi ſui exponit, Paſtoris abdicat munus; ac vale vltimum gregi ſuo precatus, etiam atque etiam monet, ne Societatis Iesv præſentiam ſibimet diutiùs inuideant, quam ſaluti ſuæ procurandæ commodiſſimam ipſe Paſtor eligeret. Ingens ex tam improuisâ oratione fit animorum commotio. Statim à concione cogitur Senatus, & Primores populi aduocantur. Omnium ſuffragiis de vocandâ Societate decernitur. E veſtigio mittuntur ad Clerum qui Senatus populique voluntatem exponant. Clerus vehementer aſſenſus eſt. Ipſe etiam Ioannes Dauid, cuius gratiâ ſcilicet hæc omnia agebantur, ſententiam rogatur. Erat id actum agere; ſed tamen vel honoris cauſâ, vel ne quid in re tantâ præteritum videretur, rogant cum bonâ eius veniâ liceat Senatui Socios in vrbem aduocare. Paſtor, excuſato veniæ nomine, magnas contrà de conſilio tam pio grates agere, & commendare in exſequendo celeritatem. Impetrato igitur omnium ordinum conſenſu, fit Senatuſconſultum; & per legatos rogatur Prouincialis: qui, acceptâ rogatione, collaudauit eorum ſtudia, quòd Flandrorum primi poſt illas rebellionis turbas Societatem expeterent. Ceterùm, allegatâ ſuorum paucitate, & ne quid in re tantâ præceps ageret, ſolam fecit ſpem Collegij, atque interim magis Cortracenſium deſideria ſtimulabat: donec omnibus maturè exploratis, anno denique M. D. LXXXIII. dedit Socios, & in his ipſum Ioannem Dauid nuper loci Paſtorem, nunc tironem Societatis. Venientes tanto ciuitas affectu complexa eſt, quantum illi ſuis meritis exæquare poſſe diffiderent. Recepti primùm Quæſtoris domo, cùm & Conſul obtuliſſet ſuam. Poſt menſes aliquot, in ædes illas quarum hodieque eſt vſus, ære publico emptas, facta tranſitio. ſupellectilem, vitæque alimenta certatim vterque Senatus vrbis agrique, ac populus ipſe ſuppeditabat. Sanè Cortraci Societatis nomen ſingulariter gratum ciuibus charumque perſeuerat, ab ipsâ Collegij origine. Quin liberalitatis erga nos tanta fuere incrementa nunc ampliato fundo, nunc templo eleganti ſplendidoque

didoque ædificato, nunc aſſignatâ dote, vt iure merito ſenatus Fundatoris nomen atque inſignia reportarit.

At Gandaui, Flandriæ metropoli, vrbe maximis Europæ accenſendâ, ſuorum ſibi laborum egregium campum iampridem deſignarat Societas; eoque conſilio Franciſcus Coſterus Gandauum ſubinde excurrerat, concioneſque per Quadrageſimam tum in D. Bauonis, tum in Monaſterio Blandinienſi habuerat, eiuſdemque Abbati Franciſco Helfaultio, piis S.P.Ignatij commentationibus à ſe exercito, magnam voluntatem ingenerarat vocandæ Societatis. Nihilominùs tum illa demum aduocata eſt, cùm, vrbe ab Alexandro Farneſio ad Regis obſequium reductâ, poſtliminiò item reduces Ioannes Betzius & Gerardus Blaſerius accepto à Rege Conſulatu, adiecerunt animum vt antiqua ſinceraque Religio reſtitueretur. Ergo illis auctoribus, volente Clero, pari vtriuſque Senatus conſenſione, Tornacum mittuntur, qui communi Reip. nomine Societatis ſubſidia depoſcant. Oliuerius Manaræus, qui tum Prouinciam pro Generali Præpoſito Viſitator obibat, Gandauum ipſe profectus coràm addixit. Quatuor inchoando Collegio dati an. M.D.LXXXV. quos perbenignè Cœnobij ſui tecto excepit Lambertus Huberti Abbas S. Petri in monte Blandinio; eorumque moribus ita captus eſt, vt, ſi vita ſuperaſſet, Collegium Societati condere & amplo cenſu donare cogitaret. Verùm quàm Abbati iucunda, tam moleſta ciuibus noſtræ opis egentibus ea erat habitatio, quippe in extremâ vrbe & in ipſis propemodum mœnibus. Ergo Senatus in vrbis interiora celeriter vocauit; ac ſubinde ad priores quatuor ſubmiſſus eſt Godefridus Walteri Lummius, vir in dicendo potens, & qui omnibus præeſſet Ægidius Bauarius: quem ſenem ſæpè dicentem audiuimus, peculium omne ſuum, cùm cœpit regere, Iulium ſeu regalem vnicum fuiſſe. Degebant adhuc Patres domi alienæ, vbi pro Religioſâ diſciplinâ minùs commodè tempora partiri poterant. Quare Magiſtratum rogant, liceat ſibi ſeorſim inſtituere familiam, ac per ſe ſuis legibus viuere. Probauit Senatus, & in annos ſingulos mille ducentos florenos addixit. Sacris tantiſper operabamur in ſummâ æde, donec inſtaurato reconciliatoque textorum ſacello, quod ab ædibus noſtris propè aberat, deinde vſi ſumus. Fouebat nos conatuſque noſtros, aduerſus quorumdam obtrectationes, Zacharias Rotzius, primus à reconciliatâ vrbe in D. Nicolai Paſtor; qui quò zelum feruoremque ſuum expleret, in ipſam deinde Societatem ingreſſus, in eâ ſtrenuam vtilemque operam nauauit. Intereà emptæ ædes Ioannis quondam Hembyſij, illius perduellium coryphæi: cui etiam tum cùm illas incoleret, nonnemo de eius familiâ, quo neſcio inſtinctu, auſus fuit vaticinari, futurum aliquando, vt nî impiâ templorum profanatione abſtineret, ipſa illius domus in ædem Deo ſacram conuerteretur. Senatus in quartam pretij partem venit. Præcipua Hembyſij aula, vbi contra Deum Regemque ſua ſolebant agitare conſilia rebelles, in ſacelli ſpeciem conuerſa: cui aptando, ipſiſque etiam ædibus in noſtros vſus formandis, mille ſexcentos Senatus adiecit. Mox & alia ſtabiliendæ Societati ſubſidia curauit, ſatagente ſingulariter rerum noſtrarum Blaſerio; qui vti Reip. bono natus, ſic auctoritate præ-

Collegium Gandauenſe, anno 1585.

ſtabat. in cuius fauore patrocinioque quantum præſidij haberemus, tum deniquc intellectum, cùm Oliuerius Manaræus, illo abſente, Senatum de dote fruſtrà interpellauit. At Blaſerius reuerſus, tametſi non ſine animi ſenſu videbat dilapſam occaſionem, nihilominùs auctor eſſe perrexit, Collegium vt perfectè conſtitueretur, ſcholæ vt darentur; ſibi Senatuique curæ fore, vt eius nos conſilij haudquaquam pœniteret. Hac ſpe Societas auctoritatem viri ſecuta eſt. & ſpem bonam res ipſa adæquauit. Annô M. DC. VI. noui templi, quod D. Læuino Gandenſium Apoſtolo & Patrono ſacrum, fundamenta iacta, præcipuis publici ærarij impenſis, Conſule Roberto Hellin Waſſenhouio, & illo noſtri Ordinis ſtudioſiſſimo: cuius iampridem ſoror ad Lummij concionantis vocem in D. Claræ Monaſterium ingreſſa, prima fuerat quæ priuatæ in hac vrbe liberalitati erga nos ſtrauit viam. Perficiendo templo certum vectigal, approbatione commendationeque Archiducum, maximâ omnium voluntate, conſtitutum: quâ publicâ munificentiâ publicis vrbis comitiis hactenus prorogatâ, præclari quoque ædificij pars benè magna exſurrexit, adnitente in primis Guilielmo Blaſerio Conſule, Gerardi filio, paterni in Societatem affectus herede. Nec tacendus Georgius della Faille Caſtellaniæ Audenburgenſis Prætor; cuius eximiæ liberalitati multa debet Collegium, plura cum die debiturum.

Iprenſe, eodem anno: Idem annus qui Gandenſibus, dedit & Iprenſibus Societatem. Occaſio Martini Rithouij glorioſa vincula fuere. Is primus Iprarum Antiſtes indignè à perduellibus carcere tenebatur, quando ipſe inter catenas ſua in hæreſes conſilia cudens, de aduocandâ Societate decreuit. Ergo vbi vinculis exemptus eſt, nihil prius habuit quàm monere Parmenſem Ducem, & arcani Concilij Præſidem Gulielmum Pamelium, ambos in noſtrum Ordinem ſuâ ſponte propenſos, de cenſu duorum Cœnobiorum iam ruri deſertorum alendis Sociis applicando. Valuit tantorum virorum auctoritas apud Philippum Regem, qui rogatus, perbenignè quod petebatur dedit, annuente Gregorio Papâ XIII. Intereà decem menſium fame Ipras Flandriæ vrbem munitiſſimam Parmenſis expugnat. Continuò in miſerorum ciuium ſolatium mittuntur Socij, quos primùm Adrianus Baccherus templi primarij Paſtor, deinde Antonius Hennin, qui poſteà quintus vrbis Epiſcopus fuit, liberali hoſpitio accepere. Tertia ſedes in Markenſium quondam Monialium refugio fuit; ſed noſtris vſibus haud magnopere conueniebat. Ergo ad extremum Senatus idoneas dedit ædes ex publico, quas conſtanter incolimus; patrocinante nobis Petro Simonis in demortui Rithouij infulas ſubrogato, & iam inde, ex quo Cortraci à Ioanne Dauid in partem curæ Paſtoralis vocatus fuerat, noſtri peramante. Templum aliquod pro iſtâ tunc initiorum tenuitate celeriter excitatum in vſu fuit, donec hoc ipſo ſæculari Societatis anno aliud magnificum per plures fabrefactum annos, magnâ celebritate patefactum eſt. Ad hæc peramplum & elegans erudiendæ iuuentuti Gymnaſium publico ære poſitum, hortus latifundio ampliatus, aliaque multa, fautore in primis Carolo de Ideghem, Comite de Watou, Barone de Wieſe, non mediocrem vrbis erga nos beneuolentiam teſtantur.

Tam

Tam felicibus per Flandriam assurgens incrementis Societas, necdum Bruxellis, vbi Brabantiæ Ducum Aula est, certam sedem vllam habebat: quamuis frequenter eò vocaret rerum agendarum necessitas. Id caussæ fuit cur Franciscus Costerus Prouincialis Iacobum Zelandrum, aliosque duos istic commorari iuberet, tractaturos Collegiorum negotia; tum etiam vt essent, ad quos alij de Societate diuerterent. At enim qui ad negotia tractanda missi erant, tamquam securi & in otio viuerent, ita toti habendis concionibus, confitentibus audiendis, omnibusque Instituti nostri muniis vacabant. Nec enim segnes animos, aut ab animorum salute procurandâ vmquam quietos, patitur viuidus ille & ad agendum semper impellens spiritus. Hac re factum, vt amari passim cœperint, & vulgi sermonibus celebrari. Accedebat ad propriam virtutis gratiam magna commendatio, & ingens Alexandri Ducis patrocinium: qui pro innato erga nos amore non dubitauit hortari, vt exemplo aliarum Belgij ciuitatum dignitate potentiâque inferiorum, Bruxellenses quoque auderent, & aliquam inirent vocandæ Societatis viam. Neque suo tantùm commendabat nomine, sed Regis etiam Philippi: qui recèns datis hoc argumento litteris Ducem cum curâ monuerat, vt Societatis præsidio munire satageret præcipuas quasque Belgij ciuitates. Non poterat tantis Principum postulatis non libenter obsequi vrbis Senatus. Itaque litteras ad Franciscum Costerum Prouincialem expediunt sanè honorificas, quibus primùm, nec immeritò, deplorant præteritis bellorum tempestatibus afflictam oppressamque Remp. suam communi patriæ calamitate. Deinde sæpiùs agitasse animo fatentur ante ipsas turbas aduocare Societatem: quod quia neglexerint, nunc conscientiâ vrgeri, adeoque extremos adhibere velle conatus impetrandis aliquot Patribus opem prostratæ ciuitati laturis, & suum Religioni restituturis decus. Tum sua vicissim auxilia repromittunt, spondentque, vbi paululùm ex calamitatibus emerserint, haudquaquam passuros sese vt meritò aliquid Societas desiderasse videatur. Has non contenti dedisse ad Costerum litteras, ipsum etiam interpellant Ducem, vt auctoritate suâ, Collegij æquè desiderati ac necessarij, principia maturet: quorum optimam voluntatem Princeps optimus amplectens, satisque gnarus in tantis Reip. angustiis, recuperatâ primùm vrbe, difficulter posse Societatem ex publico sustentari, sexcentos ipse annuos ex Regio ærario addixit. Ergo auspicium Collegio datur anno M. D. LXXXVI. Prima prope D. Gudulæ commoratio, alteraque in Sabulone, breuis temporis fuere, propter ædium angustias: quas tamen satis amplas excipiendis hospitio Patribus Capuccinis ex Italiâ à Parmensi Duce euocatis Religiosa nostrorum charitas aliquando fecit; quamuis hinc Thomæ Saillio cum septem Sociis castrensibus diuertendum fuerit ad paternas ædes, vbi mater eius honesta vidua gratissimos sibi hospites retinuit, donec Grimbergana domus pretio comparata laxam stabilemque habitationem dedit. Haud leuem huius domus emptio nobis inuidiam peperit apud eos quos fortuna nostra cruciabat: nec verò quidquam ab iis prætermissum, quò rem cœptam siue apertâ oppugnatione, siue clandestinis molitionibus disturbarent. At Guilielmus Pamelius Præses, vir cordatus,

Bruxellense.

tus, & boni publici, quod Religione potiſſimùm ſtat, verè amans, conſtare iubebat, nec tempeſtati cedere: locum enim noſtris aptiorem vſibus non facilè Bruxellis totis poſſe reperiri. Coſmus etiam Maſſi ſuam nobis ſtatu rerum difficili probauit fidem, quando de Ducis, quem eâ emptione offenſum nobis iratumque iactabant æmuli, beneuolentiâ iuſſit eſſe ſecuros. Gaudere illum aiebat noſtris commodis, ſed ad breue ſeruiſſe tempori, aſſumpſiſſeque aliquod ſuboffenſi hominis ſupercilium propter importunas æmulorum noſtrorum querelas, quos in præſens offenſos noluiſſet. Ceterùm ab ipſo Duce, cui ipſe intimus & à ſecretis erat, ſubleuandis emptionis impenſis florenos mille repræſentauit, & alios ter mille appoſuit de ſuo. Itaque perſtitit in Grimbergano fundo Societas, & labentis ſæculi anno quarto ſcholas ab ipſis Principibus Alberto & Iſabellâ poſtulatas aperuit. Eorumdem Principum auſpiciis & præcipuâ liberalitate templum illud auguſtum, magno vrbis tum commodo tum ornamento, eſt exædificatum. Iuuentus verò ſtudioſa gaudet nobili Gymnaſio: bona inſuper domicilij pars noſtris vſibus educta conſpicitur.

Groningæ Collegium inchoatum 1590.

Laborabat iamdudum Groningæ res Catholica & Regis, inualeſcente Fœderatorum Ordinum potentiâ, omnibuſque circùm oppidis ac propugnaculis ſubactis: ſola reſtabat vrbs prouinciæ caput, idemque ſortita nomen, Groninga, & conſtabat in fide erga Regem, ſiue bonorum virtute Magiſtratuum, ſiue quia valido præſidio tenebatur. Ciuium tamen aliqui nouas de Fide opiniones auidè hauriebant, quas furtim & malis artibus ingreſſi nouatores hæretici ex occulto diſſeminabant. Philippus Rex periculi admonitus, Societatem noſtram gliſcenti malo ire obuiàm voluit; profeſſus eam ſibi maximè idoneam videri ad retinendos in obedientiâ ciues, præ ipſis armis & omni milite præſidiario. Quod grauiſſimum Prudentiſſimi Regis de Societate iudicium ingentes nobis ſtimulos addidit, vt tantæ opinioni exſpectationique reſpondere conaremur. Miſſi ad auſpicandam habitationem Adrianus Arboreus & Zachæus Ribecius, gnaui Sacerdotes, cum litteris Regiis: quas vbi Magiſtratibus exhibuere, magno accepti honore, omnibuſque humanitatis officiis cumulati, non modò ſedem figere permiſſi ſunt, ſed ædibus quoque non incommodis donati. In D. Walburgis æde primus vocem extulit Arboreus, tantâque hominum approbatione auditus eſt, vt ad princeps D. Martini templum, rogante ipſo Paſtore, fuerit tranſeundum. Intereà ſtabiliendæ Societati, curandiſque vitæ ſubſidiis ante alios intentus Ioannes de Goudâ, vir Iuriſprudentiâ legationeque pro Rep. apud Regem obitâ clarus, Senatui auctor fuit, vt Fratrenſium (qui iam ad vnum interierant) poſſeſſiones, cum alterius Cœnobij dudum deſerti annuo cenſu, bona Pontificis gratiâ, adornandis Collegij primordiis tranſſcriberentur. Sed breuis temporis felicitatem abſtulit annus nonageſimus quartus: quo anno Nonis Maij Comes Mauritius Batauicæ militiæ Imperator admouit vrbi copias, ac diuturnâ fractam oppugnatione, cùm ab Erneſto Principe promiſſa auxilia expediri vetaret maior Brabantiæ neceſſitas, tandem Idibus Iuliis æquas pactam conditiones, niſi quòd Religioni Catholicæ vrbe interdictum fuit,

fuit, in ſuam redegit poteſtatem. Potitis rerum Nouatoribus, dimiſſi noſtri (quæ enim tenebrarum cum luce ſocietas?) magno Senatus, magno bonorum omnium luctu. ac præterea vt hæreticorum quâ nos proſequuntur beneuolentiam intelligas, nonnulli ciuium exſilio mulctati ſunt ob propenſam in nos (quod immane facinus habebatur) voluntatem.

Iam Brabantia Flandriaque nobiliſſimæ Belgarum Prouinciæ octonas Societatis ſedes pari numero diuidebant: nam iſta Groningæ incunabula ad neutram harum pertinent, & in Collegiorum cenſum venire vix poſſunt. Louanienſe, Antuerpienſe, Traiectenſe, Bruxellenſe, domicilia habebat Brabantia; Flandria Brugenſe, Cortracenum, Gandenſe, Iprenſe. Hoc rerum noſtrarum ſtatu Alexander Dux Parmenſis graui ætate, & verò curis morbiſque confectus, dum tertiam in Gallias Procerum Catholicorum rogatu expeditionem molitur, fatis conceſſit Atrebati anno M. D. XCII. quem verè Belgij recuperatorem, reſtauratoremque Religionis poſſumus nominare. Magnum in illo Principe columen amittebat Societas, niſi poſt breue interregnum Erneſtus Auſtriacus Archidux Prouinciarum habenas moderandas ſuſcepiſſet, ſummâ Belgarum gratulatione. Parmenſem & amplius receperamus, ſpeſque aperiebatur ad maxima Societatis incrementa, cùm vix anni vnius Gubernatorem, quo ſcilicet Belgę digni non habebamur, acerba mors ſuſtulit, ſpeſque ingentes repentè collapſas in eumdem cum Erneſto tumulum importauit. Mortis à Sacerdote noſtro, quod nemo alius audebat, admonitus, Fontano Comiti Rempublicam commendauit. Sed tamquam Erneſti funere iratos nobis Superos placauiſſemus, breuî Albertum dedêre Cardinalem, vt naturâ ſic moribus ſimillimum fratri. ita ſolo nomine alium Principem habebamus, cetera Erneſtum. Et militaris fortuna, quæ Parmenſem nuper dimiſerat, quaſi adhuc exſpectaſſet, continuò Albertum ſequebatur. Sed aliæ mox curæ in Hiſpaniam vocarunt: vnde cum Iſabellâ coniuge, Philippi Regis chariſſimâ filiâ, in Belgium reuerſus, dotales Prouincias incredibili populorum gaudio accepit. At Societas ſi vel perpetuis ad eum diem tempeſtatibus fuiſſet exercita; tamen ſolari caſus ſuos poterat præſenti felicitate, quando Albertum & Iſabellam vt munificentiâ Principes, ita beneuolentiâ Parentes cœpit experiri.

Moritur Alexander Dux Parmenſis:

& Erneſtus Auſtriacus Archidux.

Albertus Auſtriacus fit Belgij Gubernator.

Albertus & Iſabella parentes Societatis Belgicæ.

Tantis auſpicibus facili & fortunato partu natum eſt Winocibergenſe Collegium, in eâ Flandriæ parte, quam Morinis conterminam alluit Oceanus. Vrbs ea eſt triginta duûm circumiacentium pagorum ditione nobilis; ſitu opportuno ad merces rerumque omnium copiam: vt meritò dubitatum ferant, Bergíſne an Duaci nouæ Academiæ ſedes collocaretur. Incolas, quamuis ingenio liberales, tamen bella cum Gallis geſta reddiderant incultos; & quæ ſcholæ ſub Deſpauterio Grammaticorum principe quondam floruerant (ſilent enim inter arma litteræ) penitus iacebant. Ad neglectum ingeniorum grauius accedebat malum deprauata Religio: & paſſim veneficia, quæ mortalium teterrima peſtis eſt, toto agro dominabantur. Hiſce tot malis à Rep. auertendis, firmatâ iam inter Reges pace, intentus Senatus ad

Collegium VVinocibergenſe.

Societatem (cuius fructuosos labores ad ipsa littora Oceanumque fama pertulerat) respexit, auctore Consule Gisleno Diserino: quem virum magna erga nos merita commendant. Legati mittuntur ad Bernardum Oliuerium Prouincialem, cum amplissimis mandatis vt Collegium petant; fundum, ædes, templum, gymnasium, dotem Senatus nomine promittant. Bernardus, actis ex merito gratiis, non statim quæ illi honestissimè offerebant ausus admittere, solam spem Collegij in præsens faciebat. Dolenter eam repulsam tulit Senatus; & consensu omnium repetita legatio est. Adiecit publicæ vrbis rogationi suam quoque Carolus d'Argenteau S. Winoci Abbas: qui & ipse non vno beneficio nos sibi obstrictos tenet. Petrus item Simonis Iprensium Episcopus, à quo sacra Bergenses petunt, auctoritatem suam interposuit. Neque iam diutiùs postulatis resistere licebat. datus est Sociorum manipulus; & iam scholæ parabantur, cùm Batauorum classis littora minaciter oberrans, magnam fecit totâ Flandriâ trepidationem. sed ea tempestas post cruentam ad Neoportum pugnam dissipata est; quies vrbibus reddita. Tum verò strenuè in rem Collegij Senatus incubuit; & quàm liberaliter promiserat, tam celeriter omnia præstitit, beneficio festinatione duplicato. In Collegij fundamentis cùm nonnemo diceret excedi terminos, Consulem respondisse ferunt, isto in ædificio nullos sibi præfixos limites; &, si qui forent, modum sese excogitaturum transgrediendi, cùm probè sciret quanta vrbis agrique Bergensis in Societatem iam tum esset obligatio. Certè Bergensium tanta sunt in nos merita, vt partes omnes absolutæ munificentiæ prorsus expletas ipsi iure possint gloriari, nos agnoscere cogamur. Eam vrbis beneuolentiam, si verum quæritur, suâ in primis virtute Societati conciliauit P. Eduardus Dauwe Gandensis, quem suum Apostolum Bergenses nominant: cui post Deum seruatæ amplificatæque Religionis decus, & insignem morum emendationem ciuitas debet.

Induciæ duodennales inchoantur anno 1609.

Collegium Siluaducense.

Hactenus intestinis bellis patria distrahebatur; & tamen obnixa duris crescebat Societas, tametsi tardiùs quàm si pace frueretur. Manifestum id fecit annus sæculi nonus, qui, pactis inter Albertum Principem & Ordines Fœderatos induciis, bina continuò dedit Collegia, Siluaducense & Ruræmundanum. Siluaducis ciuitas Brabantiæ quà Hollandos respicit extrema, situ loci & munitione expugnatu difficilis. Martia fuerat flagrante bello; & scholas illas Verepæo Doctore celeberrimas arma prostrauerant. Induciis bonæ artes inuitabantur ad reditum; & illarum potens mæcenas Gisbertus Masius, vrbis Antistes, omnem dabat operam impetrandæ Societati. Post magna denique studia, cùm & Albertus Princeps intercederet, cessit Prouincialis auctoritati magis quàm rationi: nec enim vrbs illa militiæ assueta, tympanorum bombardarumque strepitu, pactis licet induciis, perpetuò personans, locum nostris functionibus magnoperè idoneum relinquere credebatur. At numquam euidentius fuit, fidem aliquando vanam humanis opinationibus subesse. Aliter planè omnia, quàm timor fuerat, euenere: vix vspiam vtiliùs habitatum. Episcopus venientes Socios accepit ipse domo, tamquam filios pater, & semestri liberali-

beralitate tractauit, ac ne tum quidem sine lacrymis abire permisit. Sed & in propriam possessionem ingressis, per dies multos submisit fercula, dedit supellectilem, omni denique beneficio ad inuidiam vsque cumulauit. Ædes amplas vrbe mediâ & opportunas habitabant, vicinas Monasterio, quod Monialium tunc erat, sed fuerat Beggardorum, & Societati denique accessit. In quo illud memorandum, quod ipse Masius Antistes Rectori affirmabat, annos iam esse ampliùs triginta, cùm Beggardorum Præfectus secum egisset de Cœnobio illo Patribus nostris consignando; eumdemque, mortuis ad vnum quibus præerat Beggardis, desperato nostrorum aduentu, ritè illud transscripsisse Monialibus, additâ cautione, vt, si Patres venire contingeret, cedere meminissent. Ita tot annis Societati suæ, antequam sedem ibi figeret, diuina bonitas paternâ prouidentiæ suæ solicitudine consulebat. Viginti non ampliùs annorum fuerat habitatio, quando inuictam vrbem, persæpè aliàs frustrà tentatam, quinque mensium feroci oppugnatione, Henricus Princeps Auriacus subiugauit. Nostris exsilium imperatum. *Captâ Silnâducis Societas pellitur.*

At Ruræmunda, quamquam & ipsa impotentes dominos aliquando passa, retinuit tamen Societatem, sed forsitan pari, quo Traiectum, periculo; nisi melior Deus, & cum Deo Ferdinandus Princeps Cardinalis, ereptâ hostibus vrbe, periculum propulsassent. Est ea ciuitas Geldriæ, Sicambris olim habitata, vbi Rura fluuius se in Mosam exonerat, eoque Ruræmunda (quasi Ruræ ostium dicas) nominata, mercaturæ faciendæ peropportuno situ, nisi domesticis opibus moderatè vti mallent incolæ, quàm abundare importatis. Gens sine fuco est, & moris sui retinentissima: neglectum tamen Religionis aliquem aut contemptum traxerat è vicino. Degebat eo loci Quæstor Regius Ido de Grammaye Societatis nostræ amantissimus, eamdem, si quâ posset, vel ipsis humeris in vrbem inuecturus. Consilia sua Henrico Cuyckio Episcopo, & Hermanno Comiti Bergensi Prouinciæ Præfecto exponit, probatque. Accersitur Traiecto Ecclesiastes noster, occupaturus populi fauorem. Iamque omnia prona erant; Episcopus, Comes, Cancellaria, Camera Rationum, Senatus populusque Collegium expetebant. Anni tamen aliquot iuere, dum prouentus necessarij quæruntur. re maturâ, Socios dedit Franciscus Flerontinus Prouinciæ Moderator. Domicilium suum Episcopus, quod Cœnobium olim fuerat Canonicorum Regularium, offerebat cum aliâ idoneâ domo commutandum. Nec verò poterat optari melior habitatio. Sed mens viro deinde mutata est, & ipse breuî ex humanis excessit. Eius successori Iacobo à Castro placuit commutatio. Huic domum idoneam Ido comparat; cuius emptionem Albertus Archidux quatuor florenûm millibus subleuauit. Ita nostri in Episcopium transiere. *Collegium Ruræmundanum.*

Vnius adhuc Prouinciæ nomen iusque obtinebat toto Belgio Societas, quando Collegiorum copia diuisionem suasit. Romæ acta res, procurante Carolo Scribanio. In Flandro-belgicam & Gallo-belgicam facta partitio est. Vndecim relicta nobis Collegia, quæ hactenus memoraui; aliorum meminisse, instituti non est: quod ab initio profitebar. Ceterùm, diuiso Belgio, quærebatur Tironibus sedes, quos adhuc habue-

habuerat Tornacum. Inde Antuerpiam educti, dum idoneus circumſpicitur locus, biennium exegere. Diuturnam dubitationem opportuna diremit liberalitas honeſtiſſimæ viduæ Gaſparis Tacquetij, quæ ſex ampliùs florenûm millia legabat hac lege, vt aut Mechliniæ, vbi ipſa nata erat; aut Liræ, vbi educata, ſedem ſtabilem intra anni ſpatium figeremus. Vtraque tirocinio commoda ciuitas viſa. Liram Scribanius præoptabat, ab Aulâ, à mercibus, ab omni ſtrepitu remotam. Ibi domum ſex florenûm millibus emit; Senatumque vrbis aggreſſus, perpetuam Societatis operam addicit, præcipuè ad iuuentutis inſtitutionem, viciſſim poſtulans ſummam illam refundi, & annuos prætereà non ampliùs trecentos. Placebat Senatui tam modeſta petitio. iamque tranſactum videri poterat: cùm vix digreſſo Scribanio, iniquiſſimæ obtrectationes æmulorum, quibus aures Senatus dabat, turbauêre omnia, & factum infectum reddidere. Ergo ad Mechliniam conſilia conuerſa, felici, vt res docuit, neceſſitate. Mechlinia quaſi in trigono, inter Louanium, Bruxellas Antuerpiamque centri vicem obtinens, abeſt à ſingulis quarto milliari. Ciuitatem inſigni ſpecie & nitore commendabilem paſſim Pulchram dixêre. Ager vndique peramœnus & fertilis, ſalubre cælum. Sedes ibi Metropolitana, & magnum Concilium Regis, quod Parlamentum vocant. Huc Societatem inuitabat Franciſcus vander Burcht Capituli Metropolitani Decanus, qui nunc eſt Archiepiſcopus Cameracenſis. Domus quærebatur: quam anxiè circumſpicientibus Patribus, ſuggerunt amici vacare ædes Cæſareas ampliſſimi fundi, quas Philippus Rex I. Carolus V. Imperator, Philippus Rex II. Maria Hungariæ Regina, quondam habitaſſent. Spem impetrandi eſſe ab Alberto Pio Principe, & vero parente Societatis. De amicorum conſilio tentata res ſucceſſit è voto. Archidux rogatus, benigniſſimè dedit, & ſui illud amoris pignus erga nos exſtare voluit: quin de dote cogitabat; ſed eam mentem retardauit iniquitas temporum, mors denique abrupit. Ergo in eam vrbem & domum Tirones introduxit Antonius Sucquetius ipſorum Moderator: quos vbi aduentaſſe intellectum eſt Bruxellis, illicò Albertus Princeps cum Sereniſſimâ coniuge Iſabellâ Mechliniam aduolant, domum accuratè inſpiciunt, cubicula omnia perambulant, luſtrant ſupellectilem, ne quid fortè ad neceſſitatem, atque etiam ad Religioſa commoda, nouellę iſti Familiæ deeſſet. Aduertit Princeps hortum poſſe alienis oculis infeſtari à vicinâ nobilis & Conſularis viri domo. Eum continuò adeſſe iubet, domum iuſto æſtimatam pretio ſibi tradi poſtulat; acceptam conſignat Antonio Sucquetio, affirmans à Religioſo fundo profanos oculos decenter excludi. Templum deerat: id ex domicilij parte coaptatum, cui nuper ſacellum elegans adſtructum, immaculatæ Virginis Conceptioni ſacrum.

Domus Probationis Mechlinia.

Alberti & Iſabellæ Archiducum erga Societatis Nouitios affectus.

Iam trium Collegiorum, Siluaducenſis, Ruræmundani, Mechlinienſis, exemplo prouocabatur Flandria, vt & ipſa per induciarum tempus ſuas vrbes Societati poſſidendas daret. Itaque Dunkercam in auſpicium accepimus anno M. DC. XII. deinde Caſſetum, mox Belliolum, denique Aldenardam conſequente curſu, vt annorum ſingulorum ſingula fuerint Collegia. Maritimum oppidum Dunkercam, validiſſimis claſſi-

Collegium Dunkercanum.

classibus celeberrimam toto iam dudum orbe fama celebrauit. Angustis mœnibus incolæ clauduntur innumerabiles. Magna hominum ex omni genere colluuio: nautæ milites que confusi. Ciuibus ingens animus, & omni periculo maior. Mercatura tot bellis turbata, tamen florens perseuerat. In hanc vrbem iam annis aliquot excurrebant Patres ex Collegio Bergensi vicinitate inuitati, & egregiam in iuuando ciue, milite, nauticis operam ponebant: sed prima cura captiuorum erat, quos semper plurimos & ex hostibus plerosque publicus carcer includit. Inter hæc loci Pastor vnicus cùm subitò raptus esset, vniuersum pænè onus nostris humeris incubuit. Ea caussa fuit de domicilio cogitandi; quod iam vltrò Dunkercanorum aliquis, isque primus, in Societatem ingressus donabat. Res ad Senatum refertur, apud quem maximâ auctoritate pollebat Syndicus, homo hæreticæ factionis. Hoc auctore Senatus restitit, donec Alberti Archiducis litteris permotus habitationem concessit quidem, sed auxilio prorsus nullo. Domesticam interim subleuabat inopiam priuata liberalitas tum Læuini de Clerck viri opulenti, tum Adriani Cancellier Abbatis Dunensis, qui in vrbe patriâ Collegium fundare decreuerat: facturus vtique, nisi mors virum vitâ dignissimum immaturè occupasset. Ceterùm semel negatâ ope Senatus in sententiâ perstabat, non per se à nobis alienus, sed incentore Syndico. Scribanius tamen Prouincialis, incolarum visâ multitudine, fructumque considerans quem tantus ager promittebat, quamuis negato subsidio, non deserendam esse hanc tam copiosam messem existimauit. Perrexit ergo cum paupertate suâ luctari Societas, & indefesso labore in salutem omnium incumbere. Conciliauit ciuium multos ille ardor: & Senatores priuatim amici erant; in curiâ etiam, nî Syndicus repugnaret, suffragaturi. Nec latebat hominem maior indies animorum inclinatio. Quare ne inuidiam sustineret solus, & habebat iam ipse filios maturos scholis, quos alibi alere pretiosum; fit Senatui auctor, vt Patribus, si opem vellent, imperentur scholæ. Paret Societas. Subinde & naualis missio instituta auxit erga nos vrbis beneuolentiam. Ac tum denique liquida omnia fuère, postquam illum aduersantem Syndicum prodita hæresis Dunkercano regno eiecit, damnatumque æterno carceri mancipauit: ex quo tamen à liberis aliquando adiutus, ad suos Batauos euasit. Certè nobis propensionem suam tunc maximè probauit Senatus, cùm templum elegans, partemque aliquam domus, summâ celeritate (vix triennij spatium fuit) excitauit.

Casletanum Collegium.

Haud procul Dunkercâ Casletum conspicitur, in edito monte sita ciuitas, despiciens ditionem suam circumquaque diffusam, vberi solo, magnâ oppidorum pagorumque frequentiâ. & habet ditio peruetustam numerosamque nobilitatem, quam procurandæ salutis studio per interualla visebant ex Bergensi Collegio & Iprensi Patres. Horum studiis delectati Proceres, de collocandâ Casleti Societate seriò inter se agitare cœperunt: nec enim agro toto, tam lato, vlla tum erat Religiosa Familia quæ saluti vacaret animarum. Ante alios Nicolaus de Montmorency Comes Stegrensis, & Lamoraldus de Hornes Vice-comes Furnensis, idemque in Casletanâ ditione supremus Prætor, rem vsque

adeò promouerunt, vt omnium consensu ordinum, paribus Senatus populique votis peteretur Societas; simul fundus, ædes, templum, prouentus liberaliter offerrentur. Tam nobiles animos, & magnis vrbibus æmulandam munificentiam obstupuit Prouincia, & postulatos Socios libenter dedit anno sæculi tertio decimo. Domus continuò ædificata cum scholis: templi fabricam inchoatam perfici vetat temporum iniuria Gallico flagrante bello; penes quod vnica moræ est culpa. Morbecano Comiti Roberto de S. Audomaro voluntas fuit Collegij dotandi; sed eam laudem Casletanis Ordinibus præripi haudquaquam decebat. Ita quos alibi singulos desiderat fundatores, hîc vltrò plures & certatim sese offerentes admittere non potuit Societas, vnius beneficio contenta.

Collegium Belliolanum. Ferebantur res nostræ secundissimo cursu per Occidentis Flandriam, & cum annis Collegia numerabantur. Nam proximus à Casletanâ Belliolanam habitationem dedit. Belliolum prisci Belgiolum dixêre, quòd ille terrarum tractus vndique montibus à naturâ vallatus olim Belgis aduersus Cæsarem perfugium præberet. Maior loci amœnitas an vbertas, iure ambigi potest. Oppidum populo frequens est, & pagos quindecim amplectitur: in quorum nonnullis quatuor millia capitum. vicinas habet Ipras vix tertio lapide. Et hinc facili excursione iam annis multis nostri lustrare Belliolanos consueti, maximos ex agro illo fructus colligebant. Nullum tunc erat Bellioli, totâque ditione, Religiosorum hominum domicilium. Pastor itaque Iudocus de Peystre Societatis laboribus gaudebat subleuari suos; & pro insigni in gregem suum affectu optabat nostris, in animarum salutem tantoperè intentis, aliquem in vrbe suâ locum. Tentare aggreditur Senatum, & grauissimis rationibus in sententiam pertrahit. At Societas animi pendebat, ex vsúne foret Bellioli habitare, tam vicinis Ipris & Casleto: nec pauci repugnabant: sed euicit tamen Senatus Societatem postulantis ardor, aut certa potiùs diuinæ voluntatis destinatio. Nam semel iterumque nunc Carolus Scribanius Prouincialis, nunc Henricus Scherenus Visitator, partim aliorum hortatu, partim etiam propensione suâ domicilium illud sublaturi videbantur; sed vterque consulto per preces Deo, nullâ quidem certâ ratione, tamen mutatâ voluntate nostros in loco constare iusserunt. Expertus per triennium vtilissimam Societatis operam Senatus, quamquam difficillimis patriæ temporibus, fundandi Collegij onus magnâ voluntate suscepit. Exinde auspicium scholis datum. assignata dos, fundus emptus: in eoque domus sensim ædificari cœpta, in cuius partem immigratum, post miseram annorum vndecim stramineis casis habitationem. Templum quoque haud ita pridem positum est D. Iosepho, amplum pro loco & concinnum. Pastor, quem primum aduocandæ Societatis auctorem dixi, quasi iam officio erga gregẽ suum abundè perfunctus, in eam ipsam ingredi voluit; factoq; virtutis ac meritorum compendio, Mechliniæ intra Tirocinij biennium diem suum obiit, maturâ ætate vir, & cælo vtiq; maturus. Nec memoriâ indignum, quòd vrbis Syndico Ioanni Sammijn, qui studio erga nos cum Pastore certauerat, accidisse memorant, supremam animam agenti.

ti. Is posteaquam ad dies aliquos mortuo similis iacuerat, subitò sibi redditus, magnamque animi hilaritatem vultu & ore spirans, beatum sese prædicauit, & salutis suæ certum, ob nauatam strenuè operam in collocandâ Bellioli Societate.

Vertebatur annus ab auspiciis Belliolanis, quando Aldenardæ, veteri sede Neruiorum, cœpta est habitatio non dissimili ex caussâ. Pastor enim & Persona loci (quod nomen dignitatis est) Petrus Langritius, magnoperè cupidus videre Societatem fixâ sede stabilitam, sedulò prensabat Senatum, & populi Primores, quorum erat rem tantam definire. Et Senatus quidem facilè flectebatur: at in populo residebat quæ nescio sinistra de nobis opinio, quam non pauci maleuoli inuidiosis sermonibus alebant. Ad eam potissimùm euellendam missus Gandauo Ecclesiastes noster, vir sanè eloquens & strenuus, qui suis concionibus nomen Societatis reddidit populo gratius, & non exiguum illius desiderium excitauit. Tandem publica vrbis comitia coguntur: de admittendâ Societate proponitur: omnes, vno dempto, suffragantur: fit solenne decretum: tabulæ conficiuntur: Principes rogati probant. Angustis primùm ædibus habitatum, necesse vt fuerit & alieno templo vti ad sacra, & alibi conductâ domo docere iuuentutem. Sed vrbis agrique beneficio sensim spatia laxata; ampliatus hortus; pars aliqua domicilij exædificata, in templi vsum tantisper conuersa est. Cetera sperantur. *Aldenardense Collegium.*

Rursum ex Flandriâ in Brabantiam delabor ad Lirani Collegij primordia. Lira Brabantiæ oppidum est pari ferè spatio Antuerpiâ Mechliniâque dissitum; hortis, ædibus, fluuiis celebrandum. Scholas olim nobiles habuit, clarorum altrices virorum; è quibus nos Franciscum Costerum, & Martinum Antonium Delrium, habuimus. Has temporum iniquitate dilapsas restaurare meditabatur Senatus anno M. D. LXXXV. & super eâ re tentauit Societatis animum. At vbi ex Ioanne Orano Collegij Antuerpiensis Rectore intellectum est de dote Professoribus assignandâ, continuò res tota conquieuit. Intereà Patrum Antuerpiensium zelus, probante in primis Episcopo, Liram sibi sumpserat catechismis & concionibus excolendam, incredibili ciuium voluptate fructuque: ac subinde domus venum proposita est, in quam Flandro-Belgicum Tirocinium, diuisâ iam Prouinciâ, laborabat inducere Carolus Scribanius, quemadmodum suprà est indicatum. Res cum Senatu aut acta erat, aut videri poterat: sed quorumdam intercedente inuidiâ, in fumos abiit, haud leuiter indignato Antistite Ioanne Miræo, & damnante Magistratuum inconstantiam. Itaque domo, quæ frustrà iam erat, iterum diuenditâ, pergebant nihilominùs Antuerpienses Patres iuuare vrbem variâ functione; sed potissimùm Catechismo: quem longè celeberrimum singulari gratiâ sustentabat nostrûm aliquis, adeoque sibi amorem deuinxerat tenerioris ætatis, vt turmatim pueri puellæque effunderentur in occursum venientis ad aliquot passuum millia, & faustis precationibus lætisque carminibus deducerent in vrbem quadam similitudine triumphi. Hæc quoque Societatis gloria perstrinxit oculos æmulorum: tantumque potuit inuidia, vt statio- *Collegium Liranum.*

nem ſuam Catechiſtes deſerere cogeretur, tanto ciuium luctu, lacrymiſ-que puerorum, quanta præceſſerant gaudia. Quin vt Collegij ſpes omnis Societati præcideretur, ſcholarum cura aliis demandata eſt à Conſule, pleriſque ciuium noſtram repulſam fruſtrà deplorantibus. Nihil eo facto commota Societas (cui per ſe aut per alios Dei gloriam ſalutemque hominum procurari, nulla diſtinctio eſt) locum nihilominùs elegit tertiæ Probationis Patribus habitandum: nam Tirones iam acceperat Mechlinia. Ergo illa ipſa domus anno huius ſæculi decimo quinto denuò redimitur à noſtris; eiusque poſſeſſio eſt adita, nullis à ciuitate expetitis vitæ ſubſidiis, nullâ viciſſim ope compromiſsâ: quam tamen omnem ex Inſtituti noſtri legibus haud cunctanter impendimus. Senatum quoque temporibus mutatis mutatum ſenſimus, neque ſemel liberalem.

Collegium Aloſtanum. Iam ad finem ſuum duodennales induciæ vergebant, quem ſibi præoccupandum Aloſtana ciuitas duxit, admiſsâ Societate anno M. DC. XX. Aloſtum Bruxellas Gandauo diuidit itinere dimidiato, Flandriæ Imperialis & ingentis territorij caput. Eò ſubmiſſus è noſtris Sacerdos vſque eò inflammauit ciuium deſideria, ipſumque permouit Senatum, vt ſeriam de Societatis Collegio ſuſceperint cogitationem. Acceſſit ad cauſſam vehemens patronus Iacobus Beeckmans, Decanus & Paſtor vrbis; neque à ſuſcepto ſemel patrocinio multorum contrà nitentium auctoritate paſſus eſt ſeſe reuocari. Ac ſubinde Dux Arſchotanus poſt creatos Principum nomine Magiſtratus nouos, graui oratione Ordinem noſtrum in Senatu commendans, facilè quod volebat perſuaſit. Communi vrbis ac Procerum nomine Decanus & Conſul ad Carolum Scribanium Prouincialem legantur Collegium rogaturi, deque eius ſuſtentatione publicam daturi fidem. Scribanius initio par Sociorum dedit, gnauos & inſignes viros: quos trimeſtri hoſpitio perhumaniter apud ſe habuit Decanus. Domum non ita multò pòſt dedêre Proceres cum ſupellectile, ac docendæ iuuentuti magnificum erexêre gymnaſium, perpetuum ſui erga commune bonum & Societatem noſtram ſtudij monumentum.

Duodecimus iam, iſque poſtremus, induciarum exſpirabat annus: iam armorum horror circumſtrepere cœperat, & tamen noua Societati ſedes parta eſt Hallis. *Collegium Hallenſe.* Sunt Hallæ Belgis, quod Italis Lauretum, ſedes, inquam, electa Deiparæ, peruetuſtum Hannoniæ oppidum, Brabantis conterminum, tertio à Bruxellis lapide, admittendis omnium vndique gentium, ſi bella ſinant, peregrinis maximè opportuno ſitu. Eſt in hac vrbe Virginis è ligno ſtatua, trecentis quinquaginta & ampliùs retrò annis omni miraculorum genere nobilis: quam ab Eliſabethâ Hungaricâ, nunc in Cælites relatâ, acceptam olim Mechtildis religioſiſſima Princeps Hallenſibus teſtamento legauit, ingens & ſingulare donum. Eſt ea ſtatua plurimis Regum populorumque donariis diues: ad quam quotidiani indigenarum aduenarumque concurſus; ſed duo ad ſtuporem celebres, in Pentecoſte alter, alter menſe Septembri: quibus anni temporibus hominum infinita millia per turmas & Sodalitia confluunt votiuum Virgini munus ſummâ veneratione repræſentantes. Et verò Diuæ

Diuæ Tutelari vrbem cordi esse, vel ex hoc scias, quòd in tot tantisque Belgij nostri turbis, cùm aliæ vrbes etiam munitissimæ maximæque ab impiis expugnarentur; hæc modica & nihil admodum munita intercipi haud vmquam quiuerit; tametsi perduelles, qui Bruxellarum potiebantur, sæpiùs quà vi quà fraude tentarent, etiam miraculo non semel repulsi. In hanc vrbem Societas, vbique Deiparæ studiosa, iam inde à primo suo in Belgium ingressu oculos coniecerat, excitando in primis eius cultui, vsui Sacramentorum crebriori introducendo, vitiisque quæ vrbem agrumque possederant exstirpandis. Euerardus certè Mercurianus Prouinciæ Præfectus, anno sesquimillesimo sexagesimo tertio, hortante Maximiliano à Bergis Cameracensium Archiepiscopo, dedit diligenter operam, vt Societatis in eo oppido collocandæ aliquam inueniret viam. Sed illo mox ad Comitia Generalia Romam profecto, atque intereà Maximiliano è viuis sublato, adhæc ingruentibus tumultuum Belgicorum turbis, vltra designationem & vota res progressa non est. Balduinus deinde ab Angelis, & ipse Prouincialis, rem strenuè tentauit, labore vano. Post illum Thomas Saillius, cultor Deiparentis eximius, rem propiùs adduxit. Is & pretium emendis istic ædibus iam dudum comparat, & nuper è Galliâ redux feroci excussus equo, cùm hæreret in stapede, inuocatâ Diuæ Hallensis ope, magno viæ spatio ad Hallenses vsque portas pertractus, ornamenta in sacrificium fieri curarat, spe iam tum certissimâ venturę breuî in oppidum Societatis. idemque ad aram supplex, infimis precibus suam (sic vocabat) Dominam obtestatus est, vt, quemadmodum Laureti, sic Hallis sacrum Pœnitentiæ tribunal Sociis exercendum traderet. Ad extremum res tantopere desiderata, tentata toties, tandem feliciter suscepta confectaque est à Francisco Henrico vander Burcht Archiepiscopo Cameracensi, imploratâ in id Alberti Principis pientissimi auctoritate. Et Albertus quidem litteris nostrâ commendatione plenis Senatum cohortatus, sensit vehementer alienum. Libello toto multis rationibus conferto docebant, Societatis admissionem primùm ipsimet Principi fore noxiam, deinde magno Hannonię Prætori, tum loci Magistratibus, ad quos scilicet iam inde ante omnem mortalium memoriam templi sacellique quoad possessiones & ornamenta spectaret administratio. quod munus iniquè à nostris occupandum foret. Binos se iam designasse Sacerdotes peregrinis aures daturos; sique id parum foret, tertium ac plures addituros; præterquàm quòd Mendicantium Ordinum Ecclesiastæ solennibus per annum diebus auxilio venire consueuissent. Adhæc Reip. suæ inopiam repræsentabant; ac denique precabantur, ne Princeps rem tantopere ciuitati suæ grauem, publicæ auctoritati aduersam, imperare pergeret Senatui populoque Hallensi, suis hactenus Principibus deditissimo, nec vllas rebellium partes secuto. Ad has preces Albertus respondere Archiepiscopum iussit. quod profectò hic fecit tanto rationum verborumque pondere, vt continuò Princeps daret ad Senatum litteras, quibus omnino imperabat, vt nostros vrbe ac tecto donarent, vt liberum ad ornamenta thesaurosque Ecclesiæ aditum præberent, vt Confessariorum exedras pro dignitate construerent, vt nobiscum vnanimes, tamquam genuini filij, in excitandum

magnæ Matris cultum diligenter incumberent. Hoc Principis imperio sic vtendum duxit Archiepiſcopus, quaſi ea Sociorum Miſſio triennalis dumtaxat foret, & velut in experimentum: neque ipſe in plures annos addixerat alimenta, ratus fore (id quod euênit) vt temporum lapſu mutaretur animis Senatus. Enimuerò vt lana rudis tractatione fit mollior, ita Senatum populumque Hallenſem vſu quodam & agendi conſuetudine adeò demulſit Societas, vt quam abſentem horruerant, præſentem amarint, atque apud ſe perpetuam eſſe voluerint; poſtulato etiam gymnaſio ad imbuendam religione, moribus, litteris iuuentutem. Ceterùm, poſt Franciſcum Archiepiſcopum, quem verè parentem habet Hallenſis familia, Antonium quoque de Winghe Abbatem Lætienſem parentem alterum agnoſcit.

Finierant interim induciæ; & quaſi vno malo non ſatis miſeri fuiſſemus Belgæ, alterum grauius acceſſit, mors Alberti optimi ſapientiſſimique Principis: in quo Societas Belgica amittebat patrem; cuius orbitatis grauior fuiſſet ſenſus (quamquam fuit grauiſſimus) niſi matrem ſibi ſeruaſſet Iſabellam: cuius etiam ſolius auſpiciis Collegio aucta eſt Bredæ, anno M.DC.XXV. Eſt Breda oppidum extremis ferè Brabantiæ finibus, Hollandos verſus, amœniſſimâ terræ regione ſitum, quod ſua Tempe Princeps Auraicus appellare conſueuerat. Hæc erat Batauis militiæ palæſtra, & exemplar quoddam abſolutiſſimæ munitionis, quando Ambroſius Spinola Marchio lentâ nouem menſium fame expugnauit vrbem: fuitque hæc illa portentoſa obſidio aduerſus Europæ pænè totius vires ſuſtentata, quam Hermanni Hugonis noſtri calamus immortalitate donauit. Vix occupatâ vrbe, condendi ſtatim Collegij poteſtatem ampliſſimam fecit Iſabella Princeps, atque ad ſubleuandos domus emendæ ſumptus quinque florenorum millia eleëmoſynæ nomine erogauit. Empta domus eſt optimo vrbis loco, noſtris vſibus quaſi facta, quam Societati ſemper deſtinarant ciues Catholici; quamque Marchio vrbe captâ Sacerdotibus noſtris caſtra ſequentibus vtendam aſſignarat, militari chirographo ſuâ manu dato: quod omen quoddam fuiſſe viſum eſt futuræ habitationis. Senatus Gymnaſium publicum nobis moderandum dedit. Templum quà nouo quà veteri opere conſtructum; cuius altari primum poſuit lapidem pro Iſabellâ Principe Gubernator Balanzonius, vir quàm militari ſcientiâ tam pietate Chriſtianâ clarus. Verùm prô dolor! non tam habitatio ea fuit, quàm breuis temporis hoſpitium. Vrebat Henricum Auraicum ſuæ vrbis iactura, quæ & fratri Mauritio ex mœrore mortem attulerat, cùm à Spinolâ velut feram indagine cinctam eripi poſſe deſperaret. Ergo in omnem recuperandi patrimonij occaſionem vigil, iam ſemel tentarat, diſtento ad Traiectum Marchione Aytonâ Belgij tunc Pro-gubernatore; quem celeriter aduentantem, quamuis vallo foſſâque muniri iam cœperat, exſpectare non ſuſtinens, vaſa collegit. Iterum expertus anno M.DC.XXXVII. ſeu fortuna audentem ſeu quid aliud iuuit, certè obtinuit; quanto Regis Religioniſque damno, æſtiment alij. Societas interim expulſa, paucorum fructu annorum collecto, magno ſui deſiderio relicto.

Collegium Bredanũ.

Captâ Bredâ pellitur Societas.

Atque

Atque hæc ſunt noſtræ Flandro-Belgicæ Collegia, quorum origines breuiter indicaſſe ſufficiat. Hiſce velut gradibus Prouincia ſeſe promouit in eum ſtatum, quem nunc videt ſæcularis noſter annus. Eſt proinde cur immortales gratias referamus, primùm Deo Optimo Maximo, qui fecundâ bonitate ſuâ tantillo ſemini, quale ſparſum Louanij vidimus, tali tempore tantum dedit incrementum. Nam quis fortunam illam ſperaſſet in perpetuâ ciuilium bellorum calamitate, in tanto Religioſorum Ordinum numero, quibus alendis haud ſanè par videri poterat patria? Sed iis animis ſunt Belgæ, & proprium habent ſpem ipſam virtute ſuperare. Itaque poſt Deum immortalem grates Belgarum populis debemus, quorum beneficio intra vrbes recepti ſumus, & ſuſtentamur: non inutiles profectò (ſi verum licet dicere) nec otioſi; ſed fecundæ vitis inſtar vicem domino referentis fructu ſuo. id quod mihi nunc planum facere incumbit, ne glorioſiùs fortaſſe quàm veriùs dixiſſe cuipiam videamur.

CAPVT TERTIVM.

De functionibus ac laboribus Societatis per Flandro-Belgium.

INgreſſurus in rerum geſtarum campum, ne ſuperbè videar noſtra venditare, non alienum duxi primo aditu præfari ſolenne illud ſanctumque Societati, *Ad maiorem Dei gloriam.* Hæc vna maximè cauſſa impellit calamum, vt lecturi opera noſtra bona glorificent Patrem qui in cælis eſt. Nec enim tantâ ſumus vecordiâ, vt ipſi nos putemus eſſe aliquid, ac non ex ſanctiſſimâ CHRISTI IESV, quem imitandum ſuſcepimus, diſciplinâ, poſtquam omnia fecerimus, ſeruos inutiles profiteamur. Neceſſitatem quoque aliquam noſtra commemorandi vetus quorumdam imponebat obtrectatio: quæ cauſſa olim & Apoſtolum impulit labores ſuos enumerare Corinthiis; non ſanè arroganter, ſed ad famæ, cui nonnulli obtrectabant, neceſſarias (vt ſic dicam) vindicias. Nonnullis enim Societas aliquando viſa eſt ſupernumeraria in Belgio, quinta (quod aiunt) quadrigæ rota: cui verbo odioſo reſpondendum erat, & Caſſianum illud quod in nos torquent, *Cui bono?* ita retorquendum, *Cui non bono?* Quiſquámne homo eſt vllius generis, ordinis, ætatis, tantillus aut tantus? éſtne boni operis aliquod tam abiectum, tam arduum? vllúmne eſt tempus diurnum nocturnúmve, quò ſe noſter non extendat labor? Caue iactanter dici putes; ſed quam operam in commune bonum profiteamur, intellige. Omnium hominum, locorum, temporum, horarum ſumus, omnibus omnia facti vt omnes CHRISTO lucrifaciamus. Id quamquam in clarâ luce poſitum quotidie ab omnibus cerni poteſt; tamen quibus oculi vitioſo aliquo humore caligant vſque eò, vt iis ſuperuacanei videamur, etiam hoc orationis lumen admouendum eſt, ſi fortè hinc vel tenuem radium veritatis admittant. Sed ante omnia, quale Belgium inuenerit Societas, verbo indicandum eſt, vt naturâ ſoli cognitâ certiùs colonorum æſtimetur labor.

Parebant vni Domino XVII. Prouinciæ, quas Belgium nomina-

Belgij status in aduentu Societatis. minamus, Carolo V. Imperatori, eidemque Hispaniarum Regi, quando Sociorum primi appulere Louanium. vna palàm Religio colebatur Romana Orthodoxa: non pauci interim, & ex Proceribus, solâ viuebant Religionis specie; quam vt retinerent, mouebantur Catholici Principis reuerentiâ. Qui autem hominum essent mores, quis Christianæ pietatis doctrinæque vel neglectus vel contemptus, secuta mox tempora docuerunt. Ruardus certè Tapperus, Academiæ Cancellarius, vt erat altâ mente vir, & prouidus futurorum, aduentantes nostros toto complexus pectore, cum graui gemitu exclamabat: *Venistis seriùs, ô Patres, seriùs venistis.* Tenuit hic rerum status ad annum sæculi nonum & quinquagesimum: quo anno Philippus Rex Caroli filius & heres Augusto mense in Hispaniam excessit è Belgio. Exinde, quasi pacem secum abstulisset, magnorum motuum semina spargi cœpta. Crederes, subducto sole, cælum obduci nubibus, & sensim colligi procellam, quæ Prouincias deinde miserabiliter inuoluit. Post septennij spatium erupit pestis, vlcere iam maturo; atque hic est ille fatalis annus sexagesimus sextus, apertâ conspiratione quorumdam Nobilium, populi seditione, furiali hæreticorum incursu, templorum violatione, Religionis clade infamis; tantarum, quas adhuc patimur, turbarum origo, cùm ad eam diem felix Belgarum natio in concordiâ & tranquillitate vixisset. Quatuor tunc ac viginti annis Societas Belgium habitarat, & paucarum vrbium mœnibus tota claudebatur. Partem maximam Louanij erant, locis aliis perpauci: aliquot prætereà velites huc illuc, quò vocabat maior necessitas, volitabant. Nec verò Socios fugiebat patriæ in ruinam præcipitantis infelix status. At exigua manus quid magnopere poterat aduersus adeò robustam impietatem? vndique Germania, Gallia, Anglia, quibus Regnis Belgæ coronamur, pestem afflabant; & dispositis animis facilè adhæsit lues. In fomitem cadebat ignis; corpus vitioso plenum humore morbus occupabat. Deus bone! in tantâ Sociorum paucitate quantis pugnatum viribus auerruncando malo! Andreas Boccatius (vt ex vnius conatu discas omnium) Leowardiam excurrerat, cùm sacrilegi illi, tamquam emissi Orco cacodæmones humanos vultus induissent, incredibili audaciâ in imagines, in templa, in altaria inuolabant. Neque è sacro erat nec profano Magistratu, qui pro sanctissimis staret aris: fortissimum quemque absterrebat metus ex periculi magnitudine. Solus Boccatius, paratâ in omnem casum constantiâ, murum se posuit pro domo Dei. Immixtus insanis agminibus, modò singulos, modò vniuersos, blandè, minaciter adortus, orabat terrebatque eâ libertate animi, vt prodigij loco habitum sit, non furentis alicuius ferro fuisse trucidatum. Multi è sceleratâ turbâ, suam detestati insaniam, desertis satanæ signis domum abire. Ceteros aliquamdiu stitit vox imperterriti Sacerdotis, & quodam stupore defixit. Verùm deliberata plurium impietas, incentore diabolo, resumpsit animos; clausisque auribus ad Boccatij siue minas, siue preces, perfecit denique destinatum scelus. Aliorum Patrum alibi par conatus fuit: nec desperabatur victoria, si vires iunxissent quibus par erat maiórve ratio pugnandi. Sed fuerit hoc patriæ fatum, delictis maiorum nostrorum eam calami-

Ex Stradâ de Bello Belgico.

Iconomachia.

calamitatem promeritis: certè pax, quæ Religione maximè conſtat, numquam deinde ſeriò reuocata eſt, hærente ſemper in viſceribus hæreſi, turbarum omnium cauſsâ. Nimirum non perinde recuperari ſanitas, vt ſeruari poteſt. Minitantibus morbis plerumque paruâ cautelâ occurritur; quos, vbi ſanguinem occuparint, longa medicina vix ſanet. Atenim re non integrâ quid agas? Cepit Societas ex neceſſitate conſilium; & ingentibus animis partes Belgij ægras ſanare aggreſſa. Quid profecerit non dico; ſed quæ adhibuerit remedia, quam operam impenderit, mearum partium eſt breuiter indicare: in quo, ne ſim infinitus, faciam quod Poëtæ, qui ex innumerabilibus Herculis laboribus, in communem humani generis vtilitatem exantlatis, præcipuos celebrant duodecim, ceteris hominum coniecturæ relictis: totidem ego labores noſtros, ſiue functiones, quibus Belgio profuimus, non celebrabo, ac ne explicabo quidem; ſed obiter attingam, ſatis habens digitum in fontes intendiſſe: quos qui propiùs adierit, intelliget nihil à nobis prætermiſſum, quo reſtaurari res Catholica, & animarum ſalus ſiue publicè ſiue priuatim procurari potuiſſe videatur.

Duodecim Societatis labores ſeu functiones.

CAPITIS III. SECTIO I.

De quotidianis laboribus Societatis.

PRimus labor, Catecheſis, præſens aduerſus Fidei peſtem antidotum, ſi terrarum vſpiam, certè in Flandro-Belgio Societatem ſtrenuè exercet. Maiori nihil ardore complectimur. Neque in hoc, opinor, quiſquam nos ambitus accuſat propter actionis humilitatem: ſed quod ſplendori deeſt, abundè compenſat vtilitas. Quæ enim alia functio maiorem fructum habet, aut certiorem? Tabulæ raſæ ſunt ingenia paruulorum; quidquid inſculpitur, tenent: atque vt inſcriptæ arbuſculis notæ creſcunt vnà cum cortice, ſic ætati teneræ inditi mores cum ipſis ſurgunt annis, & in ſenectutem validiores eunt. Ad complexionem corporum refert vel plurimùm, quo lacte nutriantur infantes; ad animorum indolem, quibus præceptionibus pueri imbuantur. Sæculum eſt & vltrà, ex quo Reſp. Chriſtiana graui morbo, in Septemtrione præſertim, laborabat. Cauſſam morbi, quod ſolet peritus Medicus, Societas explorauit. Deprehenſa eſt praua iuuentutis educatio: hæc tollenda erat, vt perfecta ſanitas ſequeretur. Quid enim iuuet ramorum amputatio, ſtante radice, niſi vt magis etiam repullulent? Staret hodieque Belgis incorrupta Religio (ſic omnes ſentiunt) ſtaret cum Religione pax, cum pace felicitas, ſi inſtitutionem habuiſſet iſtius ſæculi iuuentus. Huc igitur manum Societas admouit, & ætatem illam præcipuè amplexa eſt, cuius aut vitium aut virtus in omnes vitæ partes, velut à radice in ramos ſuccus, extenditur. Duo præcipuè inuenta ſunt in remedium mali, Catecheſis, & Scholæ. Illa, cùm eſſet Belgis inſolens Chriſtianæ rei tradendæ ratio, ſtatim varia iudicia ſubibat; ſed mox omnibus ſe probauit fructu ſuo. Dici non poteſt, quanti ad eam, vt in vrbe aliquâ inſtituebatur, fierent concurſus, non puerorum modò, ſed &

Primus labor, Catecheſis.

adultorum: par quippe in vtrisque erat rerum ad salutem sciendarum ignoratio. Multitudinem nulla iam templa capiebant, trabes & tecta conscendebantur; scalis grandioribus, quòd humi deesset locus, gradatim insistebatur. Currentibus etiam calcar addendum Patres putauere suaui gratoque carmine, quod pueri puellæque pro condimento intercinebant. Ingens populi inuitamentum id fuit, & quo satiari aures non posse videbantur. Præter voluptatem, duplex inerat vtilitas: nam præcipua Fidei nostræ capita, & salubria monita, & varia pietatis incitamenta, numeris illis comprehensa, in aures auidas dulciter influentia, altè inhærebant animo, & deriuabantur in mores. Deinde illud impetratum, vt impuræ cantiones, certissima iuuentutis corruptela, magnæ animorum pestes, velut exsilio damnatæ, conticescerent. Catechisticæ enim illæ, non modò in officinis & plateis, sed etiam in conuiuiis & publicis epulis resonabant: nec semel fuit cùm ad has symphoniaci silere iuberentur. Mitto dramata, disputationes, supplicationes, & id genus excitamenta, quæ rapiendis puerorum & vulgi ingeniis tenendisque solers excogitauit industria. Batauorum multos in Brabantiam Flandriamque, cùm per inducias tutum esset, exciuit fama catecheseos. Dordracenus Consul Siluamducis ingressus, postquam interfuit Catechismo, palàm professus est Societatem docendæ iuuentuti natam esse, & per solas patriæ leges stare, quo minùs suos ipse liberos in disciplinam nostram traderet. Brugis honesta mulier Hollanda, audito Catechistâ, Prô perfidam, inquit, hæreticorum fidem! Iesuitas mihi cacodæmonas depinxerant, quos ego hîc tamquam Angelos contemplor. Gandaui puella clàm hæreticis parentibus catechismum frequentabat. id vbi cognitum, multa domi pertulit indigna; & tamen illa iam catechisticis inescata deliciis, contempto verberum metu, frequentare perrexit, suâque constantiâ non modò fregit parentum iracundiam, sed etiam expugnauit errorem: ambos enim illos, & nouem insuper quà fratres quà sorores, cælo lucrata adduxit ad Sacerdotem nostrum, Catholico ritu Ecclesiæ reconciliandos. Similia fuere multa, nec vno loco, catechisticæ vtilitatis exempla. Sed constantiæ consulendum erat: itaque piorum hominum studia inuitauimus, impetratis à Romano Pontifice Indulgentiis, quarum fit particeps quisquis in rem catechisticam nobis collaborat. Magistratus quoque variis locis insignem operam contulere. Iprensis quadringentos annuos florenos in puerorum præmia decreuit: Cortracenus catechumenos partim largitionibus allexit, partim compulit auctoritate. Statuit enim vt parentes, quorum non semper integerrima Religio, quamlibet filiorum absentiam graui ære, quartam exsilio luerent. Seuera necessitas, sed felix, quia ad meliora compellit. Interim vt pauperibus propria esset illecebra, alibi panem, alibi dodrantis censum in singula capita constitutum, constans, vel Antistitum, vel Senatus, vel aliorum hominum, singulari pietate præstantium, liberalitas persoluit. Nec verò vrbanus tantùm est hic noster labor; sed rus omne peragramus, & latè per campos Fidei sementem spargimus. Quam nostram operam luculento testimonio commendatam olim voluit Mathias Houius Mechliniensis Archiepiscopus,

Testimonium Houij Archiepiscopi de nostro catechizandi studio.

ſcopus,huiuſcemodi verbis: *Docet triſtis experientia, per bellorum & hæreſum tempeſtates præteritas, ruri præſertim, deperditam eſſe rerum diuinarum, & ad ſalutem neceſſariarum cognitionem, maximè in pueris & iuuenibus hac tempeſtate natis. Quare pergratum nobis accidit ſtudium venerandorum Patrum Societatis* IESV, *quos intelleximus pro ſuo in animarum ſalutem zelo, ad pagos qui tutò accedi poſſunt, paſſim excurrere; & rudem populum, ac præſertim iuuentutem, doctrinis ad integritatem Fidei & probitatem morum inſtituere. Quod vt pium eſt opus, & hoc tempore hiſque locis perneceſſarium, optimis quibuſque Paſtoribus & populi Præfectis acceptum eſſe non dubitamus. Vt autem maior hinc fructus ſurgat, & plures Deo per dictos Patres lucrifiant, obſecramus in Domino, & nihilominùs diſtrictè præcipiendo mandamus omnibus Paſtoribus quorumcumque locorum Diœceſis noſtræ, ad quos fortè dictos Patres venire contigerit, vt ipſos benignè ſuſcipiant, & in ſuas Eccleſias gratanter admittant, populum, & præſertim iuuentutem, ad eoſdem audiendum conuocent; & tam ipſi, quàm Domini temporales, eoſdem in hoc pio officio adiuuent, quandocumque & quibuſcumque poterunt modis.* Et ſanè noſtri tunc Louanienſes circumiacentem vrbi regionem, quà tutum erat ab hoſte, in tres & viginti pagos partiti, quothebdomadis adibant, per quamlibet cæli intemperiem, per altè cumulatas niues, effuſos nimbos, lutulentas vias, nullo ignis, nullo cibi potúſve admiſſo ſolatio; vnde magna apud ruſticanos homines erat eorum auctoritas ab opinione virtutis. Quæ Louanij, eadem vbiuis, in excolendo rure Sociorum induſtria, & par tradendæ Catecheſeos labor. Atque vt ardorem videas, haud noſtris contenti viribus, alibi ſtudioſorum pientiſſimos, alibi Sodalium, tamquam venaticos, in agrum emittimus, ſanctam acturos prædam, frequentia dico ruſticanæ iuuentutis agmina ad Catecheſin collecturos. Illud quidem mihi videor ſine inuidiæ metu poſſe dicere, in erudiendâ Chriſtianis legibus iuuentute nihil adhuc curæ & operæ à nobis videri prætermiſſum; perinde quaſi hac vnâ maximè cauſsâ viueremus in Belgio, atque hic potiſſimùm nobis proprius, vt ſanè eſt, permitteretur labor. Nec verò ſubterfugimus hoc quidquid eſt oneris, ſed læti ſuſtinemus, memores hac in primis functione cerni germanos Ignatij filios, qui & nos voluit in ſolenni profeſſionis formulâ nominatim curandæ Catecheſeos meminiſſe. Quo autem operæ pretio ſuſtineamus, æqui ſtatuant rerum æſtimatores. Explicatur Catechiſmus vnius anni ſpatio, decies millies, ſeptingenties, quinies & quadrageſies: numerantur catechumeni duo & triginta millia quingenti & octo.

Alter, & affinis priori labor, Scholæ, virtutis ſimul doctrinæque gymnaſia. Illud, opinor, nemo, licet iniquus aliàs rerum noſtrarum æſtimator, ſi modò tempora inter ſe poteſt comparare, inficiari ſuſtinebit; ante Societatem iacuiſſe ingenia plerorumque Belgarum, concluſâ eruditione intra paucos, qui, velut obducto nubibus cælo rara ſidera, hinc illinc emicabant: nunc autem florere doctrinam, viris magno numero litteratis, tamquam pleno ſideribus cælo, ſplendente Republicâ. Nec verò id magnopere mirum videbitur cogitanti ante noſtrum aduentum ferè mercenarios fuiſſe doctores, quibus nec optima erat docendi methodus, nec ſummus labor. Hinc multis vrbibus Latinitas *Secundus labor, Scholæ.*

nulla tradebatur; vnde incredibilis exſiſtebat inſcitia. At Societas & numerum Magiſtrorum & doctrinam gratuitam dedit. ex quo factum vt infinita ſtatim eſſet diſcentium multitudo, ac breuî patria doctis hominibus impleretur. Quot millia Belgarum putas per nos bonis artibus inſtituta? Haud difficilem coniecturam hinc accipies, quòd annis ſingulis pleræque ciuitatum diſcipulos noſtros videant ampliùs trecentos, alterum tantum Bruxellæ Antuerpiaque: nuper etiam, cùm res noſtræ ſtarent, mille propemodum Traiectum, ac pænè totidem Siluaducis. Præter Latinæ Grammaticæ partes omnes, tradimus Poëticam, Oratoriam, Hiſtoricam, Antiquariam, Dialecticam, litteras Græcas. Auctores prælegimus veteres illos principes litterarum & parentes; ſed caſtos omnes & pudicos, ne qua obſcenitas prætextatos inquinet mores adoleſcentum. At Magiſtri labore ſedulo,& diu meditatâ induſtriâ latentes ingeniorum igniculos ſolerter eliciunt; ſubmicantes laude, honore, præmio accendunt; virtutum educunt ſemina, naturæ vitio altiùs defoſſa; præclaram indolem velut gemmam ad cotem exigunt, informant honeſtis moribus, & actione liberali. Sed quod præcipuè in ſcholis ſpectamus, religio eſt ac pietas Chriſtiana. Hinc explicatio frequens Catechiſmi, hinc exhortationes ſacræ, hinc Litaniæ ſabbatinæ, hinc ſtatus Sacramentorum vſus; hinc Angelicæ minorum, Partheniæ maiorum Congregationes. Quâ tantâ iuuentutis curâ aſſequimur, vt ſcholæ noſtræ ſint magnorum in ſacrâ ciuilique Republicâ virorum ſeminaria. Circumfer oculos, alibi Canonicorum, alibi Senatorum integra ſpectabis Collegia ex ſolis diſciplinæ noſtræ alumnis. Sed & Religioſorum Ordinum iure dixeris altrices: ita ex iis vbique multos, ſi circumſpexeris, deprehendes.

Hæretici ſolas Societatis ſcholas ſuis interdicunt.

Quare minimè mirandum, exoſas eſſe ſingulariter hæreticis, qui eas ſolas, ceteris quibuſlibet impunè permiſſis, ſeuerâ lege interdictas ſuis voluêre, tum quoque cùm duodennes inducias haberemus, ſtatutâ centum florenûm in menſes ſingulos mulctâ. quam adeò grauem & iniquam, nonnulli filios miſiſſe deprehenſi, pependerunt; nec tamen abſtitere, rati tam bonam in litteris, moribus, orthodoxâ Fide inſtitutionem quantouis fortunarum damno ſapienter emi. Et tamen, quod mirere, hæreticorum aliqui ſuam ipſi prolem, diſſimulato nomine, in noſtram dare diſciplinam gaudent ſolius amore doctrinæ, quam ſibi à ſcholis noſtris maximam pollicentur. Ceterùm hanc docendorum puerorum prouinciam meritò æſtimatam viri quoque magni ambiuere; & verò dignus eſt quouis vel ſapientiſſimo labor. P. Ægidius de Coninck ex tanto Theologo fieri Grammaticus votis omnibus precibuſque contendit. Iudocus Bonte,quâ in vrbe rexerat noſtros,pulchrum habuit docere Rudimenta. Sapientum vox eſt, ſi præter gymnaſia nihil foret quo Reipublicæ prodeſſet Societas, meritò fuiſſe in Belgium aduocandam, & quibus gaudet tectis fortuniſque omnibus dotandam. Ruræmondani Senatus publicæ exſtant litteræ, teſtantes incredibilem iuuentutis mutationem vel vnius anni ſpatio factam per Societatis ſcholas. Henricus verò Cuyckius Epiſcopus ad Albertum Archiducem ita ſcribebat: *Meliorem nunc cogitationem ſuſcepimus requirendæ à Patribus Societatis*

cietatis IESV *litterariæ ſcholæ: quæ non Ruræmundanæ tantùm ciuitati, ſed toti huic ſupernæ Geldriæ, VVertanæ quoque & Iuliacenſi nobis conterminæ, & Cliuenſi prouinciæ magno vſui, adeoque neceſſaria eſt futura.* Verùm quid teſtimoniis opus, vbi res ipſa loquitur, communi Belgicarum vrbium firmata conſenſu? Ad ſcholarum laborem pertinent Seminaria: quæ opinione multorum, maius habent operæ pretium. fit enim non rarò, vt ex parentum indiligenti & imperitâ gubernatione ſubnaſcens filiis pernicioſa libertas & morum corruptela omnem auferat ſcholarum fructum; neque in bonam frugem ſemina quæ Magiſtri ſpargunt, creſcere patiatur. Quòd ſi ad Magiſtrorum conatus accedat etiam domeſtica diſciplina, tum ſcilicet omni ex parte cautum eſt iuuentuti, vt iam nequeat in rectitudinem non decenter adſcendere. Hoc fine Seminaria conuictorum ſunt. Et Louanij quidem propè ſæculum eſt, ex quo Academiæ florem domi noſtræ alebamus, partim Philoſophiæ, partim Theologiæ ſtudioſos: quorum vt profectui conſuleretur impenſiùs, domeſticis quoque lectionibus ac diſputationibus exercebantur, eoque primas ferè inter condiſcipulos obtinebant. Ornabat ingeniorum excellentiam magna variarum gentium nobilitas: Cardinalis Auguſtanus nepotes habebat duos, & Tridentinus ſuos parabat mittere, ſi non Patres tecti ſui anguſtias excuſaſſent. Diſſipauit omnia funeſtus ille turbo ciuilium bellorum; neque poſtmodum reſtaurata res eſt propter creſcentem numerum noſtrorum, quos vix ipſos capiebat habitatio. At nunc Antuerpiæ ex ſolis Humaniorum litterarum ſtudioſis florentiſſimum Seminarium, haudquaquam illi priori impar ſiue numero ſiue dignitate, quàm de Republicâ benè mereatur, alieni facio iudicij: Patrum certè, qui gubernant, omnis in hoc eſt cura & quotidianus labor, vt iuuentus illa nobiliſſima ad Chriſtianam pietatem, ad optimos mores, ad perfectam eruditionem fingi formarique poſſit.

De grauioribus, quas tradimus, ſcientiis quid attinet dicere? Louanij Theologiam, ſacrarum Paginarum interpretationem, Hebræa, Matheſim publicè profitemur: nam Philoſophia domeſticis incluſa cancellis, cuius neſcio piaculi rea, necdum in lucem penetrare permittitur; Theologiam moralem Antuerpiæ & Ipris, Epiſcoporum rogatu, ac prætereà ſacras Litteras Antuerpiæ. Adhæc Gandaui, Brugis, Winocibergis, Siluæducis doctrinam ſacram tradidimus; & Gandaui quidem vno tempore Monaſteriis tribus: nunc ſuperſedemus, formatis noſtrâ eruditione viris, qui Societatem hac laboris parte leuent.

A ſcholis ortum habuere Sodalitates, pręclarum Ioannis Leonij Belgæ inſtitutum. Is Romæ primùm, deinde Pariſiis, collectam ſub tutelâ Virginis iuuentutem piis excolens functionibus, tanti operis auſpicium dedit. Quo nomine ad vrgenda cœpta Belgæ potiſſimùm mouemur. Et ſanè in hoc labore propriâ quadam verſamur curâ diligentiâque. Nullum Sodalitatis prætermiſſum genus, quod ex proximi vſu eſſe poſſit. Latinas, Flandricas, Gallicas, Hiſpanicas excitauimus; & pro ætatum ordinumque differentiâ diuerſas. Louanij quatuor ſunt Latinæ, Theologorum, Iuriſperitorum (in quâ & Medici) Philoſophorum, & quarta peculiarem profitentium pietatem. In aliis Collegiis Latinæ ſtudioſo- *Tertius labor, Sodalitates.*

dioſorum duæ, Mariana Angelicaque: & præter illas alia quoque Latina ex viris optimatibus floret Bruxellæ, Mechliniæ, Antuerpiæ; quondam etiam Siluæducis, Brugis & Gandaui; ſed in Flandricam mutari ex vſu fuit. Supra conſuetos quotDominicis congreſſus, feſtis quoque Virginis diebus ad frequentiſſimum nobiliſſimumq; auditorem ſolennis habetur oratio. Gallica Sodalitas Antuerpiæ in primis triumphat. Flandricarum maximus vbique vigor; ac ferè his gradibus diſtinguuntur. Prima ciuium coniugatorum, altera iuuenum, adoleſcentum tertia, quarta puerorum. Habet noſtra Prouincia Sodalitates nonaginta:numerus Sodalium 13727. Antuerpia ſola decem Sodalitatibus gaudet; in iis tria facilè millia Sodales. Atque hîc videas (quod terrarum nuſquam) congregandis Sodalibus amplum ſplendidumque ædificium auguſto lapide ab ipſis ductum fundamentis.Enimuerò Sodalitatum magna Belgis opinio eſt, magnus amor. Grauiſſimi Senatores, Nobiles, Principeſque inſcripti albo. Ruræmundæ Hermannus Comes Bergenſis, Geldrici Ducatus Gubernator, cum Henrico Vweno Geldrici Senatus Cancellario, palàm in templo noſtro ante aram principem vſitatâ verborum formulâ ſeſe Virgini obligare honorificum & glorioſum habuere. Iuſto Lipſio Louanij abeſſe à cœtu magna religio erat: nec ſemel dimidiato prandio deſeruit conuiuas, vt Sodalibus intereſſet. Quid fructum dicam? immenſus eſt, nec in obſcuro latet. Annus vnus Louanij Sodalium ſexaginta variis Religioſorum Familiis conſignauit. Quidni huc referam Sodalitia vtriuſque ſexus variis per nos inſtituta locis? Mechliniæ duplex eſt: alterum mœſtæ Virginis in ipsâ Parochiali æde Marianâ, cui ciuium 4691. intra octiduum nomina dedêre, nec multò pòſt 7000. alterum immaculatæ Conceptionis in æde Hanſvvicanâ. Adleguntur iurati propugnare MARIAM ſine originis labe conceptam. Prima dixit ſacramentum, & nomen ſuâ inſcripſit manu Archidux Iſabella: poſt eam Archiepiſcopus Mechlinienſis, Collegium Canonicorum propè vniuerſum, pars Senatorum maxima, integræ Familiæ Religioſæ. Quin & huc refer Sodalitia D. Ioſepho Virginis ſponſo Aloſti, Mechliniæ, aliisque locis excitata. Nec tacenda S.Crucis Sodalitas Cortraci, & D.Barbaræ in caſtris Regiis, & Sanctorum omnium Louanij. Habuit & ſuum aliquando vſum Sodalitas militaris ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, anno ſeſquimilleſimo nonageſimo ſecundo: qui annus fœdâ bellorum tempeſtate infamis fuit. Louanio imminebat hoſtis. Academicorum & ciuium plerique diffugerant. Noſtri, conflato ex reliquâ iuuentute Sodalitio, conſtitere. Finis erat, rei Catholicæ vrbiſque defenſio. Octodecennes, excluſis minoribus,adſcribebantur poſt publicam Romanæ Fidei profeſſionem, iurati ad vnum omnes pro tuendâ illâ ſanguinem fundere. Quotidie in armis erant. Sanctiſſimam Euchariſtiam, ſi quando ſupplici ritu per vrbem deferretur, ſtipabant armati. Mouit tam generoſa pietas Clementem VIII. ad ſacram legionem illam magnis dotandam Indulgentiis: vnde tantus creuit animus, vt, audito æris campani ſono, quem viſi hoſtis indicium de turri ſpeculatores dabant, continuò euolarent portis, hoſtemque illatâ plerumque clade repellerent.

Annal.Congreg.B.V.ad ann.1606.

Ad

Ad hoc de Marianis Sodalitatibus caput reuocanda est omnis pietas cultui honorique Virginis seu instituta per nos, seu postliminiò restituta. Ordior à statuis, quarum princeps illa Sichemiensis, siue Montis acuti, venerationem suam præcipuè nobis adnitentibus accepit. Res sic habet: Primam in quercu statuam vel flammis absumpserat, vel abstruserat furto sacrilegus prædonum furor. quâ dolens iacturâ ciuium Sichemiensium aliquis, egregiè in Deiparentem pius, aliam ipse iconem posuit; eratque tum Sichemis militare præsidium, & qui præsidiariis sacra ministrabat Sacerdos noster. Is Canonicis precibus vacaturus collem frequens inscendere pietatis studio, & quoties inscenderet, mirâ spiritus dulcedine perfundi. Hinc æstimatâ loci sanctimoniâ, mittere eò militem, præsertim ægrum: qui non rarò sanitatem referebat. Hisce noster prodigiis impulsus admonuit accolas, notarent porrò locum haud dubiè charum sanctissimæ Virgini, & aliquando celeberrimum deuotione populi futurum. Sacerdotis vocem pro oraculo rustici accepere. nec dicti fidem elusit euentus. Auctis in dies miraculis, aucta mortalium pietas vndique confluentium: quibus expiandis instituendisque præerant nostri Louanienses, auctoritate Archiepiscopi Mechliniensis. Certè vno MARIAE visitantis festo die viginti millia homines censi sunt in loco. Ringebatur eâ celebritate Batauus, quam nostri quoque proclamatis in Assumptam Virginem Indulgentiis auctum ibant. Sed ille sumptâ ex distantiâ nostri militis Ostendam prementis audaciâ, cum decem equestribus turmis aduolat infestus intempestâ nocte. Bernardus Oliuerius Prouincialis, qui tribus cum Sociis tunc agebat in loco, raptim Virginis statuam seque abdit sub nobilis viri tectum. Cornelius à Lapide, Sociorum vnus, hierothecam arripit, alij alia; & incertam pariter moliuntur fugam. Inter hæc impij in templum irrumpunt: quod ablatâ statuâ argentoque vacuum frementes, subiectis sæpè facibus nituntur exurere: frustrà; stante pro suis muris Dei parente. Magis hinc, vnde mitescere oportebat, exasperati, quidquid obuium vastant, multisque mortalium ex fugâ retractis, prædam opimam agunt. Cornelius hierothecâ anxiè diues, inter hostium manus, captis vtroque latere Sociis, nuncupato ipse Virgini voto in humile arundinetum sese abiicit, & immissi exploratoris pænè pedibus calcatus euasit oculos ac manus. Quid Hallensis Diua? iam eius religio non parum erat imminuta. Stabant subinde in vestibulo, ipsâque in æde diuinatrices, sanandi pecoris artem, & id genus maleficia populo venditantes. Sordium vbique plurimum, ara non satis pro dignitate Virginis ornata. Peregrinorum nec centesimus quisque expiabat animum penuriâ Sacerdotis. Tot indigna mouêre Principem Albertum Pium, vt pro imperio Societatem Hallis locatam vellet: per quam continuò procurata munditics & ornatus; eliminata religionis dedecora; Sacerdotes dati pœnitentibus; honor templo, statuæ, Virgini ex integro restitutus. Siluaducensibus quoque nuper, cùm res staret Catholica, latentem domi thesaurum aperuit Sacerdos noster, quando ex multorum annorum tenebris in lucem produxit MARIAE Virginis statuam peruetustam magnis illustrem miraculis, quæ suo etiam stylo ipse fecit orbi manifesta. Iamque vel maximè feruebat populi suppli-

Cultus B. Virginis multimodis procuratus.

ſupplicantis ardor, illamque pietatis flammam nouis fouere miraculis Deipara pergebat, cùm in eum diem inuicta vrbs in hoſtium poteſtatem venit. Statuam, vrbe captâ, ne aut periret, aut ſine honore iaceret in tenebris, Bruxellas transferri voluit Iſabellæ Archiducis pietas; vbi Diua loco non animo mutata, non ceſſat ſupra naturam beneficia ſuis impertire cultoribus. Quid nunc dicam ſtatuas recentiores noſtris in templis collocatas, & à mortalibus ſupra fidem coli, & multis clarere miraculis? Dunkercæ Virgo eſt ex quercu Sichemienſi, cuius apud populum ingens veneratio; & venerationis hęc potiſſimùm origo. Anno M.DC.XXI. magnum argenti pondus ex Hiſpaniâ in Belgium vehebant naues octo, quas aduerſa tempeſtas à ſuo abreptas curſu, vltra induciarum terminum detinuit in mari; neque iam procul portu erant, cùm in hoſtilem Batauorum incidunt claſſem. Ceteris in poteſtatem redactis, euadunt duæ certo Virginis beneficio. Nauarchorum, qui duabus illis præerant, vxores, accenſis in templo noſtro luminibus, vota Diuæ faciebant, & ſenſere propitiam. Prodigio ſimile viſum eſt, nauium alteram, tametſi duodecim non pluribus inſtructam vectoribus, aduerſus tres hoſtiles milite omnique bellico apparatu inſtructiſſimas in ipſo vrbis conſpectu depugnaſſe ad horas aliquot, & inſignem cladem intuliſſe. Magna exinde, apud nauticos in primis, erga Diuam noſtram reuerentia, pietas, fiducia. Illius implorato patrocinio, læti mare conſcendunt; illam in tempeſtatibus deuoti inuocant, & maris ſtellam experiuntur; ad eius aram reduces ſua vota perſoluunt. Nomen inditum Virgini Auxiliatrici, quo nomine templum illi ciuitas poſuit. Quotidie magnus mortalium, & ex longinquo, concurſus: donaria infinita: lampades ex argento multæ: luminum ingens copia, & anathematum cereorum argenteorumque. Præterito anno bis mille quingentæ ſexaginta tres candelæ nouemdiali ſpatio Virgini natæ luxere; biduo pòſt quingentæ octoginta quinque, vix vt Sacriſtæ duo accendendis collocandisque ſufficerent. Ingentes non ſemel cereos Magiſtratus, præſidiarij, claſſiarij, publicæ ciuium Sodalitates, quas Guldas vocant, ritu ſupplici poſuere. Neque vana deuotio eſt: certat cum clientum pietate beneficentia Patronæ. In miraculis illud teſtatiſſimum elucet: Corneliam Michaëlis Dunkercanam mulierem, fœdum in modum vlceroſam, neruis omnibus diſſolutam, perpetuis conflictatam febribus medici depoſuerant. Maritus Ioannes Vnceta, loci præſidiarius, fit vxori auctor implorandæ Virginis Auxiliatricis. Paret illa: votum concipit nouemdiale viſitandi templi. Fulcra poſtulat, quibus niti ſimul cœpit, ſimul corruit, trium hominum manibus ſubleuanda: non deſperat tamen, & inuocatâ MARIAE ope, ſuppoſitis denuo fulcris ſe vtcumque ſuſtentat. Mira res, ſenſit cum animi fiduciâ vires corpori accreſcere. Molitur gradum, & ægra membra ſenſim ad templum trahit. ibi Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramentis refecta, multò quàm venerat confirmatior reuertit domum. Idem fit altero tertioque die; & iam fulcro dumtaxat vnico inceſſum iuuabat. Quid multa? ante nonum diem euanuerunt vlcera, membrorum reuocatus vſus, perfecta ſanitas recuperata. Illicò Epiſcopi Iprenſis, à quo Sacra Dunkercani petunt, auctoritate inſtituitur examen; teſtes audiuntur.

Statuæ B. Virginis per nos erectæ.

tur. Iurati ſubſcribunt, Andreas Canton primæ notæ Medicus, Franciſcus de Soriâ, & Daniel van Halle chirurgi, Antonius Camos ſignifer, & ante omnes ipſa Catharina cum Ioanne marito. Hiſce teſtimoniis permotus ſacer Iudex ſolenni ſententiâ miraculum pronuntiat. de tanto beneficio agendis Virgini gratiis, à Senatu populoque Dunkercano publica Supplicatio inſtituta. Winocibergis elegans ex Foyenſi quercu ſtatua coli cœpta eſt anno M.DC.XXXI.cui nomen datum Miſericordiæ Matri. Hanc quoque ciuium quotidiana religio, accenſis cereis, & appenſis anathematis, celebrem facit; celebriorem ipſa ſeſe Virgo, collatis in miſeros mortales beneficiis quotidianis. Ex eodem Foyenſis Diuæ ligno ſtatuam habent Brugæ, Cortracum, Belliolum, Aloſtum, Mechlinia, Ruræmunda, vbique cultu & miraculis celebrem. Cortraci poſita eſt anno M. DC. XXXII. quam ſolemnibus cæremoniis conſecratam ex Collegiali Virginis æde in templum noſtrum inſignis ſupplicantium pompa deduxit. Proſequebantur Canonici, Magiſtratus, noſtri Patres, diſcipuli, Sodales, ciuitas vniuerſa. Nouem millia hominum eo tempore ſacris epulis accubuere. Quotannis redit ſolennitas nouemdialis: & anno quidem proximè ſuperiori, feſtâ luce Præſentationis, inter innumerabiles cereos luxit inſignior à Senatu ipſo ſuppliciter oblatus. Iuuentus autem ſtudioſa ternis pyramidibus ſuſpenderat centenos, in memoriam anni ſæcularis à Societate tum inchoati; & cauſſam numeri explicabat chronica epigraphe:

VIrgInI praesentatae
anno soCIetatIs IesV CentesIMo
Centenos Cereos praesentaVIt
IVVentVs CortraCena.

Graſſanti Cortraci peſtilentiâ anno M. DC. XXXVI. voluit Senatus vrbe totâ circumferri Virginem noſtram. & eximia prorſus illa ſolennitas fuit ciuibus admirabili pietate ſupplicantibus. Exinde remiſſior contagio; &, quod mirere, inter infectas vndique ædes Collegium noſtrum intactum, quaſi ſuam domum Maria defenderet. Haud abſimili pompâ Brugis anno M. DC. XXXIII. in ædem noſtram ex Cathedrali Virginis templo ſtatua illata eſt, proſequentibus Canonicis, incredibili ciuium frequentiâ, maiori ære campano ad triumphum perſonante, plus mille facibus ex cerâ virgine collucentibus. Fauorem ſuum Deipara illuſtri miraculo probauit. Præfecta Religioſarum Monialium de Bethaniâ diu grauibus conflictata morbis, & à tribus Medicis depoſita, ad Virginem, in templo noſtro deuotione iam celebrem, ſpes ſuas & ſua vota conuertit. Oblato ibidem cereo ſeptemplici, curatoque ad aram Sacrificio, repentè recipit ſanitatem illo maximè tempore, cùm præ cruciatuum immanitate animam agere videretur. Miraculum ab vrbis Antiſtite legitimè diſcuſſum comprobatumque eſt anno M. DC. XXXV.

De Gandenſi Virginis ſtatuâ quid dicam, quæ magnum ipſa fertur eſſe miraculum. Eam hæreticus olim apud Batauos ceruiſiæ coctor in ardentem coniecerat fornacem inter ligna cetera comburendam: at illæſam imaginem ſuam Deipara ſeruauit medios inter ignes. Quo prodigio impulſus Sacerdos aliquis, eam ſibi ab homine dari obnixè poſtu-

 lauit.

lauit. Dedit ille cum ſacrilegâ voce : Habe tuum tibi idolum, & aufer MARIAM quæ mihi vſum in fornacem negat. Hæc Collegij Annales.

Infinitus ſim, ſi ſtatuas ſingularum vrbium populari pietate, luminibus, votiuis tabellis, miraculis illuſtres recenſere ſtudeam. De Bruxellenſi tamen cogor aliquid dicere, cui marmoream nuper aram poni voluit, & ante ipſam tumulari, Comes Ioannes Naſſouius, Regiæ militiæ equeſtris Magiſter Generalis. Ea ſtatua, cùm ſuo necdum gauderet templo Societas, in D. Chriſtophori ſacello è Collegij regione ſito colebatur. Ibi ſedem audiendis confeſſionibus habebat Franciſcus Coſterus, vir doctrinâ, rebus geſtis, vitæque ſanctimoniâ clarus : ad quem accedens perditæ vitæ homo, inter cetera flagitia fatetur ſeſe ſyngraphâ proprio ſanguine exaratâ dæmoni animam deuouiſſe. Ob id meritò vehementer anxius multis cum lacrymis opem Sacerdotis implorat. Coſterus, cui ſemper præſens in Virgine fiducia, iubet bono animo eſſe, & aſylum homini demonſtrat, ſtatuam MARIAE, ad cuius aram ipſe mox eſſet ſacris operaturus. Nihil ſe dubitare, quin illâ Matre propitiâ dæmon ſyngrapham reddere cogatur. Ita fit. Coſterus ad aram facit, alter audit; magnâ ambo pietate. Ecce tibi, poſt conſecratam ritè hoſtiam, de ſacelli tholo ingens araneus humani pollicis magnitudine delabi cum ſyngraphâ, eâque ante ipſum calicem ſacrum cadere permiſsâ continuò ex oculis euaneſcere. Lætus tam inſigni munere Coſterus peragit Sacrificium. poſt id homini ſyngrapham exhibet, eoque inſpectante flammis tradit. Viuunt teſtes domeſtici externique, exceptione maiores, qui Coſterum narrantem audiuere. Fama rei Albertum & Iſabellam Sereniſſimos Belgarum Principes ad examen mouit, qui ex fide per Iacobum Zelandrum & Thomam Saillium viros integerrimos redditi certiores, concepere animo ſummam huius ſtatuæ venerationem, eamdemque cultu & munificentiâ fecere teſtatiſſimam. Præter has in Collegiorum templis, alias quoque in plateis locisque publicis poni curauit Societas; quarum facilè princeps quæ Antuerpienſem Curiam ſeruat. Huius locandæ auctor Senatui fuit ille ipſe, de quo iam memini, Coſterus. Et ſanè facinus memorandum eſt, amoto gigante illo, qui nunc extra vrbem deportatus, portæ Flandrorum inſiſtit ad Scaldim, MARIAM in ſuâ ſtatuâ ſpectari velut Dominam vrbis, & Antuerpienſi populo iura dictantem; idque vnius viri operâ, qui & ſtatuam ipſam priuato Sodalitatis ære curauit, & triumphalem adornauit pompam, quâ noſtro è templo in forum ſolenni Supplicatione deferretur, ipſo Virgineæ Annuntiationis die. Mirabile tum illud accidiſſe conſtat : ingens toto cælo pluuia vniuerſum apparatum fœdatura haud dubiè minabatur, exultantibus gaudio hæreticis, & Ieſuitarum idololatriam damnari vel ipsâ cæli voce iactantibus. At Virgo Reginam cæli ſe probans, pulſis momento nubibus, aërem inſperatò ſerenauit, compreſſitque ora maledicorum, nobisque indubitatum diuini Numinis fauorem adſtruxit. Affines ſtatuis ſunt pictæ Virginis imagines, quarum domeſtica in primis eſt veneratio Belgis vſitatiſſima. Ante eas lumina quotſabbatis accendere morem habent; neque vlla paupertas excuſat : tam altè Marianum cultum, quem præ ceteris inſtillauit Coſterus, imbibêre. Mitto aras, ſacella, templa,

Bencius.

quæ

quæ Virgini ſtruximus. Suo ſingula ſplendore ſe produnt; illudque vel maximè, quod nunc Antuerpiæ nobiliſſimo marmore Hautappelianâ, & Screuenianâ munificentiâ circumueſtitum fit populo ſpectabile, dignus anno ſæculari labor. Sed & Mechliniæ ſacellum elegans Virgini ſine maculâ conceptæ toto Belgio primum annis abhinc aliquot Societas ædificauit. Nam quid feſtos illius dies commemorem priſtino ſplendori reſtitutos, ſtimulatâ variis excitamentis pietate Belgarum, vt non pauci hanc ſibi legem dixerint iis diebus expurgandi confeſſione animum, ſacroque epulo recreandi? Ac Præſentationis quidem feſtiuitas, priùs ignota vulgo, nunc cum aliis in cenſum venit: ita feruet pietas non paucis locis ad octo dies aut nouem producta. Adde feſtiuitatem Nomini MARIAE primùm Mechliniæ excitatam, deinde aliquot inuectam vrbibus ſtato quotannis die haud mediocri deuotionis incremento cœptam celebrari. Nec verò leue momentum cultui honorique Mariano adferunt ſtationes, quas mœſtæ Virgini prima in Belgio Societas Mechliniæ collocauit, deriuatâ mox in alias vrbes exempli vtilitate. Liber texendus foret accuratè dicturo Litanias Lauretanas, immaculatæ Conceptionis Officium, ieiunia ſabbatina, ſupplicationes, peregrinationes votiuas, mancipationes, & ſexcenta id genus, per quæ ſuprà quàm dici poteſt amatam Belgis honoratamque Dei Matrem reddidit Societas.

Quartus labor, Conciones.

Ad conciones tranſeo, inter munia noſtra primùm, & quò maximè famâ & ſedibus creuimus. Hoc præcipuè ferro iugulata eſt hæreſis, hac manu aſſerta Religio, conuulſa hoc ariete ſcelerum peruicacia, corrupti mores hac arte ſanati, hoc ſtimulo ad ſanctitatem virtus excitata. Nec templa ſolùm noſtra occupamus, quæ multis vrbibus, licet ampliſſima ſpatio, tamen confluentium multitudini ſunt anguſta. Certè Antuerpiæ quotDominicis feſtiſque adeò nobilem ſpectare eſt coronam, vt, qui Chriſtianum orbem peruagati, maximis vbique gentium concionibus interfuere, hîc demum attoniti obſtupeſcant. Sed & aliò extendimur. Pleraſque Parochiarum & multa Religioſorum Ordinum templa iam inde vſque ab exortu ſuo poſtulata Societas occupauit. Et ſanè clari ab initio fuere Oratores, Nicolaus Goudanus, Ioannes Aſtenſis, Franciſcus Coſterus, Robertus Claiſſonius, Godefridus Lummius, Ioannes Dauid, aliique permulti, pro quibus Epiſcopi, Capitula, Parochi, virorum feminarumque Cœnobia admirabili contentione certabant. Goudanum ciues ſui quot votis abſentem expetiere! præſentem quâ complexi beneuolentiâ, quâ veneratione proſecuti! Ipſe vrbis Paſtor Iodocus Bourgeſius, tamquam hominem cælo lapſum omnibus colebat obſequiis, & labores eius quoquo poterat modo prouehebat. Quoties de ſuperiore loco dicturus erat Goudanus, Bourgeſij iuſſu cathedra panno holoſerico veſtiebatur, atque ad audiendum vniuerſa ciuitas affluebat; plerorumque ſequebantur lacrymæ, omnium applauſus. Aſtenſis per ſacras Quadrageſimæ ferias in Diuæ Walburgis Antuerpiæ adeò potenti ſermone impellebat animos, vt templi chorus, qui multis iam annis ſtabat imperfectus, incredibili auditorum liberalitate ſubitò perduceretur ad culmen. Coſteri autem tam vehemens tamque plena aucto-

ritatis erat oratio, vt hæreticum hominem, habitu & professione Religiosum, virus suum magno populi concursu impunè spargentem, extremâ notaret ignominiâ, deque concionandi munere deturbaret. Brugas verò Robertus Claissonius quantopere commouit! octogesimus hic est annus ex quo dixit in Ecclesiâ Cathedrali, quam hodieque obtinet Societas successione non interruptâ. Lummius toto pænè Belgio auditus est tanto mortalium concursu, vt altaria, scalæ, columnæ, cùm locus non suppeteret, in templis alioquin laxissimis, conscenderentur. Præter animi feruorem & sermonis vim valebat incredibili memoriâ, vt centum Scripturæ locos vnâ concione depromeret, quasi de libro recitasset: & erat præter sacras paginas in sanctis quoque Patribus ita versatus, vt quamuis ex iis auditam sententiam in suum librum & caput promptissimè referret. Quæ memoriæ laus etiam ad Adrianum Mangotium pertinet: cuius aliquod vestigium in Sacris monitis ab ipso editis concionatores habent. Fuit enim Patrum, ac præcipuè Augustini, lectione vsque adeò imbutus, vt de abstrusissimis consultus locis, cùm per apoplexiam ceterarum ferè omnium rerum, adeoque & nominis sui, non meminisset, digitum in paginam intendens, expeditè legenda exhiberet. At Ioannes Dauid apud Gandauenses in fœdam sacrarum statuarum cladem ab Iconomachis Caluinianis exercitam potenter inuectus, adeò commouit animos, vt, frequentibus totâ vrbe basibus signorum suorum pignore orbatis, statuæ de integro restitutæ sint, quâ publicò quâ priuato ære. Quid Ignatius Basseliers, quem Belgarum Chrysostomum faces fulminaque vibrantem, attonitæ stupuere Brugæ, nomenque viri Siluamducis euocati fastis publicis inscriptum, immortalitate donarunt? Is quamquam in hæreticos erat acer, audiebatur tamen ab ipsis cupidissimè, plurimique Batauorum Siluamducis concurrebant, induciarum beneficio, Ignatium audituri, & stupentium similes à dicentis ore pendebant: nec pauci, eiurato Caluino, Romanæ Ecclesiæ partes sequebantur. Non magnum est quod subdo, at vnde tamen concionatoris nostri præstantia meritò æstimetur. Heusdanus Gubernator ignominiam (quod putabat) facturus Catholicis Siluaducensibus, ipsique in primis Gubernatori Grobendoncquio, Prædicantem suum destinauit in extremum agri Batauici pagum, haud procul Siluâducis, instruxitque pecuniâ, vt senos asses auditorum singulis numeraret. Hac re in vulgus sparsâ, metus erat ne confluerent innumerabiles, non hominis gratiâ, sed argenti nullo labore promerendi. Grobendoncquius honoris sui & Catholici nominis curâ tactus, Sacerdotem nostrum opposuit eodem tempore dicturum, in extremo agri Brabantini pago Batauis contermino, nullâ tamen audituris mercede propositâ. Volitabat latè per Batauiam Brabantiamque fama contentionis; iamque aderat indictus concioni dies, vterque eâdem horâ in suum quisque pagum, nullâ propè loci distantiâ; illinc argento onustus Caluinista, hinc vacuus Sacerdos noster, ingrediuntur. Turmatim nostrum insequitur multitudo, impletur illicò templum, ac mille ampliùs ex ipsâ Batauiâ stant auditores. Hæreticum blateronem audiuere homines omnino sex: quibus ille numeratâ celeriter pecuniâ, se proripuit; nec porrò vsquam, licet diligentissimè siue

à Ca-

à Catholicis, ſiue à ſuis quæſitus, apparuit. Recentiores qui variis per Belgium cathedris floruere, ne eorum commemoratio inuidiam conciliet, tacitus prætereo. Neque hæc ad pompam ſcribimus, ſed ad vtilitatem. Illud conſtat, Societatis vocem è ſacris adhuc pulpitis gratiſſimam ſonare Belgis Catholicis, hæreticis formidandam, vtriſque interim fructuoſam. Dicitur in Prouinciâ ad populum à noſtris, intra anni ſpatium, quindecies millies ducenties & ſexies.

Multum concionatorij muneris Miſſiones habent, quintus labor. Non enim quibus circumſcribimur mœnibus, iiſdem labores terminamus. In circumiacentem agrum, pagos & oppida excurritur; in exteras regiones; in alterum quoque orbem. Haud ſemel hinc in Indias, Sinam, Paraquariam ducta Belgarum colonia. mitto iſtud. ſed neque hîc attingo naues, caſtra, peſtem, Hollandiam, de quibus alterâ capitis parte ſingulatim. Illas hîc Miſſiones dico, quarum in ſingulis Collegiis eſt vſus, quando ex iis nonnulli, tamquam ex arcibus milites, in Catholici Belgij loca nobis non habitata mittuntur, ſpiritalem populis opem quâ poſſunt ratione laturi. Habet enim hoc zelus, more ignis, quamdiu materia eſt, agit, nec niſi deficiente pabulo quieſcit. Atque vt colonus nullam terræ bonæ particulam ſilueſcere patitur, ſed vſquequaque colit; ita nihil Belgij ſiue in vrbibus, ſiue in agris, vnde aliqua ſalutis ſeges ſperari poteſt, incultum reliquit Societas. Quid illa Flandriæ Occidentalis ora? ſilueſtris olim, at nunc Patrum noſtrorum ſubacta laboribus, & ſudoribus irrigata, quamdam nobis paradiſi ſpeciem repræſentat. In Bergenſi ditione, veneficia quæ paſſim inualuerant, profligata. Burburgum, Furnæ, Hondiſcotum, vicina oppida, adiuta. Et Hondiſcoti quidem aduerſus hæreſim diu dimicatum; ſed inſigniùs numquam ſe ſuamque operam Societas probauit, quàm anno M. DC. XXXVIII. per ſacrum Quadrageſimæ tempus, quo Sacerdotes bini, præter quotidianas conciones & catechiſmos, indidere incolis nouos colendæ Dominicæ paſſionis ſtimulos, diſpoſitis variâ ſtatione myſteriis, additâ celeberrimâ Supplicatione myſteria ipſa ad viuum exhibente. frequentantur nunc ſtationes illæ diu noctuque, inuſitatâ & nulli ſenum memoratâ pietate. De Furnenſi agro quid ſatis dicam? in eo pagus eſt D. Cornelio ſacer, vbi vno tempore Sacerdos vnicus noſter mille ampliùs capita expiauit, & ſacro epulo refecit. In altero qui D. Vincentium colit, frequentiâ hominum cogente, ad tertiam vſque pomeridianam non ſemel fuit diſtribuenda communio. At Caſſetanus ager ſpem ipſam colonorum vincit vbertate ſuâ. quouis in pago quotmenſibus communicant multi, cùm nemo nec feſtis ſolennioribus ſoleret. In familias nobiles, quarum iſtic toto agro frequentia eſt, pius mos introductus conuocandæ ante cubitum familiæ ad Lauretanas omniumque Sanctorum Litanias vnà recitandas. Ager verò Belliolanus vt pratis & paſcuis, ita erroribus aliquando & prauis moribus percelebris fuit. Iconoclaſtæ (qui deinde per totum Belgium fœdè graſſati ſunt) in vicino cunabula ſua habuerunt. proceſsêre etiam inde plurimi noui Euangelij præcones; ex vnoque pago Belliolanæ ditioni ſubiecto ampliùs trecentos prodiiſſe ipſimet gloriantur hæretici. In hunc campum noſtra ſeſe explicauit indu-

Quintus labor, Miſſiones.

 ſtria,

ſtria, eumque ita expurgauit, vt iam hæreticos non reperias niſi paucos, fortè in villis inter dumeta latitantes: quos tamen ipſos miſſionarij noſtri exagitare non deſinunt; conſtatque vno anno vno in pago, vt de aliis taceam, plures viginti hæreſim eiuraſſe. Ipris nonnemo permotus fructu ex Miſſionibus reportato, florenos ducentos & quinquaginta annuos Sacerdoti ad forenſes illas expeditiones alendo liberaliter addixit. Iam agri Cortraceni quanta cultura! Anno M. DC. XX. cùm foris indictæ eſſent Indulgentiæ catechiſticæ, tantus concurſus fuit, vt vnum in pagum ad decem millia ruſticani cum ſuis Curionibus crucibus labariſque confluerent. Ad vicina quoque oppida excurritur: in primis Menenas, vbi cùm noſter anno M. D. XCIX. concionibus ad milites repreſſiſſet inolitam potandi iurandique licentiam; vni alicui verbum blaſphemum fortè prolocuto ipſe Capitaneus medio in foro, reliquis omnibus circumſtantibus, linguam pugione perforauit. Quid Collegium Brugenſe? ad varia & vicina hoſti loca mittit ſuos, Audenburgum, Middelburgum, Dammas, Blankenbergam, Oſtendam, ad præſidia propugnaculaque Sluſis obiecta; in quibus omnibus annuè excolendis iſtorum Patrum aſſiduus verſatur labor. Gandaui autem Iacobus Bloſius Rector, cuius animos non capiebat vnius vrbis, quamuis ampliſſimæ, ambitus, in agrum latè circumiacentem cœpit excurrere anno M. DC. III. Ad celeberrimum D. Nicolai fanum ſexto ab vrbe lapide Miſſio inſtituta, ibique ad frequentiſſimam concionem, repetitis per diem vicibus, vtiliter dictum. Inter alia impetratum, vt feſtis diebus officinæ, quæ intempeſtiuis nundinationibus patebant, occluderentur; vt ſacræ Communionis frequens eſſet vſus; vt Sacerdos è publico aleretur, qui pueros & rudiores catecheſi formaret. Saſſi arce quinque leucis diſſitâ graſſabatur peſtis: multi quotidie mortales Sacramentis deſtituti extinguebantur. Vicini Paſtores metu contagionis diſcrimini ſe ſubduxerant. Miſſi è noſtris duo, qui, dum deſæuiret lues, miſeris & ſolatio & ſaluti eſſent. Multi prope Hulſtum foſſores erant, qui agrum inundatum ſuperſtagnante illuuione liberarent. In horum numero ter circiter mille deteriore peſte hæreſi laborabant; quorum multos qui miſſus fuerat Sacerdos noſter ad veram reduxit fidem. Miſſiones eiuſmodi deinde ſæpiùs repetitæ tanto feruore fructuque, vt eodem in loco ac die quandoque ſexies pro concione dici vſus poſtularet. Aloſtana quoque ditio ſanè ampla, vrbſque in primis Gerardimontium, egregiam Societatis culturam ſuâ fruge commendat. Campinienſem verò agrum longè vaſtiſſimum, quæque in agro ſunt oppida, incredibili ſtudio excoluit Societas, cùm per inducias liceret: nunc circumurgente bello intercluſus ad ea loca aditus, vt laboris noſtri ſpatia, ſic animorum lucra contraxit. Ante ipſas (quis credat?) Bredæ portas, frendente hæreſi, Patrum aliquis tria ſimul capitum millia, eodemque tempore ipsâ in Bredâ Philippum Principem Auraicum cum coniuge vniuersâque familiâ expiauit, ſacroque epulo refecit. Quin eorum virtus haud contenta Belgio, vlteriorem laboris aream quærebat in Leodienſium finibus: quò admittebantur non ſolùm bonâ Epiſcopi Electoris gratiâ, ſed & officioſis alliciebantur inuitamentis. Fuit cùm par vnicum Sacerdotes excurſione

vnicâ

vnicâ Hasletanam ditionem, locaque vicina peragrantes, quinque hominum millibus vno tempore impertiuere Sacramenta: bis mille de totâ vitâ confitentes audiuere: nec rarò quinis in die horis, per interualla, necessarium de rebus Fidei ad concionem frequentissimam iuxtà & ignorantissimam habuere sermonem. Mos ibi longè pessimus inoleuerat ineptæ illius confessionis, quâ generatim se peccasse fatebantur, & habere opus condonationis. Nec gregem modò, sed Pastores ipsos grauis morbus inuaserat; quorum alij venerem aliquam alebant domi, aberrabant alij à Fide, nostrisque speciatim peccata confitenda docentibus reclamabant, quasi nouarum hæresum disseminatoribus. Tot tantisque malis exstirpandis magnopere insudatum; & in discessu petentibus Parochis scripto datus confitendi modus, ignoranti populo quotmensibus (ita spondebant) prælegendus. Ex Louaniensi Collegio itum subinde in Ardennatem siluam; vbi mores hominum, loci naturam imitati, culturam haud mediocrem exigebant. Excisa tamen vitia improbo labore, & sparsa Fidei sementis in magnam messem. Pauperculi Ardennates vt grati essent, triticum, carnes, & id genus multa Patribus offerentes, effusis lacrymis immaturum abitum prosequebantur. Nec otiosa interim Ruræmunda. cultores in vicina misit oppida Masecam, Stralenam, Erclensiam, Sittardiam, Vuchtam, Hinsbergam, Weertæam. Tot simul locis adhibita cultura, quà concionibus Quadragesimalibus, quà catechismis, quà priuatis congressibus; populo tam propenso, vt Weertææ nonnumquam in catechismo tria hominum millia censerentur. Nobilium multi ad veram Fidem ab hæresi reuocati, plures è plebe. Exstirpatis vitiis, insita pietas pulcherrimo germine adoleuit. Hæc in oppidis. Pagi, quos extrema pænè barbaries oppresserat, ad Christianæ vitæ normam instituti. Pastores Sacerdotesque multis locis concubinarij ad castimoniam vitæque puritatem traducti. Sed infinitus sim, si vel attingere coner quæ rure, quæ in vrbibus Societati non habitatis perfecit missionariorum labor. Collegiorum omnium est, per agrum circumfusum, in vicina vndique oppida penetrare. Dunkercâ Grauelingam excurritur & Neoportum; Ipris Dixmudam; Cortraco Menenas; Alosto Gerardimontium; Antuerpiâ Hulstum; Lirâ Herentaliam; Bruxellis Viluordiam; Louanio Arschotum, Thenas, Sichimas, Diesthemium, Gemblacum, Geldoniam. Denique non oppidum est, non pagus, quò non pertingant speciosi euangelizantium pedes; quorum alibi ad hebdomadas, alibi ad menses constantia est, pro variâ excolendi soli naturâ. Arces item omnes & propugnacula fluminibus imposita, vel hostibus finitimis obiecta, quæ ferè diuinorum carent solatio; quin ipsa quæ in Antuerpiæ tutelam præsidiario instructa milite Scaldis habet nauigia (vbi maior etiam indigentia) pars laboris sunt, quem in Missionibus Societas exantlat. Anni nulla solennitas eò non aliquot Sacerdotes vocat, fæcem illam lustratione sacrâ expurgaturos.

Sextus labor, Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ ministratio. Ante Societatis aduentum rarus Belgis & ferè exosus Confessionis vsus: qui primus ad hæreses gradus fuit. Confessione, nullo magis freno compescitur vitæ libertas, mater omnium vitiorum. Carolum V. Cæsa- *Sextus labor, Sacramentorum ministratio.*

Cæſarem rogabant Lutherani, ferret legem Confeſſionis: ex quo enim illa ceſſaſſet, ſcelera omnia irrupiſſe. Riſit Cæſar; & erat ridenda dementia poſtulantium, quod ſponte abieciſſent. Itaque Societas à principio tota fuit in huius reſtitutione Sacramenti; in quo velut cardine verſatur Orthodoxa Religio, & animorum ſalus. Conatum ſucceſſus æquauit. Confitentium apud nos infinitus numerus. Antuerpiæ, vt de aliis vrbibus hinc ſtatuas, in Profeſsâ domo dant aures confitentibus viginti ſex Sacerdotes, alijque ſubinde auxiliares in Collegio; neque tot tamen, ſi qua feſti ſolennitas eſt, numero audiendorum pares. Et quamquam in noſtris præcipuè templis hoc munere fungimur; tamen & Parochis, quod ſæpè fit, inuitantibus operam commodamus. Amant ſanè multi Belgarum, neſcio quo pacto, apud Societatis hominem confiteri. id iam inde à principio apparuit. Louanij Adrianum immenſa pœnitentium, ſiue Academicorum, ſiue ciuium, corona cingebat. Certari diceres pro illo Confeſſario; & ægroti homines, ſi ante mortem Adriano vti poterant, in bonâ felicitatis parte reponebant. Quid, quòd auerſi aliàs hoſtesque Societatis in hoc ſint amici, noſtrâque operâ vtantur? Magnos quoque viros ſcimus, poſtquam à nobis alieni ſemper vixerant, mori noluiſſe, niſi apud Sacerdotem noſtrum totius vitæ noxas depoſuiſſent, tunc ſcilicet ſecurè morituri.

Stabilitâ huius Sacramenti frequentatione, ſalutarem quoque generaliter de totâ vitâ aut eius parte confitendi morem Societas induxit, non ſine aduerſario & pugnâ. Potens Antuerpiæ concionator acerrimè in nos inuectus, non niſi imperato ab Antiſtite ſilentio, vſum illum adeò rationi conſentaneum damnare ceſſauit. Porrò Deus placere noſtram ſibi operam in huius Sacramenti miniſtratione, cùm ſæpè aliàs, tum perſpicuè oſtendit anno præteriti ſæculi XCIV. Menenis, quod oppidum eſt haud procul Cortraco, milites duo cum morte luctantes vbi à noſtro Sacerdote auditi ſunt, alter integram corporis ſanitatem eâdem horâ mirabiliter conſecutus eſt, alter ſequenti luce è lecto ſurrexit incolumis. Præter ſcelerum expiationem formandis quoque ad perfectam virtutem animis inſudat Confeſſariorum labor. Neque ſolas hîc Sanctimoniales aut deuotas Deo virgines viduasque intelligo, ſed præſtantes primique ordinis in Republicâ viros.

Quid de ſanctiſſimâ Communione dicam? obſcurúmne eſt, languentem toto Belgio ac propè emortuum illius vſum, ſtatim vt pedem aliquò inferebat Societas, refloruiſſe? exemplíſne igitur opus in re clarâ & recenti? Winocibergis, quod vniuerſa memorat ciuitas, duæ tréſve mulierculæ feſtis etiam præcipuis, ſi Paſcha excipias, ſacro epulo reficiebantur: paucis ab aduentu noſtro annis cenſa ſunt ciuium millia: Caſleti certo nobilium virorum teſtimonio conſtat ſenos homines ſolere aut octonos; nunc pars oppidi potiſſima frequentat: Bellioli plures iam vno aliquo feriato, quàm anteà ipſo CHRISTI natali, aut feſto Pentecoſtes die: Ruræmundæ vix anteà quinque & viginti totâ vrbe; mox in ſolâ æde noſtrâ ſeptingenti. Annua deinde Communio in menſtruam plerisque conuerſa eſt. Octodecim millia templum noſtrum quotannis numerat in eâ ciuitate, quæ vix quadringentos tractandis armis

mis idoneos ciues habet. Pedem Hallis posuit Societas pridie Virginis purificatæ, anno sæculi vigesimo primo: postridie tam solenni festo, & tali æde tot Marianis prodigiis illustri, communicantes omnino vndecim, non plures fuêre; & horum septem ex suburbanâ nobilis viri familiâ, quatuor reliqui erant ciues: nunc millia spectantur. Quid peregrini? ex centenis vix ac ne vix vnicus sacram adibat mensam; iam nec vnicus non adit. Stupuit Louanium die vno bis mille homines, auctore Adriano nostro, ad Synaxim accedere, cùm anteà paucissimi solerent. Antuerpiæ Professa Domus intra anni spatium supra ducenta & quadraginta communicantium millia numerauit. in vniuersæ verò Prouinciæ domiciliis ampliùs duodecies centena & triginta quinque non semel fuêre recensita. Et adhuc cuiquam paruum operæ pretium fecisse videbitur Societas, posteaquam ad cæleste conuiuium, ad vitæ fontem, ad pignus æternæ gloriæ tot adduxit mortales? Neque cessamus interim nouis stimulis hanc vrgere pietatem, ne temporum lapsu (quod in humanis frequens) aliquando languescat. Ea caussa est cur Communionem Generalem dudum vsitatam alibi, optimo consilio in Belgium nuper inuexerimus. Non enim, vt quidam sinistrè interpretantur, abducendis aliunde in nostra templa ciuibus instituta est; sed iacenti multorum pietati excitandæ. quem finem sanè consecuti sumus. Constat non paucos hoc inuitamento allectos frequentare Communionem, aliàs indubiè neglecturos. & porrò frequentarent plures, si non eos intempestiua quorumdam abstraheret æmulatio. Ruræmundensis Senatus rem insigniter promouet, dum eius nomine & inscriptione ante aram mediam candidus eo die cereus multarum librarum lucet; vtinam & prælucea t exemplo! talium enim honestissima est imitatio.

Septimus labor, carceres & nosocomia.

Nunc ad perpetuam noui laboris materiam carceres & nosocomia transeamus; quò ferè nulla virtutem inuidia comitatur. Habet vnumquodque Collegium designatos Patres, quibus demandata cura est publicas vrbium custodias frequentare, iuuandis captiuorum animis corporibusque; nisi quòd communem omnium operam numerus aliquando postulet, quemadmodum non ita pridem facto opus fuit, cùm Brabantiæ Flandriæque carceres, captis ad Caloam Batauis, ad Audomarum & Theonis villam Gallis, angusti essent. Societas tunc potissimùm solatio miseris & auxilio fuit: non sine laboris præmio contagione, quæ nostrorum multos in vitæ discrimen adduxit, quosdam etiam exstinxit. Tanti erat prodesse vel hostibus ad salutem, si tamen hostes vllos habet charitas Christiana. Gandaui certè quotquot captiuorum moriebantur, omnes expiati sunt à nostris, & extremorum Sacramentorum muniti præsidiis ampliùs ducenti. nihilo alibi pauciores. Inusitata quidem ea tum messis fuit; nihilo minùs tamen magnam satis sibi propositam habet quotidianus labor, Winocibergis præsertim ac Dunkercæ, vbi ducentos plerumque seruat carcer, ac ferè hæreticos, ex hostibus mari captis: quorum multis ad sanam fidem per nos adductis felix captiuitas reputanda. Annus nullus est, quin viginti eoque plures resipiscant. Subinde & Turcæ aliquot ab impiâ Mahumetis super-

ſtitione ad CHRISTVM traducti. Ceterùm animis captiuorum hæc paſſim obſequia impendimus, catecheſin, exhortationes pias, Sacramentorum adminiſtrationem. nec paucis locis curatum, vt Miſſæ ſacrificium peragatur. Poſt animos ad corpora curanda conuertimur, conquiſitis in veſtimenta, in cibos, in pharmaca eleëmoſynis; non raro etiam in lytrum, quando non de crimine ſed pecuniâ poſtulantur. Certè anno M. DC. XXIV. Winocibergis noſtrorum patrocinio è ducentis captiuis ſupra centum libertate donati ſunt. Materiam laboris vel maximè augent morbi ex inediâ & ſqualllore frequentes. Carcer vnicus quandoque centum concluſit ægrotos: quibus omnibus impenſæ operæ merces fuit contractus ex pædore & ſordibus morbus,& morbum ſecuta mors: in lucro ſcilicet reponenda, quando in tali cauſâ qui perdit animam ſuam, in vitam æternam cuſtodit eam.

Ad carceres & illa ſpectat opera quam morte damnatis impendimus. Quo in genere illud memoriâ dignum: Anno ſæculi primo ac vigeſimo Dunkercanos viginti duos vitam in nauali prælio ſtipulatos infami ligno ſuſpendit Batauus. quam ſeueritatem lege talionis vltura Archidux Iſabella, mandat totidem Hollandos Dunkercæ captiuos ſine cunctatione ſuſpendi. Ex magno numero ſeligendorum capitum iudicium ſorti permiſſum: erepti tamen Catholici, extraque aleam poſiti ſunt ope noſtrâ. damnatos omnes ad Fidem traduximus ab hæreſi, præter Mennonis vnum, duos Caluini pertinaces aſſeclas, & ad extremum ſpiritum animauimus; impetratâ quoque ſepulcri gratiâ, & funere in Catholicum morem ritè procurato. Illud quoque ſingularem diuinæ prouidentiæ obſeruationem habet, quod ipſis Cortraceni Collegij initiis factum accepimus. Sacerdos noſter neceſſarium iter agens, in latronum hæreticorum, quibus infeſtæ erant viæ,manus incidit: ſed, Deo benè diſponente, ductorem infauſtæ turmæ inuſitata quædam ſubiit humanitas,vt neque ipſe vel verbo læderet Patrem, neque à ſuis lædi permitteret. In cuſtodiâ retinebat tantùm, perque ſiluas & auia circumducebat. Quin de ſalutis curâ monentem libenter reuerenterque audiebat. ita dies aliquot acti, donec Canonicis fortè precibus intentum confidenter interpellans,Haud diuturnam, inquit, fore nobis hanc graſſandi licentiam præſentit animus; eâque cauſâ ſcito te benignè habitum à me, vt mihi pœnas breuî, quod ominor, daturo memor beneficij vicem referas, atque in extremo ſupplicio opitulere: id iam ſpondere te volo. Mirabatur hominis orationem noſter;ſpondet tamen. Poſt paucos menſes publico Magiſtratuum ſatellitio purgatæ viæ, latrones capti fugatique. Ductor ille Cortracum perductus, ſtatim inquirit de Patre, fit ſupplex venienti, fidem obnoxiam exigit, hæreſim eiurat, peccata dolenter agnoſcit. Intereà capitalis ſententia ferebatur, & ad ſupplicium ituro accedebat comes alterius Ordinis,ex loci conſuetudine, Sacerdos. Hîc tum ille Senatum docere incipit, quâ ſponſione obligatum ſibi habeat Patrem noſtrum, cui nuper in ſiluis capto non modò non eripuerit vitam, ſed omnem exhibuerit cum honore humanitatem: proinde orat eum ſibi morituro adiutorem dari. Annuit, vt par erat, Senatus. Illicò aduocatus noſter adeſt; quo comitante,lætus

ad

ad ſupplicium latro perrexit, mortemque inſigni conſtantiâ & pietate ſuſtinuit. Deum crederes publico teſtimonio vtilem hac in re Societatis operam commendare voluiſſe. Viuit Bruxellis Sacerdos, qui, trecentis & quadraginta quatuor mortalibus ad necem iudicio damnatis, ipſe vnus vix quindecim annorum ſpatio opitulatus eſt. ab vno diſce omnes.

Iam in noſocomiis quantus labor, & par labori à contagione periculum? ac præter noſocomia, ad quaſuis priuatorum ædes, vbi morbi ſunt mortiſque diſcrimina, continuò vocamur: neque negatur opera ſiue interdiu, ſiue noctu, quamdiu qui mittantur, ſuppetunt: cuius rei teſtes habemus vrbes omnes, ac præcipuè Antuerpiam, vbi decem ſæpè ac plura Sociorum paria in hoc obſequio foris pernoctant. Noti vocent ignotíve, hoſtes aut amici, nihil ſanè diſtinguimus: Tros Tyriúſve fuat, nihil intereſt veræ Chriſtianæque charitatis, non quibus ſeſe impendat, ſed cuius gratiâ, conſiderantis. Itaque paratas omnibus vigilias noſtras habemus, niſi quòd pauperibus paratiores, quorum non animis modò, ſed & corporibus neceſſaria auxilia ferre pietas maior impellit. Et quamquam hic labor præcipuè deſudat ciui; quandoque tamen, cùm fert occaſio, complectitur militem, qui & ipſe pars eſt Reipublicæ, & ciuium ſaluti ac commodis ſeruit. Duodeuigeſimus eſt annus, ex quo noui præſidiarij Dunkercam introducti miſerè ſternebantur morbis ex egeſtate natis, & acerbiſſimo gelu, quo mare ipſum aliquot leucis concretum ſtetit, immemorabili exemplo. Hîc tum Patres vrbe totâ corrogare ſtipem, curare ligna, culcitras, cibos, pharmaca; famulari miſeris eo affectu, quem poſteà miles deprædicare non ceſſauit, nullo alio deinceps nomine compellans noſtros, quàm Patres ſuos, quibus ſcilicet ſeruatam vitam ſine dubitatione deberet. Neque tum noua eo in genere Patrum charitas fuit. Spectauerat Dunkerca etiam præſtantius anni ſuperioris exemplum, quando ſex onerariæ in portum inuehebantur, in iiſque milites Luſitani mille ſeptingenti. ea claſſis quoniam opinione citiùs appulſa erat, haud permiſſus miles exſcendere, donec de eo ſtatueret Princeps: atque interim morbi graſſabantur in confertâ mortalium turbâ, ægris ſaniſque triſtiſſimâ ſocietate permixtis. Ex Sacellanis tribus claſſem comitatis valentior vnus curabat pauculos honeſtiores, quibus ſingulari gratiâ conceſſum erat vrbis noſocomium; alij duo in militari colluuie animam & ipſi agebant. Vbi ea calamitas ad Patrum peruenit aures, impigrè ad naues conuolant, ac miſerabili ſpectaculo ægros ampliùs ſeptingentos, nihil mortuis diſtantes, omni medico ac Sacerdote, quos periculi arcebat timor, deſtitutos reperiunt. ipſi tot iuuandis impares, annuunt Winocibergenſibus Sociis, & communi operâ in rem incumbunt, dant aures confitentibus, extrema conferunt Sacramenta, primarias vrbis feminas ad paranda obſonia & pharmaca hortantur, parata ipſi in naues inferunt, ſuis manibus indigentiſſimo cuique miniſtrant: denique infimis apud Regios Præfectos precibus agunt, impetrantque exſcenſionem multorum; quæ niſi fieret, iam ingraueſcens in horas malum abſumeret vniuerſos. Nec obſcuro ſanè teſtimonio tam illuſtrem Patrum charita-

tem Deus approbasse censendus est, quando in præsenti adeò vitæ discrimine constitit omnibus valetudo; & tamen ciuium multis, vel solo morbidorum militum afflatu, vel vestium contactu adhærescebat lues. Hibernabat Gandaui Neapolitanus tiro, morbisque & inopiâ consumebatur anno M. DC. V. plurimi passim per plateas ab omnibus deserti interibant. Impetrauit Societas apud Senatum, vt eorum quadringenti ægri publico nosocomio exciperentur: quos nostri visebant, solabantur, iuuabant, eo fructu, nemo ex omnibus vt fuerit qui non salutari Pœnitentiæ Sacramento præteritæ vitæ labes expiaret. At si vmquam siue ciui, siue militi, suam hac in parte probauit operam Societas, tum profectò potissimùm, quando multorum mensium dirissima oppugnatio tolerata fuit Siluæducis, Traiecti, Bredæ. Perpetua morbidorum vulneratorumque calamitas diurno nocturnoque opus habuit auxilio; quod nihilo quàm rogabantur segniùs præstabant Patres. Quo in opere charitatis duos amisimus Bredæ, quos ad moriturum aliquem properantes, hostilis globus ex improuiso allapsus fœdè laniauit. Eximia quoque Patrum pietas in egenos eluxit superioris sæculi anno septimo & octogesimo, in tantâ annonæ sæuitiâ, quantam nulli Belgarum annales prodidêre. omnium labor erat emendicare frumentum ab opulentioribus: quo copiosè collecto distributoque, sustentata est pauperum vita, paucos vt fames absumpserit, quæ multis aliàs millibus minabatur. Sed singularium sit infinita narratio. vt enim infirmorum hominum ac egenorum, neque defuit vmquam, nec porrò defutura est copia, ita nec nobis illorum auxilia profitentibus materia perpetui laboris.

Octauus labor, Pacificationes. Est & in pace inter diffidentes conciliandâ benè collocatus labor, & exemplorum plenissimos habemus Annales. Innumeras lites mercatorum Antuerpiæ, innumeras virorum Principum Bruxellis, suo composuit arbitrio P. Carolus Scribanius. Liræ, oppido Brabantiæ, plebs in Magistratus suos aliquando iuit armata; præcesserant famosi libelli, conuitia, minæ, & ad vim extrema spectabat audacia. frustrà loci Gubernator, frustrà Clerus sacrique Ordines flammam sedare conati. Desperatam concordiam nostri conciliare aggrediuntur, tantâ industriâ constantiâque, vt partium consensu commissam sibi caussam cognouerint, ex æquo bono statuerint, pacemque vrbi optatissimam reddiderint; cui firmiùs sanciendæ Sacrum eucharisticum in sacello nostro solenniter decantatum. Et Senatui quidem tantoperè Societatis in arbitrando æquitas & prudentia probata, vt plures exinde summi momenti controuersias è foro ad Collegium transtulerint, nostrâ sententiâ definiendas. Hallis, oppido Hannoniæ, primarias familias duas grauissimo odio pugnantes, & cum his vrbem totam in partes distractam, toto iam septennio frustrà componere laborabant Magistratus sacer ac ciuilis. Robertus Malcotius Collegij Rector ita tractauit diffidentium animos, vt communi vtrimque suffragio lectus sit arbiter. Solus cognouit caussam, solus diremit arbitratu suo, pacemque reuocauit tantâ populi gratulatione plausuque, vt prodeunti in publicum Malcotio faustis vocibus vniuersa ciuitas acclamaret. Cortraci modica scintilla

litis

litis magnum inimicitiarum excitarat incendium inter duo Capitula: cui exſtinguendo bonorum omnium inſudarat induſtria irrito conatu. fecit Deus, vt Patres noſtros admitterent arbitros. Itaque Gandauo Conſiliarium cum vtriuſque partis actoribus accerſunt, qui coram noſtris controuerſiam diſceptent. Cœtus triduum ad ædes noſtras cogitur. expenduntur momenta rationum, denique Patrum arbitratu ponuntur odia, paxque conſtituitur, incredibili ciuitatis gratulatione. Quid nunc dicam graues & totis vrbibus periculoſas ſeditiones, ciuem inter ac militem vtrimque ad arma conuolantes, noſtrâ potiſſimùm operâ reſtinctas? Annus propè quinquageſimus eſt, ex quo ſeditioſus miles incautis ciuibus Cortraçum ingreſſus, dilatorum ſtipendiorum damna communi vrbis expilatione reparaturus, medio foro explicabat aciem, prædamque deſignabat, haud impunè profectò paſſuris dominis ſua tecta ſpoliari. Cruenta enimuerò minabatur tempeſtas, quam depulſurus Sociorum labor fruſtrà ſudabat apud frementem militem, neque precibus neque rationibus attentum. Ergo vbi verbis nihil proſici vident, ex æde proximâ ſacram deferri curant Hoſtiam, & medio locari foro. Tum inermes ipſi inter armatos diſcurſant, perque præſentem Deum obteſtantur, ne crudelitatem hoſtibus debitam in Catholicos ciues furor armatus effundat. Orationis vehementia repreſſit indignabundam rabiem, ipſaque in primis reuerentia Numinis: magno cum fremitu illiſis in terram armis, in genua omnes prouoluuntur, Deumque venerati, dant ciuibus dexteras, pacemque pollicentur. Ita ſtrictos mucrones, & parata ciuitati vulnera, ſuis propè vulneribus, certè vulnerum mortiſque præſenti periculo, Societas auertit.

Nonus labor, vſus ſpiritualium Exercitiorum.

Nonus labor in excolendis piâ commentatione humanis animis verſatur: quæ res Societatem in ipſo exortu, Louanij in primis, reddidit commendabilem. Nam & Ruardus Tapperus Academiæ Cancellarius, & Theodoricus Heſius Leodienſis Prodecanus, & Ludouicus Bloſius Abbas Lætienſis, in hanc ingreſſi palæſtram, exercendos ſeſe nobis tradidere, eo fructu quem ipſi quamplurimis optabant eſſe communem. Itaque Bloſius Cœnobitas omnes ſuos eiſdem ſpiritalibus exercitamentis inſtrui voluit; exſtatque Religioſiſſimi viri epiſtola ad Adrianum Louanienſis Collegij moderatorem Lætiis data, quâ primùm grates agit quòd Ignatij precibus per eum eſſet commendatus, deinde ſibi de ſuorum inſtitutione per Vſmarum Goiſſinum Sacerdotem noſtrum gratulatur, ac denique exclamat: *Vtinam hoc factum fuiſſet ante annos viginti! ita enim cum ſenioribus multò meliùs fortè ageretur. Laudamus benigniſſimum Deum, qui per vos iſtam rationem nos docuit: ex eâ & ipſius Dei honor & ſalus animarum, vti confido, conſequetur.* Anno M. D. LXIV. Dublinenſis Præſul, vir domi ſuæ nobilis ac prudens, poſtquam Louanij apud nos pia hæc obiuiſſet Exercitia, omni ſtudio & contentione perſuaſit Stephano, Mariæ Stuartę Scotorum Reginę ad Summum Pontificem Legato, ex primâ nobilitate, ſed neſcio quâ cauſâ à noſtrorum conſuetudine prorſus abhorrenti, vt & ipſe commentationibus illis aliquantiſper vacaret. Vix guſtarat Stephanus, cùm cœpit tanto animi affectu Societatem proſequi, vt ex eâ nonnullos ardentiſſimè peteret ſe-

cum deinde in Scotiam profecturos. Haud diu pòst, quasi nexu quodam constricta teneretur transmarinorum Præsulum pietas, Richardus Archiepiscopus Armacanus ex eisdem domi nostrę obitis Exercitiis vires vigoremque hausit, tanto muneri dignè fructuoseque sustinendo pares.

Sed hi exteri fuêre. At è Belgis magna Nobilitas excolebatur, & præcipui Academiæ Doctores; tum ferè quotquot Sacerdotio inaugurandi. Vix dies erat, quin præstantes viri, & eximiæ spei iuuenes domestica sex & plura occuparent cubicula magno suo bono, & variarum Religionum incremento. Centena aliquot capita non multis annis domi nostræ dum exercentur, afflante cælesti Spiritu, in sacras Deo Familias adscripta possem producere nominatim; & in hoc numero germanos fratres duos, honesto loco natos, quorum memoranda vocatio. Vacabant tum fortè Exercitiis, cùm Patres Capuccini recentes ex Italiâ hospites in Collegium nostrum recepti vnà nobiscum viuebant. & placebat adolescentibus ea charitas, quâ diuersi Instituti Religiosos viros inuicem prosequi obseruabant. Concipiunt & ipsi talis vitæ desiderium, seque ita partiuntur, vt alter se nobis, alter Capuccinis daret; sub eodem tum quidem tecto, mox domiciliis non charitate separandi. Scimus Franciscani Ordinis Moderatorem Louanij, eximiâ pietate prudentiâque virum, negasse in suorum numerum admittere, nisi Asceticis Ignatianis anteà excultos; quòd multo iam vsu sibi compertum diceret, hos in omnem virtutem & proniores & constantiores exsistere. Alterius eximij Cœnobiarchæ, postquam à nobis exercitatos aliquot è suis longè meliores, quàm miserat, recepisset, ad Collegij Rectorem exstat epistola, quæ inter alia sic habet: *Omnes Religiosi iam inde ab Exercitiis spiritalibus reuertentes, adeò confratres suos humilitate, obedientiâ, aliisque virtutibus ædificarunt, vt omnes alij nihil charius habere videantur, quàm vestræ sanctæ Societati decem aut duodecim diebus adesse. Impleri apud vos videmus illud Canticorum* I. *Trahe me: post te curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Anno M. D. LXVII. Sacerdos noster Louanio Huum euocatus, Crucigeros Cœnobitas, ipsumque Ordinis Præfectum Generalem, hisce commentationibus exercuit, magno omnium gaudio, vtilitate maiori: quippe quam in multos consequentes annos accepimus fuisse diffusam.

Atque vt semel dicam, ex quo Louanij viuere cœpimus, in hodiernum diem, hoc est sæculo toto, si biennium demas, multorum millium spiritualibus armis nostro ductu exercitatorum domus nostra gymnasium fuit: planè vt Societas istic operæ pretium fecisse videri possit, si vel hoc vno fructu labores terminaret suos. At hæc non vnius Louaniensis Collegij laus putanda, etsi fortè sit præcipuè illius; frequens & in aliis vrbibus meditationum vsurpatio est. Alibi Consulares ac Senatorij viri quotannis, indicto sibi tantisper iustitio, dies aliquot in secessu apud nos ponunt more nostro; alibi Pastores Canonicique; integra alibi Cœnobia. inter quæ olim excelluit Dunense, ad exemplum Abbatis sui Adriani Cancellier: qui vir stato tempore intra Bergensis Collegij septa modestè abditus, tanto in has, vt vocabat, ferias appetitu ferebatur, vt pedem in domus limine defigens Paradisum sese ingredi diceret, testareturque nullos in anno dies sibi fluere suauiores. Inter exercendum,

præ

præ animi demiſſione, quam ipſa perſonæ dignitas ornabat, ita ex nutu pendebat directoris, vt inconſulto illo neque daret litteras, neque acceptas reſignaret, ſanctè veritus, ne, admiſſis ſine facultate curis rerum humanarum, obſtrueret diuino ſoli ac fonti, quo minùs radij æternæ claritatis, ac ſinceræ dulcedinis riui in ſuum animum promanarent. Taceo primarum vrbium Epiſcopos, etiam Metropolitas, qui ſacris Infulis caput ſupponere reformidarunt, niſi antè in hanc palæſtram ingreſſi lacertos ſuos diuini Spiritus vnctione ſolidaſſent. Eorum multi iam ſolenne habent, Sacerdotio inaugurare neminem non iſtis commentationibus exercitatum. Quid, quòd & ipſis ſubinde hæreticis hæc via ad ſalutem fuit? quo tempore Dordracenam Synodum, vt vocant, hoc eſt ſatanæ conciliabulum, hæreſis celebrabat, egregius aliquis verbi Miniſter eò aduocatus è Scotiâ, cùm duriſſima illa Gommariſticæ Prædeſtinationis decreta non ferret, Antuerpiam ſe contulit, inde Liram, vbi per hæc ipſa mentis exercitamenta accepit lucem, eiuratoque Caluinó publicam edidit Romanæ Fidei profeſſionem.

Meditationes Quadragesimales.

At quamquam hæc priuata meditandi ratio copioſam habet vtilitatem, tamen, vt quoquo modo in commune prodeſſet multitudini, quod vſque eò proderat ſingulis; excogitauit demum Iacobi Stratij ingenioſa pietas ſaluberrimum morem illum per ſacras magni ieiunij ferias, conuocato in templum populo, proponendæ ad meditandum Dominicæ paſſionis. Inter Sodales quidem Marianos iam dudum pluribus locis ea res vigebat; ſed in publicum populi vſum primi extendimus Belgæ, tanto ſucceſſu, quantum nunc vbiuis cum iucunditate miramur. Non potuit quidquam magis ad communem guſtum imis ac ſummis dari. adeò nemo eſt vel ex illo ſuperciliosorum hominum genere, noua omnia faſtidientium, quin hoc vehementer ab ipſo probarit principio, diuinumque faſſus ſit inſtitutum. Præter ſermonem Belgicum, etiam Gallico & Hiſpanico, vt fert vſus, meditanda proponimus pro nationum varietate, quò latiùs propagetur vtilitas. Incredibilis concurrentium mortalium vis templa iam fecit anguſta. Sed nuſquam qualis Antuerpiæ multitudo: quæ idcircò admirabilior, quòd Sodales, quorum maxima copia, nihilominùs priſtinam ſuo in Oratorio meditandi conſuetudinem retinent in ſingulos dies.

Decimus labor, varia pia instituta.

Preces Antecinerales Louanij primùm instituta.

Ingens quoque virtutis pondus Preces Antecinerales habent; quibus fortunatum Belgio, ipſique adeò orbi Chriſtiano, dedit auſpicium annus M.D.XCIX. Tametſi enim haud ſemel alibi tentatum quid legimus per eos dies, vel auertendis ab impuritate mimicâ populis, vel frenandæ bacchantium gulæ; tamen conſtans nihil fuit neque ſolenne, donec quem paullò antè nominaui Stratius, Collegij tum Louanienſis Rector, nullo inductus exemplo, nullâ impulſus auctoritate, ſed vt ipſe, homo aliàs modeſtiſſimus, fateri ſolebat, interiore quodam animi inſtinctu, inueteratam illam Bacchanaliorum licentiam ſublaturus, ſi poſſet, ſuoque in regno ſatanam triumphaturus, maximis animis & in omnem caſum paratis, non dubitauit aggredi nouum opus. quod, contra multorum qui ſapere videbantur opinionem, Deus benè fortunauit. Non enim deerant graues viri, vt eſt omnis nouitas diffidentium iudiciis obnoxia,

noxia, rem tanti moliminis, dubij successus, sine exemplo, sine auctoritate susceptam improbantes. Sed Rectoris vicit constantia, eam sibi mentem diuinitus datam haud dubiè interpretantis. Ergo impetratis à Mechliniensi Archiepiscopo quadraginta dierum Indulgentiis, quas obtinerent, quotquot illo triduo horam totam ad populi scelera compescenda, in templo nostro precibus impenderent, publicari iubet futuram solennitatem. Simul primarios vrbis & Academiæ viros ad sacram Exomologesim & Synaxim inuitat, populo scilicet in magnorum exempla intento præituros. Salubre inuentum confirmauit euentus, & Deum probauit auctorem. Res scripto famâque per vicina Collegia, inde per circumiectas diffusa Prouincias, imitationem accepit; donec morem complexa est vniuersa Societas, in venturas ætates, quamdiu stabit ipsa, propagandum. In nostro certè Belgio hac vnâ machinâ non mediocriter labefactatum est satanæ, per eos maximè dies dominantis, imperium. Credas non Bacchanalia, sed Paschalia celebrari: tantus templa & Sacramenta frequentantium numerus. Vno tempore supra 49400. intra Prouinciæ nostræ fines sacro epulo refecti. Præter oppidanos etiam rusticani vndique concurrunt, tanto pietatis ardore, vt non distantiâ molestiâque viarum, in quas nox tota multis impenditur, non asperitas hiemis quemquam deterreat. In vnam sæpè vrbem ad quinque rusticanorum millia contracta sunt: quibus tot expiandis cùm longè impares essemus, annuendum fuit sociis, aliique Ordines Religiosi in auxilium vocandi, ad quorum templa turmatim magnos pœnitentium greges deducere solemus. Ne sic quidem satis multitudini semper factum. Dimidiato iam die restabant audiendi multi, quamuis per ipsas octo horas tentassent aditum ad Sacerdotem, prementis turbæ vi semper exclusi. Lepidum quod Alosti contigit, vrbe non magnâ, quo primùm anno institutæ preces. Cauponum vnus aliquis de graui damno aduersus nos questus est, nullo per eos dies à compotoribus exhausto vase, cùm viginti quatuor effluere consueuissent.

Stationes Passionis CHRISTI.

Sunt & alia instituta pia, in quibus non segniter desudauit Societatis labor: quo ex genere sunt Stationes quas vocant CHRISTI patientis: nam de mœstæ Virginis iam suprà memoratum est. Illas Gandaui Sacerdos noster instituit totâ Flandriâ primas. Exemplum imitatæ sunt Insulæ, Valencenæ, Atrebatum, Bethunæ, Tornacum: variis prætereà locis ereximus, Olsenæ, Exaerdæ, Alosti, Hondiscoti, Bruxellis in Sabulone. Vbique fructus pietatis ingens, qualem nulla senum ætas potest meminisse. Quid Sanctorum dicam cultum, hæreticis capitaliter exosum, nostrâ in primis operâ toto Belgio refloruisse? De Virgine Deiparente iam antè insinuatum est. Sed sponso Virginis Iosepho, præter varia Sodalitia, etiam aras & templa posuimus; diemque ipsum non vnâ in vrbe populi pietas festiuitate donauit. Tutelarem Angelum solenniter apud nos colunt Cortraceni: Gandaui Rosa, Gulielmus Antuerpiæ, Winocibergis Geruntia, Sanctorum alij aliis locis, per nos suum accepere cultum. In primis verò sacris Diuorum Lipsanis conciliata est veneratio, itemque agnis cereis Romani Pontificis benedictione

Sanctorum cultus excitatus.

ne ſacratis. Imagines quoque, vel Fidei noſtræ myſteria, vel Sanctorum vultus aut geſta repræſentantes, noſtrâ curâ plurimæ in æs inciſæ, nec ſolo Belgio, ſed orbe toto ſparſæ, fructum vberem retulere. Quid numiſmata pia, cruces, roſaria, & id genus ſexcenta Chriſtianæ pietatis excitamenta commemorem? quid Indulgentias in pretio & vſu apud rudem populum collocatas? quid excogitata præſidia iuuandis animabus quæ purganti igne cruciantur, atque in hoc potiſſimùm inſtitutam Communionem menſtruam Generalem? Ridebit hîc cenſor aliquis noſtrum in tenui laborem. At ſapiens Chriſtianus nihil tenue paruumque ducit, quo Dei gloria promouetur, & animorum ſalus. *Piæ imagines.*

Iam publica patriæ, publica vrbium vitia quoties per nos repreſſa, correcta, ſublata? Montes pietatis aduerſus impium fœnus ſcriptis rationibus ſtabiliri à Societate Albertus Princeps voluit: Leonardus Leſſius ſtabiliuit. Antuerpiæ lupanaria paſſim ſparſa ciuitatem totam occupabant, ingens animorum, ingens corporum corruptela. Non quieuit Societas, donec Senatus cum Epiſcopo Læuino Torrentio in certum vrbis angulum peſtem illam retruſit, quò multi iam ire publicâ deterrentur infamiâ. Nonnulla Flandriæ oppida comœdias quotannis dare morem habent. in iis multa peccabantur. magna ſæpè verborum & ipſius actionis obſcenitas, ſacrorum rituum profanatio, Eccleſiaſticorum Politicorumque Magiſtratuum ſugillatio. Ea vitia exſtirpare laboris noſtri fuit. ac deinceps curatum, vt quæ in ſcenam danda, ad cenſuram antè reuocentur. Multos quoque cœtus à bonis ortos principiis, (Confraternitates vocant) in peſſimam potandi peccandique licentiam prolapſos, radicitus ſuſtulit Societas. infinitas item cuiuſuis generis ſuperſtitiones. Aliam quoque Societatis induſtriam Antuerpia olim ſpectauit & ſtupuit. Luſitanæ gentis res moreſque vitio temporum magnopere perturbatos componere aggreſſus erat P. à Coſta, quem noſtris tum iſtic præfecerat Franciſcus Coſterus Prouincialis. Sed illo celeriter in Hiſpaniam profecto, benè cœpta promouit P. Robertus Claiſſonius; ac denique P. Petrus Trigoſus Hiſpanus negotium iam affectum tantâ dexteritate gentiſque approbatione confecit, vt gratitudinis ergô ſtatam domui noſtræ eleëmoſynam aſſignarint, communique conſilio decreuerint deinceps ad Conſules ſuæ gentis creandos Patrum noſtrorum præſentiam quotannis flagitare. *Multiplex morum reformatio.*

Hîc iam ſeſe nouus aperit & ampliſſimus laboris campus, actio priuata cum proximis ſiue conuerſatio: cuius actionis vſum perquàm familiarem habemus in Belgio præ multis noſtræ Societatis Prouinciis, ita loci genio poſtulante. Quod ne otiosè ac fallendi temporis cauſsâ fieri exiſtimes, fructum inſpice, ex eoque ſtatue de labore. Quot heterodoxi ad veritatem, quot ad frugem peccatores, quot probi homines ad virtutis perfectionem hac ratione traducti! Anno M. DC. XXIII. vnius Sacerdotis in agendo dexteritas duos ac quinquaginta ex præſidiariis Anglis adiunxit Eccleſiæ, in quibus tres erant diuerſarum cohortium Duces. Maior etiam anno inſequenti fuit meſſis. Abducti enim ab hæreſi omnino centum ac triginta: inter quos vir apprimè nobilis, & egregiis planè dotibus præditus; qui quantò difficilior exſtiterat, tantò pertina- *Vnde c... labor, ... priu... cum pro-ximis.*

 ciam

ciam maiori virtute correxit: non modò enim in Ecclesiæ gremium,ſed in Carthuſianorum ſanctiſſimum Ordinem ſe dedit, ſoli in poſterum Deo victurus ac ſibi. Liram venerat octogenarius ſenex, qui omnes Angliæ, Daniæ, Hollandiæ peruagatus Academias, omnem hauſerat ſentinam hæreticæ prauitatis; Iudæorum quoque in ſynagogis non infrequens aſſeſſor; ſacra Biblia vſque eò imbiberat, nullam vt ex iis ſententiam vel abſtruſiſſimam adduceres, quam non ille longiſſimo contextu quaſi lectitans proſequeretur. Cum hoc homine erroribus æquè vt annis inueterato commiſſus Sacerdos noſter in agendo gratioſus, tertio congreſſu retulit victoriam, & magnâ voluntate dantem manus ad Catholicorum caſtra traduxit.

Trigeſimus hic eſt annus, ex quo in Belgium pſeudoapoſtolos duodecim miſerat ex Morauiâ Ioannes Nicolai princeps Mennoniſticæ factionis. Propè aberant à portu Dunkercano,cùm fecère naufragium. nonnullos tabula ſeruauit. Omnium primarius, qui decem ipſos annos in Europâ, Aſiâ Africâque prauum ſparſerat ſemen, biduo fluctibus iactatus,tandem & ipſe tenuit littus, & ad ſociorum reliquias adiunctus eſt Dunkercæ. Inde in Hollandiam, impleturi ad quod mittebantur miniſterium, iter habuere. Ac ſubinde primarium illum ſubiit cogitatio, diuinitus vtique iniecta, Deum forſitan eo naufragio ingratam inuiſamque ſibi profectionem iſtam damnare voluiſſe. Hæc cogitanti repentè vir adſtat candido habitu monaſtico: Et quod tu, inquit, amice animo verſas, id verum puta. ingratum hoc iter Deo eſt. Ille obſtupuit,ſcilicet, vndenam animi ſui ſenſa paterent homini ignoto, neque anteà vſquam viſo. Atqui, ſubiicit alter, hæc tibi indicaſſe ſit ſatis. Perge porrò Antuerpiam ad Societatis IESV Patres, illos interroga, & ſequere: ad veram enim te ducent Fidem. Hoc dicto animum leuari ſenſit, & dextram monitori tam appoſito gratus offerebat, quàm alter renuens abſceſſit. Confeſtim gaudio perfuſus, ſocios paululùm antegreſſos inclamat, & Heus, inquit, illúmne qui mea mihi detexit cogitata, vidiſtis? retroque conuerſus, En vobis hominem. exiſtimabat necdum ex oculis abiiſſe. At nullus in planiſſimo littore, quod Dunkercâ Neoportum ducit,apparuit. Ergo Antuerpiam delatus, nihil quidquam prius habuit quàm diuertere ad Societatis domum. Datus homini Sacerdos præcipuè dexter in tractandis animis: quem vt audiuit de orthodoxâ differentem Fide, ſtupens ac tremens concidit, & horas aliquot humi iacuit proſtratus. Succedente mox graui morbo ad extrema perductus, baptiſmum precibus omnibus flagitabat,ſimul fletu perpetuo madens, tot à ſe mortales ſeductos ſine fine plorabat. Ergo abluitur ſacro fonte, & quaſi iam vitâ dignus conualeſcit. Mox, ad exemplum Pauli, ſocios illos ſuos,alioſque eiuſdem ſectæ aſſeclas,oppugnare aggreſſus,& Fidem prædicare Romanam, præterita animorum damna lucro maiore penſauit. Vnus hic ſpecimen multorum ſit: nam talium copiam habemus, quam non facilè cuiuſquam calamus exhauriat. Valuit in primis hac cum hæreticis agendi gratiâ Gulielmus de Pretere, à quo innumerabiles ad Fidem Catholicam reducti, & in his Philippus Comes Manſfeldicus: valuit Iacobus Serjanſius, à quo poſtremis vitæ menſibus ab

hæreſi

hæresi Lutheranâ abductos constat centum & quinquaginta, præter multos à Caluinianâ. Neque alienus ab hac laude Ioannes de Goudâ, qui non priuato tantùm sermone profuit multis, sed solenni etiam in Lansbergios disputatione ex condicto Antuerpiæ institutâ per induciarum tempus: quos vt doctrinâ vicerat, ita & demulserat incredibili suauitate, si non simul ad Batauiam suam, simul ad ingenium rediissent.

Iam hominum flagitiosorum quanta turba priuatis emendata congressibus, ad quorum aures vel nulla perueniebat concionatorum vox, vel surdas illas nequidquam verberabat? Alebat alicubi duas ac viginti pellices homo meretricius: solo Sacerdotis nostri colloquio factum, vt omnes magnâ voluntate dimitteret. Vir locuples ac potens nescio quod admissum facinus Confessario aperire ipsâ morte damnationeque habebat grauius; & animi tamen conscientiâ ad explendas Christiani hominis partes adeò stimulabatur, nullo vt loco posset consistere securus. Audiuerat Antuerpiæ ex concionatore, quæ peccata excidissent memoriâ, neque post diligens examen occurrerent, haudquaquam confitenda. eam doctrinam tegendo sceleri suo opportunam ratus, vt obliuisci id posset, nihil diligentiæ industriæque prætermisit, quà voluptatibus operam dando, quà studiis, quà variis in longinquas regiones profectionibus; sed profectu nullo. Audiuit tandem contritione peccata deleri, eoque carnem suam omni pœnarum genere cruciauit, magnamque opum vim in pauperes elargitus est. neque sic tamen atrox vulnus sanatum. Ergo actus ad extrema, & malo suo finem nocte insequenti per vim adferre certus, rhedam conscendit, domum à quâ tum abierat rediturus. Desperabundo Sacerdos noster per Brabantiam iter habens occurrit; & quia fessus, accipitur in rhedam. Mox notat hominem turbatum; & blando sermone de diuinis loqui exorsus, deque scelerum expiatione, tetigit vlcus. Ille diu tacitus, defixis in Patrem oculis, prodebat animi angustias; ac denique, quod res erat, edicit, mortem se sibi eâ nocte destinasse, nisi remedium adueniret malo. Pater talium egregiè peritus, summâ familiaritate pergit agere, tantâque gratiâ desperatum tractat, vt ille bonus in genua prouolutus ac ritè confessus beneficium absolutionis acciperet; domumque reuersus, lætissimam duceret vitam, quam paucis pòst annis cum feliciore commutauit. Proborum verò hominum, ad quos priuatæ fructus actionis extenditur, quantus est numerus! Possim grauissimos nominare viros, qui Patrum nostrorum familiari colloquio quantopere pascantur, quamque hinc ad virtutem salutemque proficiant, luculentis ipsi testimoniis expressere. sed frustrà sit lucem soli, mari aquam addere: nec enim quisquam, si modò habet oculos, non videt quotidiana vtilitatis exempla.

Crombecius de Studio perfectionis lib. 2. cap. 2.

Restat vltimus, isque omnium fructuosissimus labor, calamus: cuius nec locorum, nec temporum spatiis definitur vtilitas. Enimuerò validum virtutis præsidium esse in libris, vt alios taceam, ipse nostri conditor Ordinis Ignatius magnum mihi testimonium est, quem CHRISTI Sanctorumque hominum acta voluentem scimus desertis mundi castris ad meliora signa transisse. ea caussa est, cur ex æquo agendis scribendisque incumbat Societas; potiori etiam iure scribendis, quoniam actio-

Duodecimus labor, scripti libri.

nes breuis temporis sunt, litterarum monumenta æterna. Scriptorum finis est, vt doctiores homines melioresque reddamus. Eum an assecuti simus, nemo dubitabit, qui Theologos nouerit, Lessium, Becanum, Coningum; sacræ Paginæ interpretes, Delrium, Cornelium, Tirinum; Chronologos sacros, Samerium, Deckerium; Concionatores, Canisium, Costerum; Historicos, Rosweydum, Hugonem; Asceticos, Scribanium, Sucquetium, Busæum. Sed longum sit enumerare singulos, & minimè necessarium, quando in omnium manibus & ore versantur. Hisce tot lucubrationibus si mortalium infinitorum salutem procuratam dixero, videbor fortassis incredibiliter loqui; sed fidem mihi assero ex minimorum obseruatione. Lessij de capessendâ Religione Consultatio quantulus est libellus? & tamen ille multos retinuit in Fide, plures aberrantes reduxit, & in his, Tympelio satagente, Ioannem Comitem Nassouium: qui lectam illam ex Italicâ Germanicam reddidit stylo suo, elegantissimeque suâ descriptam manu multis consanguineorum legendam obtulit, quos ad Romanæ Ecclesiæ castra secum traducere sperabat. Quid Canisiani compendium Catechismi, quot seruauit animas, quot recuperauit! Quin præter typis vulgata, ipsæ familiares epistolæ, quas manu scribimus, quantum sæpè ad animorum salutem valent! Lipsium testor, cuius Batauos deserentis ad Delrium nostrum hæc est oratio: *Iuua ô me tuis precibus, tu, inquam, post cuius salutares litteras, Deum iterum iracundum habeam, si vmquam conquieui. Nocte & die me fodit ille stimulus, nec ipse somnus mihi nisi per insomnia inquietus.* Sed mittamus aliquando ista singularia, quorum nimis diligens inuestigatio vel iniucunda redditur, vel aspernanda. Satis est ad finem nobis ab initio propositum, fructuosam Belgis Societatem videri. quod iam negare nec inuidia præsumat. Nam si neget, senum quotquot viuunt, fidem appello, & meminisse possunt præteritorum: aliam nunc Belgij faciem fatebuntur, quàm qualem pueri spectauere. Nos quoque quamuis non grandæui, quæ fuerit Belgarum vita, quæ Religio, qui mores, superiore sæculo partim ex parentibus audiuimus, partim legimus, partim etiam ex quibusdam quæ in nostram ætatem hæsere vestigiis non vanâ assequimur coniecturâ. Nam cùm Respublica Christiana duabus partibus constet, sacris hominibus & profanis; neutram harum illâ tempestate satis integram vixisse, nec vulgus hominum ignorat. Quamquam enim dicatorum Deo virorum non pauci erant vitâ ipsi & moribus incorrupti, tamen (quæ illorum temporum infelicitas fuit) pars benè magna deprauati; quorum probris commemorandis abstinere cogit sacrosancti status reuerentia. At interim qualem populum esse oportebat, vbi talis Sacerdos? Nunc restitutâ re, gratulandum potiùs de florentissimo Religionis, pietatis, morum, doctrinæ statu, quàm de præteriti sæculi vitiis odiosè disputandum.

CAPI-

CAPITIS III. SECTIO II.

De Miſsionibus arduis.

EXimias quatuor Miſſiones habet Flandro-Belgica Societas, ad Batauos, ad naues, ad caſtra, ad infectos lue : quas, quia laboris ingentis ſunt præſentiumque periculorum, meritò Arduas nominamus, & à functionum multitudine ſeiunctas ſingulari narratione ſuſcepimus explicandas. Et Hollandicam quidem dicere aggredienti ſtatim multa ardua ſe produnt. Primùm vincula & carceres; quorum ſæpè perpeſſio, ſemper periculum & metus. Deinde perpetua latitandi neceſſitas, genus miſerrimum captiuitatis. Graue eſt hominibus ingenuis & innoxiis arceri publico, durum luce & communi aëre prohiberi. Sceleratorum iſtæ ſunt pœnæ: at quis vmquam innocens fugâ & tenebris ſeſe defendit, niſi aduerſus iniuriam? Iam quot curis, quot vigiliis, quantis laboribus paſcendus CHRISTI grex inter tot lupos, tam ſterili ſolo & maligno! Sed enim tanti & pluris eſt vel paucorum ſalus; quid multorum millium? quid, pænè dixerim, infinitorum? ſolâ ſpe meſſis quantoſlibet ſudores ſuos ſolatur agricola; nobis ſeges certiſſima & meſſi iam matura proponitur. Verùm miſſo tantiſper labore fructuque, cauſſam ipſam atque originem Miſſionis breuiter enarremus. MISSIO HOLLANDICA.

Diuiſum Belgium erat. partim Rex, partim Fœderati Ordines obtinebant. Regem ſequebatur Religio, hæreſis Fœderatos. hoc maximè vinculo conſtabat fœdus: nec enim ſtante Religione rebellarent. itaque firmanda hæreſis erat, ſi firmam vellent nouellam Rempublicam; Religio opprimenda. Haud ſegniter id actum. Breui is ſtatus fuit, vt in Belgio Fœderato, vix pars mortalium quadrageſima cultrix auitæ Fidei credita ſit. Quid mirum? nulla ſcabies, nulla peſtis æquè, vt hæreſis, contagioſa. Et in tantâ morbi graſſatione deerant qui remedia afferrent. Sacerdotes pauculi, & ferè per ætatem inidonei reſtabant: quis curaret ſupplementa? Inuentus eſt inter paucos vnus Ioannes Smetius Lugduno-Batauus, pari prudentiâ & zelo Sacerdos, qui ſuam patriam miſeratus, Romanum iter capeſſiuit, præſidia abs Romano Pontifice petiturus. Sedebat tum ad Eccleſiæ gubernacula Clemens VIII. qui & multorum litteris & ſermone didicerat funeſtum Belgicæ ſtatum: proinde ſi quam afflictæ rei Catholicæ opem ferre poſſet, anxiè circumſpiciebat. Adfuit in tempore Smetius, & Belgij Fœderati faciem haud miſerabiliùs quàm veriùs repræſentat. Ingemuit, vt par erat, tot ouium diuino ſanguine æſtimatarum iacturâ Supremus pro CHRISTO in terris Paſtor. Nec intra gemitum ſtetit commiſeratio: ad quærenda remedia conuerſus, ipſum in primis interrogat Smetium, quibuſnam præcipuè viris ea Religionis ab interitu vindicandæ cura benè ſapienterque demandanda videatur. ille Societatem IESV nominat, & inter cauſſas recenſet, Batauorum multos in eam adſcriptos ardere patriæ iuuandæ deſiderio, ciuibus ſuis gratos indubiè futuros. Placuit Clementi in eam expeditionem potiſſimùm peti viros, quos Apoſtolica Sedes peculiari *Origo Miſſionis.* *Societas expetitur in Miſſionem.*

 ſacra-

Clemens VIII. imperat Societati Missionem.

ſacramento ſibi deuotos habet: aſſenſuſque Smetij rationibus, è veſtigio Claudium Generalem ad ſe euocat; animi ſui conſilium exponit; pro imperio mandat, vt Belgæ Patres quantocyùs in deſertam Dominicæ vineæ culturam mittantur. Accepit Claudius mandata, & quàm citiſſimè exſecutus eſt. Ceterùm quo tempore hæc apud Pontificem agebat Smetius, eadem quaſi ex condicto Martinus Duncanus Delphenſium Paſtor, ipſe alter Religionis Atlas, apud Belgij Prouincialem magnis vrgebat argumentis. Nimirum, inquiebat, hoc proprium Inſtituti veſtri decus eſt, & palàm profitemini quibuſuis in terris, quantouis impendio, conſulere ſaluti animarum. Hac cauſsâ in Angliam tranſmittitis, contemptâ legum ſanguinariarum atrocitate: continentem Batauiam, mitioribus gubernatam legibus, negligetis? Ad Indos, toto ſeparatos Oceano, prompti anhelanteſque curritis: ciues deſeretis? Barbaríſne igitur terris Catholicam Religionem inferre præſtabilius, quàm ſeruare Chriſtianis? vulgato illo contra vos vtar,

Non minor eſt virtus, quàm quærere, parta tueri.

Fruſtrà vobis noui trans maria quæruntur orbes, quamdiu domi Indias habetis. In Sociorum numerum multos Batauos accepiſtis, repetit patria quos dedit: non omnes, ſed partem minimam ſuorum. Æquúmne id vos negare in tali cauſsâ, iudicate. Haud inepta profectò hæc videbatur oratio, & Prouincialis ſeriò conſultabat cum ſuis. Sola morabatur capitum penuria. nec par erat remotas diuulſaſque foueri partes, inteſtina vitaliaque membra deſtitui. In ancipiti conſilio afferuntur litteræ Claudij Generalis, & in his Supremi Pontificis voluntas. Finis hîc deliberandi fuit. De Miſſione conſtabat: in mittendorum delectu aliquid hæſitatum, certatim omnibus eam ſibi expetentibus ſortem. Ex

Duo auſpicantur Miſſionem, Gulielmus Leonius, & Cornelius Duyſtius.

omni numero deſignati par nobile Gulielmus Leonius, & Cornelius Duyſtius, vterque è Belgio Fœderato; hic Delphis, ille Dordraco oriundus. Inter fauſtas Sociorum apprecationes ſuſcepta expeditio eſt anno ſeſquimilleſimo nonageſimo ſecundo. Diuerſum iter ſinguli tenuere, ne vnus ambos caſus inuolueret; & tamen neutri fortunatum fuit, odio cacodæmonis, bellum capitale, quo ſe peti ſentiebat, in ipſis ducibus opprimere molientis. Gulielmus Antuerpiâ vix egreſſus, in hoſtilem globum incidit incautus. Latrones erant, non milites: quidquid obuium, deputabant in prædam. ab his ferociter comprehenſus, & ad equi caudam religatus, raptatur aliquamdiu per occultos tramites, per dumos ſenteſque, donec in auia ſpoliationibus opportuna peruentum. Ibi pecuniolâ omnibuſque reculis, atque ipsâ inſuper veſte turpiter exutum, pugnis adhæc, calcibus, fuſtibus crudeliter cæſum, deſtituêre ſemianimem. Ille, vbi à latrocinio reſpirare datum eſt, membris fractis, non animis, fruſtrato ſpe ſuâ dæmone, non reſpexit retrò; ſed itineri cœpto inſiſtens, aliquando Dordracum patriam ſuam attigit, tantopere deformatus, vt à ſuis limine arceretur pro vili mendicabulo, ſi non compellatâ matre ſui feciſſet indicium. Per dies aliquot ab itineris iniuriâ recreatus, vt optatæ ſegetis primitias in natali ſolo meteret, concionem ex propinquis & popularibus ſuis clanculùm coëgit; auditusque eſt eo omnium ſenſu, quem vberes lacrymæ ſuſpiriaque alta prodebant. Hæc

prima fuit Societatis vox, posteaquam Prouinciæ illæ nefarium fœdus hæresi conciliatrice conflarunt. Nam anteà Nicolaus Goudanus Bergizomij & Goudæ; Andreas Boccatius Leowardiæ, Snecæ, Illtæ; Godefridus Lummius Middelburgi Zelandorum, & variis Hollandiæ locis; Petrus Canisius, Leonardus Kessèlius, Franciscus Costerus, Henricus Dionysius, Ioannes Astensis, aliique præstantes viri, Dauentriæ, Neomagi, multisque Geldriæ ac Transisalaniæ oppidis, loqui pro concione auditi sunt. Vnde quorumdam redarguitur querimonia ex rerum ignoratione orta, quasi in alienos labores ingressa sit Societas, & messem legat cuius sementem numquam anteà fecerit. Intereà Duystius Dordracum & ipse tenuit, non dissimilia Leonio perpessus. Id tirocinium athletis fuit, & quædam prælusio ad arenam. Dordraco in suam vterque stationem, quò Superiorum destinabantur arbitrio, Delphos Duystius, Leonius Vltraiectum abiere, opportunas scilicet vrbes suscipiendis quaquauersum Apostolicis peregrinationibus, operæque in omnem populorum necessitatem huc illuc circumferendæ. Vix aduenerant, nec aliter quàm nautis cæcâ tempestate iactatis gemella illa sidera Castor & Pollux, duo illi Sacerdotes, lætissimis Catholicis apparuêre. Quies in loco diuturna non fuit: nec verò quærendum fuerat cælum Batauicum stellas fixas imitaturis. Itaque mouebantur planetarum more, quò lucem suam latè omnibus impertirent. Gulielmus Vltraiectinam ditionem, Transisalaniam, Geldriam, & auxilij indigentissimas Velauiam Betuamque peruagatus est. Duystius Delphis progressus, Enchusam, Hornam, Alcmariam, Harlemum, Lugdunum, Hagam Comitum, Amsterodamum, Roterodamum, Schiedamum, Dordracum, vniuersamque oberrabat Hollandiam. Ad Zelandos etiam respexit, si quà daretur accessus. Septenæ Zelandorum insulæ sunt, quas tunc Anglicana fermè præsidia tenebant. Hinc miserrimus Religionis status, cùm & incolis Caluiniana pestis quotidie afflaretur ab Anglo, & nequis aliunde Catholicus Sacerdos medelam afferre posset, impensè caueretur. Portus enim omnes oculatissimis exploratoribus insidebantur: in suspectos ditissima habebatur quæstio, & conuicti proditíve aut capite luebant pœnas, aut æternis tenebris damnabantur. Sanè sub hæc tempora P. Henricum Walpolum, dum è Belgio in Angliam cogitat, interceptum à suæ gentis milite, ac Vlissingam deportatum, Caluiniana crudelitas teterrimo antro, vix parricidis subeundo, inclusit, numquam nisi ad malam fortè crucem exiturum. Tria in eo flagitia tali specu puniebat hæresis, quòd Catholicus esset, quòd Sacerdos, quòd Iesuita. Aliquando tamen magnorum virorum gratiæ donatus, fugientem isthic de manu martyrij palmam haud ita multò pòst apprehendit in patriâ. Obuersabantur Duystio tam præsentia pericula, & vrebat interim ardentissimus zelus, qui aliquando præualuit: ergo metu post fiduciam habito, iter Deo adspirante susceptum est. Faciles præter spem aditus fuere. Oris ac corporis habitus ad incolarum morem accommodatus elusit vigilum cautelam. Repertæ singulis insulis tenues Catholicorum reliquiæ: passim corrupta Religio. Hoc magis operæ pretium fuit, & ingens nomini nostro parta commendatio. Omnibus stupori erat

Duo Missionarij Prouincias lustrant ritu Apostolico.

Periculosus in Zelandiam aditus.

Sacer-

Sacerdos, in tanta diſcrimina ingreſſus ſolo affectu ſalutis alienæ.

Iam illi gemini, Duyſtius Leoniusque, annum eoque amplius Batauis lucebant, cùm Ioannes Bargius Amſterodamenſis tertium ſidus acceſſit, primum Miſſionis incrementum. Hoc adiutore non tam ſubleuata eſt priorum opera, quàm meſſis collecta copioſior; in quam ſi vel plurimi intrarent, omnium exhauriretur labor. Et Bargij quidem ampliſſima charitas tametſi ad omnes per interualla Prouincias extendebatur, apud vtroſque tamen Friſones, ad Ortum Occaſumque ſitos, præcipui conatus erant, & paria conatibus effecta. Diu tenuit ille triumuiratus; quem ſubinde auxit Adrianus Arboreus, & ipſe Batauus, ceteris cum poteſtate præfectus. Verùm Bargio haud diu pòſt ex arenâ ad virtutis coronam euocato numerus rediit ternarius, manſitque, donec anno ſæculi euntis quarto adiunctus eſt Nicolaus Romæus Brugenſis, is qui Caluinum genuinis adumbratum coloribus Geneuæ ſuæ repræſentauit. Huic Zelandia in Spartam data; quò adhuc Duyſtius excurrebat, reuiſens ſemina quæ nuper ſparſerat, & cum curâ ne intermorerentur fouens. Alij deinde ſuper alios vocante cauſsâ ſubmiſſi, nequedum tantæ vineæ excolendæ pares. Ita profectò eſt, illius agri immenſitas paucos colonos habet, niſi quòd pauci illi numero, virtute ſunt multi.

Primum Miſſionis incrementum:

alterum incrementum.

Hactenus cauſſæ, initia, progreſſusque Miſſionis. Cauſſarum remotior, ſumma Prouinciarum neceſſitas; proxima, imperium Clementis. In Leonio Duyſtioque exordia fuêre. His ducibus res acta eſt, & in Bataviam, hoc eſt arcem hæreſeos, penetratum. Hi ſuo periculo ſtrauêre viam ad incredibilem quæſtum animarum. Perierant innumerabiles, niſi hæc Miſſio fuiſſet. Multa millia ſunt vel retentorum in verâ Fide, vel ab hæreſi reductorum: & in his quidam extremâ ſenectute reſipuerunt, quaſi ad noſtrum aduentum diuinitus ſeruarentur. Centenaria anus fuit, quæ Medicorum ſententiâ vim naturæ viuendo ſuperabat. hæc vbi Sacerdotem noſtrum audiuit, eiurato Caluino, ſimul Romanam Fidem profeſſa eſt, ſimul animam exhalauit. Octogenarius alter diu cum morte luctatus, ſolui corpore non poterat, niſi Pater aliquis accederet; à quo edoctus, ſpatium habuit quantum ſalus animi poſtulabat. continuò enim, abiectâ hæreſi & fæce peccatorum, tamquam carcere ſolutus exceſſit. In Anabaptiſtæ domum pedem intulerat Leonius mero errore; quem ſtatim in conſilium vertit. de credendorum capitibus dicere exorſus, adeò perſpicuè diſſerüit, vt ille Mennonis diſcipulus cum vxore vniuersâque familiâ ad Romanam Eccleſiam tranſiret. P. Marcus Tympelius Lugduni ad virum genere, magiſque vitiis ſuis nobilem, letali iam correptum morbo, aduocatus accurrit. Hominem liberum, hoc eſt atheum (cuiuſmodi multos habet terra) deprehendit. Durum certamen fuit cum impio, qui iam multorum conatus eluſerat. & ſanè talium rara difficillimaque curatio eſt. Dedit tamen manus, & ritè Deo Eccleſiæque per Sacerdotem reconciliatus, diem ſuum obiit: cuius rei fama vniuerſam vrbem, & latè viciniam, admiratione compleuit. Eſt & alterius viri celebris, atque è primis Lugdunenſium, memoranda conuerſio. Is, deſperatâ ex morbo vitâ, cùm de Religionis veritate dubitaret, Tympelium ad ſe inuitat; à quo

Fructus Miſſionis.

quo rectè institutus, damnato Caluino, geminam sanitatem animi corporisque retulit, non sine Medicorum stupore: quos ipsos sanari animis, & amplecti Fidem tali testatam prodigio decebat. Sed quid ego singularia persequor, cùm possim verbo dicere, in annos singulos octingenta capita per nos nostris adiungi Sacris? quin fuit, cùm paucos intra dies Sacerdos vnicus adiunxit ampliùs ducenta. At minùs fortasse consultum repræsentare hæreticis sua damna, ne maioris odij materiam hinc fortassis arripiant. Alter, & præcipuus Missionis fructus est, Catholicorum in auitâ Religione & pietate conseruatio. Ad hoc conferimus Sacramenta, aures diuini verbi sitientissimas satiamus, solamur ægros, iuuamus morientes, nihil denique, quod Pastorem bonum gregi suo impendere par sit, prætermittimus. Verùm neque hæc nominatim recensere consilium est, ne opes nostras ad direptionem hostibus ostentasse videamur. Vix etiam cùm silemus, satis defendimur aduersus iniurias quibus nostram vexare innocentiam iucundum habent Fœderati Bataui. Ipso Missionis initio edictum prodiit, quo minaciter cauebant, ne qui Catholicorum cœtus totâ ditione suâ cogerentur, ne res diuina fieret, néve quispiam à Missificante (sic Sacerdotem ludibrio appellant) Christiana mysteria vsurparet. Quo edicto quia non satis (quod volebant) Societatis nostræ homines expressisse videbantur, alterum tulere atrocius, quo nominatim Iesuitæ, factiosa gens & sanguinaria, quantocyùs excedere finibus iussi, nec pedem vmquam, nî grauissimorum suppliciorum reos sese vellent, postliminiò inferre. Adhæc grauibus minis cautum, ne quis Batauus suorum aliquem vspiam terrarum Iesuitis in disciplinam traderet, ne quis Iesuitam qualicumque caussâ tecto exciperet, latebris abderet; re, consilio, aut vllo officij genere iuuaret. Tum magnis præmiis inuitata studia delatorum. Prætoribus denique & localibus Magistratibus seuerè imperata exsecutio. Hæ tam atroces tabulæ anno præteriti sæculi nonagesimo sexto confectæ, deinde sæpiùs ad vigorem innouatæ, Missionem istam, si alia abessent incommoda, maximè arduam reddunt. Tametsi enim summa Patrum circumspectio est, non paucos tamen in tantâ indagine comprehendi necesse fuit; cùm nulla cautela sufficiat aduersus emissarios & falsos fratres, qui fidem venalem habent; & egeni cùm sint, arte qualibet, etiam scelere, quæstum facere sunt parati. Nos quidem certè in diuinis beneficiis numeramus, Missionem illam multorum Patrum innocentissimorum vinculis, carcere, omnibusque quas carcer habet ærumnis, toties nobilitatam fuisse. Primus ad hanc gloriam vocatus est, qui primus in arenam descenderat Gulielmus Leonius, in agendo & patiendo perinde antesignanus. Doccomij in Frisiâ Caluinum & Mennonem multis nudabat assectis, intolerabili Ministrorum dolore, frementium partes suas ab vno aliquo Iesuitâ adeò debilitari, & palàm vociferantium, nî continuò ille pelleretur, vniuersum breui oppidum ad Pontificiorum signa transiturum. His clamoribus excitati Magistratus, ac seditionem veriti, aut etiam accusationem negligentiæ suæ apud Ordines prouinciales, duobus militum Præfectis demandant captiuitatem Patris. Hi in ædes, vbi ille latitabat, irrumpunt per vim, deprehensum extrahunt, & onustum vinculis in pu-

Varij Patres incarcerati.

blicam vrbis custodiam includunt. Hoc primùm carceris catenarumque honore Societatem dignata est Batauia: quem deinceps iterato sæpiùs beneficio augere numquam destitit. Leonius biduo in compedibus Doccomij fuit. Inde Leowardiam ad supremum Frisiæ Senatum abreptus non euasit, donec Iudicum cupiditatem satis magno argento Catholicorum pietas saturaret. Pecuniæ enim magis, quàm siti sanguinis id genus homines laborant. Ergo ille athleta in stadium denuò ingressus, quasi parum esset vna palma, sexto pòst anno iterum in Frisiâ Leowardiæ comprehensus, iterum à duobus Catholicis est redemptus: quorum pietatem Deus sibi acceptam ostendisse visus, eorum agris tam copioso prouentu cumulatis, vt ex solo domestici pomarij fructu illam pecuniam anno insequente conflarent. Duystius quoque, alter Missionis auspex, ne quo minùs gloriari posset, captus est Delphis, cùm fortè aures confitenti daret. Sed Prætorem adortus extemporali eloquentiâ, tam liberè pro se & caussâ suâ dixit, vt vim loquentis ille non sustinens, nullâ re læsum è vestigio manumiserit. Quę tam insperata res, Catholicis lytrum parantibus, eximiam Dei erga Sacerdotem suum curam singulariter probauit. Huiuscemodi luctis commilitones illi, ad magna præmia, & in exemplum scilicet posterorum, exercebantur; donec vnus vtrique annus euntis sæculi duodecimus laborum finem attulit, post parem viginti annorum cursum in difficili illo stadio, in quod primi sine exemplo pariter fuerant ingressi. Magna opinio sanctitatis post obitum relicta; & postumus virtutum odor, hodieque spirans, nonnulla etiam supra naturæ vim collata mortalibus beneficia, immortalem vtriusque memoriam conseruant. Iam Læuini Wauterij (cui biennium ipsum in carcere exactum) Ludouici Makeblydij, Borlutij, Tacquij, Greuij, Wencomij, aliorumque Patrum captiuitatem vinculaque persequi impedior numero, & quorumdam adhuc vitâ: rerum etiam similitudine laboraret oratio. Fortunam omnium animosque vnus exhibeat Ioannes Viringus. Is rem Catholicam, sui securus, tractabat in Frisiâ, cùm ab Harlinganis præsidiariis nullâ periculi suspicione comprehenditur, deuehiturque Leowardiam. Prodidit virum ingratissimus aliquis discipulorum, qui ab illo olim Magistro in scholis, præter commune doctrinæ, multa priuatim acceperat beneficia, quibus Iudaico exemplo tam insignem gratiam rependit. Gestiebat interim gaudio Viringus, nec implicari compedibus antè sustinuit, quàm eas lætissimo ore, tamquam delicias suas & votorum summam, exoscularetur. Menses propè septem exegit in vinculis. Paulum aliquem captiuum diceres; ita suadebat omnibus, hortabatur, orabat; &, quod liber vix faceret, inueteratos aliquot & contumaces hæreticos ad Orthodoxorum partes transtulit catenatus. Lytrum pro se ne Catholici penderent, anxiè prohibebat; iniuriam facturos, non beneficium, professus. Nequaquam tamen sic cauere potuit, quin matrona nobilis, & apud Iudices gratiosa, libertatem ei exoraret. Ergo compedibus exemptus, molestiore animo quàm intrarat carcerem exiuit, relictâ post se tantâ virtutis opinione, vt ferrum quo fuerat alligatus, multo argento æstimatum redemerit Catholicus primæ dignitatis vir, & sacri pignoris loco reuerenter asseruarit. Maiori etiam honore dignum

Leonius & Duystius, duo auspices Missionis, vnà moriuntur.

Constantia Viringi in carcere.

dignum erat ferrum, quod alterius Sacerdotis adhuc viuentis tam atrociter adſtrinxit pedes, vt quotannis (& annus hic quintus decimus eſt) acerbo & immedicabili cruciatu vulnera recrudeſcant. Poſſem Goudam, Amſterodamum, Lugdunum, Hagam-Comitum, Neomagum, aliaſque vrbes producere, quibus vinculorum & carcerum gloriam debet Societas; niſi ſatis eſſet dicere, quàm latè hæreſis imperat, nobis patêre Chriſtianæ patientiæ theatrum. Fœderatorum quidem Ordinum, pro ingenio gentis, maior fortaſſis eſſet humanitas erga nos, ſi non perpetuis pſeudoeuangelicorum querimoniis ad ſæuitiam accenderentur. At illi Miniſtelli reformatores Religionis, qui quæ docent neque intelligunt ipſi, neque conſtanti poſſunt aſſeuerare mendacio, claſſicum bello Ieſuitico canere geſtiunt, quia plagam ſibi & ſynagogæ ſuæ à nobis timent, quam ſanare non poſſint. Quod malum præoccupaturi, validis lateribus & vaſtâ fauce ſtentores, aduerſum Ieſuitas intra ipſa Batauiæ viſcera occulto latrocinio graſſantes, cum raui & ſine fine declamant. Lepidum Goudæ contigit annos abhinc triginta ſex. Theodoricus Stoofhemus vetus gladiator benè longam in nos declamationem inſtituebat, nullâ re præterquam calumniis inſignem. Nullum dicendi finem poterat inuenire, donec prodigioſo ſigno deſuper admonitus eſt, quàm verè omnia & quàm diuino afflatus ſpiritu diceret. Immanis bubo de ſummo ædis laqueari cum ingenti ſtrepitu delapſus ad concionantis aures, & circum ardentem cereum codicemque ſacrum, quem ante ſe apertum doctor ille voluebat, ter quaterque ſe librans, quaſi alarum plauſu comprobaret verba præconis ſui, vniuerſam audientium coronam cum riſu plauſuque dimiſit. Huiuſcemodi miniſtris vtitur ſatanas ad vlciſcendum dolorem ſuum hauſtum ex tot animarum iacturâ, quas lupo illi ereptas, CHRISTO Paſtori vero reſtituimus. Illorum maximè impulſu ab Ordinibus feruntur edicta; & inquiſitionibus, comprehenſionibus, exſiliis, carceribus, vinculis, ſæuitur in Ieſuitas, non alterius culpæ reos quàm defenſæ Religionis Orthodoxæ, ne illa penitus intereat iis in locis, vbi quondam ſanctiſſimè culta tamquam ſuo in Regno triumphauit. Id poteſtis ſcire, & verò ſcitis, Fœderati Ordines, ſi permittitis vt vos compellem.

Fœderati Ordines in Societatem accenduntur à pſeudoeuangelicis.

Non nos aut ferro Batauos populare penates
Venimus,

aut inſidiari cuiuſquam vitæ, aut aduerſus Rempubl. veſtram machinari. Fabulæ iſtæ ſunt, contra quas centum iam anni ſtant, & ſæcularis noſtra innocentia. Æquúmne igitur vos exacerbari paucorum Sacerdotum latebris, & modeſtâ, vobiſque innoxiâ, viuendi ratione, conſeruandis reliquiis Orthodoxæ Fidei illius, quàm maiores veſtri omnes publicè profeſſi ſunt, quam templorum parietes ac feneſtræ, quam imagines (ſi non omnes violaſtis) quam ſenes vtriuſque temporis teſtes, quam libri & litterarum monumenta commendant? Si Iudæis, ſi Turcis Chriſtiani nominis hoſtibus, veniam datis exercendæ palàm impietatis; nobis, ſaltem Chriſtianâ lege coniunctis, vel occultum veræ Religionis exercitium interdicetis? Ergo quæ ſceleratis, quæ perfidis, quæ impiis licere vultis; ſoli nos mulctis, exſiliis, carceribus, ſquallore, incediâ, omni

ærumnarum genere luemus? Sed hæc alterius temporis eſt oratio.

Ceterùm Deus quàm gratos habeat Batauicæ Miſſionis labores, prodigioſo perſæpè indicio declarauit. Hornæ Franciſcum Cleuium grauis morbus ad extrema deduxerat, mœſtis ſanè Catholicis, & viri adeò neceſſarij iacturam quantouis pretio, ſi poſſent, redimere paratis. In communi luctu matrona quædam impulſu aliquo maiore ſuam vitam morti oppignorat, ſeque pro Sacerdotis ſalute, ſi Deo ita cordi ſit, ex animi ſententiâ deuouet. Annuit Deus. Confeſtim mulier ex voto ſuo ægritudinem corporis perſentiſcere, leuari Sacerdos; deinde paribus omnino incrementis huic valetudo, illi morbus intendi; ad extremum vno tempore illa mortem oppetere, hic perfectam conſequi ſanitatem. Roterodami cœtum coëgerat Nicolaus Romæus noſter, quem ſubito interuentu Prætor tantùm-non in Sacris deprehendit. Progreſſi ad Prætorem primarij duo viri, dum quibus neſcio ſermonibus hominem occupatum tenent, Sacerdos ac populus per poſticum ædium, quas fluuius alluebat, quærentes fugam, mirabiliter euadunt. Vacuus fluitabat lembus, qui ſponte ad ædes velut Catholicos accepturus applicuit. eo quotquot poterant in aduerſam ripam traiecere. Inde iterum ac tertiùm nullius impulſu rediit lembus, omnesque periculo ſubduxit. Makeblydium aliquando interceperat Prætor; & mox intemperiis agi cœptus adeò grauiter, vt de vitâ Medici conclamarent: adductus Makeblydius feruenti ad Deum prece ſubitam homini exorauit ſanitatem. Hoc vindictæ genus proprium habent Catholici, ac præcipuè Sacerdotes, benè de hoſtibus mereri. Vaſtiſſimo corpore & pingui aruinâ hominem de ſtirpe Titanum, qui mortuus viginti duobus humeris fuit efferendus, de verâ fide capeſſendâ admonebat noſter; docebatque, quem Petri nauicula non veheret, ſalutis portum tenere non poſſe. Riſit ille, & impio ioco, Vetus, inquit, iſta nauicula eſt; &, me ſi vehat, periculum ne ſubſidat. Fruſtratam Sacerdotis operam diuina manus ad exemplum vindicauit. Tertio pòſt die valens ille ac firmus, nullo tentatus morbo, viuere deſiit, gemino corporis animique naufragio infamis. Verùm ad Annales talium pertinet narratio: Miſſionis Hollandicæ naturam paucis indicaſſe, ſatis ad præſens inſtitutum. Nunc Caſtrenſem à primordio euoluamus.

MISSIO CASTRENSIS.

Thomas Saillius Bruxellenſis, cum Antonio Poſſeuino, aliiſque vndecim Sociis, Moſcouiam excolebat, recèns ad æquas pacis conditiones adactam à Stephano Battoreo Rege Polonorum: cuius rogatu colonos illos miſerat Româ Gregorius XIII. Pontifex Maximus, ad barbaræ gentis feritatem Chriſtianis legibus mitigandam. Ibi per triennium laboribus & ærumnis exhauſto Saillio de Medicorum ſententiâ Belgium repetendum fuit, ſi vellet viuere. Abituro Rex credit litteras ad Alexandrum Parmenſem Ducem, Belgij tunc Gubernatorem: in quibus & latorem ipſum, & Battoreos duos nepotes ſuos, hactenus diſſimulato genere militantes, impensè commendabat; ac præterea indicabat, arcana quædam non committenda litteris renuntiaturum Patrem, cui perinde habenda eſſet fides, ac ſi Rex ipſe loqueretur.

Hac epiſtolâ inſtructus Saillius, Belgium attigit anno ſeſquimilleſimo

mo octogesimo sexto Septembri mense, atque in castra Regia ad Orsoiam delatus, eamdem exhibet Parmensi Duci. qui, postquam legit, magnum Patri honorem habet, & aliquamdiu cum eo in virorum Principum coronâ collocutus in interius conclaue secedit, intellecturus arcana, quæ Rex intelligi volebat ex Saillio. Id vbi factum, ad singularem honorem adiungit Dux incredibilem beneuolentiam, & aliquando virum abs se abire permittit. Saillius Duci satisfactum interpretatus, ad Belgij Prouincialem iter arripit, & Meursium proficiscitur, natalem ibi Deiparæ Virginis acturus diem. At Parmensi mens erat, eum conscientiæ suæ arbitrum retinere. Itaque Peruigilio festiuitatis expiaturus de more animi noxas, vocari ad se iubet Patrem Thomam. Quæritur totis castris Thomas; ac tandem inuenitur aliquis eo nomine ex Franciscanâ Familiâ, & sistitur Duci. Dux errore offensus, alium de Societate Iesv adduci imperat. Fit longa inquisitio, & festus interim dies illucescit, quo sacram Synaxim sumere constitutum habebat, si adesset Saillius. In loca vndique vicina dimissi cursores Thomam venabantur, & inclinato iam die vnus aliquis Meursium peruenit, tertio à castris lapide. Stabat Saillius ante hospitis sui fores iter prosequi meditatus, cùm cursor illum aggressus, Tu, inquit, ille es quem quæro; conscende hunc equum sessoris vacuum sine morâ; Dux te vult, quem tuâ causâ nobis iratum placare festina. Hîc magis mirari Saillius, & tamen conscenso equo in castra properare. Sed iam nox abstulerat colloquendi cum Duce facultatem: nihilominùs ab Oeconomo magnificè acceptus est. Vixdum illucescebat, cùm Dux vltrò ad Patrem accedens, & manu scabellum è vicino promouens, Hîc sede, inquit, mi Pater, & pœnitentem me audi. Ex illo Saillius dare aures constanter perrexit, vsque dum tertiâ in Gallos expeditione extremam Ducis morientis animam legit in Vedastino apud Atrebates.

Thomæ Saillij colloquium cum Duce Parmensi.

Dux Saillium reuocat;

& sibi Confessarium accipit.

Hisce principiis originem duxit Castrensis Missio, occasione non magnâ, neque tum intentâ, vt ferè consueuit, cùm grande aliquid molitur Deus, cuius ipse manifestus auctor videri vult; ne humanis procuratum consiliis ac molitionibus fortasse credatur. Etenim Saillius apud Ducem hærere iussus, pro zeli sui amplitudine etiam ad milites semet extendit: ac breuî factum, vt totis castris celebratus expeteretur passim ab omnibus: ad quos tamen pertingere vnus non poterat, quamuis se ipse quàm latissimè explicaret. Itaque de sociis in auxilium vocandis agi cœptum, Duce non solùm probante, sed etiam hortante & impellente. Sensit tum demum egestatem suam Prouincia, Sociorum numero haudquaquam exæquante vota necessitatesque ciuitatum, nedum sufficiente Missioni nouæ. Valuit tamen ratio maioris boni. Ex variis Collegiis præcipui Patres educti, quos iuuando militi peritia linguarum, & exantlandis laboribus robur animi iuxtà ac corporis dictabat idoneos. Duodecim Sacerdotes dati: totidem adiutores pars nostri fratres, pars iuuenes honesti Societatis nostræ candidati. Omnes in suam familiam adsciuit Dux, & pro domesticis habuit aliquamdiu: donec in omne tempus Missionem illam, cuius fructuosissima erat opera, firmaturus, Patrum nomina libris Regiis inscribi voluit ad militarem

Origo Missionis.

Missio instituitur.

 modum;

modum; non ſtipendio faciundo, quod erat nefas, ſed eleëmoſynis ſuſtentandæ vitæ impetrandis. Porrò quò noſter ſeſe labor, dum mouentur caſtra, ad vniuerſum militiæ corpus extenderet, numero in membra diuiſo, pars apud Aulam, pars in tormentorum ſtatione collocati, plerique in peditatu reſidere iuſſi. In equite laborabatur, quem & loco inconſtantem, & à mole exercitus plerumque diſſitum comitari, neque modeſtum ſatis erat, neque fructuoſum. Ne omnino tamen neglectum iremus, hæc ratio opportuniſſima eſt viſa, vt quæ turma ad Principis cuſtodiam quotidie accederet, ea gnauiter excoleretur à Patribus Aulam ſectantibus; deinde, quando in acie ſtandum, expiarentur animis, & ſuâ quiſque linguâ animarentur ad præliandum fortiter Deo ac Regi; tum etiam, vbi res poſceret, in conflictu læſi cadentesq; iuuarentur. Hæc igitur illa caſtrenſis Miſſio primùm Dei bonorum omnium auctoris, poſt Deum Alexandri Ducis Parmenſis auſpiciis nata perfectaque, ſuccedentibus ordine Principibus velut per manus tradita hodieque perſeuerat. Ingens virtutis campus, laborum incommodorumque magnitudine cum periculis adæquatâ.

Expeditiones ſingulas perſequi, immenſum; paucas attingere, neceſſarium, ex quibus prona erit omnium coniectura. Occurrendum enim falſis quorumdam opinationibus ſermonibusque inſtitutum illud ſugillantium, quaſi aut emolumenta noſtra, aut quas neſcio ſpes venemur ex caſtris. Quem errorem (niſi maleuolentia eſt) euellere aggredior exiguâ narratione; & ab ipſo Saillio Miſſionis auſpice iuuat auſpicari. Is Burrichij prope Weſaliam miſerorum militum mapalia luſtrabat, opem animis, opem ferens corporibus; cùm peſtilenti afflatus lue, caſtrenſium laborum principia tantùm-non morte ſuâ funeſtauit dicam, an conſecrauit. Chirurgus Ducis dum Patri curam adhibet, ipſe contagione exſtinguitur. Saillius, deſperatâ ab hominibus vitâ, votum Virgini concipit, & conualeſcit: quem adhuc grauiter languentem Dux ad ſe accerſit Zutphaniam, cuius vrbis ſoluendo obſidio diſtinebatur. Iamque aciem deſcribebat, cùm aduehitur Saillius: quem vbi vidit, manifeſto exultans gaudio, Adeſdum, inquit, mi Pater; & pro Eccleſiâ dimicantem, ſi humani quid fortè contingat, iuua. Hæc prima illa ſtipendia, quæ fecit primus caſtrorum ſectator; ex militum lue tactorum viſitatione, contracta peſtilentia, & ipſa mors, niſi hanc votiua pietas auertiſſet. Premebat Rhotomagum in Galliâ Rex Nauarræus anno M. D. XCI. quando Parmenſis Dux à Catholicis Chriſtianiſſimi Regni Proceribus ad ferendam iteratò opem è Belgio aduocatus, durum iter hiberno anni tempore ingreſſus eſt, ſuoque aduentu hoſtem celeriter fugauit. Victoria fuit: ſed quantis empta militum, ducum, &, quod nunc ago, Patrum caſtrenſium ærumnis! Sæpè fixis mediâ niue tentoriis traductæ noctes aſperrimo frigore & gelu: ſæpè annona deficiens, aut famem, aut miſerrimum victum & aliàs deteſtandum, imperauit. Quorum incommodorum acerbitatem quis liber homo ſuſtineat, ſi abſit illa ſpes, quæ præſentium ſenſum aufert exſpectatione futurorum? Sanè robuſtiſſimum quemque ex miſeriâ inuaſit morbus, morſque vnum ſuſtulit mediis iacentem campis ſub dio, cui militare vehiculum

Quàm ſit ardua hæc Miſſio.

Saillius peſtem contrahit ex caſtris.

Alius moritur ſub dio.

culum ventis ac imbribus peruium lectus fuit, in quo supremam animam exhalaret.

Copias ex Galliâ vix reduxerat Parmensis mense Maio millesimi quingentesimi nonagesimi secundi, cùm Mauritius Comes Batauicæ militiæ Imperator, validissimo exercitu nauibus aducto, castra metatus est ad Steenwicum: quod Transisalaniæ oppidum Regi seruabat Coquellius Gubernator, vir domi nobilis, ac militari laude clarissimus. Qui iam certus paratæ sibi obsidionis, ante omnia egit, vt vnus aliquis è Societate Sacerdos militibus præsidio futurus accederet. Datus ex castrensium numero P. Henricus Samerius; & ingenti gratulatione exceptus: quippe cuius insignem operam aliis quoque locis & expeditionibus probatissimam habebant militum plerique. Hoc potissimùm auctore omnes vitam Catholicæ Religioni ac Regi deuouêre, dira omnia passuri priùs quàm sese hostibus hæreticis dedituri. At Mauritius iam ad ipsam oppidi fossam perduxerat vineas, omnique ex parte muros & propugnacula quatiebat: quæ breuî solutis compagibus tam ingenti hiatu discessere, vt interiora nudarent non tantùm, sed planam quoque in vrbem viam per ipsas murorum ruinas darent. Signo ad irruptionem dato, in ipsis mœnium visceribus acerrimè dimicatum; sed iniqua sors propugnantium erat. Mauritio ad reparandam iacturam prompta multitudo, & fessis sauciisque noui recentesque succedebant: Coquellius paucitate laborabat. spatium vel ad ipsa vulnera obliganda deerat, nedum ad corpora quiete cibóve recreanda. Itaque bono numero cadebant aut transfixi hastis, aut plumbeis glandibus traiecti; & tamen qui supererant, Samerio ad omnia præsente, suisque hortamentis periculi metum auferente, perstabant in loco, deuotas animas profundere parati, ac subinde oblatas quantumuis honestissimas conditiones superbè, quasi vincerent, respuebant. Ingens enimuerò tunc laborum moles in vnum Sacerdotem incubuit, cùm sauciorum ac morientium nemo esset, quin illius opem imploraret. quam vir magnanimus negare nulli sustinens, ibi scilicet maximè versabatur vbi pugna feruebat; & illæsus tamen inter tot vulneratos, tot interemptos, stetit. Hoc quoque in mirandis ponendum, quòd multi, disrupto cranio, & cerebro fœdè fluente, spiritum & vocem retinuere, donec ritè confessionem peregissent. Pugnandi pertinaciam nox sola fregit. Pedem retulere hostes irrito conatu; & ad duo millia desiderati. è Regiis trecenti cecidêre, restabant haud multò plures fessi omnes fractique; neque in diem alterum supererat puluis vel vnico tormento in hostem excutiendo necessarius. Quæ tametsi ferè non ignorabat Mauritius; cladem tamen haud minorem priore sapienter veritus ab obstinatis & iuratis mori, misit qui variis conditionibus tentaret obsessorum animos, honestaque offerret omnia, nisi quòd solum Iesuitam tradi postularet. At Coquellius & miles postulatum indignissimum detestati, & sua capita Samerio oppignorantes, tamdiu restitere, donec & hunc iisdem cum milite inclusum pactis tutò libereque abiturum promisit hostis; sed fide malâ, quemadmodum alibi commemorabitur in loco.

Labores Henrici Samerij in obsidione Steenvvici.

Haræus Annal. Belg. Tom. 3.

Gubernabat Belgium anno M. D. XCV. exstincto Archiduce Ernesto,

ſto, Fontanus Comes, quando noua in Galliam ſuſcepta expeditio Patrum operam magnis incommodis exercuit. Nec ſine noſtro ſanguine res peracta. Nicolaus Montanus, vulgò Burgundionum Apoſtolus, ab hoſtili milite ad S. Quintini fanum multo vulnere confoſſus interiit. P. Antonius Criſpus Fontani Confeſſarius ad Cameracum in obiectos vrbi aggeres (quod ſolebat) aſcendens, opem militi laturus, glandem aduerſo accepit pectore, & pro mortuo in caſtra delatus mortem mirabiliter euaſit. Virum crederes iterato Numinis beneficio in caſtrorum ſubſidia ſeruari. Nam & ex illâ infortunatâ claſſe, quam Philippus Rex aduerſus Anglos tanto molimine ſumptuque adornarat, pereuntibus aliis, ipſe vno cum ſocio in Flandricum littus euaſit, ex eoque tempore operam militi perutilem nauauit, quaſi ad hoc Oceanus expuliſſet.

Nicolaus Montanus trucidatur. Antonius Criſpus traijcitur.

Quid Alberto Belgarum Principe? quàm arduus Patribus ille campus Neoportanus, non vnius cruore reſperſus! Sæcularis ibat annus milleſimus ſexcenteſimus, & formidandis Batauorum copiis Flandriæ ora maritima tenebatur. Archidux collecto celeriter milite obuiàm progreſſus, ipsâ viſitantis Mariæ luce cum Mauritio haud procul Oſtendâ ſecundo Marte congreditur. Felix Belgium, ſi victoriam benè auſpicatam, maiori circumſpectione miles præferuidus proſecutus fuiſſet! Sed auctis eo ipſo die copiis, præcipitato ex vincendi ardore conſilio, iterum impetus factus eſt in deſperatè pugnaturos; atque ita redintegratum prælium illud cruentum, in quo fortiſſimi Ducum ac militum cecidêre; ipſe Archidux, accepto in caput vulnere, vix diſcrimen euaſit. Numquam maior Patrum animus apparuit, quàm inclinante belli fortunâ. Diſcurrere ipſi per ſigna, metum eripere trepidantibus, auerſos retrahere à fugâ, læſos cadenteſque expiare. Iam accepta clades erat, neque campum tamen deſerebat imperterrita illorum charitas. Inter laceros miſerorum artus & cæſorum cadauera reptabant, aures dabant adhuc ſpirantibus; nonnullos etiam, de quibus ſpes vitæ erat, ſuppoſitis humeris in tutum deportabant. Spectabat hæc victor hoſtis, & tantâ virtute irritatus impetum parabat, ingentem ſcilicet ab inermi Sacerdotum manipulo gloriam relaturus. Petrus Buzelinus, Laurentius Euerardi, Otho Campenſis comprehenſi ſunt. ceteri fugâ lapſi. Buzelinus, noſtris eâ pugnâ præfectus, clarâ voce profitebatur ſe non militem, ſed militum Paſtorem; non arma tractare, ſed animas; non facere Archiducis ſtipendia, ſed vnius Dei. Magis hinc, vnde miteſcere debuerat, efferatus hoſtis hominem glande iteratâ traijcit. Ille prolapſus diu fuit antè quàm moreretur: quo tempore ſuorum vulnerum oblitus, circumiacentes Regios, quorum lentè exſpirantium exaudiebat gemitus, animabat; & ſuo exemplo hortabatur, vt ſanguinis vitæque iacturam in cauſsâ Fidei tamquam martyrium læti ſuſtinerent. At Laurentius nonnullis transfugarum hoſtili cuneo permiſtis agnitus mouit commiſerationem ſui. Audierant ſæpè illum in caſtris Regiis concionantem, & charo capiti vitam ab hoſte omnibus precibus orabant. Sed quas preces admitteret Caluiniana crudelitas pro Sacerdote Ieſuitâ? Ergo & ille magnanimus, neque pro ſe ipſe quidquam precatus, multo ferro plumbo-

Pugna Neoportana: Patres in eâ quid fecerint: tres ab hæreticis necantur, P. Petrus Buzelinus, P. Laurentius Euerardi,

plumboque trucidatus occumbit. Otho denique Campensis, in cuius aures Ernestus Archidux animi sui noxas nuper deponebat, dum sauciorum aliquem suo collo inhærentem ex cæde eripit, ab hoste circumuentus pro alienâ salute seruandâ amisit suam. Cæsorum cadauera, vt hinc odium, atque ex odio caussam necis colligas, vsque eò deformata vulneribus fuere, & membris mutilata, vt inter se recognosci numquam potuerint. Decebat sanè tam vnanimes viros, quorum par mors mortisque caussa, ne cadaueribus quidem posse discerni. Valuit paucorum virtus ad communem omnium gloriam. Ex eo die ad Societatis existimationem accessit etiam veneratio. Sanctos Patres illos, vereque Martyres ferebat fama, & multi sapientes credidere. *P. Otho Campensis.*

Secutus est annus sæculi euntis primus, & Ostenda premi ab Archiduce cœpta, plus quàm triennalis labor. Duorum supra septuaginta millium sanguine obsidio ea Alberto etiam victori stetit. Patrum multos tam dura castra fregerunt. Peste aliquot extincti, aliquot discerpti globis; interque hos Germanorum quidam appellatus Apostolus, eo nomine dignus, P. Spikermannus, quòd ad solam Ostendam vnus ipse octingentos ampliùs ad veram reduxit Fidem, non gregarios tantùm illos, sed Duces quoque ac Tribunos. Quis ægrotantium aut vulneratorum exstiterit numerus, cogitari faciliùs quàm dici potest. Horum omnium animis, & quà licebat corporibus, mederi Patrum nostrorum fuit, nisi pecudum more permitterentur mori. Aliunde nihil auxilij solatiíve sperandum habebat turba illa miserabilis, nisi à Patrum pietate, quibus vitam multi seruatam, multi recuperatam sanitatem debuere. Et quoniam castra tantam inutilium copiam non ferebant, Brugas vicinam vrbem deportabantur; vbi breuî is numerus fuit, quem octo magna nosocomia capere vix sustinebant. Hac parte oneris castrenses Patres subleuauit Collegij Brugensis charitas: quod ferè consueuit, quoties inhabitatas nobis vrbes, vel hibernaturus, vel ab ærumnis recreandus, miles inducitur. *In Ostedanâ obsidione labores Patrum.*

Ceterùm ad Ostendam multa & noua Christianæ pietatis excitamenta in vsum induci cœpta, & quibusdam quasi legibus ad stabilitatem confirmata; sed præcipuè hæc quatuor. Sacrosanctæ Eucharistiæ Sacramentum deinceps ad ægros magnâ pompâ multisque luminibus defertor. Statis per diem horis ad nolæ signum Missæ sacrificia peraguntor. Manè, meridie ac vespere tubarum cantu signum Angelicæ Salutationis dator. In Patrum tabernaculo ante Virginis Deiparentis statuam lampas perenniter luceto. Postrema hæc constitutio ingens ad deuotionem stimulus fuit vniuerso quidem militi, sed excubitoribus potissimùm, qui numquam interdiu, numquam noctu transibant, nisi ponerent humi genua, Deiparæ inclamarent opem, suamque illi vitam & salutem commendarent; haud sanè languidè, si quod periculum ceruicibus impendêre sentiebant. Hæc ad Ostendam decreta: alibi alia, quæ pro tempore perpetua emendandæ militiæ cura dictabat. Nam quæ omnium expeditionum sunt, abstineo dicere: multos ab hæresi abductos; iurandi, peierandi, blasphemandi inolitam consuetudinem exstirpatam; eiectas pellices & scorta; licentiam militarem in pe- *Pia instituta in castris.*

 cuniis

cuniis extorquendis, in diripiendis rusticanorum bonis, repressam; exstincta odia dissidentium, duella inter Principes quoque viros impedita; diligenter curatum, ne cui vmquam confitendi copia deesset; tuguria militum frequentata, & id genus sexcenta: quæ vno possum complecti verbo, si dixero institui à nobis militem Christianum. At quanto id labore, quot curis vigiliisque, quo discriminum omnium, ipsiusque adeò mortis contemptu impetrandum sit, facilè intelligit & solus, qui aliquando ingenium militare tractauit.

Induciæ duodennales.

Annos iam supra viginti Castrensem hanc prouinciam pari operâ & operæ pretio, magnâ sui apud bonos commendatione, maiori apud Deum, quod speramus, merito Societas sustinebat; cùm belli tædio hinc atque illinc respectari ad pacem cœptum, aut ad inducias certè, quas datis vtrimque oratoribus in duodennium confectas denique & proclamatas, ingenti Belgarum gaudio, ingenti patriæ bono, annus sæculi nonus felicibus auspiciis inuexit. Ergo vel exauctoratus miles, vel in statiua dimissus. Ea occasio fuit, cur parum nostri amantibus hominibus, ac parum de Christianâ pietate solicitis, visa sit nihil admodum necessaria Societatis opera in castris, quæ nulla iam essent; atque etiam bello post inducias reparato, posse castra Patribus carere ex Regis & publicæ rei bono. Hæc secum cogitantibus non veniebat in mentem, præsidiariis militibus etiam per induciarum tempus esse consulendum; ac si quam interim in partem miles Regius extra Belgium mitteretur, Patres vtique pro muneris sui ratione comitaturos: quod & facto fuisse opus posteà dies ostendit. Verùm hæc eos animaduertere non sinebant vel parum æqua erga nos studia, vel in solas res humanas nimiùm intenta cogitatio sine curâ diuinorum. Quodcumque illud fuit, certè Regem frequentibus litteris interpellandum putarunt, monendumque, ex illo ære nobis numerato conflari posse multorum militum stipendia, quorum scilicet necessarius in bello vsus, non item Patrum nuper à Parmensi Duce nouo inuento adscitorum, priuatæ magis beneuolentiæ, quàm boni publici affectu. Sine his & pugnatum anteà fuisse in Belgio, & extra illud nunc non infeliciter pugnari. Sed neque deesse Sacerdotes alios plerisque legionibus, quos Capellanos vocant. Adhæc satis instrui posse militem Christianis monitis quâ parte anni in hibernis agit: in campo non de rebus animi, sed de hoste victoriâque cogitandum. Huiusce modi parum firmis rationibus fatigabant Regem; nec quies fuit, donec Marchio Spinola, supremus militiæ Imperator, quotidianus ipse idemque grauissimus actionum nostrarum testis, suam hac de re sententiam luculento scripto comprehensam transmisit Regi. Has vbi litteras accepit Rex, ex iisque didicit quanto suæ Maiestatis honore, quantâ ducum militumque gratiâ, &, quod caput, animorum vtilitate adhuc in castris versata esset Societas, quantis se confecisset laboribus, quot periculis obiecisset solâ salutis alienæ causâ; hæc, inquam, Rex postquam indubitatâ Marchionis testificatione comperta habuit, indicto importunis monitoribus silentio, perpetuam Missionem esse voluit, deditque castrorum censoribus Præfectisque ærarij sui mandata, ne quid in posterum aduersus Patres, quorum operam

Missio castrensis obtrectationem patitur:

aliqui apud Regem agunt, vt abrogetur in perpetuum.

Marchio Spinola ad Regē scribit pro seruandâ Missione:

Rex perpetuam esse vult.

tam probatissimam haberet, querelarum admitterent; sed promptiores etiam exhinc essent in annumerandâ eleemosynâ sustentandis illis, quos nihilo sanè minùs quàm milites in bello vtiles ac necessarios censeret; quorumque laboribus & meritis certiùs, quàm militum armis, veniret speranda victoria. Hic finis contra nos agendi fuit, veriùs contra Regem ipsum, contra Duces ac milites, contra salutem animorum. Quot enim millia sine Patribus periissent? quot regnassent scelera? quæ libidines, quæ furta, quæ rapinæ, qui tumultus, quæ seditiones? Odiosum sit suis singula exemplis comprobare; ac nihilominùs adeò manifesta sunt, vt nec inuidia negare possit.

Iam Regi satisfactum erat, cùm in milite fuit laborandum. Huic pessimus à nonnullis ingeneratus error, præteritorum meritorum induxit obliuionem, & ex amore odium detestationemque concitauit in Patres. Stipendiorum imperfecta solutio imputabatur Societati. Fama erat, sustentandæ Missioni nostræ partem bonam singulis militum detrahi. inuidiosum sanè commentum, in quo expugnando diu multumque desudatum. Plebeiis animis ac rudibus, quibus pecunia salute est potior, pertinaciter hæsit semel infixa persuasio. Emersit tamen aliquando veritas, & pristinam nobis beneuolentiam cum fœnore restituit. Vt enim lux post tenebras gratior; ita, postea quam mendacium euanuit, plerumque est amabilior innocentia. Ceterùm induciæ, vti anteà insinuabam, minimè otiosis Patribus actæ. Præter domesticam præsidiariorum culturam bis extra Belgium miles sequendus fuit Duce Marchione, qui nostram ab exercitu numquam patiebatur absentiam. Prima expeditio suscepta est anno sæculi quarto decimo: & prono cursu Aquisgranum, Wesalia, & quotquot circùm oppida, in Cæsaris, cuius hæc auspiciis gerebantur, potestatem venêre. Præter consuetos castrorum labores, ingens tunc bellum cum hæresi susceptum: Wesaliæ in primis, quam alteram Geneuam expurgare Patres summis viribus institerunt. Anno deinde sæculi vigesimo in Palatinatum ducturus Marchio, iterum Patres, veteri suo more, ad omnem fortunæ aleam assumpsit, ipsumque ante alios Thomam Saillium, emeritæ iam militiæ senem; cuius præcipua erat apud Tribunos & in omni exercitu auctoritas.

Apud militem conflatur inuidia Missioni.

Missio vsum habuit etiam tempore induciarum.

Sed post inducias, quæ finem suum habuere tertio Kalendas Maias millesimo sexcentesimo vigesimo primo, incredibile, quid castris Regiis profuerit Societas in hodiernum diem. Vix audiri cœperat tubarum ac tympanorum sonus, cùm Albertus Archidux, patriæ pater, quasi nollet induciis superesse, diem suum obiit, mœstissimis sanè Belgis, & ex pacifici Principis interitu præsagientibus ea mala, quibus hodieque implicantur. Inflauit Batauos mors Alberti; sed mox sensere viuere Isabellam: cuius fortissimæ Heroinæ auspiciis illo ipso anno cinctum Iuliacum, & proximo ineunte in potestatem redactum, docuit & post Albertum posse à feminâ hostes superari. Verùm rem nostram, non publicam, agamus, & more apum ex floribus mella legentium, fructus aliquos obiter ex pauculis expeditionibus delibemus. Anno sæculi vigesimo secundo tentare placuit Bergizomium in Brabantiæ finibus vrbem flumini impositam. Trimestre obsidium fuit. Paruus in principio

Finitis induciis moritur Albertus Archidux.

error, in fine maximus, desperato successu receptum imperauit. Iis castris egregiè probata militi, probata Ducibus, ipsique potissimùm Marchioni Spinolæ Patrum virtus, nullos labores, nulla pericula reformidantium, vbi agebatur animarum salus. Munitiuncula erat, quam frequente incursu vexabat hostis, & nostri laborabant. Eò submissus P. Gulielmus Buuetius addidit animos militi; &, quà sinebat Religiosa professio, præter Sacerdotis partes, etiam agebat Ducis. In ipso certaminis ardore lorica hostili cuniculo subuersa propugnantes ita nudauerat, vt hastis ferroque res cominus ageretur. Desperata loci defensio omnibus suadebat fugam. solus Sacerdos pænè cum humo in sublime iactatus, amisso pileo, os vultumque puluerulentum detergens, *In hostem*, inquit, *in hostem*; simul iniectâ fugientibus manu, quà verbis, quà exemplo stitit militem, & in præsenti morte detinuit. Primus ipse sportulam congestâ humo refertam in hiatum intulit restaurandæ loricæ: quo facto stimulauit armatos, quibus iam pudor erat inermem non sequi. Momento rediit omnibus animus: restituta lorica est, reiectus hostis, seruata munitio. Intereà totis iam castris fiebat rumor, dissiliente cuniculo abreptum Patrem, & terræ cineribus insepultum. alij hastâ ab irrumpente hoste confossum memorabant. Iamque plorabatur, cùm ecce tibi velut ab inferis emergens, vultum vestemque decoro puluere sordidus, cetera saluus atque illæsus, apparuit. Exceptus est omnium gratulatione plausuque, & multos per annos facinus illud imperatorium à Sacerdote patratum miles vniuersus sermone celebrauit. Rex ipse, re cognitâ, admirabundus magnificis verbis extulit Patrem, suamque in nos beneuolentiam auxit. Eum nobis virum præterita anni proximè superioris castra rapuerunt, quem omnes immortalem, ac potissimùm pauperes, voluissent. Miserias ille omnium complectebatur amplissimo charitatis sinu, verè inter illos misericordiæ viros recensendus, *quorum pietates non defuerunt*. Missionem gubernauerat annis multis singulari curâ prudentiâque, imis perinde ac summis charus. Exstinctum fleuit exercitus, Aula, Belgium. Ferdinandus ipse Princeps, qui viuentem præcipuè amabat, & in castris ad sacram Exomologesim adhibebat, impedito per morbum Reuerendissimo Patre Ioanne de S. Augustino, non semel publicè professus est, in Patre Buuetio multa Societatem, plura exercitum Regium amisisse. Verùm, vt vnde digressus est sermo redeat, quo tempore ad Bergizomium virtutem suam probabat Buuetius, illo ipso Petrus Eulartius, quem in Palatinatu nuper ad militis solatium reliquerat Marchio, reuertit in Belgium, non solo puluere, sed sanguine gloriosus. Mansfeldium Halberstadiumque, duas Germanici belli faces, omnia vastantes, suumque incendium inferre Belgio molientes, insequebatur Gonsaluus de Cordubâ, exercitatæ militiæ Imperator, incredibili vsus celeritate, donec hostem nactus stitit, & prælio decernere coëgit. Cruenta pugna fuit & diu anceps; animus vtrimque ferox; spes in morte, vel victoriâ. Hanc denique retulit Gonsaluus præcipuâ virtute Hispanorum. Hostilis peditatus magnam partem deletus: equitum duo millia cæsa, ceteri desertâ pugnâ salutem inuenere. Inter præliandum emicuit intrepidus animus Eulartij,

Insigne facinus P. Gulielmi Buuetij.

Insignis constantia P. Petri Eulartij.

lartij, & paucis imitanda constantia. Militibus immixtus, intra tormentorum etiam minorum ictus discurrere, hortari ad agendum fortiter, saucios è pugnâ auferre, extrema salutis remedia impertire morientibus. quæ dum facit, plumbeâ glande caput traiicitur, maiori vulnere quàm periculo. Gena fœdè lacerata, excussi dentes, maxillæ os confractum, læsa vocis organa. Nec tamen pedem extulit campo, sed per strata humi cadauera, ad ferendam si qui viuerent opem, reptare perrexit; donec, confecto prælio, rediit ad suos, incertum alieno magis cruore sordidatus an suo. Mouit ea species viri commiserationem aliis: at ipse crassum aliquid & obscurum submurmurans veriùs quàm loquens, sese omnibus exhibebat gloriosè purpuratum, gauisus pro Deo, proque Catholicorum militum salute, profudisse aliquid sanguinis, & vitam ipsam, si res ita ferret, profundere paratus.

Quid obsidio Bredana, quam annus sæculi vigesimus quartus inchoauit, quintus absoluit, quantam habuit laborum segetem, quantam periculorum! Vastissimo ambitu circumsidebatur ciuitas, leucarum omnino tredecim. Id omne spatium Patribus quotidie perambulandum. lenta oppugnatio erat, nullâ vi aut armis, sed solâ fame. Ipsorum nouem mensium opus fuit extorta deditio. Tota hiems traducta in castris: nunc cum frigore, nunc cum inediâ pugnatum: subinde subitâ aquarum eluuione tuguriolum & supellex omnis fluitabat. Fuit, cùm maioris tormenti globus ex vrbe excussus laceraret Sacellum in quo Patres diuina faciebant. Instabat etiam metus à vicinis Mauritij copiis, & ad conflictum res spectare videbatur. Itaque cum crucis signo præibant Patres velitaturis, contemptâ hostilium pilarum grandine, & ante ipsam stabant aciem, quam oblato hosti prælio Spinola explicarat: sed Hollando animus defuit, subductisque in tutum copiis, vrbem suam Comes Mauritius, ipsum vita ex mœrore destituit.

Hactenus belli post inducias redintegratio minimè nobis pœnitenda videri poterat, si fortunę foret constantia. At enim si constans sit, fortuna non sit. Conuerso ad Batauos vultu, partes nostras deserere visa, plus curarum nobis, plus difficultatis imposuit. Argento mari capto, belli neruum habuit Hollandia. Hinc Siluamducis, ipsum Brabantiæ claustrum adhuc inexpugnabile, aggredi confidentia fuit. Hic ille est infelix annus supra vigesimum nonus, Religioni Catholicæ, Regi, bonis omnibus grauis, Societati etiam nostræ non vno in castris funere luctuosus: quem tamen annum, debellatis quasi Batauis, lætissimum patriæ fortuna promittebat. Transmisso Isalâ flumine (fossam Drusianam vocant) florentissimi duo exercitus, Regius Cæsareusque, Velauiam occupabant. Actum erat, nî quorumdam incuriâ (prô pudor!) Wesalia periisset: cuius vrbis iactura debilitauit nostrorum animos, hostium erexit ad constandum in Siluæducis obsidione; cuius solutionem iam imperarant Fœderati Ordines Auraico, moram aliquot horarum postulanti, intra quod tempus Wesaliam à suis occupandam sperabat. Ita duabus vrbibus pariter amissis, geminum vulnus accepimus, præter damnum insigne copiarum annonæ penuriâ illatum. Miles non pugnâ saucius, quod expetebat; sed misero languore diffluens, vires Patrum, non animos superauit. Haud- *Patrum charitas erga militem ægrũ.*

Kkkkk 3 quaquam

quaquam tamen à ferendâ ope cessatum, donec & nostros mali violentia prostrauit: duo etiam immortui laboribus, & horum alter Hermannus Hugo, doctrinâ multisque dotibus clarus, in quo spes magnas amisit Prouincia: ipse tamen minimè plorandus, cui mors obtigit quantâuis vitæ diuturnitate gloriosior.

Mors Hermanni Hugonis.

Nihilo ærumnarum minus habuit castrensis illa ad Traiectum statio, & ipsa infelix, anno trigesimo secundo, duce Marchione Santacrucio magnarum nuper classium aduersus Othomannos satis felici Imperatore; sed apud Belgas iniuriâne temporum, an locorum ignoratione, an quorumdam etiam perfidiâ infortunato. Multorum dierum imbres, & annonæ grauitas, eos inuexere morbos, quibus nulla curatio par esse poterat. Bina ægrorum millia iacebant; nulli, præter nos, Medici, Pastores nulli. Itaque virtutem Patrum quamuis per se excitatam, ipsa tamen languentium multitudo acuebat, & pro stimulo erat extrema tot animorum corporumque necessitas. Omnes vitæ prodigi quidquid poterant virium impendere; non terreri fœtore, non sordibus, non contagione. Pretium operæ fuit letalis morbus plerisque contractus, qui duorum placatus funere, ceteros ad salutem publicam viuere permisit. Hæc castra quoque nouis Christianæ pietatis institutis illustria fecimus: inter quæ principem tenet locum erectio Sacelli noui in eâ militiæ parte, quæ Baroni Balanzonio parebat, supremo rei tormentariæ Præfecto; in eamque curam datus est è nostris perpetuus Sacerdos. Diuæ item Barbaræ, tormentorum Præsidi, Sodalitas instituta; quæ siue in castris, siue in hibernis, insigni virtutis lucet exemplo.

At, amisso Traiecto, nouus militiæ Gubernator Marchio Aytona, meritò Belgarum omnium amor, & spes ingens (si frui diutiùs licuisset) ne omnino clausum haberemus Mosam, sapientissimo consilio Ruræmundam inter ac Traiectum, quà D. Stephani insula porrigitur, validissimam arcem eduxerat, relicto ad defensionem copioso milite. Tres ad culturam & solatium Sacerdotes dati ex Castrensium numero. Atrox breuî pestilentia fœdauit cælum, quam egesta ducendis aggeribus humus creasse ferebatur. Magna mortalium strages fuit: quibus dum Patres diurnam nocturnamque operam impendunt, lue & ipsi corripiuntur, & labores suos morte non ignobili coronant. Mox alij duo in exstinctorum submissi locum, in eamdem successere fortunam.

Multi Patrum peste exstinguuntur.

Hæc castrensium Patrum vita est, si quis ignorat; aut fortè etiam arbitratur magna commoda latere. Illorum certè ineptissima opinio est, existimantium hanc à nobis Missionem suscipi non tam virtute, quàm humanâ aliquâ caussâ: quod perinde est ac vecordes nos & amentes putare, qui nostrorum capitum pretio opes, famam, aut quid aliud nescio caducum emamus; quasi non satius fuerit extra Religionem viuere, quàm miserrimam illam seruire seruitutem. Quàm multis bono aut etiam magno genere natis castrorum sequendorum maximus fuit ardor, & in ipso ætatis flore amissa vita? quibus, si suo iure inter homines viuere libuisset, nihil ad vitæ commoda, aut splendorem etiam, poterat deesse. At illi prudentes mundi huius asseclæ, quos ille vocat curuas in terram animas & cælestium inanes, numquam gustatâ virtu-

te CHRISTI, ſuo ſenſu mortali metiuntur omnia; cumque ipſi nihil ſupra naturam ſapiant, ceteros quoque nihil plus ſapere arbitrantur.

Reuertor in caſtra; quæ vt numquam difficiliora, ita nec ſenſimus fructuoſiora quàm poſtremis ſex annis, ex quo Ferdinandus Auſtriacus Princeps Cardinalis pro fratre Philippo Rege Belgium gubernat. Adhuc feſtos triumphos agebat patria, & Iſabellæ Archiducis iacturam reddito ſibi Auſtriaco ſanguine leuiùs iam ferebat, cùm ex improuiſo fœdiſſima procella turbauit gaudium, irrumpentibus in fines noſtros Gallis, quaſi poſt extinctam Iſabellam pacis leges & fœdera non valerent. Quid ageret vndique iam cinctum hoſte Catholicum Belgium? Duos annos, trigeſimum quintum & octauum, pænè habuimus fatales. Prior hoc amplius periculi habuit, quòd iam clades ad Namurcum accepta debilitabat omnium animos, malè ominantium de toto bello, auſpiciis adeò infortunatis. Intereà Batavi Gallis coniungebantur, & formidabilis exercitus in Brabantiæ viſcera penetrabat. Captæ vrbes aliquot, Thenæ incenſæ, obſeſſum Louanium, ager omnis ferro flammâque vaſtatus. vbique timor, trepidatio, fuga. actum de fidis Regi prouinciis diceres. Vicit omnia fortuna Ferdinandi, quam generoſiſſimi Principis Thomæ à Sabaudiâ, & Marchionis Aytonæ prudentiſſima virtus adiuuabat. Cunctando, dum Cæſareus miles adueniret, reſtituta res, vterque hoſtis repulſus; &, quod prodigij ſimile, in ipſam Batauiam illata Regis ſigna, defixaque in Schenckiano. Incredibiles ea expeditio labores noſtris Patribus attulit. Morborum multi, ſed præcipuè dyſenteria peſtiſque vaſtabant copias, tam Regias quàm Cæſareas; ægrotantium cura omnis penes ſolam Societatem fuit ex Principis voluntate, qui præclaro exemplo apothecam ſuam patêre voluit in vſum militis, & multo argento ſubuênit miſerorum egeſtati, tantâ ſolicitudine pietatis, vt mitteret in dies Emmanuelem Guſmanum eleëmoſynarum præfectum, qui ſciſcitaretur ex Patribus, ſatíſne ad ægrum militem iuuandum eſſet æris; ac, ſi non eſſet, continuò numeraret. Valuit Principis exemplum ad imitationem. Magnatum multi & Tribunorum diem ſibi quiſque ſumebant in exercitium liberalitatis. Non raro fuit, cùm Patrum humeris efferrentur funera, Patrum manibus terræ mandarentur. ſubinde viginti ampliùs cadauera pariter in tumulum illata. Delectauit omnes quidem, ſed vel maximè Principem, ea Societatis charitas. Sępè illam auditus magnificis commendare verbis, ac dicere, numquam ſibi Patres iſtiuſmodi viſos. Sed neque is tum morbus magnis capitibus pepercit. Periere Dux Lermenſis, campi Magiſter Generalis; Grimberganus Comes, Principis Oeconomus; & dignus immortalitate Marchio Aytona, ſupremus armorum Gubernator: inter ipſas Patrum manus mortui omnes. Hæc prima caſtra ſub Ferdinando Principe fuerunt.

Vltimo ſexennio caſtra difficillima.

Ferdinandi Principis Cardinalis egregia pietas erga militem ægrũ.

Perfuncta tunc quidem ingenti periculo patria, haud ſanè leuius anno pòſt tertio incurrit, cùm hinc Gallus Audomaropolim arctè circumuallaret, inde Batauus, Calloanâ arce interceptâ, planum iter haberet in Flandriam, ipſique adeò Antuerpiæ minaretur. Geminis caſtris diuiſi Patres; pars in Arteſiam, pars in Brabantiam profecti: vtrobique pretium operæ tulere, magna animorum emolumenta. Eorum maximè

mè hortatu miles sibi vltrò ieiunia & pia vota pro felici successu non semel imperauit. Ad Audomarum propositæ sunt à Patribus Indulgentiæ (quas Missioni Sedes Apostolica concessit) in peditatu ad octiduum, quando in singulos propè dies, tametsi muniendis castris variè multumque distraherentur, facilè mille ad sacram mensam accubuerunt. Equitum deinde pietas per triduum inusitata fuit. Ad Calloam verò dies noctesque Patres militi adesse, in assultu cum primis in hostem pergere, cadentes suis brachiis excipere, vulnera obligare; postque arcem vi expugnatam, captiuis hostibus, qui ad tria millia abiectis armis sese dediderant, à victoris insolentiâ cauere, eorum leuandæ egestati stipem corrogare, animis ab hæresi conuertendis nulli industriæ parcere. Non pauci ex iis ad Fidem Catholicam Regisque militiam transierunt. In ceteris fuit pertinacior quidam: decumbebat ille cum sui similibus multis in Bethuniensi nosocomio; cumque Sacerdos noster pro more Catechumenos de credendis instrueret, Aufer, inquit, nobis sermonem istum, sine mori securos & suâ sorte contentos. Percunctante nostro, quid ei ad viuendum deesset, Stramen, inquit, quod iacenti in terrâ substernatur. Abit Pater, & quod potuit stramen, in humeros sublatum apportat, ægro sternit in lectum iacenti, & præ animi acerbitate ne in gratiis quidem ponenti. Mox noster, Quid insuper tibi opus? Iusculo, inquit, è vino rubro & sacchato. laborabat scilicet acri dysenteriâ. Parat hoc quoque Sacerdos, & suâ manu ægro sumendum exhibet. Sumpto, iterum: Ergo & aliud est? Nihil, reponit ille, nisi vt mox Catholicus sim. fieri enim nequit, quin ea vera sit Fides, quæ suos his charitatis præceptis imbuit; nostri verò Ministri non sic agerent. Dixit; & seriò conuersus ad Fidem Catholicam, post dies paucos, magno suo gaudio, omnibus Ecclesiæ Sacramentis munitus viuere desiit. Ita solida virtus omni voce efficacius in animos etiam rebelles exercet imperium.

Pietas in castris excitata.

Sola Patrum castrensium charitate ægris impensâ, pertinax hæreticus cõuertitur.

Sed finis aliquando sit, & semel omnia dicamus. Habet castrensis Missio cubationes humi, in cespite, sub dio; habet nocturnas vigilias, famem, sitim, frigus, æstum; habet contagia à militaribus morbis, mille mortis pericula, mille mortes. Hæc stipendia meremus. Vtilitates autem, quæ ab hac Missione veniunt militi, quis enumeret? sine numero reducuntur ad Fidem; sine numero à sceleribus vitæ militari propriis abstrahuntur. Quin hoc iam Patres industriâ & labore consecuti sunt, vt Christianæ pietatis exercitia haud minùs in castris inter armorum strepitus, quàm in quietis vrbibus colantur & floreant. Neque in sola animarum auxilia, sed etiam corporum, charitas perfecta semet impendit. Hæc in ægrotis, hæc in vulneratis, hæc in mortuis materiam inuenit benè de militiâ merendi.

Nihil exemplis opus, quorum iam aliqua vidimus. Non præteribo tamen quod passim habitum ferè prodigiosum. Commissâ ad Malbodium cum Gallis pugnâ, cæsorum corpora nostri eduxerunt ex aquis, ex cœno & sordibus, iam contrita ab equitatu, & in sepulchrum Christiano ritu intulerunt. Mandauerant Præfecti, vt quæ cadauera propter ripam fluminis hinc & illinc temerè iacebant, ne humarentur, sed in vicinas aquas sine vllo funeris solenni deuoluerentur. Patres contrà niti, locum

locum ſepulturæ idoneum deſignare, ipſi ligones arripere, terram effodere, corpora inferre, atque incitamento ceteris eſſe, vt in laboris pietatiſque partem venirent. Bauaci iam triduum iacebat inhumatus miles, nec erat qui manum iam maturo cadaueri admouere ſuſtineret. Patrum vnus ſuis ipſe manibus ſuſtulit, in cœmiterium deportauit, humum eruit, tumuloque ritè compoſuit. Emanauit latiùs hæc noſtrorum charitas, permouitque militiæ Præfectos, vt mitterent de ſuis qui commilitones in latibulis mortuos foras producerent, quibus noſtri parem ſepulturæ honorem impertirentur. Ita tum Patres viſi ſopitam Tobiæ memoriam exſuſcitare, non diſſimili commendatione virtutis. Sed ſatis ſit; nec enim ſingularia perſequi aut voluntas mihi eſt, aut facultas. Hoc præcipuè ago, vt Miſſio ardua intelligatur, atque ex re Catholicæ Religionis, Regiſque Catholici, cuius ſententiæ tot producere teſtes poſſim, quot Belgij Principes, quot Duces militiæ fuere. Marchio Aytona in Concilio militari, cùm multa multi de Batauis memorarent, alius promptam ſtipendiorum ſolutionem, alius annonæ militaris curam, alius induſtriam celeritatemque; ipſe ad extremum, Vtut cetera ſe habeant, inquit, vno tamen ſuperabuntur, Miſſione caſtrenſi, ob quam vel ſolam noſtra Catholicorum arma fortunabit Deus. Sed non appello vitâ functos. Vnum te inſtar omnium teſtor, qui nunc imperas, Ferdinande Auſtriace; tuis ipſe oculis labores noſtros, & laborum fructus exploratos habes. Tuum de nobis teſtimonium, an præconium, iam orbis audiuit. Quin etiam grates (quod vix dici modeſtia noſtra ſinit) grates, inquam, de præſtitâ in caſtris operâ dignatus agere coram Nobilitate, coram Tribunis & milite, quantum Patribus tribuiſti honoris, tantum & ſtimuli ad difficultates exhauriendas, ad ſuperanda pericula, ad mortem ipſam, ſi ex tuo, ex Regis, ex Religionis vſu erit, oppetendam addidiſti. Nunc à caſtris ad naues tranſeamus.

Ferdinandi Principis Cardinalis indicium de Miſſione.

MISSIO NAVALIS.

Societas à ſui initio claſſes comitata eſt.

Hiſt. Soc. p.1.lib.10.

Poſt terras ipſa quoque maria inuaſit immenſus proximos iuuandi ardor, inſtituto haud ſanè nouo: nam Iacobus Lainius, qui poſt Ignatium Præpoſitus Generalis fuit, à Ioanne Vegâ Siciliæ Prorege in Africanam expeditionem inuitatus, vt claſſi præſidio eſſet, mare conſcendit cum ſocio Martino à Cornozâ, animique ſui excelſitatem inter omnes terrores inuictam tunc maximè probauit, cùm, furente tempeſtate, abiectis animis æquè miles ac nauta, vel attoniti hærerent metu, vel lamentis cuncta miſcerent. Lainius enim ſui ſimilem animum retinuit, conſcius ſibi nauigationem illam ſolâ charitate ſuſceptam; & altiori quodam ſpiritu afflatus, incolumitatem, vti euenit, cunctis conſtanter & magnâ voce denuntiauit. Anno inſequente, qui fuit ſæculi ſuperioris quinquageſimus primus, cùm ingens Turcarum claſſis mare Tyrrhenum ingreſſa, incertum quam in partem effuſura tempeſtatem, tamquam nubes horrifica latè omnibus minaretur; Vega Prorex, feſtinatâ diligentiâ, claſſem & ipſe magnam inſtruxit barbaris obiiciendam. In hanc expeditionem, ne tot militum vectorumque animæ Sacerdotis auxilio deſtitutæ in diſcrimen darentur, vltrò ſeſe obtulit Proregi Hieronymus Natalis, ac Prætoriam Antonij Auriæ, Iſidoro Bellino comite, conſcendit. Philoſophiam Iſidorus tunc Meſſanæ docebat; ſed ex illo puluere academico, in

Hiſt. Soc. p.1.lib.11.

aquas productus, nobiliorem adeptus est palmam. Nam cùm ad Lopadusam insulam venisset classis (ea inter Melitam & Aphrodisium iacet) fœda adeò tempestas exstitit, vt è quindecim triremibus octo haurirentur, in hisque Prætoria. Natalis quamuis natandi imperitus, & vsque ad vltimum in mediâ morte pro animarum charitate moratus, non sine peculiari Numinis tutelâ, nescio quo arrepto fune, saluus euasit. At Isidoro idem tentanti brachium allisa ad saxum triremis interceptum abscidit, sic vt modicâ cute penderet; qui diu cum irato luctatus mari, in triremem tandem rursus receptus, nihil prætermisit, quod non solùm optimum Religiosum, sed fortissimum etiam deceret virum; non modò vincens dolorem, sed & constantissimè quæ eo articulo opus erat periclitantibus clamans, quoad solutâ naui, & haustâ fluctibus, ipse cum quamplurimis periit.

Hist. Soc. p. 2. lib. 4.

Eiusdem sæculi anno sexagesimo Ioannes Cerda Dux Methymnæ, tunc Siciliæ Prorex, Tripolim Africæ Militiæ S. Ioannis aliquot antè annis ereptam valida classe tentaturus, Socios postulauit iuuandis classiariis. Dati sex strenui & laborum apprimè patientes viri: quorum vnus fuit Antonius Vinckius Belga, tum Rector Collegij Catanensis, posteà Treuirensis Collegij conditor, primusque Rhenanæ Prouinciæ Præfectus. At memorabile tunc Deus suæ erga Socios curæ exemplum dedit. nam dum aduehitur classis Turcica, præliumque committitur in quo infeliciter pugnatum à Christianis, omnes de Societate in onerariam, in quam contulerant ægrotos, recipiunt sese: iamque Nauarchus rem Christianorum afflictam videns, deditionem parabat, nisi à Canonico quodam, & sex nostris, ac præterea duobus Capuccinis, prohiberetur. Itaque ad horas duas pugnatum aduersus septem barbaras triremes, quæ circumuallabant onerariam, cùm repentè nouem aliæ accurrunt, multiplicantque certamen, mox & vndecim, inter quas eminentior aliqua princeps vniuersæ classis credita est. Igitur septem ac viginti armis ac pugnatoribus instructissimæ triremes, eæque victrices, nauim vnicam præsidij vacuam impetebant. Horas propè sex pugna tenuit, non ausis Turcis cominus onerariam aggredi, in eamque transscendere, insidiarum metu. cùm enim ferè nemo in naui appareret, egregieque interim propugnaretur, magnam aliquam abditam ibi esse militum manum suspicio erat. Hoc hostium errore, ac præterea vnius de Societate strenuissimi hominis, & talium non inexperti industriâ, sed potissimùm manifestâ Dei ope, nauis in Siciliam euasit; quam non suam esse iam solebat dicere Nauarchus, sed Patrum, quibus eam Deus apertè donasset.

Non raro & aliàs, nec vno in Regno, ad certam expeditionem Societas nauigauit; ac tunc celeberrimè, cùm illam ingentem Philippi Secundi Hispaniarum Regis in Anglos destinatam classem tempestas inexspectata dissipauit. Ex decem Patribus in militis solatium classi impositis, duos, vti suprà memorabam, Flandricum littus excepit, octo fluctibus hausti periere.

Caussa & origo Missionis naualis.

At nusquam terrarum, præterquam in Belgio, perfecta & constans Missio naualis fuit; nec verò vsquam par caussa postulauit. Nam Flandriæ

driæ oras portusque perpetuâ ferè obsidione claudit Batauus numero nauium ferox; vnde nostris egressus ingressusque vi & sanguine quæritur. Prô, quantum cruoris Belgico mari fusum; &, nî pax interuenerit, fundendum! Intereà epibatis par periculo securitas, nec vitæ mortisque distinctio. Itaque conscendebant, nullâ salutis curâ, peccatis graues; & qui tot mortalium inuigilaret saluti, vnicus Sacerdos erat Hispanus Capellani Maioris nomine: idemque contentus terrâ iuuare suos, abstinebat mari; si tamen iuuare poterat, quem neque intelligebant nostrates nautæ, nec ipse nautas. Obiuit hic diem suum Dunkercæ anno sæculi XXIII. inque defuncti locum quærebatur alius: quâ occasione cœptum de Societate agi apud Marchionem Spinolam, Supremum tunc Regiæ militiæ terrâ marique Præfectum. Is ad Isabellam Archiducem retulit, quæ pro suâ pietate tot animarum miserata perniciem, & præclarè conscia quos labores in castris Regiis exantlaret Societas, ne quid solatij minus haberet classis, eam quoque curam nobis solenni diplomate demandauit tertio Idus Nouembres M. DC. XXIII. Arduum sanè opus, neque passim omnibus sustinendum, sed quibus & animus & vires maximis ærumnis pares. Primùm ipsa solitudo grauis est, nullo comite Religioso, nedum Sacerdote, à quo & honestæ conuersationis vsum, & in periculis ac morte beneficium sacræ absolutionis accipiant. Quamquam enim perspectæ virtutis viri sunt, ac Dei quà timore quà amore confixi, quotquot in eam fortunam se dant, vt minimè timendum sit ne grauiori aliquâ noxâ implicentur; tamen quis vel sanctissimus, dum mortem ante oculos versari videt, non summè optet præsentiam Sacerdotis, à quo & supremis muniatur Sacramentis, & ad Christianam in vltimâ illâ luctâ constantiam animetur? Deinde nautarum militumque colluuies quotidie sustinenda est; quorum sermo, nî prohibeantur, fæces, iuramenta, periuria; quibus aut ægris inualetudine, aut prælio sauciatis seruili more ministrandum: cuius ministerij præmium est frequens ex contagione morbus, & sæpè mortalis; quo terni aliquando Sacerdotes, vnicâ nauigatione correpti exstinctique, suum in mari tumulum inuenere. Prætermitto marinam nauseam, insulsos cibos, potum deprauatum, insomnes noctes, vestem immutatam, arctum olidumque ergastulum verius quàm cubile, perpetuum ab hostibus & tempestatibus periculum; quandoque & letum, vel ex vulnere vel naufragio crudeliter oppetendum; denique, vt absint cetera, tam diuturnam in magnis frigoribus, ventis, imbribus, solo, mari & aëre iactationem.

Quàm sit ardua hæc Missio:

Quis huc hominem gustus rapiat, aut quæ voluptas? solus iuuandarum animarum ardor hoc potest, qui & senes ad hanc prouinciam expetendam incitauit. Gulielmo Hercano (vt alios taceam plusquam sexagenarios & insigni canitie venerabiles) postquam Religiosæ vitæ quinquagenarium iamdiu celebrasset, ea corporis animique alacritas fuit, vt magno ambitu petitam Missionem impetrarit, tam multis etiam iuuenibus formidatam. Fuere qui Deo iuratâ fide vitam omnem suam huic muneri consecrarunt. nimirum robusta Societatis charitas adeò non circumspicit fugam, vt perpetuo voti nexu, ne pedem referre pos-

& tamen multis auidè expetitur.

 sit,

ſit, ſemet ipſa lubens volensque adſtringat, & generoſam ſibi ex merâ virtute neceſſitatem impoſuiſſe lætetur. Operæne pretium, inquies, his incommodis, periculis, cladibus obiicere tam præſtantes animas, vitæque in annos plurimos propagandæ tam leuem ducere iacturam? nimirum illud poſtulas, vt quo fructu nauigetur exponam.

Ducentorum circiter capitum ſunt nauigia, quæ Patres conſcendunt, inſignis animarum manipulus; quarum vel vni benè impenditur ſanguis, quando hoc pretio CHRISTVS ipſe Dominus ſingulas æſtimauit. At quia Sacerdotum numerus, cùm magnæ claſſes ſunt, non ſemper nauibus æquatur, in duas ac plures Paſtor vnus operam extendit ſuam; ex aliâ in aliam quotidie, quamdiu tempeſtate non diſſipantur, tranſuehens ſcapharum beneficio. Prima cura, prohibere flagitium; altera, promouere pietatem. Erant nauigia, priuſquam nauigaret Societas, ferarum veriùs quàm hominum receptacula. Diu noctuque ſermo impurus & impius, iurandi peierandique par licentia, rixæ, pugnæ, turpitudines; & quidquid ſine lege, ſine moderatore, nullo pudoris aut verecundiæ freno, audere ſolet vita inculta & pænè barbara. Hanc tantam oris proteruiam morumque diſſolutionem cohibere, & inueteratam inolitamque peccandi conſuetudinem radicitus exſtirpare noſter labor eſt, quà reprehenſionibus, quà blanditiis, quà auctoritate, quà prece, & quibus quibus emendatio ſperatur modis. Poſt ſcelera expugnata, ad Chriſtianæ pietatis exercitamenta in morem inducenda conuertimur. Itaque per dies ſingulos matutinæ veſpertinæque preces in commune recitantur, præeunte in verba Sacerdote: de diuinis rebus ſermo inſtituitur ſtato tempore: ad expiandos confeſſione animos ſæpiùs inuitantur: quotidie, niſi iratus prohibeat Oceanus, Miſſæ ſacrificio interſunt; & vnicâ in naui quandoque ad ſacrum epulum centeni pariter accedunt. Templum, non nauem, diceres. Quid graſſantibus, quod ſæpè fit, morbis? Sacerdos ad patientiam componit animos, in ſpem erigit iacentes, afflictos ſolatur, periclitantes extremis munit Sacramentis, adſiſtit morientibus, curat funera, nec ſine ritu & piis precationibus in Oceano ſepelit; vt iam nautis longè ſit ad ſalutem tutius mari, quàm terrâ, mori. Sed nihil omnium eſt, quo magis capiatur illud hominum genus, quàm impensâ ægrotantium corporibus charitate. Nauarchorum vnus, amiſſo Sacerdote quicum frequens nauigarat, inter alia præconia, Si Rex, inquit, ſtipendium mihi decuplum annumerare promiſerit, non inducar tamen vt ægrotantibus ſeruitia præſtem, ad quæ ſe toties abiecit Pater, cuius viri vitam vel filij mei morte ſeriò redemptam velim. Hæc ille vero dolore, & illacrymans memorabat.

Fructus Miſſionis:

in tempeſtatibus & naufragiis.

Verùm vtilior numquam Sacerdotis apparet opera, quàm vbi aut prælio aut tempeſtate res in diſcrimen adducitur. Tum ante omnia, vt ſuis animis pro ſe quiſque conſulant, procuratur; tum pia concipiuntur vota, ſi ſalui & incolumes euaſerint, viſitandi Virginem quæ in æde noſtrâ Dunkercanâ miraculis claret, ibique ſumendi reuerenter ſacroſanctam Euchariſtiam. Biennium needum euolutum eſt, cùm ad Hollandiæ oram, quà ſciſſis littoribus irrumpens Oceanus pontum Auſtralem facit, Regiam nauim in ſcopulos furibundus Aquilo impegit.

Cæca

Cæca nox erat, horribilis ventorum & fluctuum vlulatus. Frustrà remi, vela, anchoræ, virorum labor sudorque. Desperatâ naui, ingens omnium comploratio. Sacerdos noster Cornelius Siluius, florenti ætate iuuenis, & inassuetus mari, erectum excelsumque animum tenuit inter tot tristia serenus: Non lamenta, inquit, non lacrymas postulat hoc tempus, viri, præterquam animi dolentis indices, & commissa flagitia detestantis. Nunc virtute opus, & illis animis quos toties inter tot pericula gessistis. Moriendum est; sed eâ lege viuebatis. Moriendum hodie; quid refert hodierno, an crastino? Moriendum in mari; facilis iactura sepulcri, dummodò animus suam patriam inueniat. Quid? potéstne maius vobis morituris euenire solatium quàm præsentia Sacerdotis? Si abesset hic casus, viueretis aliquantò quidem diutiùs; sed, mihi credite, infeliciùs fortasse moreremini. Præferte, si Christiani estis, & si meliorem exspectatis vitam, præferte animorum vestrorum salutem breui huius lucis vsuræ; & aliquando vos ad abitum comparate. Hac oratione animatos audit confitentes ordine singulos. Numquam sincerior accusatio, aut tristitia verior fuit. Omnibus ritè expiatis, ipse calicem sacrum fune sibi alligat: tum crucem osculatus, præsente animo, dat singulis osculandam, hilari vnumquemque voce compellans in tristissimo elementorum fremitu. neque cessauit per transtra discurrere, donec, superurgente fluctu, præsens aderat exitium. Iam crure, iam vmbilico tenus assurrexerant aquæ, paratis ad natandum, quibus ars erat, qualicumque spe in tantis procellarum furiis, brumali nocturnoque cælo, ceteris certam exspectantibus mortem. At Pater singulos obtestabatur, vt, si qui euaderent, vbi Dunkercam attigissent, illicò Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta susciperent in æde nostrâ: quod iurati omnes Deo & Virgini Deiparenti promisere. Horas plus quatuor tenuit ille horror ex præsenti mortis imagine, donec dehiscens nauis omnes destituit. Pauculos ex tanto numero tabulâ & arte adiutos, an casu potiùs? littus excepit; ceteros mare, & cum his nostrum diu cum fluctibus luctantem non mortis metu, sed morientium curâ, quos ad vltimum animatos cælo præmittere volebat felix animarum in morte piscator. At illi pauculi, quos fortuna seruauit, Dunkercam reuersi, virtutem Patris, & quo ille studio tot mortalium saluti consuluisset, passim cum multis lacrymis commemorabant. Exiguúsne igitur videri cuipiam potest Missionis fructus, quando vnicus Sacerdos vno tempore centum triginta & plures mortales ritè expiatos secum inuexit cælo; qui fortè omnes, certè plerique, æternùm perierant, si Sacerdote caruissent? *Insigne naufragium.*

At etiam opportuniorem Missionis vsum in præliis, quæ mari atrocissima geruntur, deprehendere licebit. & in hunc finem præcipuè nauigamus. Nam si vllo vmquam tempore, tunc profectò periclitatur classiariorum salus. Neque enim de componendis animi rationibus quisquam in illo tumultu ac furore inter vulnera & cædes cogitationem susciperet, nisi adesset noster ille monitor, qui vicino periculo interiorem singulis aurem vellicaret. Itaque, cùm pugnandum est, maximus fit animarum quæstus; totisque viribus in hoc connitimur, vt qui patriæ, Regi, Deo cadentes mortalem vitam amittunt, inueniant immortalem. *Fructus Missionis in præliis.*

talem. Quid enim tristius (& tamen quid pronum magis?) quàm si miserrima illa turba, pro suorum laborum, miseriarum, vulnerum præmio, nihil referat præter geminam mortem, corporum & animorum? Ad hæc ingens accedit pugnaturis animus ex præsentiâ Sacerdotis; postque scelerum expiationem, conscientiâ suâ plus quàm triplici ære circa pectus armati, nihil non audent, tantò iam hosti formidabiliores, quantò maior est fiducia benè moriendi. Sed enim quò id fructuosius, hoc & periculosiùs à nobis geri nemo non videt. Nullus hîc timido locus est aut ignauo: latissimi pectoris viros & vitæ suæ prodigos hoc tempus postulat, qui non modò ipsi conspectâ morte non paueant, sed neque alios pauere patiantur. Tales sanè adhuc sese nostri probauere, quorum nonnulli & sanguine obsignarunt virtutem suam. Fidem faciat vnica expeditio, suscepta ipso ferè Missionis exordio anno M. DC. XXIV. sitque imago ceterarum. Didacus Ludouicus de Oliuerâ, iussu Regio, septem nauium classem Dunkercâ trahebat in Hispaniam, vehendo militi ad recuperandam Brasilorum Bayam Batauis occupatam. Hanc classem adhuc stantem in Mardicano portu, ventosque captantem, bellicæ Hollandorum clauserant sex ac decem. Afflante tandem exspectato Euro, sub horam noctis decimam soluitur, spe hostis per tenebras fallendi. At spem bonam sinister fefellit euentus. Nam nauium vna vado adhęrescens, dum expedire se tentat, prolato lumine hostem admonuit; qui mox, præcisis anchoranis funibus, in nostras ferebatur, parum nociturus constante vento qui vela vehementer impulerat. Sed hic primùm ex acri placidus, mox etiam fit nullus; ab hoste coniuratum, nobisque perfidum diceres. Ergo vbi tormentorum vsus esse cœpit, horrendo per noctem tonitru resonare maria, & fulminibus coruscare. Iamque pugnando nocti iunxerant diem, & vix vllo motu nauigia natabant: hinc pugna crudelior, sed impari Marte, cùm hinc sedecim, inde naues quinque pugnarent. Prætoria nostra iam laborabat; quam suorum obiectu laterum defendens altera tormentis hostilibus fœdè laceratur: sustinuit tamen impetum sanè diu, nec inulta, donec per lacera vndique latera totum hausit Oceanum. Antequam mergeretur, aduecta est Subprætoria, cui nomen erat Ignatio, exceptura scilicet quibus animus viresque ad transiliendum erant. plurimi semel iterumque adnauigantem saltu tenuere. Quærebatur ad salutem Sacerdos noster, quem apud vulneratos ignarum periculi securumque reperiunt, magnisque vocibus prodire quantocyùs iubent, ac deserere, quorum corporibus iam prodesse nequeat, animis consuluisset. Prodit senex spectabili canitie, sauciorum tabo vestem & ora fœdatus, nocturno diurnoque fractus labore; iamque in fundum abeunte nauigio, non tam transilit quàm in mare se dat: cadentem alter è nostris, quem Ignatius vehebat, longo fune pendens arripit, extractumque è mortis faucibus in vitâ locat. At classiarij, desperato in Hispaniam cursu, respicere Angliam, cò velis remisque contendere, pugnam fugamque sociantes; donec sub noctem, post nouemdecim horarum atrocissimam plano mari dimicationem, asylo defensos infestare hostis desiit: sed non deseruit. Iactis & ipse anchoris, quaternas suas singulis nostris ad custodiam apponit; ausus quoque, post

Insigne prælium nauale.

paucos

paucos dies, compoſito ad id aſtu poſtulare traditionem. Fingebat mandatum aggrediendi. Suſtulerat anchoras, vela explicarat, machinas expediuerat. Dedentibus ſpondet littus Gallicanum; recuſantibus interitum minatur. Oliuera Prætor haudquaquam exterritus minis, reſpondet ſibi quoque à ſuo Rege mandatum tutari claſſem vel ſanguine & vitâ: ſimul iubet expediri ad pugnam omnia: & expedita iam erant; ſed quieuit hoſtis, Dunkercanis animis dedecus propoſuiſſe contentus. Quinque ipſos menſes ea tenuit obſidio, Prætore intereà in Hiſpaniam profecto, claſſe alteri traditâ, nempe quæ iam Belgis Hiſpaniſque deſperata habebatur, nî Iacobus Collartius arte adiuuans fugam, ceteris princeps ad audendum foret. Mutarant ſæpiùs in ſtatione locum, fixis alibi anchoris, quas diuturna fluctuum ventorumque vis à ſolido & fido vado ſenſim in periculum abſtrahebat. Initio cuncta hoſti ſuſpecta. Motu noſtrorum leuiſſimo ad arma clamabat. Pòſt vſu doctus motum neceſſitate fieri, negligentiùs agebat, & propè nullâ ſuſpicione. Triſtis tum quoque & vſitato maior in ſtationem incubuerat tempeſtas, multis nauium, quæ ad ducentas in anchoris ſtabant, vado illiſis hauſtiſque, ceteris miſerè quaſſatis. Quin & vix dato reſpirandi ſpatio altera haud ſanè mitior minabatur. Ergo ad ſuum quemque nauigium cura conuertit. Quâ Collartius occaſione ſolerter vtens, ſublatas de more anchoras figit alibi, moxque iterum attollens tamquam non adhærerent, varium ſimulabat errorem; donec dilapsâ longiùs naui, rem maturam videns, demittit repentè vela, vento arti obſecundante vtitur; extra ſtationem euolat, relictis poſt terga Batauis inſultans, ipſoque die in portum nauem appellit ſaluam, pari ciuium admiratione plauſuque. Vnius fuga commouit omnium animos, hoſtium ad vigilantiam, noſtrorum ad conſilia & artes. Conueniunt in Prætoriam Præfecti, aleam tentare decernunt. Maturè conſultatur de modo. Viſum per tenebras vela ſic componere, vt funiculis aliquot diſſectis repentè caderent; tum tormentis vnà omnibus quatere hoſtilem claſſem, diſpoſito cum bombardis milite machinas hoſtium obſeruaturo. Audax facinus, ſed neceſſarium ſperantibus libertatem. Dum hæc Regij moliuntur, Batauus, geminatis excubiis, vigil ringebatur Collartij fugâ, & exprobrabat ignauiam: quo probro nihil indignius ferentes Dunkercani, patriæ virtutis memores, diſcriminis in quo verſarentur obliti, iureiurando appromittunt, nequaquam ſe niſi facto priùs indicio abituros: & ſtetêre promiſſis. Nocte pugnam antegreſſâ, à Sacerdotibus noſtris expiati omnes animatique. eratque tunc vna omnium vox: Hodie apud ciues aut apud Cælites cœnabimus. Iamque ſignum dabat Prætoria: momento vela cadunt, reboant tormenta; &, vt indolem agnoſcas, elatâ voce hoſtem ex fide admonent, & conuitio prouocant ad ſequendum. Tres quidem feliciter, quamuis non ſine multo ſanguine, euadunt. At Prætoria quæ dux eſſe debuerat, aliquamdiu hæſit, neque excuſſit tormenta in tempore; quâ cauſsâ ſegnior, incertum. Ergo ab hoſte præuenta, diriſſimè quatitur; neque tum ſe illa defendit, mutato nempe conſilio præſidium à loco ſperans. Sed neque retardabat Batauum reuerentia ſtationis, nec Anglo curæ

erat, tametsi naues in tutelam haberet armatas. Tum enimuerò inflammatus furore Prætoriæ Præfectus natione Hispanus, tormentis omnibus impotenter exoneratis, nauem in medios agit hostes, non impunè periturus. Miserrima hîc rerum facies, nisi pugnæ ardor sensum miserationis auferret. His modicâ è cute pendebant auulsa brachia; illis discerpto ventre ilia fluebant. Alij cruribus minores, alij humeros & terga traiecti, miserabili spectaculo laceros trahebant artus, & quà poterant reptabant semiuiui: quos omnes Sacerdos noster sinu charitatis amplexus fouebat, animabat, expiabat. Inter hæc ipsi Præfecto excutitur oculus, non animus, qui & creuit à vulnere. Accurrenti enim in auxilium Patri nostro Francisco Braye, Nihil hoc quidem, inquit; simul strophiolo sanguinem, ipsumque oculum sequentem abstergens, redibat in prælium metuendus, cùm fatalis aduolat globus, & medium ipsum vnà cum Sacerdote nostro discerpit: quo casu amentes reliqui ad hostilem Prætoriam applicant, mediâque in pugnâ casu dubium an manu ignis puluerem corripit; mox nauigium vi maximâ & horribili fragore dissiliens eâdem secum ruinâ hostilem Prætoriam inuoluit. Paucos in sublime excussos sine graui damno excepit mare, quos prehensa tabula littori dedit, testes rei gestæ oculatos.

Pater globo discerpitur.

Poterat hic casus in ipso Missionis tirocinio terrere Socios, & auertere à mari; at vsque eò non terruit, nedum auertit, vt numerum auxerit animosque, & vnius mors multorum virtutem studio gloriosæ æmulationis accenderit. Haud enim diu pòst, alio conflictu, Sacerdotem nostrum nauticos animantem pars trabis tormento auulsa de nauigij foris præcipitem, grauissimo in caput dato vulnere, deiecit. Ille casu aliquamdiu iacuit exanimis; sed vbi primùm sibi redditus est, è vestigio ad præliantes redit, partesque suas pergit implere tantâ contentione virium, vt impar labori, & verò vulneri quod acceperat succumbens, inter manus fuerit auferendus. Huiusmodi multa commemorare quid attinet, quando fama publica clamat, quoties pugnatum est (pugnatur autem nauigatione qualibet) Patres nostros vulnerum suorum mortisque contemptu dedisse classiariis exemplum, pro Deo, Rege, patriâ standi fortiter & cadendi?

Hanc Missio Naualis palæstram habet, in quam se dare amentis sit, nisi ad quæstum animarum. Quod enim præmium humanum laboribus illis periculisque par? aut quæ mortalis merces sanguini vitæque nostræ appendi ex æquo potest? Sed à mari in portum inuehamur, hîc quoque visuri fructus vberrimos Missionis. Quamquam est aliquid adhuc in mari minimè tacendum, quòd Societas nauigans persæpè prosit & hostibus. Nam cùm quotidie in Dunkercanorum potestatem veniant prædæ vi aut metu subactæ, ex captiuis plurimi salutem suam Patribus debent. Quo tempore lex talionis (dura quidem, sed necessaria, quippe quam hostes expresserant præeundo) præcipitari iubebat quotquot Bataui caperentur; fuit aliquando senex, quem dandum in fluctus Sacerdos noster ab hæresi ad veram Fidem reducere laborabat. Quod vbi frustrà aliquamdiu tentari Nauarchus animaduertit, sine morâ proijci obstinatum iubet. Longo pòst tempore vox ab imo auditur

Insignis conuersio cuiusdam hæretici.

ditur mari misericordiam implorans. Mirati nautæ, despiciunt è puppi; senem illum vident, quo nescio fune, quem cadens apprehenderat, pendentem: in præceps illicò deturbare nituntur. At ille per sacra omnia orare tantisper vitæ gratiam, donec, eiuratâ hæresi, expiatisque apud Patrem noxis, cum Deo Ecclesiâque reconciliaretur; surdis ad ista nautis, & indignatis prætextu bono versutum senem moras quærere, ac sperare vitam nullis precibus concedendam. Audiebat hæc Pater, & properè aduolans impetrat homini breuis temporis beneficium. Extrahitur tremebundus: per horas aliquot instituitur Orthodoxâ Fide: multis cum lacrymis de vniuersâ vitâ confitetur. Tum demum Sacerdos senem miseratus, fit Nauarcho supplex pro vnius vitâ. Negat ille, sui capitis periculum allegans; & erat sanè Principis capitale mandatum. Horum contentionem diremit ipse pro quo orabatur; & Patre precibus supersedere iusso, Iam nihil moror, inquit, postquam sum Catholicus & ritè expiatus. Vos imperata facite, & proijcite paratum. Ita sui securus, haud obscuro salutis omine, præcipitatus interiit; felix suo malo: perierat enim, nisi periisset. Post senem haud tacendus septennis puer, quem Batauici nauigij Præfectus à teneris assuefaciendum mari conuexerat. Ortâ cum Dunkercanis dimicatione, dormientis pueri latus adlambebat globus, cuius stridore excitatus timuit, & arctiùs stragulis se inuoluit. Verùm, vt erat ætas immatura intelligendo periculo, ad somnum denuò sese componebat. Sed mox accepto in crure vulnere, miserabili clamore vulnerauit aures, magisque animum Præfecti: quo adhibente solatia, alter subitò globus suram alteram aufert. cuius spectaculi dolore amens Nauarchus, militum vni funem incendiarium eripit, in carinam penetrat, flammam pulueri inijcit: nauis horribili tumultu concussa disrumpitur. Reliquis pereuntibus, vnicus ille puer in aëra iactatus primùm, deinde fluctibus receptus, tabellam fortè aliquam arripuit, seseque sustinuit tam diu, donec Dunkercanus scapham expediret, paruulum fluctuantem & grauiter sauciatum extraheret, non sine manifesto Numinis beneficio. Nam puer ille à Sacerdote nostro salutaribus aquis tinctus, si fortè non esset, deinde aduectus Dunkercam, in Orthodoxâ Fide feliciter adoleuit. *Mira Dei erga puerum septennem prouidentia.*

Sed epibatis nostris quid Patres terrâ prosint, videamus. Ac Dunkercæ quidem, præter assiduam animorum curam hoc in primis agitur, vt nemo conscendat, nisi munitus sanctissimis Sacramentis. Inualuerat perniciosissima opinio, timiditatis indicium esse, sub nauigandi tempus confiteri. Hac imbuti persuasione conscendebant passim peccatis graues, curam salutis vincente probri istius metu. Hic erat fraudulentissimi satanæ laqueus, quo innumerabiles animas implicabat: sed aliquando contritus est labore Patrum, & errori veritas substituta. Generosi animi indicium, ac deliberati etiam pugnando occumbere, nunc habetur præmissa confessio: quam si qui negligant, non minus probrum, quàm anteà si facerent, reputatur. Quid vbi in alienum aliquem portum, siue consultò, siue acti tempestate, inuehuntur? gregi suo semper inuigilat Pastor, auertit mala, commodis studet quà corporum, quà animorum. Passagij apud Cantabros hæsit aliquando nauis, Regiosque *Quid terrâ prosit nautis Missio naualis.*

 interim

interim classiarios populabantur morbi. Noster humeris suis subuectos in nosocomium longo itinere deportauit, perque vicina loca conquisiuit stipem, & quæ valetudini reuocandæ seruiebant, tam admirabili Christianæ pietatis exemplo, vt obstupescens Cantabria nimis magno nomine Patrem illum Apostolum prædicaret. Similia alibi studia ceterorum. Quòd si & in hostilem terram casus aliquis sinister impulerit, ne tum quidem suis deest Sacerdos; quandoque est & hostibus salutaris. Annis abhinc aliquot pace ruptâ cum Anglis hostiliter agebatur. Subinde duos è nostris naufragos inimicum littus excepit, deinde carcer diuturnus ac squallidus, tunc etiam haud parum fructuosos. Nam & suis in eâdem captiuitate solatio præsidioque erant, & Anglorum aliquibus saluti. Constat quosdam verâ istic imbutos Fide. Nec semel de Religione disputatum cum successu & famâ. Quin & Patrum alteri opima Sacerdotia & nobilem Episcopatum hæresis offerebat, demens quæ à tali pectore perfidiam speraret. Nec minorem alij, quos Batauia captiuos habuit, inter vincula probauêre virtutem. Carolus Porretius, laceratâ vndique & subsidente iam naui, ab hostibus in spem lytri seruatus, Vlissinganum carcerem multo facinore præclaro, atque ipsâ solenni quatuor votorum professione nobilitauit. Excepta ea est à Sacerdote nostro dissimulanter ingresso: testes fuêre captiui. Animam ille suam nuper posuit pro suis in Hispaniâ, contracto ab epibatis morbo, quam per vulnera profundere maluisset. Nec solus iuit ad præmium: duos præterea Sacerdotes eâdem expeditione Societas amisit, fletura damnum; nisi tales fleri virtus & comes virtutis gloria prohiberet.

MISSIO AD PESTEM.

Restat quartum arduæ Missionis genus ad infectos lue: quod quamquam variis Prouinciis Societas exercet, haud tamen scio, an terrarum vsquam perinde vt in hac nostrâ Belgicâ. Cùm enim certissimus belli partus sit pestilentia, non sanè potest non grauiter laborare hoc malo patria, quæ Martis iam per tot annos campus est; vbi bellum ita geritur, quasi vno in Belgio de Europæ Imperio dimicetur. Terra autem non magnis exporrecta spatiis, innumerabilium incolarum mater, tot ac tantis oppressa exhaustaque exercitibus, quid nisi necessariam egestatem creet ciui ac militi, ex egestate miserias, atque ex his diuersa morborum genera; sed in primis pestem contagiosam, infinitorum funerum seminarium? In hoc malorum vltimo ferè ad vnicam Societatem hactenus respexêre Belgæ, tamquam ad commune perfugium: nec semel fuit, cùm suam illa operam quinque simul ciuitatibus probauit, præter eos Patres quos ad idem supremæ charitatis obsequium in Missionibus, Castrensi, Hollandicâ, Nauali, eodem tempore exponebat. & Antuerpiæ quidem per annos continuos quatuordecim in tali munere versati sumus, benè multos Gandaui, Bruxellisque: at Traiecti, Ruræmundæ, Hallis, Liræ, Bredæ, Aldenardæ, Cortraci, Winocibergis, Bellioli, Casleti, donec exstingueretur malum. Hîc quoque dicunt parum æqui censores, nostris nos commodis studere, & quæstum facere ex publicâ calamitate. Nullúmne ergo tam sanctum opus, quod non momus aliquis rodat? quid tandem rectè atque ex virtute agemus, si hoc non agimus?

Plerisque vrbibus Patres expositi ad pestem.

agimus? Quæstus animarum honestus est; hunc facere fatemur, & hoc vno contenti sumus. Alium fieri quisquis putat, aut errore fallitur, aut peccat maleuolentiâ. Nam quòd Societas huic Missioni deputatos Patres honestè ali permittit ex publico, & salubri aëre petit collocari; non modò quod honestum, sed quod iustum proponit. Non enim suos illa exponit vt perdat, sed vt quàm diutissimè sint vtiles Reipublicæ: quod quamuis pro materno affectu adhuc diligenter curarit; haud ita curare tamen potuit, quin longè quàm vellet plures amiserit. Prô quàm multorum & præstantium virorum impendio iacturâque hic animarum quæstus Prouinciæ nostræ stetit! vetera non adducam exempla, quando recentibus abundo. Antuerpiæ, vt hinc exordiar, vbi maxima sensimus damna, non multis abhinc annis in hoc obsequio Patres fratresque viginti quatuor animam suam pro ciuibus posuêre: & vno quidem anno nouem funera fuerunt. Egregiâ omnes virtute, & æternâ digni memoriâ; sed præ aliis nominandus Franciscus Schottus, ipso quondam Consule Antuerpiensi natus, quem admirabilis impulit feruor, vt vitam patriæ, à quâ acceperat, redderet. Eius eximium aliquando facinus spectauit ciuitas, & summis laudibus extulit. Occlusa erat miseri cuiusdam peste infecti domus, neque aperiebatur pulsanti, adeò morbus domesticos debilitarat. Ille scalas ex vicino capit, & per sublimem fenestram in ædes illapsus, prostratos misereque animam agentes adspectu complexuque recreat, & necessaria singulis remedia salutis impertit.

Plurimi Patres in obsequio pestiferorum periere-runt.

Insignis Patrum feruor in ferendâ ope pestiferis.

Alibi quoque nostrorum charitas eamdem ad infectos inuenit viam. Nec semel ex matrum lue exstinctarum vtero proles excidi iussa Baptismi beneficium accepit. Quid Gandaui? annus sæculi trigesimus tertius vndecim Socios ciuitatis obsequio deuotos è viuorum numero exemit; atque in his erant, qui Philosophiam, qui Theologiam insigni cum laude tradiderant. Vix quadrimestri spatio absumpti omnino decem, vt quisque alteri succedebat, ita in certam mortem ire videbantur, & tamen inter adspirantes contentio fuit, quis præiret; postponi graue habebatur. Tobias Roelofs ob senium, laboresque ipsis triginta duobus annis in Collegio isto exantlatos, iam emeritus, multis cum lacrymis eam prouinciam expetiit, affirmans has esse Indias Fratrum Coadiutorum; ac quoties sibi alium præferri videret, sortem suam magnopere deflebat. Obtinuit tandem vt ad breue partes alterius suppleret; iamque domum reuocandus, respondit nuntianti se nihil de reditu laborare, dummodò vel vnius diei impetraret inducias. Postridie tactus lue exstinctusque, præclarum supremæ charitatis documentum dedit. In ipso autem obeundo munere qualis quantusque viris animus! Ab ægroto redibat P. Nicolaus Iamotius, cùm fortè audit iacere in extremâ vrbe iuuenem sub dio, ex ædibus ab hero, quia peste tactus erat, eiectum. Accurrit, peccatis expiat, pane vitæ in viam æternitatis reficit, oleo contra vltimam luctam vngit. Vbi languentis animo consuluerat, sublatum viâ longissimâ ad nosocomium refert, vt consuleretur & corpori. Non hîc tacebo virgines duas Antuerpienses, quæ ad Societatis exemplum sese auxilio pestilentium hominum deuouêre. Eas, postquam

Antuerpiæ præclaram operam infectis nauaſſent, Gandauum fama laborantis vrbis exciuerat. Ibi tres aliæ Gandauenſes adiunguntur. Vitæ ratio quotidiana hæc erat: manè ſacrificio intererant; neque alio antidoto quàm pane Angelorum contra venenum armabantur: tùm infectorum noſocomium adibant; & continuus labor erat, curare pharmaca, parare obſonium, ægros mundare, ſordes efferre, lectos ſternere, ita omnibus adeſſe, vt ieiunas illas plerumque vltra dimidiatum diem inter ægrorum æſtuantium malignam auram indefeſſa charitas diſtineret. Tres Gandenſes peſtis exſtinxit. Antuerpienſes duæ ſæpiùs correptæ, ſæpiùs ſanatæ in cœpto perſeuerant. Redeo ad noſtros: Winocibergis vix trimeſtri ſpatio quinque noſtrorum capitum interitu defenſa communis incolarum ſalus. Nec intra mœnia Sociorum zelus ſtetit. Ad pagos progreſſus eſt, poſtulante Senatu; cui de nobis optimè merito omnia debemus. Quid Bruxellas dicam, quid Hallas, quid Cortracum, quid Belliolum? quarum vrbium ſingulis binas, ternas quaternáſve hoſtias de noſtro grege eadem illa charitas breuiſſimo tempore immolauit.

Præter peſtem, ad alios quoque contagioſos morbos ſe extendit Societatis charitas cum inſigni ſuorum iacturâ.

Et hanc quidem omnem Societas iacturam fecit, cùm ab vrbium Magiſtratibus rogata dediſſet ſuos, qui ab aliis habitatione ſecreti in arduum illud Reipublicæ obſequium ſeſe viuere palàm profitebantur. At quis numerum recenſeat in non diſſimili pietatis genere mortuorum, qui graſſantibus (quod ſæpè fit) morbis nihilo peſte mitioribus, vitam ſuam quà ciui quà militi conſecrarunt? Non longè petenda ſunt exempla. Poſt finitas inducias, anno ſæculi vigeſimo primo, Caſantum ad Sluſas tentatum; ſed abſque ſucceſſu. Miles interim in caſtris detentus incerto conſilio; iamque inclinata in autumnum tempeſtas creabat morbos, quibus correpti paſſim Brugas, vicinam vrbem deuehebantur. Ibi noſocomia non tantùm, ſed quotquot publica erant loca, æger miles impleuerat. Morientium magna copia; &, quod triſtius, nullo corporum, nullo animorum adiutore. Nam Sacellanos caſtrenſes mors abſtulerat, ceteri abhorrebant. Noſtri, rogante vrbis Antiſtite, curam amplexi tanto ardore, vt nemo vnus, quantumuis ſenex, ſeſe excipi pateretur. Tredecim contagione afflati, & in vitæ diſcrimen adducti; quatuor exſtincti, & in his Rector ipſe Collegij, qui ſuas quoque vices impigrè inter ceteros obibat. Anno inſequenti tentauimus Bergizomium, hoc quoque irrito conatu. Dimiſſo obſidio, miles ærumnis confectus diſtribuebatur in vicinas vrbes recreandus; ſed morborum agmen inſecutum eſt, & ſtragem dedit, quantam vix hoſtis potuiſſet. In eâ calamitate pietatem ſuam præcipuè Societas probauit, non ſine inſigni ſuo damno, ſi damnum eſt quod impenditur charitati. Quatuor Sacerdotes, lectiſſimi ſanè viri, dum noſocomia frequentant, morbo correpti exſtinctique ſunt Mechliniæ intra vnicum non ampliùs menſem. At Antuerpiæ Profeſſa Domus in noſocomij ſpeciem conuerſa, pulcherrimum vrbi ſpectaculum dedit. Triginta ipſos Patres hauſta ex proximorum auxilio lues proſtrauerat, de vitâ omnes periclitati ſunt: quinque eam amiſere. Fungebantur eo tempore noſtri Curionum quoque officiis, & extrema Sacramenta ipſamque ſepulturam plurimis imper-

impertiebant. Passim per vicos & fora ciuitatis iacebat miles, suisque sordibus immoriebatur. Viderent hoc Patres, & non omni virium contentione in ferendam opem incumberent? alij cibos, alij pharmaca curabant: quosdam distinebat studium conquirendæ à ciuibus eleëmosynæ: nemo ab opere tam necessario quàm pio vacabat.

Nec verò solius Belgij Catholici habemus exempla: etiam in Fœderatum charitatis suæ viscera Societas effundit. Quadriennium est, cùm inter Batauos sæuiente contagio suos omnes ex more illa exposuit in morientium solatium, etiam hæreticorum, qui à diffugientibus Ministris deserti implorauêre Iesuitas, inque Orthodoxâ Fide obiere, cuius certissimam habebant tesseram charitatem. Octo Sacerdotes in isto tunc obsequio annus vnicus exstinxit. Quid si iam sit animus commemorare omnes, qui consueto nobis more ad ægros interdiu noctuque postulati adeunt, & pro operæ suæ pretio domum referunt malignas ex contagione febres, ex febribus mortem? Illud quidem verè à me dici potest, contractis eâ ratione morbis, partem Sacerdotum optimam rapi, & ferè in ipso ætatis flore; vt minimè mirandum sit, raram apud nos spectari canitiem, in tanto licet numero Sociorum. Enimuerò ex octingentis & sexaginta, quot nunc capita habet Prouincia, triginta sex, non plures, sexagenarios possumus numerare. Non placebit fortasse quibusdam hæc tanta vitæ nostræ prodigalitas, neque probabitur illa tam facilis tot insignium virorum iactura, quos spes erat in multos annos egregiam operam Reipublicæ nauaturos. Societatem quoque immitem appellabunt non parcentem suis; & duros dicent Moderatores, nulla subditorum æstimantes damna, sed in alieno corio scilicet liberales. At enim rerum nostrarum ignorantissimum esse oportet eum qui taliter opinabitur. Nec enim vlla seruandæ prolis tam studiosa mater est, quàm Societas suorum; adeò neminem imperio adigit in amittendæ vitæ discrimen. Nec verò opus est stimulus currentibus. Viuit in nobis Ignatij filiis ille ignis, quo sponte agimur; & pulchrum habemus ac decorum properatâ laboribus morte defungi.

Charitas Societatis erga pestiferos non paucis hæreticis caussa fuit conuersionis.

Paucissimi senes in Prouincia, & cur?

Nemo ad Missiones cogitur, voluntarij omnes sunt.

Apud Alanos Scythiæ populos testatur Marcellinus beatos haberi consueuisse qui cecidissent in prælio; senio tabescentes aut fortuitâ morte consumptos, contumeliis conuitiisque lacerari. Quod truci homines ingenio ex barbarâ animorum ferociâ gloriosum ducebant, id nos sanctissimis exculti moribus ad Christianæ perfectionis calculos reuocamus; beatos, inquam, eos habemus, quos saluti animarum intentos mare, quos castra, quos pestis absumit: declinatione laborum periculorumque, si qui senectutem quærerent (sed nemo quærit) quasi degenerem Ignatij sobolem detestaremur. Igitúrne aspernandi cani? si ignauia procreauit: sin inter ardua creuêre, gloriosi. Nec enim ea nostra vita est, suâ vnius salute contentum viuere, & suaui in otio diuina contemplari. Alia ad hoc erant quærenda Instituta: nunc militiam professis nulla est iusta quietis affectatio, nulla honesta difficilium fuga aut tergiuersatio. Ad suscipiendos vltrò labores, ad pericula adeunda in Missionibus arduis, ipso nomine monemur; & hac vnâ promptitudine, dignam Societate IESV indolem probamus.

CAPVT QVARTVM.

De iis quæ passa est Societas Flandro-Belgica.

MArtinum Azpilcuetam Nauarrum, magnum doctrinâ & pietate virum, ferunt dixisse olim de Ignatio, nostri Ordinis conditore, instruxisse illum quidem ornasseque classem potentissimam, & Ecclesiæ hostibus planè formidabilem; sed magnos quoque ventos atque horribiles tempestates haud sanè vllo tempore defuturas. Huius dicti veritatem experimento compertam habet Societas etiam in Belgio. Quamquam enim multa ei feliciter prosperèque hîc euenere, vsque eò, vt nesciam vllâne in Christiani orbis parte maiorem experta sit Principum, Magistratuum, populi beneuolentiam beneficentiamque; tamen & suis fluctibus ac procellis subinde iactata est: quibus & obrui potuisset, nisi qui propitium se fore Sociis spopondit IESVS, imperasset in tempore ventis & mari, postque turbines tranquillum sudumque reddidisset. Et verò Societatem sui dissimilem Belgæ haberemus, si nullis vrgeretur aduersis, quando nota illius propria est, pati, ad exemplum Ducis in signum contradictionis positi; cuius nomine vel eâ maximè caussâ sese insignitam intelligit, & cui quàm simillimam vitæ rationem reapse magis quàm nomine curat profiteri. Habent & suos fructus aduersa: magnitudinem suam Societas suis hostibus debet. Arborum solidissimæ fiunt, quas frequens incursat ventus: aër flatibus, aurum igne purgatur: vigent agitatæ aquæ, & attritu cotis fit gemma splendidior. sed neque virtus certiore proditur indicio, quàm forti & constanti aduersorum tolerantiâ. Gubernatoris artem tempestas, non malacia ostendit: & militem in acie pugnâque dignoscimus.

Societati proprium pati.

At, inquies, si in Belgio tantopere passa est Societas; doce nominatim, quæ, & à quibus. nam certè florentem illum qui cernitur statum, non aduersitate sed fauore hominum venisse res ipsa loquitur. Quid magnifica templa, Collegia, census, prouentus, auctoritas & gratia apud summos infimosque, patiendíne materia sunt, an triumphandi? haudquaquam dissimulare, nedum inficiari possum, florere Societatem Belgicam, amari, æstimari; quin iam hoc paulò antè profitebar: at nihilominùs affirmo, magnis fuisse vexatam turbis, traductam calumniis, pressam persecutionibus, non à solis Religionis nostræ hostibus hæreticis, (quod erat minimè mirandum;) sed & nonnumquam ab ipsisimet domesticis Fidei, siue hos commouebat inuidia, siue imprudens zelus, aut alius error aliquis agebat. Audi primùm de publicam professis inimicitiam, de Sectariis dico in nostra perinde vt in Sedis Apostolicæ damna, & si quà inferre possent ruinam, satanico fœdere coniuratis.

Humanos affectus, nisi vel ratio corrigat, vel cælestis disciplina, impetu naturæ rapi, communis omnium experientia est. Ira homini nascitur, si quem conatibus suis obstantem sentiat: odium succedit iræ; odio crudelitas. Iam hæresis Belgium spe suâ deuorarat, iam labantis Ecclesiæ vrgebat ruinis, quando suos expediuit Societas velut triarios milites:

Passa est ab hæreticis.

milites: quorum occursu obnisuque, vbi abruptum sensit ad victoriam cursum, indignata illa furia implacabiles concepit iras, peperit odia, crudelitatem exercuit: quam si in corpora quandoque prohibebatur expromere, famam tamen innoxiam detractione, calumniâ, maledictis numquam lacerare cessauit. Quid exemplis opus in tantâ veritatis luce? sed tamen ad posteritatis memoriam vel vnicum proferamus.

Anno M. D. XCVIII. Petrus Pannius sordido apud Iprenses loco natus, post rem familiarem cum sui similibus inter pocula decoctam, ac prætereà grauiter obæratus, eâque caussâ solum vertere coactus, in Hollandiam venit. Lugduni cùm versatur incautiùs, suâne malitiâ an aliorum suasu, an, quod plerisque creditum, emotæ mentis vitio, temerè garriuit iuratum se in Comitis Mauritij necem aduenisse. Datus in quæstionem dum nouos quotidie auctores incentoresque facinoris comminiscitur tandem gratiam facturus Batauis, & vitam suam (sic spem fecerant) redempturus, inductum se mentitur à Rectore Collegij Duacensis: deinde Patrem illum qui Prouinciam gubernabat (is tum erat Oliuerius Manaræus) sibi pollicitum esse quadringentos florenos annuos, quos Iprensis Quæstor Duaceno Collegio deberet. Adhæc spem sibi ab eodem Patre factam obtinendi officij, quod ducentos & plures aureos quotannis penderet. Oblatum item filio suo lautum apud Tornacenses Sacerdotium. Denique, quod caput erat, amplissimam in cælis mercedem Dei nomine promissam, si in opere tam heroico mortem obire contingeret. Hinc se de manu eiusdem Prouincialis, post generalem de totâ vitâ confessionem ritè factam, sacrum accepisse epulum, vt eo Christianæ fortitudinis constantiæque præsidio ad tam præclari facinoris laudem properaret animosior. Hæc omnia simul ab illo stolido dicebantur, simul apud graues illos Iudices inueniebant fidem. Ergo in Pannium, hominem planè amentem, & suo vnius indicio testimonioque reum, capitalis sententia profertur, eademque typis committitur vario idiomate, spargiturque in varias Europæ partes, ne quem nostra latêre posset infamia. Caussa huius tantæ solennitatis prætexebatur commune bonum, vt sibi cauerent Principes à Iesuitis, sanguinariâ illâ proditoriâque hominum colluuie, quos iam publico iudicio non meditatos tantùm, sed machinatos esse constaret Mauritij Comitis necem. Hæc sententia Lugduni lata, quam vrbem Bataui Athenas suas habent, magnopere Belgium, ipsamque adeò commouit Europam. Apud Catholicæ Religionis aduersarios prona erat calumniæ fides: Catholici autem ipsi hæsitabant inter perspectam iamdudum Societatis innocentiam, & auctoritatem publicam Senatus. Nam quis à iustitiæ tribunali tam iniquum credat emanasse iudicium? aut quæ impietas ausit famam non vnius viri, sed tantæ Congregationis palàm traducere, nisi comperto crimine & indubitato? Magnis quoque præiudiciis caussa nostra laborabat: Gallis & Anglis visi eramus Regicidæ. Duorum Regnorum auctoritate iudicium Belgicum roborabatur, & nouo hocce iudicio vicissim illorum confirmabatur auctoritas. Istud præcipuè telum elegerat hæresis, quo Societatem nostram sperabat posse iugulari, si magnis auctoribus persuadere orbi posset, nobilem sanguinem siti-

qui eam calumniantur.

Publico iudicio definitur Societatem machinatam esse necem Comitis Mauritij.

re

re nos, & coronatis capitibus insidiari. Itaque iam fatale vulnus datum putabat, & iudicio illo Lugdunensi de Iesuitis actum; quos vno tempore Belgæ, Galli, Germani, Angli, Scoti (tot enim linguis aduersum nos scripta erat sententia) trucidatum irent; aut, si misericordiâ vterentur, in perpetuum certè exsilium ablegarent. Ita vouebat, ita sperabat hæresis. & verò poterat ingens timeri malum, si solo sese silentio modestiâque suâ, quod cœperat, Societas defendere pergeret. Ergo habitâ periculi ratione, suscepit Costerus famæ nostræ (quâ inter homines, si quid volumus prodesse, castissimâ indigemus) necessariam defensionem; & vindice veritatis stilo confixit calumniam, mendaciis omnino sexaginta grauem. Apologeticus ad supremum Hollandiæ Senatum missus est, perque auidas nouorum manus latissimè sparsus, vnà cum publicis variarum vrbium de Societatis innocentiâ testimoniis, numquam pro se iudicioque suo respondere ausis Iudicibus illis Lugduno-Batauis; tametsi vel maximè prouocarentur ad sententiam à se latam, tantâ mendaciorum farragine, si possent, expurgandam. Adhæc Costerus publicè pro concione Albertum Archiducem, omnesque Magistratus obtestandos duxit, vt si qua insimulati sceleris vmbra aliquando se proderet, haud cunctanter suis vrbibus finibusque nos pellerent, nullum exsilium, nullam exsilio grauiorem pœnam deprecaturos. Valuit apud cordatum quemque tam iusta tamque necessaria defensio; & illi iudices, quâ sicâ famam nostram iugulare sperauerant, iugularunt suam.

Costerus calumniam redarguit.

Quamquam non solis illis visi tunc sumus Principum sicarij; sed Mauritium ipsum Comitem ab Anglis persuasum, ea iamdudum tenebat opinio. Nam anno M.D.XCII. Steenwicum Transisalaniæ oppidum, vt suprà memorabam, accepturus in potestatem, offerebat ille quidem honestissimas Coquellio Præfecto ac Regio militi conditiones; sed Henricum Samerium Iesuitam, qui erat in oppido, sibi ad pœnas tradi postulabat; quippe iampridem in Angliâ, inito cum Reginâ Scotiæ consilio, mortem Anglorum Reginæ Elisabethæ machinatum. Enimuerò fuerat in Angliâ Samerius, & à sacris confessionibus fuerat Mariæ Stuartæ, inclytæ Scotorum Reginæ, quo tempore in vinculis eam habebat Elisabetha. Hinc nata conspirationis fabula, quæ Anglos Hollandis militantes tam acerbo in vnius viri caput stimulabat odio, vt Mauritius ipse Comes in eorum gratiam negaret vllam sibi cum Regiis pacem fore, nisi tradito Iesuitâ maiestatis reo, tametsi vel omnes copias illius ergô in discrimen adduceret. Id cùm obsessi pertinaciter respuerent, affirmarentque, nisi pactâ Samerij incolumitate libertateque, nolle vllam cum hoste pacem, prælium sese denuo redintegraturos, quæsituros que certam vel in morte vel in victoriâ salutem; Mauritius paulisper animo suo moderari visus, spopondit Samerium quoque liberum fore, & eâdem vsurum sorte cum milite. Verùm præualuit Reginæ Anglorum demerendæ studium. Factâ oppidi deditione, conquiritur quàm studiosissimè Iesuita. Obseptæ continuò ædes ciuium, apud quos diuersari vel leuis erat suspicio: insessæ oppidi portæ per quas exeundum, dispositi vigiles locis variis, in omnem intenti curam, ne præda tam opima falleret indaginem. Quo comperto, Samerius, vt erat

Samerius reus agitur conspirationis in necem Reginæ Elisabethæ.

erat egregiâ magnitudine animi, & in bonâ caußâ cupidus tolerandi, vltrò se vigilibus sistit; à quibus arctè vinculis constrictus, ad concilium militare deducitur. Examinatus, in publicum carcerem datur, circumfusâ hærenteque lateri numerosâ militum custodiâ: & quia rumor increbuerat, breuî in furcam agendum esse, accurrens verbi Minister seriò eum de salute animi compellauit, illud identidem inclamans: *Disce à me veritatem.* At Samerius cùm diu graue silentium, spreto rabulâ, tenuisset; victus tandem impudenti illâ voce, suos canos ostentans, Si alterutri, inquit, nostrûm ab altero discenda veritas est, eam potiùs tibi, homo ignorantissime, à me seniore ac saniore discendam scias. Inter hæc, iam vulgatâ Patris captiuitate vitæque periculo, ciues quidem miserabantur innocentissimi viri fortunam: Regius verò miles negabat pedem efferre, questus belli iura violata. Quo probro excitatus Mauritius, & famæ curâ tactus, reclamantibus licet Anglis, & Reginæ suæ tradi hominem flagitantibus, ipse humanior, promissâ libertate donauit.

Verùm non vnâ hac de structis Principum vitæ insidiis cusâ in nos calumniâ nostram oppugnauere famam Caluino-Bataui: sed & alia vibrarunt tela; designatas & attentatas vrbium proditiones, concitatas seditiones rebellionesque, & quidquid conflando nobis odio videbatur idoneum, nullo veri falsíve discrimine: quibus nimirum Machiauellico instituto mentiri virtus est, si ita postulet vtilitas: quibus labor vnicus Iesuitas, suis conatibus maximè aduersos infestosque, in publicam orbis inuidiam exsecrationemque per omne genus criminationis adducere. Quin & post famæ vulnera, ad inferendas fortunis nostris corporibusque iniurias conuertuntur. & habuere hactenus sanè luculentam ad explendum odium materiam, si non esset insatiabile. Circumspice tempora inde à primo nostro in Belgium appulsu, siue quod ante inducias fluxit à præteriti sæculi quadragesimo secundo ad annum sæculi huius nonum; siue ipsas duodennales inducias, siue illis finitis consequentes annos vsque in hodiernum; profectò nullum tempus reperies non exsiliis nostris & vinculis, & omni aduersorum genere nobile. Verùm neque mens est, neque locus, annales texere nostrarum perpessionum. Vnicus mihi annus esto testis M.D.LXXVIII. quo vno anno velut fatali, multis locis dirè vexata, fortunis exuta, expulsa tectis ac mœnibus Societas, toto propè Belgio exsulauit. Tot malorum vera & sola caussa, fides Deo, Ecclesiæ, Regi à nobis seruata; tametsi more suo Caluinianum ingenium velandæ perfidiæ sæuitiæque suæ politicas rationes obtendere non cessarit. Sed laruam impudentem iamdudum temporis filia veritas detraxit, atque in meridianâ luce spectandas posuit hinc innocentiam nostram, illinc propriam hæreticorum crudelitatem. Dabis hanc mihi veniam, Lector, vt, missis aliis, Antuerpiensem tragœdiam per omnes suas explicatam partes, velut in scenâ, contemplandam tibi exhibeam; ex quâ vnâ tu per te facias facili similitudine iudicium ceterarum.

Hæretici Societatem persequuntur in Belgio.

Caussa persecutionum.

Immatura Requesenij Gubernatoris mors Rempublicam Belgarum orbam intempestiuè reliquerat, eiusque administrandæ curam susce-

Exemplum Antuerpiæ.

perant Ordines, qui iam inter ſe Gandauenſi fœdere conciliati, ſpondebant priſtinam ciuibus tranquillitatem, non ineptè ſperantibus, tales viros non tutores modò, ſed patres patriæ futuros. Sed enim peiùs numquam cum infelici Belgio actum, quàm illo Magiſtratu: cuius qui partes agebat præcipuas, agebat magis ambitionis ſuæ, & ambitioni ſubſeruientis hæreſeos. Ex hoc vno capite illa tot mala, vaſtati agri, vrbes expilatæ, mactati ciues, euerſa Religio. Habet enim hoc impotens dominandi libido; ad ſperatos honores, ſi obſtacula inuenit, vi facit viam.

Primus labor, & ad propoſitum finem viſus neceſſarius, eiectio Hiſpanorum Ieſuitarumque, neſcio quo pacto coniungentibus ſemper hæreticis noſtram Hiſpanorumque fortunam. Sed par in nos & illos Orangij odium non pari ratione ſe prodidit, quia callida viri ambitio needum aperto Marte, ſed fucato boni publici colore pugnabat. Itaque de Hiſpanis pellendis minimè diſſimulabat; quin poſt Gandenſe fœdus deſtinatò id agebat, vſus ad hoc etiam Belgarum irâ. quibus nomini Hiſpano tunc vehementer infenſis videbatur rem patriæ ſeriò agere, cùm profectò eam perditum iret, vt firmaret ſuam. Aduerſus Ieſuitas, populo gratioſos, artibus cuniculiſque opus habebat. Igitur Societatis exſilium, cùm non poſſet ratione ac iure, per vim ac ſeditionem procuraturus, traducto vanis calumniis nomine Ieſuitico, per idoneos homines machinationi ſuæ famulantes, tandem ſuſpicionem, inuidiam, odium ex voto ſuo conflauit apud populi fæcem tumultibus lætam, ſpe melioris ex alienâ calamitate fortunæ. Poſt longam muſſitationem erupit aliquando concitatæ in nos multitudinis furor, quaſi ex crudò iam maturus, dante cauſſam nequiſſimo rumore, quem hæretica cuderat officina: cados ſcilicet nitrati pulueris multos in Collegium noſtrum inuectos, inſtruendis aliquot Hiſpanorum millibus domi noſtræ ad vrbis interitum occultatis. Id vbi ſparſum, continuò plebs armata prouolat: ac fortè Collegij fores, vt fit tempore prandij, clauſæ nobis quidem ſaluti fuere; ſed ſeditioſis addebant iras, & rumori fidem. Ergo arreptum ex nauigio aliquo malum in arietem conuertunt; ac perfregiſſent illicò fores, ſpoliaſſent omnia, mactaſſent, niſi feſtinatâ amicorum ſedulitate monitus vrbis Gubernator cum Prætore ac Tribuno militari confeſtim aduolaſſent. qui à Patribus ſine morâ intromiſſi in domum, vbi, poſt accuratam ſcrutationem, nihil eorum quę calumnia ſparſerat apparuit, dato apud plebem innocentiæ noſtræ teſtimonio, tumultum in præſens ſopiuere magis, quàm exſtinxere. Quippe conceptam ſemel flammam nouo ſemper mendaciorum pabulo alentibus hæreticis, non antè quies fuit, quàm noſtro exſilio materiam ſubtraximus furori. Poſteaquam enim à Belgarum Ordinibus, quos ſuis maximè conſiliis regebat Orangius, quique ipſo Archiduce Mathiâ, velut quodam Principis ſimulacro, ad propoſitum ſibi finem indigniſſimè abutebatur, Ioannes Auſtriacus patriæ hoſtis declaratus eſt; immane quantum ex eo elati animis hæretici, palàm de Ieſuitis, Auſtriaco (vt aiebant) deuotis, vrbe aut etiam vitâ exturbandis agitare cœperunt. Sed in tantâ ſcelerum omnium licentiâ, ſi Deo placet, hærebat aliqua honoris cura, ne

Initium perſecutionis:

ſedatur:

reuiuiſcit.

ne per vim perque seditionem, vno tempore, & Regis imperium & auitam Religionem abiecisse ab exteris nationibus arguerentur.

Nouo itaque consilio immensis nos molestiis fatigare instituunt, spe spontanei ex tædio discessus; ac paucis diebus septies, eoque amplius, nunc interdiu, nunc nocte, in ædes irrumpunt, locaque omnia, sicubi fors miles, arma, pecuniæ laterent (is erat color) scrutantur. Adhæc omnes vndique Collegij ianuas multo cæmento obstruunt, portâ dumtaxat vnicâ ad aditum exitumque concessâ. Apponunt & militarem ante ædes custodiam, non solis nobis, sed quotquot templum, scholas, Collegium frequentabant, intolerabiliter molestam: quæ cùm dies aliquot pro foribus constitisset, ipsas deinde inuasit ædes, atque insano tumultu nullam diurnæ aut nocturnæ quietis partem Patribus relinquebat. Submissi etiam fraudulenti amici discessum nobis anxiè suadebant, metu periculi quod proximum videbatur, ne aliquâ vnâ nocte ex improuiso omnium iuguli plebeiâ seditione peterentur.

Hisce machinis Orangius vbi constantiam nostram minimè labefactari vidit, ad nouas conuersus artes, magno ad speciem Reipublicæ bono (cuius securitati per omnem modum consultum se velle magnificè iactabat) infaustam quamdam iurisiurandi formulam de Gandauensi seruando fœdere, & accusandis contrà molientibus, concipit; in cuius verba non laici tantùm, sed quotquot sacri homines iurare compellerentur. Hanc formulam, plerisque sacratis Deo viris quâ nescio arte iam probatam, Societati offerunt, vrgentque subscriptionem; ac ne fors sacramenti religio terreret, eo nobis remisso faciebant gratiam nudæ promissionis. At Patres, quibus iamdiu præmeditatum erat responsum, suas allegabant leges, omni politicâ tractatione interdicentes: neque aliud, post frequentem congressum, prece, minis, auctoritate impetrari potuit, nostris constanter in suarum Constitutionum verba iurantibus. Post aliquot deinde hebdomadas aliud protruditur edictum, priori longè detestabilius; quo iubebantur sacri æquè ac profani, Ioannem Austriacum, & quotquot eius sequebantur partes, hostium loco habere, ac dare operam, quà fortunarum quà corporum ac vitæ ipsius impendio, vt quantocyùs patriæ finibus exterminarentur. Non latebat nostros quorsum hæc vergeret procella: iam enim non sola Instituti ratio, sed manifesta caussæ iniquitas subscribere prohibebat. Ergo sine morâ Principes quosdam viros, quibus aliqua dum Religionis cura videbatur reliqua, per litteras orant, dare vt velint extremam operam auertendo impio sacramento: nam sibi certè deliberatum esse carere vrbe vitâque potiùs, quàm istiusmodi scelere implicari. Aliis quoque litteris (nam vestibulo egredi non concedebatur) Canonicos monuere, vt partes suas conuocato Clero diligenter explerent: agi non de politici status securitate, quam falsò prætenderet impietas, sed de aris, templisque, & vniuerso statu Religionis: se quidem liberè dicturos pro seipsis; sed parum posse priuatas vires, communi manu resistendum esse, & quidem statim sine cunctatione; spem enim omnem in celeritate consistere.

Formula iuramenti contra Ioannem Austriacum & Hispanos.

Hisce monitis excitati Canonici, amplissimum Concilium Ecclesia-

ſticorum ac Religioſorum hominum cogunt, variè diſputatur, ad extremum communi ſententiâ decernitur, iuſiurandum illud iuri Canonico & Eccleſiaſticæ immunitati eſſe aduerſum, proindeque repudiandum. Hæc illi in Concilio fortes; at plerique poſteà ſeorſim, Tribunorum ac Magiſtratuum vel auctoritate victi vel gratiâ, manus dedêre. Ergo ventum ad Societatem, quam quò certiùs repugnaturam ſciebant, hoc vrgendam putarunt vehementiùs, vt maiore peruicaciâ (ſic interpretabantur) iuſtiores proſcriptionis ſuæ cauſſas dediſſe videretur. Præerat tum noſtris Renerus Reneri Harlemenſis. Huic iuramenti formulam obtrudunt Centuriones aliquot, paucique de Magiſtratu, ſeuereque denuntiant, nî pareat, ſe ſuoſque hoſtium loco habendos ſciat. Renerus primùm commendare fidem ſuam ac ſuorum, qui hoſtile adhuc nihil moliti eſſent, quique ſuis legibus ab omni machinatione politicâ quàm longiſſimè arcerentur. Hoc vnum ſatis eſſe, cur iure ſuſpecti non ſint, curque de ſuâ fide ſecurus ſit Senatus: qui ſi aliud vellet, aliud exſpectandum non eſſe, quando per Societatis leges nihil prætereà liceret. Hæc dicentem cum ſtomacho explodunt, iubentque Ieſuitas alibi locum quærere, vbi iſto ſuo iure ipſis viuere liceat, nam Antuerpiæ in poſterum haud licere: viderent interim à quo aduerſus furentem multitudinem auxilia ſperarent. Reponentibus noſtris, ſi humana ipſi præſidia negarent, diuina vtique non defutura, nec proteruæ plebis petulantiam timeri viris in tam bonâ cauſsâ mori æquo animo paratis; multa minitantes abiere. Par Franciſcanorum Patrum conſtantia fuit. At Tribuni, inſtigante Orangio, tam generoſis reſponſis efferati, duplicare cuſtodias, deque noſtris è medio tollendis ſerios miſcere ſermones. Nec latebant tam crudelia conſilia Renerum; qui iuniores aliquot periculo ſubducturus, mutatis veſtibus, in tutiora dimittit. Sed ea res Deo vtique cordi non fuit. omnes agniti comprehenſique, poſt diras diuexationes ſpoliationeſque in Collegium ad communem aleam rediere.

proponitur Societati:

reiicitur à Societate,

& à PP. Franciſcanis.

In tantis rerum anguſtiis non ceſſabant amicorum præcipui ſalutem noſtram Supremo Senatui commendare: qui patrocinium ſuſcipere viſus, tres è ſuis ſatis Societati beneuolos ad Collegium deſtinat Feriâ ſextâ ante Pentecoſten M. D. LXXVIII. hi, catalogo eorum qui ſua nomina ſubſcripſerant nobis exhibito, orauere vt quod ante nos tot tantique feciſſent viri, haud grauaremur facere; néve importunâ illâ noſtrâ conſtantiâ, non modò noſmet, ſed noſtrâ cauſsâ omnes bonos, quin ipſas aras ac templa, improborum hominum furori obiiceremus. At verò Patres, actis primùm de beneuolentiâ gratiis, graui oratione demonſtrabant, vbi res iniqua peteretur, nullâ cauſsâ eſſe obtemperandum. deinde longè turpiſſimum videri, ſi populus imperet Magiſtratibus, in eâ vrbe, quæ ſemper obedientiæ laude floruiſſet; ſed neque tantam adhuc mali vim eſſe, cui Senatus mederi nequeat auctoritate ſuâ: quam ſi nunc adhibere negligat, breuî illum ipſum poſt nos, & iuſtè quidem, paria ab eâdem plebe paſſurum. Ceterùm, quem res cumque tandem caſum ſit habitura, ſibi certò definitum eſſe, ne totius mundi ruinâ ante oculos poſitâ, diuinum Numen offendere. Hoc verò ſatis nouum,

Ab Ordinum deputatis tentatur conſtantia Societatis:

nouum, argutatur aliquis, pro re tantâ nolle humanam constitutionem infringere, qui quotidiana vos delicta committere non possitis inficiari. Quasi verò inter delicta nihil intersit, aut perinde habeamus naturæ vitio labi, & deliberatâ mente peccare. Ad hunc modum per duas horas extractâ contentione, cùm nihil ageretur; legati illi in salutem nostram suâ voluntate propensi rogauere saltem, vel voce præstaremus fidem saluâ Religionis Catholicæ defensione, & auxilio animarum, nihil nos ad rem bellicam pertinens molituros. Quod postulatum quia iniquum non apparebat, nec aliud quàm quod nostris legibus iubemur, promitti petebat, reiicere non est visum. Itaque rebus, vt videbatur, compositis, cum magnâ gratulatione disceditur: verùm breuem illam lætitiam extrema tragœdia postridie insecuta, in luctuosam catastrophen conuertit. *satisfacit Deputatis.*

Suboluerat hæreticis neque scripto neque voce nos in Ordinum verba iurasse. Ergo pridie Pentecostes multo manè ianuam, quâ vnicâ dabatur accessus, ceteris iamdudum obstructis, pertinaciter clausam obsident, amicos ædibus, discipulos scholis, ciues templo per eum diem quo expiare animum frequentes solebant, ferociter excludunt, eam sibi curam à Magistratibus demandatam mentiti, vt Iesuitas proditores tamquam feras caueâ conclusas enecarent fame. Quandoque per ludibrium infectas peste ædes, seque, ne malum contagione gliscerет, ad custodiam appositos clamitabant. At Patres, ipsâ Pentecostes luce, per dimidiatam horam pulsato ære campano, se viuere ac valere, populumque ad ædem sacram inuitare, significabant. Nec verò boni ciues officio defuere: aderant audito pulsu frequentes, sed seditiosorum armis repellebantur. crescente ciuium numero magni vtrimque clamores, magnæ minæ, parumque à vi res aberat, cùm alter Consulum vir integrâ Religione superuenit, finemque vigiliis imponens, sacrilegos illos domum quemque suam dimittit. Quo facto, nostri Missæ officium celebrare instituunt; ac sub decimam matutinam, more tunc recepto, in suggestum adscendit Ecclesiastes. Intereà digresso ab ædibus nostris Consule, noui custodes, iique hæreticâ perfidiâ notatissimi, succedunt, apertè vociferantes, hunc vltimum Iesuitis illuxisse diem, ac de plateâ insanis clamoribus concionanti Sacerdoti obstrepentes, etiam strictis mucronibus in concionem irrumpere parabant; nî graues viri, suorum obiectu corporum, & quâ poterant auctoritate precibusque retardassent. Vbi noster cessauit dicere, postremum Missæ sacrificium inchoatur; ac subinde Consul per certos homines reuocatus, non sine præsenti capitis sui periculo redit: nihil iam priuato homine distans, furore plebis vincente Magistratum, renuntiat adesse nunc illud extremi periculi tempus, à se toties denuntiatum; nihil in suo Consulatu esse præsidij, quando Orangius aliique maioris ordinis viri conniueant: atque in hunc modum, desperatis rebus, abscedit. Peractâ re diuinâ, velut signo ad audendum dato, in templum magno numero irrumpunt expeditis in ictum sclopis ac gladiis; & Rectorem ad clamores è sacrario progressum, quasi prædam discerpturi canes, illicò circumdant. Quod vbi animaduertit Patrum alius, hoc agi scilicet vt Rectori vis inferatur, *sed non hæreticis.* *Collegium Antuerpiense inuaditur.*

 per-

perrumpit ipſum agmen intrepidus; & elatâ voce, Quæ tantarum, inquit, viri, cauſſa turbarum? an ignoratis tertio abhinc die Supremo Senatui à nobis ſatisfactum? quid vltrà petitur? ſi noſtra vos turbat præſentia, libenter hac vrbe carebimus, vt ſine nobis eam vos pacatam habeatis. Sed res vnica abituris eſt opus, teſtimonium Archiducis Mathiæ, quo Moderatoribus noſtris facti rationem reddere poſſimus: eas litteras curate, diſcedimus. Vbi de procurandis litteris audiere, magno fremitu & infinitis maledictis onerant Patrem illum: qui tempori cedendum ratus, ſubmotâ vtcumque turbâ, in ſacrarium ſe recipit, fruſtrà oſtium à tergo adducere conatus. Continuò poſt eum armati quà data porta ruunt, fugientem per hortum, perque domus atria inſectantur, ſclopos aliquoties exonerant. euaſit tamen ille ad Socios illæſus, moxque omnes in ſuperiorem aulam collecti, atque ad necem fortiter tolerandam mutuò animantes, hoſtilem impetum præſtolabantur.

At Andreas Boccatius, imperterriti animi Sacerdos(is qui parem animi fortitudinem oſtendit Leowardiæ aduerſus Iconoclaſtas) cùm meminiſſet relictæ in arâ maximâ ſacroſanctæ Euchariſtiæ*, ex Sociorum numero repentè ſe proripit,templum ingreditur hæreticis debacchantibus refertum: conſtanti gradu ac vultu ad aram accedit, argenteam pyxidem ex loculamento reuerenter extrahit breuium hoſtiarum plenam: quas tam multas cùm illicò abſumere arido atque hiante ore non ſuſtineret, ipſum vaſculum manu capit, perque trecentos ampliùs armatos grauiter incedens, nullo eorum quidquam auſo, aſportat ad Socios, ſiue attonitis ſacrilegis miraculo confidentiæ, ſeu potiùs Deo fiduciam viri pietatemque comprobante. Intereà ſeditioſi deprehenſos vno in loco Patres precibus intentos, atque ad extrema omnia perferenda animis comparatos, poſtquam diligenter excuſſerant, in ſacrarium cogunt. inde per templum educunt ad naues. Feralis pompæ hic erat ordo. Præibat ſignifer, nullo tympanorum aut tubarum ſono. Sequebantur Duces ac Tribuni, deinde noſtri velut nobiles captiui: frequens vtroque latere miles aduerſus coniuratos in necem Patrum. Hoc comitatu ventum ad Scaldim: vbi nauigio impoſiti, denuò excutiuntur, ne quid fortè argenti aſportarent: ac tum quoque mirabili modo latuit argentea illa theca cum ſanctiſſimo CHRISTI corpore apud Boccatium. Hærebat medio Scaldi iactis anchoris nauigium, donec ex alto ſe maris æſtus incitaret, ac ſaluus quem vocant conductus à Tribunis promiſſus expediretur. Per eam moram frequentibus cymbis adnauigabant Hollandi Zelandique, & Ieſuitas alij in Zelandiam auehendos, alij præcipitandos in flumen, alij alia clamitabant. Sub noctem Tribuni aliquot, paucique de Magiſtratu,lembo aduecti, quadraginta florenos in naulum addicunt nautis, & milites nobis ad tutelam adiungunt. ita ſublatis anchoris vela fieri cœpta. Nox contumelioſis nautarum militumque vocibus traducta, alto Patrum ſilentio. Sub auroram nauis Mechliniam appulſa eſt.

Patres expelluntur,

Mechliniam deuehuntur.

Præmiſerat Orangius haud mediocris notæ virum cum litteris ad Senatum Mechlinienſem, monebatque, vt Ieſuitas ob rebellionis crimen eiectos admitterent quidem in vrbem, ſed mox omni præſidio nudatos,

datos,

Sexaginta ſicarij in Patrum necem expediti.

datos, exponerent ante portas, factâ quolibet eundi poteſtate. Simul ſummâ celeritate mittebat ſexaginta milites de ſuis, ad omne facinus paratos, cum mandato vt Ieſuitas Mechliniâ egreſſos crudeliſſimè necarent. Igitur appulsâ naui, Patribus ad hoſpitium publicum eductis, nouus ad cuſtodiam miles ex Mechliniæ præſidiariis datur: is continuò, tamquam extremâ ſtimulatus fame, helluari, ac paucis horis abligurire florenos omnino ſeptuaginta, impenſis ſcilicet Patrum. Dimidiato iam die Conſul vrbis ac Syndicus ingreſſi cum Orangij litteris, iubent quamprimùm vrbe exire, & quò libêret proficiſci, nullo milite ad cuſtodiam dato. Perculit ea vox Patres: de perfidiâ expoſtulant, moram precantur, donec ab Archiduce Mathiâ præſidium implorent. At illi graues cum ſupercilio viri nolle ſe aiunt, exemplo Ieſuitarum, contumaciâ peccare: mandatum habere ab Orangio, cui non parêre ſit nefas. Hîc tum è Patribus vnus Ioannes Leidanus, vir magnanimus, conuerſus ad Conſulem, Itáne, inquit, Mechlinienſes, hæretico furori vos potiſſimùm miniſtri eritis in cæde noſtrâ, ipſis qui eiecere Antuerpienſibus crudeliores? quin veſtro carceri mancipate potiùs, quàm vt ſicariorum mucronibus innoxios obiiciatis; aut ſi fructum ex cæde noſtrâ quæritis, ipſi necate. Hac oratione impetratum nihil, quàm vt diei reliquum in vrbe agerent, ſub noctem dimittendi, occluſis à tergo portis, ne quis ex vrbe ad nocendum inſequi poſſet. Itaque Patres ad certiſſimam mortem ſeſe comparabant; cùm ecce tibi ſub ſeptimam veſpertinam adeſt Lirâ ex vicino oppido, cum equeſtri ſuâ turmâ Dux Catholicus in tutelam Patrum, iubente Archiduce Mathiâ, celeriter accurrens. Etenim Archidux per amicos de Orangij edoctus machinatione, continuò iuſſerat quem dixi Ducem cum equitibus adeſſe. Dederat etiam ad Mechlinienſes, & ad Louanij Gubernatorem litteras, quibus in ſuam vt fidem nos reciperent, imperabat.

Deus præſeruat Patres:

Ergo huius aduentu Ducis reſpirauere Patres, diuinam erga ſe curam admirati: neque iam diſceſſum noſtrum vrgebat Mechlinienſis Senatus, perſpectâ Archiducis voluntate; ſed culpam correcturus, ſeptuaginta florenos militum helluatione conſumptos noſtro nomine hoſpiti numerauit. Renerus tamen nihil cunctandum ratus, curſorem nocturnum expedit cum litteris ad Louanienſis Collegij Rectorem; à quo petebat exorari Gubernatorem, vt ſuos Louanio milites ad dimidiatum iter emitteret poſtridie venturis Patribus obuiaturos. At ille curſor vario noctis errore ſeductus, vix poſtero die iam in veſperum inclinato Mechliniam cum optato reſponſo reuertit: niſi & hanc tarditatem ſingularis procurarit Numinis prouidentia. Nam quartus à Pentecoſte dies vix illuxerat, cùm in idem hoſpitium Franciſcani Patres, eamdem paſſi Antuerpiæ fortunam, inducuntur, magnâ vtrimque gratulatione; atque vnà omnes eodem die Louanium pergunt, quadraginta equitibus, totidem peditibus ex Mechlinienſi præſidio ſtipati ad dimidiatam viam; vbi ducenti equites & pari numero pedites à Louanienſi Gubernatore ſubmiſſi aduentum noſtrorum præſtolabantur. In horum conſpectum vbi ventum eſt, feſto tubarum ſono, & diſploſione ſcloporum, ſalutati Patres: dimiſſo priori comitatu, ſtipantur nouo, Louaniumque pertingunt:

Louanium abeunt, & honorificè excipiuntur.

gunt: vbi ab ipſo Gubernatore honoris cauſsâ extra vrbis portas obuiàm progreſſo humaniſſimè accepti, & cum ingenti omnium ordinum plauſu in Collegium deducti ſunt die XII. Maij M.D.LXXVIII. Ceterùm Orangius cùm apud Antuerpienſium pleroſque graui flagraret inuidiâ, ob eiectam vrbe Societatem, libello in lucem edito factum ſuum probare ſatagebat, criminatus noſtros aduerſus Rempublicam pro Auſtriaco multa molitos: quorum tamen nihil nominatim producebat.

Antuerpiæ exſilium Deus vindicat.

Hîc quoque ſilentio non inuoluam manifeſtum Dei iudicium, noſtram vindicantis iniuriam. Eiectis Patribus, fuit è Caluini triuio ſcurra, vt ſibi videbatur non infacetus: qui ludum populo daturus, ædes Societatis vacuas ingreſſus, faſciculum ſtraminis albæ innexum virgæ pro foribus è feneſtrâ ſuſpendit, quaſi populum domeſtici ex peſtilentiâ funeris more patriæ admoniturus. Mouit ea res prætereuntibus admirationem. Atque intereà perficiendæ comœdiæ alius ex eâdem fæce ludio fores importunè pulſabat: cui ille intus exclamans, Quid malum hîc pulſas? non præfixa mortis inſignia virgam & ſtramen vides? quotquot haſce incolebant ædes, peſtilentiâ ſublati ſunt. Mirum dictu, eodem die, cùm nuſquam eſſet in vrbe contagio, impij deriſoris domum peſtis inuaſit, indubitato cæleſtis vindictæ argumento.

Etiam alibi Societas expulſa.

Hæc Antuerpiæ geſta; nec diſſimilia his Tornaci, Brugis, Duaci, Traiecti ad Moſam: quibus ex ſedibus eodem illo anno, ob eamdem cauſſam violentâ hæreticorum manu in exſilium deportata Societas, illuſtre dedit Chriſtianæ patientiæ documentum. Ita ex ſeptem vrbibus, quas ante hæc bella ciuilia tenebamus, duæ dumtaxat relictæ, Louanium atque Audomarum. Et Traiecti quidem Gubernatoris edicto, quo noſtros vrbe iubebat excedere, cùm intercederet Senatus; ille ardens irâ, quoſcumque ſibi obſtantes intellexerat, Senatu mouit; Conſuli etiam noſtram cauſſam enixiùs agenti colaphum impegit. quo facto ceteros à ſuſceptâ innocentium defenſione reuocauit. Brugis verò, præter communes cum aliis Collegiis moleſtias, fuerunt etiam propriæ. Miles nunc plumbeas glandes temerè in Collegium ſclopis iaciebat; nunc ſubitò irrumpens, mortemque ſtrictis mucronibus minitatus, diripiebat ſupellectilem; nunc in Collegium carnes diebus vetitis inferebat, poſteà criminatus domi ſe noſtræ menſam opiparè carnibus inſtructam reperiſſe. Nec moleſtiarum periculorumque fuit finis, donec Senatuſconſulto vrbem deſerere cogeremur. Illud enimuerò certiſſimum diuinæ in nos prouidentiæ argumentum diſſimulare haud poſſum; in tanto metu, tam flagrantibus omnium in nos odiis, tantâ licentiâ & impunitate gladiorum, neminem noſtrûm vſquam aut cæſum, aut leuiter etiam fuiſſe vulneratum. Quid nunc Groninganam expulſionem commemorem, vrbe à Mauritio captâ? Quid iniurias Neomagenſes, ſiue cùm Leonardus Keſſelius, domo quam Caniſij matertera legitimè donauerat, ipsâque etiam vrbe eiectus eſt, agentibus hæreticis, quorum pleriſque iam tum conſtabat Senatus; ſiue cùm Ioannem Aſtenſem indignis tractatum modis tantùm-non vitâ ipsâ expulerunt?

Neomagi patitur Ioannes Aſtenſis.

Decanus is fuerat Neomagi, primæ dignitatis vir; ſed magnos titulos opeſque, meliori ſpe, cum Religioſâ modeſtiâ & paupertate mutauerat.

uerat. agebat hominem vehemens Religionis tuendæ ardor, & ex Coloniensi Societatis Domo Neomagum identidem deportabat ingenti fructu. Nam dicendi munus cum egregiâ doctrinæ & eloquentiæ laude, &, quod est caput, cum Euangelicâ libertate tractabat, dante pondus auctoritatemq; memoriâ pristinæ dignitatis. Hinc efferati Religionis hostes, odio vincente reuerentiam, multa indignè impieque audebant. prodeuntem in publicum sibilis conuitiisque incessere, domi delitescentem insanis vocibus euocare, tecta quatere lapidibus, fenestras conuulnerare, de superiore loco dicenti palàm obstrepere; frustrà bonis ciuibus obstare conatis, conniuente scilicet Senatu. At quibus illi terrendum iniuriis sperabant, animabatur Astensis; inque Nouatores acriter inuectus, quantâ poterat virium contentione pro auitâ Fide dimicabat. Ob eam rem factus intolerabilis, ad insigne aliquod probrum designabatur ab illis improbis, quorum accensa semel rabies non deferbuit, nisi intrepidum veritatis præconem templis, domo, mœnibus expulissent. ergo accitis in præclari facinoris societatem quotquot poterant suæ fæcis hominibus, manus iniiciunt viro nuper omnibus venerabili, per vrbis vicos ludibrij causâ circumducunt aliquamdiu, & atrocibus vexant contumeliis; dein vrbe protrudunt, & in proximam raptant siluam; ibi detrahunt vestimenta, & crudelem in modum cædunt, donec, fatigatâ sæuitiâ, & dolore animi vtcumque saturato, facessere iubent, & vnde venerat Coloniam repedare. At ille in medio verberum cruciatu actis Numini gratiis, postquam collegit spiritum, ibat gaudens, & fractos artus laceraque membra Coloniam trahebat, acceptâ pro CHRISTO ignominiâ quàm gestâ nuper Decani dignitate lætior, & verò etiam, si rectè æstimamus, honoratior.

Vetera sunt illa, inquies, & alterius sæculi mala. Vísne igitur hiantia adhuc vulnera, Siluamducis Bredamque, quibus ex vrbibus hæretica hostium nos violentia recenter exegit? Sed nempe hanc dices belli aleam, hoc ius Martis æquo animo ferendum. Sinamus sanè nunc hoc ita dici; sit *Exsilium* belli legibus imperatum exsilium: at quis exsilij modum imperauit *Siluaducense*, tam infamem probris, tot maledictis grauem? Vigesimus ibat annus ex quo Siluaducensem vrbem incolebat Societas, & procedebat res Collegij omnino ex sententiâ, siue vsurpantium Sacramenta perpetuum concursum, siue scholarum frequentiam & vigorem spectes, siue Sodalitatum florem & incrementa, siue etiam rei domesticæ facultatem. Quæ quidem tantillo tempore, piorum hominum beneficio, & præcipuâ Senatus liberalitate, ita creuerat, vt personis ferè triginta alendis sufficeret. Rebus tam pulchrè constitutis, lætissima in omnem partem segetis vbertas vnà cum florentissimâ Siluâ indignè succisâ euntis sæculi anno vigesimo nono, miserabili clade funditus interiit. Ipsis Maij Kalendis vrbs ab hoste Batauo circumdata, & post quinque ferè mensium toleratum obsidium, solo pulueris bellici defectu occupata est: quam toties bello tentatam nullus ante id temporis interceperat hostis, nulla vmquam hæreseon pestis inquinarat. Vrbe captâ, nostri vehiculis impositi, ab amantissimis ciuibus velut partes à suo corpore diuellebantur. Vix portis prodibant, cùm ludibriorum conuitiorumque velut procella

quædam inconditis clamoribus eos protinus excepit. Etenim tota pænè Hollandia, in vrbis deditæ ſpectaculum effuſa, latè vias obtinebat; perque eam turbam plus horæ ſpatio inter acerbiſſimas contumelias noſtri ad ludibrium conſpicui vehebantur: ſpeciem quamdam Iudæorum CHRISTO certatim illudentium agnoſceres. Quòd ſi aduerſus impotentiſſimæ plebis iniurias ſatellitium non dediſſet Henricus Princeps Auraicus, præſens erat amittendæ vitæ periculum.

Bredanum. Similia Bredani exſilij ſolatia fuere. At enim populus hæc peccauit, nihil Magiſtratus: imò verò victor Auraicus ſeuerè edixerat, ne quis verbo factóve Ieſuitis eſſet iniurius. Sed quæ ſatis lex, quæve pœna propoſita tali tempore infinitam mortalium multitudinem à linguæ petulantiâ refrenet? Eſto, peccarit populus odio in Ieſuitas: ſed vnde illud odium? an indidit natura? an ingeneratur à corrupti verbi Miniſtris? quorum perſuaſione plebs Batauica rudis & fide facilis, fraudique obnoxia, haud aliter nos quàm cacodæmonas ſibi cogitatione depingit, atros, cornutos, truculentos. Quâ moti opinione, innumerabiles Batauí, pactis induciis, in Brabantiam Flandriamque effundebantur, ſpectaturi monſtra hominum Ieſuitas.

Crudelitas Traiectenſis. De Traiecto autem quid dices, vbi theatrum ſuum denuò inſcendit Caluiniana Golſtenij crudelitas, & ceruicibus noſtris luſit? Annum iam quintum ſub Fœderatorum imperio ſua munia tractabat Societas, iuxta conditiones quibus deditionem ſuam pacta ciuitas fuerat. Pateretur hoc hæreſis in ſuâ ditione? & præter integrum rei Catholicæ ſtatum, etiam magnorum capitum ad Catholicorum partes acceſſionem, ſiue auctoribus ſiue adiutoribus Ieſuitis, inulta ſpectaret? Animus quidem haud vmquam deerat vel expellendi vel trucidandi, ſed cauſſa, quæ aliquo iuris colore ſpectabilis appareret. Inuenta demum eſt vrbis proditio; cuius non attentatę quidem, ſed cognitę, reos Ieſuitas agere placuit, non conſueto iudiciorum ordine (qui numquam obtineri potuit) ſed militari decreto. Hoc titulo in ædes à militari manu penetratum, excuſſæ chartæ, clauſtra, anguli omnes; ſcholæ cum templo interdictæ; abducti in captiuitatem Patres: è quorum numero tres immani cruciatu flammis non vſtulati, ſed toſti, & ad extremum capite truncati, Ioannes Baptiſta Boddens Collegij Rector, Gerardus Paſman Procurator, Philippus Nottin temporalium rerum Coadiutor. In tribus oſtendit hæreſis, quid factura fuerit omnibus, ſi non metus extremæ retardaſſet infamiæ. Ac nihilominùs ſatis, & nimiùm, in paucis illis apparuit, cum ſummâ iniquitate iudicij militaris certaſſe tormentorum ſummam immanitatem. Non eſt mihi conſilium ſuſcipere partes innocentiæ, meliori patrono reſeruatas: qui quòd adhuc ſilet, non ideò præiudicat cauſſæ; ſed, quod eſt prudentis, tempori aliquantiſper ſeruit, atque etiam exſpectat donec nebulas à militari furore offuſas maturior diſſipet dies. Intereà ſi quid credimus morituris & mox ſiſtendis ſummo Tribunali, viris ceteroquin in omni anteactâ vitâ integerrimis probatiſſimiſque; ſuam ſinguli innocentiam & in tormentis conſtanter, & in ferali mortis theatro claris vocibus conteſtati ſunt. Ipſe etiam Rector, neci iam proximus, ad Ducem Bouillonium vrbis Gubernatorem abſentem haſce litteras exarauit: *Domine, Capitis*

iam

iam damnatus vtor confidentiâ ſcribendi ad te pauca, gratesque maximas agendi de beneuolentiâ & honore quo me proſequi dignatus es, quamdiu Traiecti morabaris. Obſequentiſſimus profectò & fideliſſimus tibi ſeruus perpetuò vixi; ideoque in ſolatium meum ſuppliciter abs te peto, planè vt credas, proque certiſſimâ re habeas, quam affirmo per animi mei ſalutem, atque ita volo intra horæ ſpatium Deus in me ſententiam æternitatis ferat, videlicet ante proditionem publicè detectam captiuitate Ioannis Lanſman ſupplicio iam affecti, nullam mihi ſiue directam, ſiue indirectam, illius notitiam fuiſſe; tantum abeſt vt me implicarim negotio, quod toties tibi ab Inſtituto noſtro alieniſſimum eſſe ſum profeſſus. In cuius fidem manus tuas deoſculatus morior, qualis adhuc palàm vixi, ſincerè ac reuerenter Excellentiæ tuæ fideliſſimus obligatiſſimusque ſeruus Ioannes Baptiſta Boddens. Cogor ſcribere Præfecti carceris manu, quia meam inutilem tormenta reddiderunt. Moſæ Traiecti die XX. *Iulij* M.DC.XXXVIII. Hæc morituri Sacerdotis ſcripta conteſtatio Supremæ Curiæ Præſidem appellat Deum, citatque Golſteinium, & quotquot deteſtandam ſententiam Iudices tulêre.

Sed nolo ingredi longiùs in hanc arenam, tam nobili tamque innoxio ſanguine cruentatam; calet etiamnum à recenti tragœdiâ theatrum, cuius tractatio robuſtiorem calamum exſpectat. Satis eſt ad præſens inſtitutum, vel obiter indicaſſe, Societatem Belgicam à Caluiniſtis calumnias, carceres, tormenta, mortem ipſam pati; nec iam fundendo ſanguini quærendos eſſe vltra Oceanum barbaros, quando ad martyrium in patriâ tam vicinos ac promptos habemus. Quamquam quæ & iſtic à barbaris patimur, partem maximam heterodoxis debemus Hollandis. Apud Iapones altâ in pace rem Religionis tractabat Societas, quando appulſi eò Batavi continuò gentem ab vſu conſuetudineque Patrum abſtrahere ſunt aggreſſi. Spargebant, eos omni ſcelerum genere inſignes, ac variis Europæ Regnis doctrinæ non ſanæ, probri flagitiique damnatos, ad corrumpendum populum laruam quamdam pietatis induiſſe. Sed ex omnium fictorum criminum aceruo peſſimum illud fuit, quòd apud Imperatorem nos proditionis inſimulabant, quaſi prætextu Religionis viam pararemus Hiſpanis, noua Regna quærentibus. quâ criminatione ſummam nobis offenſionem, & ſecuta exſilia neceſque pepererunt. Adeò non ſatis habent Societatem in Belgio iniuriis omnibus proſequi, ſed in vltimas mundi plagas ſua odia deportant, quæ non per ſe modò, ſed per ipſos barbaros exercere conantur. Trigault. de Chriſtianis apud Iaponios triumphis lib. 1. cap. 4.

Et fortaſſe ſuum in nos odium noſtro viciſſim erga ſe odio excuſabunt: dicent mutuas inimicitias geri, vtrimque agi hoſtiliter, iniurias iniuriis rependi. Haud ſanè negauerim acre nobis perpetuumque certamen pro Catholicâ Religione cum hæreſi eſſe ſuſceptum. Quæ olim Hieronymi, nunc mea & noſtrûm vniuſcuiuſque vox eſt: *In vno tibi conſentire non potero, vt parcam hæreticis, & me Catholicum non probem: ſi iſta eſt cauſſa diſcordiæ, mori poſſum, tacere non poßum.* Fruſtrà exſpectat hæreſis ſolo conciliandam ſilentio cum Societate concordiam. Quamdiu vitæ ſpiritus erit, aduerſus lupos pro Catholici gregis defenſione latrabimus. Deſperata pax eſt, odij ſemina innata ſunt. Quod Amilcar Hannibali, hoc nobis Ignatius fuit. illo auctore æterna bella iurauimus *Ieſuitarum & hæreticorum oppoſitio.* Ad Ruff.

ad aras. Sed vide quàm diſſimilibus armis vtrimque pugnetur. Mendaciis & crudelitate pugnat hæreſis; Societas veritate & charitate. nos hæreticorum detegimus errores, vt & ipſi pedem referant, & nemo alius impingat; illi famam noſtram calumniis inuoluunt, ne illius ſplendor veram ſalutis viam mortalibus oſtendat. hæretici ad vincula nos quærunt & carceres; illos quærimus ad libertatem filiorum Dei. illi ſanguinem noſtrum ſitiunt; nos illorum ſalutem. illi per diriſſimos cruciatus mortem inferre nobis ardent, hancque ſummam votorum profitentur interitum Ieſuitarum; nos votis omnibus ac ſtudiis vitam ipſis ſeruatam cupimus, non modò illam corporum breuem, ſed vel maximè animorum ſempiternam. denique illi omnibus maledictis & malefactis, nos omni beneficiorum genere certamus. Quare, quod olim Ignatius Martyr de ferociſſimis militibus, in quorum erat cuſtodiâ, ſcribebat, ſe pugnare ad beſtias, in mari & in terrâ; quibus cùm benè feceris, peiores fiunt: idem nos alterius Ignatij ſoboles de Caluino-Batauis affirmare meritò poſſumus. Non enim obſcurum eſt, quo beneuolentiæ affectu hactenus complexa ſit Societas Hollandos, ſeu mari ſeu terrâ captos; quibus fouerit obſequiis, collectâ in veſtes, in cibum, in pharmaca, in lytrum ſtipe, vt multi nobis libertatem ſuam vitamque debeant. Teſtor Flandriæ Brabantiæque carceres horum conſcios meritorum: teſtor morbos mortemque ipſam ex miniſterio hauſtam. conſtat enim, non vno tempore, nec vno loco, Sociorum aliquos nobiliſſimo charitatis actu ſuam prodegiſſe vitam, vt hoſtibus ſeruarent. Teſtes denique ipſos inuoco qui beneficia accepere; aut ſi ingrati tacent, præſentem hominum memoriam famamque publicam appello.

Hieron de Scriptorib. Eccleſ.

Charitas Societatis erga Caluino-Batauos.

Quid, verſantes in Hollandicâ Miſſione Patres, quâ curâ, quo conatu ſtudent benè de Batauis mereri? Huc enim ſpectat omnis illorum labor, tantorumque incommodorum iucunda perpeſſio, vt inimicis ſuis, quà poſſint, proſint ad ſalutem, vel ipſius ſanguinis vitæque, ſi opus, impendio. At horum interim meritorum præmia reportant iniurias, proſcriptiones, carceres, vincula, & omne ærumnarum genus, vt ſuperiori Capite indicatum eſt; neque hîc denuò commemorandum, ne de aduerſis inſtituere querelam, & dolorem animi, qui longiſſimè abeſt, prodere cuipiam videamur. Quin adeò his non dolemus, vt nihil ad ſummam gloriam à nobis poſſit conducibilius optari. Hoc virtutis noſtræ irrefragabile teſtimonium eſt, hæc validiſſima commendatio, hic titulus maximè glorioſus, *Societas* IESV *odium hæreticorum*. Quis amari improbis velit niſi improbus, quando amor ſimilitudine generatur? quis eorumdem reformidet odia, quando contrariorum contraria ratio putatur? Oderint, aiebat ille, dum metuant. Saniore ſenſu dixerim: Oderint Ieſuitas hæretici, dum illuſtrent: oderint, dum apponant materiam meritorum: quin & oderint, dum metuant non ferrum noſtrum, quo nullo armamur; non reciprocas calumnias, quod ſcelus magnum ducimus; ſed zelum Fidei Orthodoxæ, & ſpiritum veritatis.

Secundò, à Catholicis paſſa Societas,

Mitto Batauos, quorum iaculis cùm ſit ſcopus Ordo noſter, quid niſi vulnera exſpectet? in Catholicum Belgium ingredior. hîc quoque nec ſemel fuit quod pateremur. Multi ſiue errore, ſiue malitiâ (quod iu-

dicij facimus diuini) Societatem variè exagitatam premere, ſi non penitus extinguere, laborarunt. Et ab his quidem tantò periculoſius infeſtari fuit, quantò hæreticis meliores ſanctioresque Catholici putantur. Quod quia nouit verſutiſſimus ſerpens, præcipuè hoc agit, vt ab ipſis Fidei domeſticis oppugnemur, plus inde nociturus, quàm ſi omnes barbarorum, omnes Batauorum in nos copias duceret. Hæret animus, locorúmne an temporum, an etiam perſonarum differentiis narranda diſtinguam. Conſideranti tempora nullus propè occurrit annus non aliquâ noſtrâ ſeu ignominiâ notatus, ſeu vexatione ſeu damno. Sed & hominum ordines diuerſi ſunt quos aliquando ſenſimus aduerſos. Iam quis locus, quò nulla vnquam peruenerit tempeſtas? Louanij, quâ primùm vrbe habitatum eſt, pulcherrimo Societas ortu naſcebatur; ſed quàm atra nubes diem repentè fœdauit? Vishaueus conuitiis oppreſſus, Adrianus raptatus in carcerem (vt ſuprà latiùs explicatum eſt) Parochorum inita conſpiratio, famoſi per manus dati libelli, interdictæ ſcholæ, miles noſtris ædibus impoſitus; qui tamen ipſe tactus religione, paupertatemque noſtram miſeratus, alia ſibi tecta ab vrbis Senatu poſtulauit. *Louanij.*

Quid Antuerpiæ? quantis à quo neſcio Catholicorum genere (nam Senatu & ciuium primis ſemper beneuolis vſi ſumus, niſi quamdiu hæreſis dominabatur) quantis, inquam, pugnatum machinis, ne poneremus pedem! Concitatus à maleuolis Albanus, fundi ius perpetuò negauit. Franciſcus Sonnius Antiſtes, quamuis noſtri amans & æſtimator, tamen Albani Ducis gratiâ Sacelli domeſtici vſum interdixit. Itaque Patres procul ab ædibus quotidie curſitantes precariò ad aram ſtabant, ſæpè templis arcebantur; neceſſe vt fuerit non longi temporis ſpatio ſexies variare. Interdicti cauſſa ea fuit. Notabant æmuli Sacellum noſtrum militibus frequentari ad Sacramentorum vſum. Hinc metus inceſſit, ne paulatim domicilij ius acquireret Societas. Id cauturi Albano vtuntur Duce, quem nobis nouerant non propenſum: huius auctoritas apud Epiſcopum commodis noſtris exiſtimationique præualuit. Tres ipſos annos ea tenuit moleſtia: quo tempore tam longo Patres potiorem obſeruantiæ quàm iuris ſui rationem habuere, preſſo apud ſe diplomate Pontificio, quod Româ miſſum, reſciſſo Epiſcopi interdicto, plenam domi diuina peragendi poteſtatem dabat. *Antuerpiæ.*

Æmulis intereà ex ſucceſſu creuit animus maiora moliendi. De nouis hominibus toto Belgio eliminandis cogitabant: iamque hoc egerant, vt multis, & Principibus viris, Ordo nouitius nihil admodum (ſic aiebant) vtilis, priùs quàm ſe firmaret, ablegandus videretur. Satis conſtat, Fredericum Toletanum, Ducis Albani filium, palàm in Procerum coronâ profeſſum, Ieſuitas Belgio donandos neutiquam fuiſſe, quòd eorum Inſtitutum neque viris doctis, neque admodum probaretur Eccleſiæ.

Eiuſdem ferè ſententiæ litteras dedit Fredericus Perenottus ad diuerſarum vrbium Præfectos, & ad Senatum Antuerpienſem, quam ipſe tunc vrbem gubernabat; ſed ex occaſione factus noſtrarum rerum certior, mentem vocemque mutauit. Occaſio ea fuit: poſtquam Albanus

Mechliniam militi deprædandam concesserat, vnius vrbis supplicio cæteras, vt putabat, in fide firmaturus; egregia Patrum Antuerpiensium charitas subleuauit publicam Mechliniensis populi calamitatem. Cùm enim miles prædam omnem Antuerpiam veheret venumdandam, subornati à Patribus sunt mercatores copiosi, qui quàm minimo emerent, eodemque pretio restituerent spoliatis. Sacerdos item noster, ea spolia quæ locis sacris Religiosisque personis detracta constabat, omnia recuperauit à milite. Nostro item consilio ductuque ab Antuerpiensibus magna pecuniæ vis collecta est,& miserorum Mechliniensium extremæ inopiæ subuentum. Neque hoc ipsum tamen pietatis opus momi dentem euasit: obtrectatio quorumdam fuit, eam argenti copiam corradi ædificando nobis Collegio; speciem eleëmosynæ Mechliniensibus impertiendæ interim prætendi. Ita vel sanctissimarum actionum persæpè pessima est interpretatio. At Cardinalis Granuellanus de suorum ciuium, quibus nuper præfuerat Archiepiscopus, acerbo casu, deque Societatis in eos charitate redditus certior, fratrem suum monuit Fredericum Antuerpiæ Gubernatorem, vt amplissimas Societati gratias ageret; & Fredericus ipse patronus nobis exinde semper exstitit.

Quid, quòd Concionatorum nonnulli ea de nobis publicè iactabant, quæ optimum quemque meritò à consuetudine vsuque Societatis auerterent? Quorum in numero fuit Religiosus primæ notæ Ecclesiastes; qui, prætcrquam quòd Ordinem vniuersum contumeliosè tractaret, etiam nominatim in Ioannem Astensem concionatorem nostrum in D. Walburgis, vti suprà dixi, triumphantem, inuehebatur magnâ ciuium offensione: nec priùs abstinuit quàm Episcopus Sonnius, cum Canonicorum Collegio, grauibus intentatis minis, silentium imperasset. Quid, quòd desperato impediendæ possessionis nostræ conatu, emptâ iam & habitatâ Aquensi domo, dolorem suum vltura inuidia, impudentissimas fabulas seminauit, mulieres, ne maritis suis obsequentes essent, per nos animari, easdem domi nostræ flagellis cædi, & à vicinorum multis crebrò auditos vapulantium eiulatus. Hæc totâ vrbe in triuiis, mensis, circulis, inde in nauibus curribusque, narrabantur; &(quod indignum) Religiosa quorumdam confirmabat auctoritas. Quin eò peruentum, vt Senatus seriò interpellaretur ad inquirendum in eiusmodi flagitia; sed is, seu quòd ad sacrum tribunal eam quæstionem pertinere crederet, seu quòd harum ineptiarum architectos sciret maleuolos, neglexit.

Progressa est nihilominùs inuidia, inquietum malum; inque omnes nocendi vias intenta, cùm aliud non posset, hoc tandem egit, vt quo dudum vtebamur Carmelitano templo, quemadmodum suprà attigi, & cui famam multitudinemque nostra conciliarant munia, derepentè & importuno maximè tempore extruderemur. Honestus ad id repertus color, illius Ordinis veterani probrum. Quo argumento Præfectum Cœnobij oppugnant, & conuitio extorquent, ne Iesuitas, nouum Religionis genus, diutiùs pateretur ad suam ignominiam suo in templo triumphare. Denique vt saltu quodam multa transmittam, quinquagesimo abhinc anno tam atrocibus iterum calumniis proscindebamur, necesse

vt

vt habuerit vrbis Antiſtes ſuſcipere defenſionem famæ, & ſolenni diplomate teſtari innocentiam Patrum. Sed quid coner aut locorum ordine aut temporum perſequi quæ paſſi ſumus? immenſa res, & operæ maioris fortaſſe quàm pretij: ne tamen omnia poſteritas ignoret, ſparſim paucula conſilium eſt delibare.

Aduerſantium nobis Catholicorum non vnum genus: hic doctrinam, ille vitam, alius functiones, in pugnæ ſuæ ſcopum accepêre; ſuo quiſque vel affectui vel iudicio obſecutus. Et impugnatæ quidem doctrinæ validiſſimus turbo Louanij ſuſtinendus fuit anno ſeſquimilleſimo octogeſimo ſeptimo, cùm iſtic ſacra Theologiæ dogmata Leſſius Hameliusque traderent, magnâ vterque famâ eruditionis apud Academicos; qui non pauci calamo excipiebant quæ dictabantur, & ad diſputationes magno numero confluebant, lætis Patribus, atque, vt ſeſe dabant initia, felicem ſperantibus prouentum: ſed ſola ſpes fuit, quam & ipſam ingens ſubitò & inexſpectata procella ſuſtulit, atque inſuper vniuerſam pænè obruit exſtinxitque famam Societatis. Cauſſa tempeſtatis fuit, primi nominis & auctoritatis Doctor Theologus, qui varia doctrinæ ſuæ capita non ſanam fidem redolentia ſupremo Sedis Apoſtolicæ imperio ſolenniter eiurare compulſus, coram Franciſco Toleto, homine Societatis, Apoſtolico in eam rem Legato, & paulò pòſt S. R. E. Cardinale; quaſi honoris ſui vindicias acturus, quam ipſe notam contraxerat, eamdem viſus eſt immerenti Leſſio inurere voluiſſe. Et conantem illum doctiſſimus quiſque Facultatis Theologicæ tamquam communem iniuriam vlturus adiuuabat. Ergo quæ docuerat Leſsius de prædeſtinatione electioneque ad gloriam, de diuinorum auxiliorum vi & efficacitate, de gubernantis Dei prouidentiâ, ſedulò conquirentes; vnam ac triginta aſſertiones nec ſanè intellectas, nec fideliter ſatis excerptas, inauditâ parte damnant, & graui perſtrictas cenſurâ, Leſſio nequidquam deprecante, diuulgant. Volitabat per omnium manus à tantis viris ſcripta Societatis infamia, & iam Louanienſi Academiæ Duacena tamquam matri filia ſubſcribebat. Sorbona, quamuis ſedulò ad ſuffragium inuitata, recuſauit. Epiſcopi, hortante Metropolitâ Ioanne Hauchino, ſuum iudicium parabant. Ad extremum, lectio publica extra ordinem aduerſus Leſsij doctrinam inſtituta non ſinebat obduci cicatricem; ſed erat vnguis in vulnere, noſtramque ignominiam perpetuò refricabat. Nec tamen deerant magni viri cauſſæ noſtræ patroni, inter quos Middelburgenſium Epiſcopus Ioannes Strienus, & qui Cameracenſis Archiepiſcopi vices in ſacris agebat è Franciſcanâ Familiâ; ſed ante omnes Læuinus Torrentius Antuerpienſium Antiſtes. Thomas quoque Stapletonus, Duaci doctrinæ opinione celebris, Louanium ad familiarem ſibi hominem in hæc verba ſcribebat: *Vehementer gaudeo, Reuerendiſſimum D. Middelburgenſem, quem ſpero breui pace confectâ ad ſui Epiſcopatus munia obeunda profecturum, tam piè, doctè ac ſtrenuè cauſſam agere RR. PP. Societatis, contra importunam cenſuram Facultatis Louanienſis. velim ſciat, in Concilium Facultatis Duacenſis me vocatum non fuiſſe, cùm de illâ cenſurâ ſuum iudicium parum, vt audio, æquum & minùs modeſtum perſcriberet. Imò cùm ante complures menſes*

eamdem

Doctrina Societatis patitur.

Leſſius Pelagianiſmi inſimulatur.

eamdem ad me cenſuram Michaël Bayus miſiſſet, meam ſententiam non tam petens quàm explorans, reſcribens ſuaſi, ne illam cenſuram ampliùs euulgaret; monuique, maiorem eſſe Societatis gratiam & auctoritatem, quàm vt eam Facultas Louanienſis labefactare poſſit. Precabar denique, vt ſtudium veritatis vinculum charitatis non diſſolueret: ſed video me vel ſerò vel ſurdis locutum fuiſſe. Sic egi cum Reuerendiſſimo Atrebatenſi, vt necdum illi cenſuræ ſubſignarit, nec, ſpero, ſubſignaturus ſit. Doleo hanc nouam maculam Facultati inuſtam, & Patres doctiſſimos tam immeritè vexatos. Hæc tum Stapletonus pro cauſſâ noſtrâ: quam ſuo etiam quali poterat patrocinio ſuſtinebat Gulielmus Pamelius Sanctioris Concilij Præſes, & cum eo Senatorum plures, qui noſtram nimiam & intempeſtiuam modeſtiam damnabant; haud abſurdè monentes, magnis tum vocibus eſſe opus, cùm non tectum aliquod ac domus, ſed vniuerſa Societatis fama flagraret: quam negligere profectò ſit nefas, monente Bernardo: *Iuſtus lilium eſt in ſe candidum, ſed proximo odoratum; proximo enim famam, nobis debemus & prouidemus conſcientiam.*

Serm. 71. in Cant.

Intereà aduerſariis noſtrum dedecus indeſinenter vrgentibus, maior Epiſcoporum pars, & quædam Collegia Canonicorum geminis duarum Academiarum cenſuris calculum adiecerant. Mechlinienſis verò ac Cameracenſis Metropolitæ Synodum parabant Epiſcoporum, qui dogmata noſtra à duabus Facultatibus damnata diſcuterent, eademque toto proſcriberent Belgio, tamquam impias Maſſilienſium aut Pelagij reliquias, adeoque Societati notam inurerent hæreticæ prauitatis. Perculit noſtros impendentis periculi magnitudo, ac ſine morâ Generalem per litteras edocent quo res cardine verſetur. Ille continuò ad Summum Pontificem (is tum erat Sixtus V.) adit, remque omnem celeriter exponit. Sixtus eâdem celeritate Nuntio ſuo Epiſcopo Calatino, tum Coloniæ degenti, feſtinatam profectionem imperat in Belgium, partes vt audiat, vt ad Sedem Apoſtolicam referat, vt ab inferiorum Antiſtitum nemine decidi controuerſias patiatur. Accepto imperio, Nuntius magnis itineribus Louanium delatus, cum Ioanne Hauchino Metropolitâ, cum aliis Præſulibus iudicium inſtituit: partes ad ſe euocat, hinc Facultatem Theologicam, inde Leſſium cum Rectore Collegij, exhibitoque Pontificis mandato (Breue Apoſtolicum vocant) auctoritatem ſuam ritè omnibus probat; deinde munus ſuum à graui exorſus querelâ, Doctores illos arguebat, quòd cenſoriâ virgâ percuſſiſſent inauditum hominem, quodque ſine cauſſâ ipſam vulgaſſent cenſuram; quòd de ſacroſanctis Fidei capitibus quæſtiones referre neglexiſſent ad Romanum Pontificem, ſupremum controuerſiarum Iudicem, more inſtitutoque maiorum. Deinde, cauſſâ diligenter cognitâ, cùm pronuntiare poſſet, dedit hoc gratiæ Archipræſulis Hauchini, vt omiſſo iudicio partes ageret Mediatoris, pacemque componeret: cuius ſtabilitati in perpetuum conſulturus, grauiſſimo edicto pœnam ſtatuit excommunicationis ipſo facto incurrendæ, ſi qua pars alteram hæreſeos aut erroris in poſterum damnare præſumeret. ad Templorum valuas toto Belgio pependit edictum.

Nuntius Apoſtolicus cauſſam cognoſcit.

Interim Leſſij dogmata ſanæ doctrinæ articuli vocabantur, haud ſanè

Doctrina Leſſij probatur.

nè indeliberatè. Nam Leſſius doctrinæ ſuæ capita Romam compendio miſerat, quæ Sixtus ipſe, cùm in ampliſſimo Cardinalium cœtu recenſerentur (vt erat Theologicarum rerum apprimè peritus) probauerat; Cardinales verò ſuper iis ſententiam rogati, vt ſanæ doctrinæ articulos comprobarant. Itaque Pontifex, quibus litteris inſtituerat iudicem, iiſdem aſſertiones noſtras ſanæ doctrinæ articulos vocabat; quæ ipſa verba Nuntius edicto ſuo, haud leue doctrinæ Leſſianæ ſuffragium, inſerenda putauit. Atque hunc tandem exitum ea tempeſtas habuit, quæ naufragium minabatur: cuius auctor ſatanas ille veterator Catholicos Doctores inter ſe tunc maximè committebat, cùm neceſſarij eſſent ad Orthodoxæ Religionis tutelam. illis ſiquidem mutuâ implicatis pugnâ, viresque inuicem atterentibus, reſpirabat hæreſis ſecura belli, & partes ſuas noſtrâ debilitate firmabat. Enimuerò poſteà multi ex Academiâ Doctores, relictis opinationibus ſuis tantâ contentione propugnatis, in Leſſij tranſiuêre ſententiam. quo facto viſi declarare, bellum illud non tam iudicio ac ratione, quàm vnius viri defendendi curâ, fuiſſe ſuſceptum.

Vita noſtra impugnatur.

Iam vita noſtra moresque quàm frequenter vapulant! quoties auarum, quoties ambitioſum genus hominum dicimur Ieſuitæ? & tamen neque auaritiæ neque ambitionis certa produntur argumenta. Primis Collegij Bruxellenſis annis ex Belgio in Hiſpaniam ad Regem aduerſus nos ſcripta eſt accuſatio. diuitiæ noſtræ immodicæ iactabantur, & præter eas inſatiabilis cupiditas habendi. Itaque ſeriò commonebatur Rex, videret, caueret, ne omnia denique Beneficia, Monaſteria, dignitates accederent Ieſuitis, nihilque iam eſſet quod benè merentibus ſubditis deinceps poſſet erogari. Excitatus hiſce monitoribus, Concilio ſuo Sanctiori demandat examen. Præſes Concilij Pamelius Coſterum Prouincialem Regis nomine interrogat de Collegiis, de perſonis, de prouentibus, cenſibus oneribusque. dantur omnia ſcripto. Senatus diligenter inquirit, compertâque veritate calumniam deteſtatus, & egeſtati noſtræ ſeriò condolens, dat quatuor ex Ordine ſuo lectiſſimos viros cum Prouinciale circumſpecturos rationem iuuandorum Collegiorum. Quatuor congreſsibus concepta res, & in Concilio ſignata, in Hiſpaniam mittitur, Ducis Parmenſis totiusque nomine Senatus. Grauiter pro merito Rex tulit adeò falſos accuſatores, & multum ſe Belgis Patribus debere profeſſus, eorum paupertatem modis omnibus leuandam ſuſcepit. Itaque ſuggeſtam à Senatu rationem non probauit ſolùm, ſed ſuâ ipſe manu notauit prætereà quædam iuuandis opportuna Collegiis. Verùm optimæ Regis voluntati ſucceſſus defuit, prauâ quorumdam hominum interuentione. Nam biennio toto preſſum Regis reſponſum. Deinde, ſtudiis ad Paſtorum erigenda Seminaria conuerſis, Societas neglecta. Quod vbi ſenſit fraude agi Coſterus, mandata Regis vrgenda exiſtimauit. At illi homines beneuoli nouâ arte os Prouinciali ſublinere conati, ſuadebant potiùs Eccleſiarum Collegiatarum & Cathedralium Beneficia nonnulla conuerti in Collegiorum fundationem. iamque ſuum illud conſilium probauerant Regi, & ex Hiſpaniâ Belgici Senatus Præſes, datis ad Prouincialem litteris,

teris, argumenta ſcribebat. Immotus ad ea Coſterus liberè fatebatur, non aliò hanc liberalitatem ſpectare, quàm ad Societatis interitum, concitatis in eam Epiſcopis, Canonicis, Clero Belgarum vniuerſo. Proinde grates de oblatis facultatibus agebat; ſed quibus optabilior eſſet quantacumque paupertas. Poſt repudiata Canonicorum Beneficia, Prioratus offeruntur; quorum collatio non ad Regem, ſed ad Galliæ Abbates pertinebat. Hoc quoque erat odioſum, & Abbatum Belgarum multi in nos armabantur, iure queſti, à Gallis viciſſim occupandos Prioratus ſuos, magnâ vtrimque confuſione. Huiuſcemodi diſceptationibus ducebatur res, cùm pertæſa moleſtiarum Societas, ſuâ ſe paupertate inuoluens, conquieuit, magnum apud Proceres ac Senatum modeſtiæ nomen indepta, quouis auro pretioſius.

An Ieſuitæ auari. Eſto, inquies, defuerint tunc opes; at non defuit appetitus. ſed neque nunc illæ deſunt. Nam quid auguſtæ templorum moles, quid parietes auro, argento, marmore incruſtati, quid veſtitæ picturis trabes, quid domus magnificæ, quid agri, fundi, cenſus Religioſámne paupertatem an Regales diuitias loquuntur? Quin ſuper hæc etiam arguimur inhiare inſidiarique morientium teſtamentis, & nouum quoddam vitæ genus inuexiſſe mulierum Deo deuotarum, quarum re nos lautè viuamus, noſtrâ illis paupertate tranſſcriptâ. Denique in hoc genere tam multa liberè iactantur à multis, quaſi omnium oculis manibuſque teneretur iam comperta, conuicta, damnata noſtra auaritia. à cuius tamen ſordibus cum bono Deo quantum abſimus, etſi non eſt inſtituti mei hoc loco diſputare; non tamen poſſum, quin, quod Antuerpiæ contigit anno ſuperioris ſæculi LXXIV. in noſtræ ſcilicet tantoperè exaggeratæ cupiditatis ſpecimen breuiter adducam. Infeſtis ſignis vrbem ingreſſus erat miles ſeditioſus, atque inter ſe partiti opulentiorum domos, ſuperbè denuntiant Requeſenio Belgarum Gubernatori, nî ſtipendia illicò ſoluat, ſe ſibi ſuo arbitratu ſoluturos. In hoc periculo partim ciues imperatâ ſibi certâ pecuniæ ſummâ, partim Requeſenius ære Regio & ſuo tumultuantem militem placauere: ad quem iam numeratis ſtipendiis diuitem adeuntes pauperum plerique, & Mendicantium Ordinum Religioſi, ſtipem benè lautam abſtulere. (Strada de Bello Belg.) Fuit inter illos vnica Familia, quæ quatuor florenorum millibus donata eſt. At milites vbi in tanto petentium numero neminem notabant Societatis hominem, ac ſcirent tamen ob aſſiduos in caſtris labores & impenſa ægrotis miniſteria plus ſe nobis quàm ceteris debere; vnum aliquem ſubmiſere de ſuis, qui & nos ad accipiendum beneficium inuitaret. Sed, actis homini gratiis, negauimus quidquam antè accipere, quàm malè ablata ciuibus redderentur. Illi nihil reſponſo offenſi, haud exiguam nummorum ſummam ſponte conflatam attulere ad Collegium: ad quos Patrum aliquis egreſſus, docet eorum liberalitatem non reijci à ſe quaſi Familiæ ſuæ neceſſitatibus non opportunam, ſed quòd nec Deo nec ſibi gratæ eſſent largitiones ex alieno. Subleuarent potiùs tenuiorum ciuium indigentiam, atque hoc pacto offenſæ ciuitatis gratiam inirent, quam iniuſtè occupatis direptiſque domibus vexaſſent. Ad hanc vocem religione tacti, & præteritam culpam quà poſſent expiaturi,

ti, cœpêre nouo exemplo multa distribuere in ciues, multa per vim ablata reddere, tantâ Magistratus admiratione comprobationeque, vt Societatem, cuius id operâ fiebat, laudari publicè pro concione voluerit ac grates agi.

Haud ita multò pòst aliud geminum auaritiæ suæ documentum in eâdem vrbe Societas dedit: nam anno M. D. LXXVI. rebus intempestiuâ Requesenij morte turbatis, dum Hispano militi periculum creatur, ipse, desperato quodam furore, impendentem sibi cladem ciuili clade præuertit. Post expilatam vrbem, par militum, deprehenso crimine, Iudex damnabat mortis, factâ priùs testandi potestate. Testaturis suadebant nostri, vt quæ in vrbis deprædatione rapuerant, restitui dominis iuberent. Et alteri eorum haud difficulter persuasum: alter ad hæc monita surdus, condito testamento, varia variis Monasteriis legabat, & Societati etiam nostræ aureos trecentos. Id vbi rescitum, continuò Patrum aliquis in carcerem ingressus, postulatis testamenti tabulis, inspectante ipso testatore, eas lineas quæ ad nos pertinebant atramento induxit, negans Societatem donari velle malè partis opibus: quas sanè iis redderet, si consultum quidem saluti vellet suæ, à quibus iniustè abstulisset. Liberè dictum, magnâ omnium approbatione acceptum est. Nec tamen defuit (vt plus æquo pronos videas homines, aliàs bonos, in habendâ calumniis contra nos fide, siue id fatum quoddam nostrum est, siue aliorum non bona æmulatio) non, inquam, defuit, qui, re aliter auditâ creditâque, quasi non nostrum, sed alterius Religiosi Ordinis legatum à nostro Sacerdote fuisset expunctum, cum grauissimo Cathedralis Ecclesiæ viro iniquitatis nostræ futuro teste perrexit in carcerem, inspectisque tabulis, erroris turpissimi conuictus, temerariam credulitatem suam voce & magis etiam rubore damnauit.

Ceterùm diuitiæ nostræ, si quis scire auet, hæ sunt. Professa domus Antuerpiæ meris viuit eleëmosynis. Collegia certos habere possunt redditus; qui pares si fuerint alendis capitibus pro cuiusque loci ratione necessariis, nullas prætereà eleëmosynas admittere fas est. At in omni nostrâ Prouinciâ omnino nullum adeò dotatum est, vt absque eleëmosynarum subsidio par sit numero alendorum. Pleraque etiam grauiter obærata sub onere paupertatis gemunt. Et tamen fuit famosi libelli architectus, qui viginti quinque Præmonstratensium Monasteria in Belgio, cum triginta millibus librarum pensionis annuæ, à Iesuitis occupari scripsit, tam confidenti asseueratione, quasi Sibyllæ folium recitaret. Habitatio autem plerisque adhuc vrbibus angusta est miseraque, vix vt cubicula sufficiant, non dico commoda, sed quæ à ventorum imbriumque iniuriâ tueantur. In cubiculis verò ipsis ornamenta nulla aut supellex, præter culcitram, sedem, mensam, necessaria studiorum instrumenta. Iam victus vestitusque quid habet non dignum Religiosâ paupertate? quotidianam mensæ frugalitatem mirantur, qui sciunt; qui nesciunt, & lautos nos putant, haud diu, opinor, lautitiam istam ferant, si sit animus experiri. Vestis vnica singulis, & modesta. Quid igitur opulentum, quid immoderatum in Iesuitis? aut in quo sitæ illæ diuitiæ, quas dicimur possidere? Verùm, vt dixi, non est consilium

P. Argent. ad Regem Poloniæ in Apologiâ.

partes defenſionis agere aduerſus inuidorum, vel certè res noſtras ignorantium maledicta, ſed oſtendere nos Iesv nomine inſignitos in Belgio quoque poſitos eſſe in ſignum cui contradicatur.

Societas ambitionis arguitur.

Habemur multis ambitioſum genus hominum Ieſuitæ, intolerabili excellentiæ appetitu, hinc affectare Principum aulas, omnium iura inuadere, doctrinam nobis omnem & ſapientiam arrogare, quaſi nobiſcum nata ſit, nobiſcum moritura. Hiſce nos ornant præconiis intemperanti homines linguâ, in calumniando ſemper eloquentes. neque leuem ſubinde apud Magiſtratus ſacros ac profanos, apud alios Religioſos Ordines inuidiam nobis peperere: quæ tamen ſenſim quaſi fumus aut atra nubes euaneſcens, moderationem noſtram cum luce detexit. Enimuerò, quamuis quæ in vitam noſtram moresque iactantur, nata ſint auertere Belgarum animos ab amandâ Societate; plurium tamen, vincente inuidiam virtute, creſcit erga nos beneuolentia, vt iam iſtiuſmodi iniurias, niſi quà Dei offenſam habent, beneficia putemus.

Societatis functiones impugnatæ.

Sed functiones noſtras, in animorum ſalutem ſanctiſſimè inſtitutas, impugnari, turbari, impediri, cauſſa eſt iuſtiſſimi doloris. Quoties concionibus noſtris reclamauit, quæ perſtringebatur vitæ licentia? quoties ingratos oratores, quòd minimè placentia loquerentur, exagitauit? Leowardiæ Boccatius in æde maximâ ſpem conceperat vberrimæ meſſis, ſi faciendæ ſementis facultas diuturnior fuiſſet. Clerus loci, cùm vitæ eſſet non optimæ, non diu ſuſtinuit hominem in vitia moresque malos inuehentem. Ergo illâ expulſus cathedrâ, ad D. Franciſci Cœnobitas tranſiit; à quibus in ſuggeſtum productus, cùm eumdem retineret dicendi modum, non retinuit ſtationem. Quippe iam hoc agebat Clerus, vt iſtis Patribus conſueta vitæ præſidia negarentur, ſi non zelotem illum abs ſeſe dimitterent. Boccatius ne damno eſſet, quibus gratiam debebat, è Monaſterio in Hoſpitalem D. Antonij domum ſe tranſtulit; vbi loco, non animo mutatus, Apoſtolicam tenuit libertatem, Deo vtique fidelem ſeruum ſeſe non probaturus, ſi adhuc hominibus placuiſſet. Et erat ſanè in pretio & honore apud bonos: ſed qui Chriſtianam veritatem oderant, ab eo tamquam à funeſtâ peſte abhorrebant; prodeuntemque in publicum ſannis ac ſibilis inſtar monſtri formidabilis impetebant.

Quid? confeſſionum audiendarum fructuoſiſſimum munus, quoties & quàm indignè calumnia traduxit! quoties impediuit inuidia, confictis ad mortales abſterrendos fabulis, quas enarrare prohibeor verecundiâ!

In Sodalitates Marianas, cùm primùm ortæ ſunt, quæ non probra congeſta! Aiebant alicubi hoc Ieſuitico inuento emungendum à ciuibus æs; maritos paulatim ad continentiam coarctandos cum graui iniuriâ thori; nullum totâ vrbe tutum fore à cenſoribus angulum, publica omnia priuataque errata ad directorem Ieſuitam ex Sodalitatis lege delaturis. Huiuſcemodi fabulas canebant populo, etiam ſacrati Deo viri; quibus non vno hoc, ſed multis nominibus, eâ in vrbe egregium exercitatæ patientiæ meritum Societas debet.

Scholæ autem noſtræ quot tempeſtatibus iactatæ, & propter ſcholas quibus non dentibus fama nominis laniata! Anno nono ac vigeſimo

ſupra

ſupra ſexcenteſimum Athi Gallo-Belgicę Prouinciæ Patres vix docendæ iuuentuti ludum aperuerant; cùm aduerſantium aliquis homo potens,& apud Iſabellam Archiducem in primis gratioſus, ſcholas illas vix benè natas in ortu ſuo ſuffocaturus, ex vicinis oppidis Aloſto & Gerardimontio inſignem calumniam accerſit, eâque conatus ſuos adiuuans libellum criminationibus grauem à ſe conſarcinatum Priuato Principis Concilio repræſentat. Primùm accuſabat Aloſtanos Patres conatos inuadere bona Gerardimontenſis Beginagij, & Hoſpitalis pauperum domus, præter mille ducentos florenos ab illius loci Magiſtratibus promiſſos. Deinde affirmabat, Clerum, Senatum, populumque Aloſtanum duci pœnitentiâ admiſſæ Societatis, ac ſcholarum ei traditarum; iamque ſerò infectum optare, quod fallaciis circumuenti, non tam voluntate, quàm errore, feciſſent. Calumniam grauem faciebat calumniantis auctoritas; ſed hanc facilè eleuarunt grauiſſima vtriuſque vrbis teſtimonia,publicis conſignata tabulis: quæ vt abundè noſtram aſſeruere innocentiam, ita falsò accuſatæ perpetuum exſtant monumentum. Prætermitto dicere, non vno loco vel negatas vel ſerò admodum conceſſas ſcholas, hauſto ex calumniis metu, ne malis artibus ingenioſiſſimum quemque ditiſſimumque in Societatem ingredi compelleremus. taceo ſubſidia Magiſtris alendis, vel à principio negata; vel, poſtquam conceſſa erant, ſubtracta. taceo inuitatos in partem æmulos, quaſi non plus laboris quàm gloriæ diuiſuros. Quin extra vrbes quoque peregrinantem aperto rure virtutem ſubſecuta inuidia perſuaſit ruſticanis, haud fruſtrà Patres forenſibus catechiſmis & concionibus inſtare;compenſandam breuî eorum operam nouis vectigalibus imperatis. Ita rudes illi à nobis abſterriti continebant domi liberos, neque ipſi prodibant, donec mendacio detractus color oſtendit fabulæ vanitatem.

Sed antiqua mittamus.Recens Communionis Generalis vſus quantum nuper habuit negotij, quas ſuſtinuit obtrectationes! indignum commemorare, nec laudem noſtram ex talium virorum ignominiâ quærimus. Sanè dum ſtatas alibi in Parœciis conciones ſupplicationeſque, alibi catechiſmos in vindictam eripuere; non ſatis viſi ſunt animaduertere, ſolum nobis laborem, at Chriſtiano populo fructum ſalutarem, Deo gloriam detrahi. Ita vix vllum nouæ pietatis excitamentum inuexit Societas, quin iſto,velut pretio, nouam inuidiam, nouaſque emerit offenſiones. Atque harum, quas adhuc retuli, iniuriarum leuior haud paulò foret ſenſus,niſi inferrent ij, quos beneuolentiſſimos par erat experiri. Etenim non paucos videas acceptis à Societate beneficiis graues, non modò nullam referre gratiam, ſed magnis odiis aduerſus nos pugnare; perinde quaſi collatis in eos meritis inimicitias nobis paciſci voluiſſe videamur. Nimirum indoles quibuſdam hominibus viperina eſt; non poſſunt, quin benè merentibus ſint ingrati,quin amori odium reddant, quin malefactis benefacta compenſent. Scio quoſdam, cùm in nos furerent, interrogatos, ecquâ in re læſos ſe à Societate meminiſſent, conuictos animi conſcientiâ tacuiſſe: nihílne accepiſſent boni? eâdem vrgente conſcientiâ, multa numeraſſe beneficia,iam inde ab ipſis quas frequentarant ſcholis; ac tum demum animaduertiſſe, *Multorum erga Societatem ingratitudo.*

ſuum odium non ratione aliquâ, ſed vel malitiâ vel errore ſuſceptum. Quæ duo verba ſi ſecum reputarent multi, quid mali à nobis paſſi ſint, quid acceperint boni; hodie credo nobis amiciſſimos futuros. Sed ſatis ſit: nec enim fas de iniuriâ queri quibus Apoſtolico more profeſſio eſt gaudere, quoniam digni habiti ſumus pro nomine IESV contumeliam pati. Quin ſi vel ſolâ ratione ducimur, adeò non iraſci, non vindictæ ſtudio nos agi par eſt, vt & grates noſtris hoſtibus magnas debeamus de occaſione virtutis. Vt enim aromata ſi conterantur, maiorem ſpirant fragrantiam; ita ſuauiorem ſui odorem ſpargit, dum premitur Societas.

CAPVT QVINTVM.

Honor Societatis Flandro-Belgicæ, ſiue illuſtres in eâ viri, & quædam Principum ac Sapientum teſtimonia.

2. Cor. 3. Eccli. 44. INcipimus iterum noſmetipſos commendare? abſit; ſed, quod ſuadet Siracides, *laudamus viros glorioſos & parentes noſtros in generatione ſuâ*, & quidem primâ: nam generationes noſtras ſæculis numeramus. Indignum ſit cum primo ſæculo dimittere primorum memoriam parentum. Retinendi illi ſunt, ſaltem in imagine, & poſteris ſiſtendi in exemplum. Vultus ipſos & corporum lineamenta depingit amans maiorum progenies, & in picturis auos atauoſque ſibi repræſentat: quantò potiori iure animorum effigies exprimenda non penicillo, ſed calamo, & calamum ſecuturâ (nam ad hoc ſcribimus) imitatione? Ceterùm duplex laudandorum genus ſeſe offert. Alij Belgæ ſunt; alij non quidem Belgæ, ſed in Belgio clari; quibus, quòd diu vixerint apud nos, perinde vt Belgis, meritò gloriamur. vtrorumque ingens copia, neque huius capitis anguſtiis comprehendenda. Quare conſilium eſt imitari magnis epulis accumbentes, quos in exquiſitâ ferculorum varietate vnum videas alterumque quæ magis ad manum ſunt guſtare, cetera relinquere; non contemptu vllius aliquo, ſed ſatietate paucorum.

Primam Prouinciæ noſtræ gloriam Decemuiros fatemur; quorum pars magna, peragrato Belgio, non tam pedum quàm virtutum impreſſa veſtigia reliquit. Princeps longè ante alios Ignatius noſtri Ordinis Patriarcha. Hunc Hiſpaniæ ſuæ finibus egreſſum accepere Pariſij; vnde grauis eum egeſtas in hanc patriam expulit ad ſtipem emendicandam, ſuſtentandæ in ſtudiis vitæ neceſſariam. Brugas præcipuè liberales Antuerpiamque ſenſit. Ac Brugis quidem adiutus in primis à Gonſaluo Aguillere, & Ludouico Viue, hoc eximiæ eruditionis, illo magnarum opum; vtroque primæ auctoritatis & prudentiæ viro. Ac de Ludouico quidem ſuprà dictum eſt: Gonſaluus verò tantopere delectabatur Ignatio, vt Lutetiam aliquando exigente mercatu profectus, ne amiciſſimi hominis conſuetudine careret, idem ſibi cum illo cubiculum acceperit vtendum. At Antuerpiæ in Ioannis Cuellar ædibus hoſpitatum, magno ambitu piâque contentione à mercatorum primis ad cœnam vocari ſolitum, multi hodieque memorant, qui parentes ſuos ſæpè narrantes audiuere.

S. Ignatius frequens in Belgio.

Ex illo Ignatius & nouisse Belgas,& præcipuo cœpit amore complecti. Eorum haud ferè quisquam illo viuo ad Societatem accessit, quem non ad se Romam euocatum singulari voluntatis propensione adamarit. Quin vel ad propagandam vel gubernandam in Italiâ, Siciliâ, Galliâ, Germaniâ Societatem, magnopere vsus est Belgis. Iam quanta illius cura, quàm seduli conatus in impetrandâ vel à Carolo Cæsare, vel à Philippo Rege, Societatis in Belgium admissione? Sed nihil æquè Ignatij affectum prodit, vt cælestium beneficiorum ingens copia, quibus Belgas suos in hodiernum diem prosecutus est. Prætermitto dicere illius manifesto impulsu iniectam Regi mentem, vt, quod frustrà tam diu totque patrociniis ac precibus postulatum erat, vltrò iam ipse Societatem donaret iure Belgij, tertio scilicet post Ignatij è mortalibus excessum die. Rerum, quas supra omnem naturæ vim innumerabiles patrauit, Belgarum prece & votis imploratus, vnam hîc alteramque Episcopali examine iudicioque firmatam, in medium non grauabor adducere. *amauit Belgas.*

Quintus decimus est annus, ex quo Maria Cakelaria virgo Mechliniensis quàm grande tam certum ab illo beneficium accepit. Ex cauterio imperitè inusto afflictus erat tibiæ neruus, & vena perrupta, vnde ingens tumor & exulceratio. Quoties ad purgandam suppurationem fascia soluebatur, vnciæ sanguinis minimùm quaternæ, subinde denæ manabant; neque supprimi fluxus arte vllâ poterat. Ad hæc tibiam affectam binis palmis breuiorem fecerat contractio neruorum. In tot malis cùm humana omnia deficerent, ad Ignatij auxilium virgo conuertitur, vota concipit, aquam illius honori benedictam adhibet tibiæ, & statim sentit leuamen. Vrgebatur desiderio sanitatis, cui, vt putabat, accelerandæ dum præter aquam alia vsurpat medicamenta, recruduit malum. Ergo iis valere iussis, solam denuò adhibet aquam; cuius solius vsu non sanè diuturno & vlcus curatum est, & iusta tibiæ rediit longitudo. Res in examen adducta, testes habuit iuratos medicinæ peritissimos: quibus auditis, Archiepiscopus Mechliniensis publicâ sententiâ fidem miraculo adstruxit. *Miracula S. Ignatij in Belgio.*

Burburgi, oppido Flandriæ quà Galliam respicit, Ioanna Teresia, virgo Religiosa Franciscani Ordinis, grauissimis prostrata morbis, depositaque à medicis, Extremâ Vnctione ad agonem parabatur, cùm ad malorum cumulum etiam cæcitas accessit. Subinde Prętoris Burburgani coniux visitat moribundam, ac narrat sibi esse domi lipsanothecam cum aliquâ D. Ignatij particulâ venerandam, & audisse quosdam in magnis morbis hinc præsens expertos esse solatium. Ægra continuò sacras Reliquias exposcit spe alterutrâ, vel recuperandæ sanitatis, vel (quod pronius videbatur) finiendorum acceleratâ morte cruciatuum; quibus ferendis iam impar erat patientia. Ergo affertur theca, collo laborantis appenditur, circumstantes pro eâ supplicant Ignatio. Haud longa fuit mora: liquor rubeus quasi sanguine tinctus eiicitur per fauces: sequitur brachiorum motio, quorum anteà vel leuissimum attactum præ doloris sensu minimè ferebat. Quid multa? postero die visum recipit, & vires, & cibi summè fastiditi appetentiam; verbo, sanitatem adeò perfectam,

fectam, vt tot morborum vestigium nullum remaneret. Aduocatur Medicus, stupet, vim agnoscit humanâ maiorem: iubet de lectulo surgere, & vitam viuere communem. Illa cum ceteris Sanctimonialibus in templum Parochiale ingreditur. fit hominum concursus: vident sanam ac valentem, paulò antè morituram. miraculum inclamatur. Testium exceptione maiorum, ipsiusque in primis Medici, suffragia colliguntur: res tabulis publicis inscribitur; quas Pastor & Decanus & Senatorum aliqui suâ manu signant. Antistes Audomarensis (cui oppidum subest in sacris) post accuratam inquisitionem, Episcopali auctoritate miraculum pronuntiauit. Porrò in grati animi monumentum erecta illic in primario templo ara sancto Patri Ignatio, eiusque anniuersarius dies solenni sacrificio celebratur, ac multis ciuium colitur pro festo: iamque vsus obtinuit, vt nostrûm aliquis eo die de Beati viri laudibus dicat frequenti semper concione.

Illustre & illud multoque recentius Antuerpiæ contigit in Mariâ Bonnieriâ virgine, quæ quartum iam annum ægra decumbebat, & biennio quidem toto affixa hærebat lecto continenter, viribus adeò imbecilla, vt neque pedibus insistere, nec vestibus se induere, plerumque etiam nec manus pedesque commouere posset. scaturigo mali erat, lienis, vteri iecinorisque obstructio; quæ dein in scirrhos conuersa, immedicabile fecerat vitium. Eò propiùs à periculo iam abesse videbatur, quòd per dolores hypochondriorum frequens animo linqueretur, ad denas, ad vicenas, ad quadragenas etiam horas; quòd crura & abdomen euidente intercutis aquæ vitio intumuissent; quòd nerui essent contracti, palatum pustulis exulceratum & fœdè hians, totum corpus liuentibus maculis conspersum. In tantâ congerie morborum, spem vitæ nullam habebat; magnum mortis desiderium, quò tot liberaretur ærumnis. Ad extremum, auctore Confessario, Ignatianas reliquias reuerenter ad collum appendi permittit; conceptâque in viri sancti meritis fiduciâ, dolores primùm quidem intolerabiliter augeri sentit; sed mox in suauem soporem post octo dierum insomnia resoluitur: quem cùm ad horas quinque cepisset, experrecta vegetam prorsus ac sanam se comperit. Itaque sororem, quæ haud longè aberat, simul & miraculum inclamat. vestes poscit, induitur per se ipsa, lecto surgit, pedibus insistit, cubiculum inambulat nihil alienæ iam opis indigens. Mox ad prodigium concurrere vicinia, stupere Medici, ipsa domum nostram aduolare, Deo & S. Ignatio sospitatori suo grates agere. Tantâ rei famâ permotus Antistes vrbis Gaspar Nemius, non ita pridem tum inauguratus, duos Ecclesiæ Cathedralis Canonicos graues viros & eruditos iussit diligenter inquirere. Ab his testes quindecim ex innumeris auditi. deinde cum Theologis habitâ consultatione fides miraculo constitit, ac pro eo habendum prædicandumque Episcopus pronuntiauit.

Vix triennium est ex quo Ruræmundæ patrocinium suum probauit Ignatius in ipsius Medici filiolâ, quam grauis aliquot dierum languor adeò exhauserat, vix vt ossibus hæreret. Suspicio maleficij erat, quia caussa morbi nulla apparebat. Parens victam fassus artem, concepto voto aquam Ignatianam filiæ potandam dedit. Exinde melior valetu-
do,

do, & paucos intra dies plena. Parens examinatus, & præter eum alius Medicus, prodigiosam sanitatem asseruere. Antistes loci ritè confirmauit. Sanè ipsa ciuitas Ruræmunda pestem Ignatij ope sæpiùs aut depulsam, aut latiùs serpere prohibitam, publico fatetur testimonio; moremque iam habet, quoties ab eâ periculum impendet, ad Diui confugere patrocinium, accenso ante eius imaginem cereo multarum librarum, Senatus populique nomine præfixo; fuitque, cùm annis totis quotidie eiusmodi cereus luceret.

Hæc sunt nonnulla ex Ignatij beneficiis in Belgas collatis: plura, quamuis paria dignitate, non est animus in medium proferre; nec, si sit animus, est facultas in hac tantâ breuitate. Volumen ipsum, & benè magnum, postulent, quæ in pariendi labore, in peste, in maleficiis, in omni morborum genere curationes vndique innumerabiles afferuntur. Intereà Belgæ tantis viri meritis haudquaquam viuere sustinent ingrati. Etenim si quæ bona præstantur filiis, redundare censentur in patrem; haud sanè scio gentiúmne vlla de Ignatio adhuc studeat meliùs mereri. Angustos fines habet Belgium Catholicum, iamque annis propè octoginta grauissimis intestini belli laborat incommodis; ac nihilominùs terrarum nullam sol videt paribus comprehensam spatiis, quæ Sociorum numero vincat aut Collegiorum. Iam verò cultum honoremque Ignatio à Belgis habitum, cùm sæpè aliàs, tum illo potissimùm tempore, quo in Diuos à Gregorio XV. Pontifice Maximo solennibus cærimoniis relatus est, propè maiorem fide omnis admirabitur posteritas. Quid magnifica sacella dicam, arasque marmoreas honori illius positas, Antuerpiæ, Bruxellis, Gandaui, aliisque vrbibus, arte cum pretio certante? Nec modò in Societatis nostræ templis, sed in Parochialibus quoque & Collegiatis non vnâ vrbe, aram suam & effigiem, & quotannis solennem cultum, obtinuit Ignatius. Ac ne longiùs abeam, hic ipse annus sæcularis, tanto vbique Belgarum gaudio, tam inusitatis triumphis celebratus, satis superque quo sint animo in sanctissimum Patrem, eiusque filios, declarat.

S. Xauerius colitur in Belgio, & miraculis claret.

Non hîc possum tacitus præterire Franciscum Xauerium, simillimam Ignatij imaginem: cuius vestigiis, quod quidem constet, tametsi terra nostra calcata non est, tamen Belgarum animis altè impressus sedet amor, & ingens viri veneratio. Nec reciproca illius in nos beneficia desiderantur. Dunkercam solam, nostrarum vrbium propè minimam, appello. Petrus Normannus, nauigij bellici Xaueriano nomine insigniti Præfectus, opulentam prædam hosti ereptam impositâ suorum paruâ manu in portum inuehendam miserat. Haud procul portu tres Batauorum naues bellicæ aduolant, recuperaturæ prædam. Nostri viribus longè impares, periculique præsentis magnitudine exterriti, votum nuncupant Xauerio. Repentè oborta caligo, eos conspectu hostium ereptos, leni flatu in Mardicanum portum feliciter appellit. At Normannus eodem itinere ingentem nactus Hollandicam acerrimè dimicabat, appensis ad supremum malum Xaurij lipsanis, cùm hostis grande ferrum globo vtrimque armatum in confertam nostrorum classiariorum turbam eiaculatur. Mira res, illæsis omnibus illa pestis sine

 damno

damno ad malum principem corruit, tamquam Diui reliquias veneraretur. Mox tormento nostro imponitur, excutiturque in hostem, tantâ laceratione nauigij, vt, nî se dederet, certò fuerit fluctibus hauriendum.

Similem armati ferri innocentiam, implorata Xauerij ope, expertus est in eâdem naui Normanno suffectus Ioannes Vercliten. At Ioannes Vriensius dum mare decurrit minore nauigio, & vetustate suâ propè fatiscente, in hostilem viginti onustam tormentis imprudenter incurrit. Perculsis iusto metu epibatis (erant enim meritò in mare dandi tantillo lembo piraticam agentes) ipse confidenter malo appensâ lipsanothecâ, Macti virtute, inquit, commilitones; nihil in præsens aut nauis aut vestra corpora patientur. si fallo, reum fluctibus præcipitate. Adhuc loquenti glans ab hoste iam vicino in pectus adacta, ante pedes innoxia concidit. Mox & ventus, adspirante vtique Xauerio, lembum eripit præsenti exitio, hostiumque conspectu. quâ fortunâ exultantes nautas haud leuius à procellâ ingrauescente discrimen tantùm-non perdidit: sed reliquiis Xauerianis in pelagus fune demissis, Nauarchus similis vaticinanti, Iam remis opus habebimus, Socij, & ventos, inquit, implorabimus, quos nunc patrono Xauerio deprecamur. Fidem dicti probauit euentus. Quo spectaculo attonitus captiuorum aliquis, Caluinianam hæresim è vestigio abiurauit. Huiusmodi portentis tanta Diuo apud nauticos conciliata existimatio, vt conscensuri Reliquiarum aliquid suppliciter petant, certissimum aduersus hostes tempestatesque præsidium. Iam ægrotis mortalibus quoties restituta sanitas ope Xaueriana?

Priuata ista sunt: hoc publicum, quod in Chronico Belgico Miræus, & Annales nostri, haud sanè otiosè obseruant. Anno sæculi vigesimo secundo, nocte Kalendas Decembres insecutâ, Mauritius Comes numerosâ ac validâ classe Antuerpiam petebat, iamque spe deuorauerat, professus solos obstare posse Superos susceptæ expeditioni. Superbam vocem excepit improuisa tempestas; quâ, nauibus inter se collisis, subitoque gelu rudentibus constipatis, propius nihil fuit, quàm vt Mauritius ipse cum suorum plurimis periret. Cælestis procul dubio ea vis fuit; & passim Antuerpienses diuo Xauerio, cuius dies proximè illucescebat, acceptum beneficium referebant. hoc magis, quòd eodem die Marchio Spinola, machinationum hostilium ignarus, in castris iuxta Ruræmundam eum patronum elegerat Regij exercitus, quem ducebat.

Petrus Faber in Belgio, Decemuirorum alter Belgium illustrauit Petrus Faber, primum sidus post solem Ignatium. Sanè Fabro, si verum quæritur, sua potissimùm incunabula debet Belgica Societas. Louanium venit famâ nominis iamdudum notus, ob res præclarè in Germaniâ gestas: præsens famam virtute superauit. Consulebat Fabrum, quamuis morbo decumbentem, grauissimus quisque; erantque responsa eius oracula. Plurimos, etiam præcipuâ dignitate viros, piis commentationibus exercuit: plurimos, ac ferè lectissimum Academiæ florem, Societati aggregauit; aliis Religionibus nihilo transcripsit pauciores: feminarum Cœnobiis certam Religiosæ vitæ formam postulantibus scripto tradidit: Franciscum Stradam eloquentiæ prodigium ipse armauit, produxitque in arenam:

arenam: Cornelium Vishauæum magnis experimentis in perfectiſſimum vitæ ſpiritalis Magiſtrum efformauit: denique Traiecti ad Moſam, quà priuatis colloquiis, quà concionibus publicis, primam Societati ad obtinendum deinde Collegium peperit commendationem: quorum pleraque ſuprà commemorata ſunt.

Poſt Fabrum illuxit Belgio Iacobus Lainius, alter ab Ignatio Præpoſitus Generalis: cui viro aliúmne doctrinâ, ſapientiâ, eloquentiâ, grauitate parem ætas ſæcularis tulerit, neſcio. Hic Antuerpiani iecit fundamenta Collegij; Louanienſes Socios graui preſſos inuidiâ ſubleuauit; Margaretam Auſtriaco-Parmenſem, Belgij eâ tempeſtate Gubernatricem, quamuis per ſe nobis addictam, maiore inflammauit affectu; Granuellanum Cardinalem deuinxit; Viglio, Sanctioris Senatus Præſidi, noſtrum Inſtitutum inuictis rationibus probauit. *& Iacobus Lainius Præpoſitus Generalis,*

Alphonſus verò Salmeron ſcriptis in nouum Teſtamentum Commentariis celeberrimus, iteratò Belgium ſuâ luce recreauit: duos Cardinales diuerſo tempore ad Philippum Regem Legatos ſupremo Romani Pontificis imperio ſecutus. Paſchaſius denique Broëtus natale ſolum habuit Belgium in agro Cameracenſi. Nam quòd Picardus vulgò exiſtimatus ſit, hac cauſsâ factum: Flagrante inter Auſtriacam Valeſiamque Domum bello, Broëtus, ne Pariſiorum vrbe, vbi ſtudiis operam nauabat, excedere cogeretur, pro Picardo ſe geſſit, proque eo exinde habitus eſt: id quod non ſemel P. Roberto Claiſſonio, quicum familiariter vixit in Galliâ, narrauit ipſe, & à Claiſſonio noſtri Seniores audiuere. *& Alphonſus Salmeron. Paſchaſius Broëtus ex decem primis, Belga.*

Præter hos quinque ex decemuiratu Patres, alij quoque illuſtres viri aliunde orti vixere apud nos, & cælo Belgico claruere. Hieronymus Domeneccus, quem primum Siciliæ Prouincialem viuens Ignatius inſtituit; Franciſcus Strada, ab eodem Ignatio Prouinciæ Aragoniæ Præfectus; Andreas Ouiedus, qui poſt Nunnium Barretum Æthiopiæ Patriarcha inediam, vincula, carceris pædorem ac dura omnia incredibili conſtantiâ perpeſſus, nihil magnis Martyribus diſtare creditur; Hieronymus Natalis, qui pro Ignatio Ignatiique ſucceſſore Lainio vniuerſam luſtrans Societatem, vnaque Conſtitutiones promulgans, cùm veniſſet Louanium, tantâ ſe voluptate ex Sociorum integerrimâ vitâ perfundi fatebatur, vt perpetuò iſtic degere peroptaret. Eo præſente, prima Prouinciæ Comitia celebrata; lectuſque Maximilianus Capella primus in Vrbem iturus Procurator, is quem Louanij inter nouemdecim Belgas vno tempore Societati adiunctos, Petrus Faber in Luſitaniam mittere parabat. Sed Capella mox ſecum ipſe pugnans, manendum cum ſuis ſtatuebat magis quàm abeundum cum alienis. eamque mentem haud parum firmauerat auditus primæ notæ Concionator, in leuitatem hominum inuehens, quòd ad vnius adoleſcentis vocem (Stradam deſignabat) tantâ exſpectatione concurrerent. Placuit tamen officij cauſsâ, aut inſtigante potiùs Numine, poſtremam dicere Fabro ſalutem: quem cùm ad Vishauæi ædes offendiſſet Faber; ſalutaturum anteuertens, Anne & tu, inquit, Maximiliane nobiſcum? quam ille vocem tamquam cęlo miſſam accipiens, ſubitò reponit, Volo & ego vobiſcum, Pater. Inde in domum ingredi iuſſus, vbi Strada ſarcinas colligebat, *Domeneccus, Strada, Ouiedus, Natalis, in Belgio.*

duodeuiginti reperit eiusdem mentis lectissimos iuuenes: quibus aggregatus, ac domum redire pertæsus, clauem cubiculi amico tradit, supellectilem domesticam curaturo, transmissuroque ad parentes. Quid Heroës illos dicam, Edmundum Campianum, Robertum Sothuellum, Thomam Garnetum, Henricum Walpolum, Ioannem Ogilbæum, Dominicum Collinum, Camillum Constantium, aliosque quos ad martyrij gloriam Belgica nostra non genuit quidem, sed educauit? Camillum Alberti Principis stipendia merentem hoc ipso sæculo vidit Ostenda. Inde in meliorem transiit militiam IESV duce; cuius & castra in vltimos mundi fines secutus est, cui profudit & vitam. Hic ille est Camillus, quem Firandi in Iaponiâ ex ipsis flammis Belgico sermone perorantem audiuit Batauus, eò tum fortè suis nauibus appulsus: cui quamquam iucundum erat spectaculum ardens Iesuita, tamen viri animus constantiaque stupori fuit, & obtinuit vel ab hoste præconium. Collinus quoque ex equestris turmæ apud nos ductore CHRISTI miles effectus, generosum sanguinem martyrio reseruauit. Campianus, nauatâ studiis operâ Duaci, diuino impulsu actus Romam, ab Euerardo Præposito Generali Societatem impetrauit. Walpolum Missio castrensis habuit aliquamdiu. Garnetum Societati protulit Audomarense Anglorum Seminarium sub Ægidij Schondonchi Brugensis institutione: Tironem habuit Louanium. Sothuellum docuit Lessius, illo dignus discipulo Magister. Ogilbæus è Scotorum Seminario, quod sub Societatis regimine olim Louanij, nunc Duaci est, nobis socius accessit.

Infinitum sit recensere nominatim illustres viros, qui aliunde orti, virtutum doctrinarumque lumen Societati Belgicæ intulere. Petrum certè Ribadeneiram tacitus præterire non possum, quo præcipuo apud Philippum Regem auctore Belgium possidemus. Is post Stradam Louanij nactus Latinæ campum eloquentiæ, præter admiranda multa, ingens illud Societati decus peperit Iacobum Ledesmam Hispanum, ingenij doctrinæque portentum, de quo infrà nonnihil erit commemorandum. Post Ribadeneiram, aliquot annorum interuallo, in idem stadium ingressus Robertus Bellarminus, qui posteà Cardinalis fuit, septennio toto in D. Michaëlis æde Romani Oratoris nomen cum insigni laude sustinuit, ac prætereà domi Sacram doctrinam & Hebraici sermonis præcepta tradebat.

Ribadeneira,

Bellarminus.

Sed post illud externum lumen, domestica tandem patriæ sidera, quorum natiuà lux gratior, aliquando aspiciamus. Neque enim externâ tantùm luce splendet Societas Belgica: ipsum etiam Belgium, si fas est dicere, in exteras regiones, Germaniam, Galliam, Italiam, aliasque remotiores terrarum oras, lumina quædam sua diffudit. Italiæ dedimus Mercurianos, Cornelios, Berchmannos; Siciliæ Vishauæos, Vinckios, Danieles; Germaniæ Canisios, Goudanos, Delrios, Busæos, Deckerios, Becanos; Galliæ Manaræos; Indiis Barzæos, Trigaultios. Verùm ne magna nomina temerè congessisse videamur, ex illustrium Belgarum copiâ nonnullos distinctè proponamus, non ad solam ipsorum gloriam, sed ad æmulationem quoque nostram; vt patrias imagines contemplati, virtutum similitudinem studeamus in nos imitatione traducere.

Illustres

Illuſtres Belgas dicturus, illud mihi propoſitum ab initio profiteor, viuorum laudibus abſtinere; quorum, teſte Velleio Paterculo, vt magna admiratio, ſic cenſura difficilis eſt. erunt illi magna pars ſæculi ſecundi, & in eo pro meritis ſuum inuenient Homerum. Soli extra inuidiam laudantur mortui, & ſecurè laudantur ſoli. Nam viuentium fama adhuc in ancipiti poſita eſt; cùm nemo laude dignus viuat, quin fieri poſſit indignus. Et verò quis ſapiens ſuas viuentis laudes vel exſpectet, vel æquo animo patiatur? Peſcennius Niger Imperator panegyricum dicere volenti neſcio cui dixiſſe fertur: *Scribe laudes Marij, vel Hannibalis, vel alicuius Ducis optimi vitâ functi; & dic quid ille fecerit, vt eum nos imitemur*. Hanc ego vocem quotquot viuunt Sociorum interpretor: cui me obſequi par eſt, & ſepultam Patrum virtutem in exemplum noſtrum velut ab inferis excitare. Ceterùm quæ magnos faciunt & illuſtres viros, hæc ferè ſunt, eximia vitæ ſanctitas, doctrina, eloquentia, prudentia, res Deo Religionique fortiter geſtæ. Et quamquam multorum propria quædam excellentia eſt (non enim omnibus omnia conceſſa, ſed alios ſanctimonia, alios ſapientia, alios aliæ dotes commendant;) quoniam tamen plerique plus quàm vno aliquo genere ſunt præſtantes, haud viſum operæ pretium certas in claſſes diſtinguere, aut definita rerum capita perſequi; ſed quo ferè vixerunt ordine nonnullos, ſine tacendorum iniuriâ, nominare veriùs, quàm quibus digni ſunt præconiis exornare.

Aliquot illuſtres Belgæ:

Ælius Spartianus in Vitâ eius.

Agmen iure ſuo ducat, qui poſt Decemuiros Tranſalpinorum primus Societati nomen dedit Petrus Caniſius Nouiomagus: qui iam tum puer, futuræ magnitudinis ſpecimen dedit, ætatem moribus & omni virtute longè antegreſſus. Is nobis diuinitus deſtinatus, à Petro Fabro in Societatem acceptus Moguntiæ, mirum quantum ſuo acceſſu Sociis attulerit gaudij. Franciſcus Strada continuò in vrbem ſcripſit ad Ignatium gratulatorias de tam inſigni quæſtu, orauitque debitas diuinæ bonitati grates agi propter inſperatam ingenij tam excellentis totque dotibus prædìti acceſſionem. At Caniſius iam noſter quæ geſſerit ſcripſeritque, quanto Catholicæ Religionis bono, immenſum ſit explicare. Primus calami Caniſiani labor, Catechiſmus fuit; quem Viennæ ſcripſit iuſſu Ferdinandi Regis anno M.D.LIV. atque hoc primum à Societatis homine opus typis vulgatum publicam adſpexit lucem. Tertio pòſt anno Wormatiæ, Louanienſium Doctorum rogatu, quos eò Caniſius euocandos curarat, Catechiſmi ſui ſcripſit epitomen, breuem illam quidem, ſed copioſæ bibliothecæ inſtar habentem: quem cum lacte nutricis imbibunt pueri, quemque linguis donatum omnibus meritò Chriſtianus orbis velut abſolutiſſimum Fidei noſtræ compendium amplexus eſt. Ceteras eius lucubrationes recenſere non eſt animus, quas ſcire cupientibus exhibebit Catalogus Scriptorum Societatis IESV.

Petrus Caniſius.

Facta viri præclara domi foriſque ſine numero celebrantur. Domi primus Germaniæ Superiori Prouincialis impoſitus ab ipſo Ignatio, Societatem toto Septemtrione propagauit, eâ cauſsâ vulgò exiſtimatus auctor Ieſuitarum. Mortuo Ignatio, in iis Comitiis quæ prima Societatis generalia fuere nouo Generali Præpoſito creando, ipſe potiſſimùm

communi suffragio electus est, qui Latinè ad Congregationis Patres peroraret, moneretque, vt ritè atque ex Societatis legibus summum crearent Magistratum.

Sanè Canisij apud Socios summa semper fuit auctoritas; merita verò tanta, vt quod de Lainio dicebat Ignatius, non impari ratione de Canisio dixerim, haud facilè apparere cui præ illo debeat Societas. At ille domi tantus, foris etiam exstitit maior. Melanchthonem, Schneppium, Pistorium, Sarcerium, Bullingerum, Brentium, aliasque belluas CHRISTI vineam vastantes, vsque eò exagitauit, tantoque nominis sui terrore compleuit, vt præsentiam viri neutiquam sustinerent, multoque minùs formidabilem potentiam perorantis. Vnus ipse plus quàm Herculeâ audaciâ omnia hæresum monstra voce, calamo impugnauit, vicit, triumphauit. Hinc conuitio Canem Austriacum dixere, lupis nempe illis perpetuo latratu & morsu grauem, qui oues CHRISTI innumerabiles, vel iam raptas extraheret è faucibus, vel, ne raperētur, seruaret. Constat Pontificum, Regum, Principum testimoniis, hoc potissimùm Atlante Religionem Catholicam, quæ aliàs totâ latè Germaniâ perierat, sustentatam fuisse: sine Canisio, si quid hæreticis credimus, Regnum Papisticum corruerat. Albertum Boiorum Ducem dicere solitum accepimus, Petrus Apostolus, & Paulus (is erat Hoffæus Canisio comes) docuerunt nos legem tuam, Domine. Ferdinandus Romanorum Rex, in summâ temporum perturbatione, vno maximè Canisio sustentante, Christianum retinuit Imperium: quem idcircò in omni vitâ coluit tamquam alterum parentem. Viennenses infulas à Ferdinando semel iterumque oblatas, ac per vim pænè impositas, Canisius suâ se modestiâ inuoluens constanter repudiauit. Eum Germaniæ Præsules contentiosè postulabant, existimantes ab illius capite pendêre omnem Catholicæ rei incolumitatem. Academiæ autem omnes Doctorem illum communem veneratæ, monita legesque ab eo accipere magno honori ducebant & gratiæ. Cardinalibus verò quanto in amore ac pretio fuerit, supra fidem videri potest. Certè Otho Augustanus Canisij speciosos ab Euangelio pedes submissâ virtuti purpurâ, supplex aliquando lauit exosculatusque est. At Tridenti Cardinalis Hosius cùm æger decumberet, seque ad obitum seriò compararet, statim vt Canisium vidit, tantâ perfusus est lætitiâ, vt continuò morbus abscesserit: id quod precibus sanctitatique Canisij acceptum Cardinalis palàm referebat. Quid de Summis Pontificibus dicam? Pius IV. eum ad Germaniæ Principes Legatum suum plenâ cum potestate misit. Quâ in legatione illud Canisio dignum facinus, quia domesticum, minimè prætcribo. Interuisebat suos ex itinere Nouiomagenses. Centeni & viceni erant seu propinqui seu affines, magnâ pro se quisque ambitione certantes, quis eum mensâ exciperet: ille officiosam litem ita diremit: hortatur ad publicum vrbis valetudinarium suas singuli symbolas conferant, ibi corpora curaturi, postquam animos cælestibus epulis recreassent. Ita fit: magna dapum copia in nosocomium infertur; omnes ritè expiati & sacro referti pane, tandem mensis accumbunt: hilariter sobrieque, Sanctorum more, conuiuatis Canisius Religionis pericula propo-

proponit; deinde obtestatur, vt in auitâ Fide constent. Illi stipulatâ quisque manu promisère constantiam; neque segniùs seruauere. Porrò tantam apud sacros profanosque Principes auctoritatem Canisio dabant vitæ sanctitas & doctrina, quæ duo sunt propria Societatis eaque validissima præsidia, diuinæ gloriæ salutique proximorum promouendæ. Ceterùm Deus fortissimi Athletæ labores haud vulgari mercede remuneratus est, quando viuum mortuumque multis apud mortales prodigiis nobilitauit. Ferunt adhuc viuentis rosario, vt olim Apostoli zonâ, quin & solâ Canisiani nominis inuocatione supra naturam multa patrata. Obiit Friburgi Heluetiorum, annis grauis ac meritis. Sepulchri magna veneratio est. vrbs patronum sibi adsciuit solenni deuotione, & cenotaphium posuit ex marmore.

Post Petrum Canisium non tacendus Theodoricus & ipse Belga, Petri frater ex eodem patre, rarâ indole iuuenis: nec enim fas naturâ coniunctos diuidi narratione meâ. Louanij hausit amorem Societatis, in quam admitti à Petro fratre expetens, Romam ad Ignatium amandatur. cui visus continuò placuit, atque etiam in familiare cubiculi contubernium admissus est. At Ignatio post biennium in cælestem societatem euocato, Theodoricus trium Germaniæ Collegiorum ex ordine Præfecturam gessit annis omnino triginta, Monacensis, Dilingani, Ingolstadiensis. Graui iam ætate, tactus apoplexiâ, omnem litterarum memoriam, adeoque nominis sui (quod Messalæ olim & Alberto Magno aliisque contigit) ac prætereà linguæ vsum penitus amisit; nisi quòd duo salutis nomina, IESVM & MARIAM, expeditè semper pronuntiaret. obiit Ingolstadij, ob vitæ innocentiam Angelus plerisque appellatus. *Theodoricus Canisius Petri frater,*

Sed in magni Gasparis Barzæi effigiem, quæ inde vsque ab Indiâ emicat suâ luce spectabilis, aliquando conuertamur. Is ex Zelandis oriundus, postquam studuerat Louanij, variis iactatus casibus, tandem à Simone Rodericio, qui fuit ex primis Decemuiris, in Societatem pro rerum temporalium Adiutore admittitur apud Lusitanos, ipso anno quo Martinus Lutherus Catholicæ rei pestis infelicem animam apud suos Germanos exhalabat. Nimirum Deus, quasi post grauem iram terris placatus, eodem tempore & leuabat Europam pestilentissimo malo, & nouum Indis Apostolum Xaueriumque alterum parabat. In Conimbricensi Tirocinio versantem subiit animus & cupiditas concionandi. Quod desiderium vbi Rodericio prodidit, iussus est ad nostros habere sermonem. Vix audiri cœperat, cùm subitò mouit omnes indisertus incultusque orator: & tamen à Simone interrogatus, quid de se ipse sentiret; quamquam non successisse tum quidem fatebatur, nihilominùs affirmabat se concionatorem fore. Simon, Deo vtique impellente, hominem Sacerdotio inaugurari iussum, emittit in subiacentem vrbi agrum exercitamenti gratiâ. Ibi Gaspar non exquisitis humanæ sapientiæ verbis, sed Apostoli exemplo diuinum spirans ardorem, tantos fecit animorum motus, vt ad loquentis pedes vniuersa sese prosterneret concio, animique sordes generosâ confessione expurgaret. Fuit cùm viginti & ampliùs horas immotus in audiendo collocauit. Quocumque inferret pedem, *Gaspar Barzæus;*

pedem, ſtatim omnia ardebant: tantum à Zelandiæ aquis feruorem attulit, vt ſuis ignibus ipſos accenderet Hiſpanos. Hæc ad Indias fuere præludia: quas, vt attigit, ſtatim igne ſuo proditus eſt. Franciſcus Xauerius in Gaſpare ſimillimam ſui imaginem cum amore contemplatus, cum continuò produxit ſparſurum flammas, lateque omnia populaturum, ne diutiùs occultatus ſeſe ipſe conſumeret. Goa primus laborum fuit campus, vrbs non magnitudine magis quàm cuiuſuis generis hominum colluuione nobilis. Hîc vbi Gaſpar audiri cœptus eſt; mirum dictu, tamquam fulmine icti mortales vſuram, concubinas, ſuperſtitionem, hæreſim, ſcelera omnia deteſtantes, ad illius genua publicè accidebant. Sed Ormuzium in ſinu Perſico præcipuam virtutis ſuæ palæſtram habuit: quam vrbem meritò turpitudinum omnium dixeris ſentinam. Fidem ſuperat quem iſtic Gaſpar exantlauit laborem, quæ capitis adiit diſcrimina, quæ ſuper humanam conditionem viresque admiranda patrauit. Mercatorum animos ita dicendi ardore commouit aliquando, vt malè partam ex vſurâ pecuniam ſupra viginti aureorum millia ad illius abiecerint pedes: quod ipſe æs in ſubleuandos pauperes & Chriſtianæ pietatis opera conuertit. Illum Iudæi, illum colebant Mahumetani, vtraque gens iurata odiſſe Chriſtianos. Tanta vel apud capitales hoſtes veræ virtutis commendatio eſt. Sanè ad multorum conuerſionem valuit ea opinio ſanctitatis. Præter alios innumerabiles dedit Gaſpari manus anachoreta ſenex, quem Rex Ormuzij tanto habebat in pretio, vt aquam venerabundus biberet, quâ ille pedes ſuos abluiſſet. Quin vſque eò creuit Sarracenis in Gaſparem reuerentia, vt quacumque incederet, veſtem, atque ipſa pedum veſtigia exoſculari beneficium haberent. Quodque portento ſimile omnibus viſum, vni Gaſpari ſuum fanum Chriſtianis omnibus inacceſſum patêre, eique omnia ſuperſtitionis ſuæ ſacra perſpecta eſſe voluerunt. Et profectò hac inſolenti Mahumetanorum beneuolentiâ in Catholicæ rei gloriam opportunè vſus eſt Gaſpar. Claro aliquo die magnam, quod ſolebat, poſt ſe trahens Neophytorum cateruam, incredibili confidentiâ ad fanum illud pergit, perfractisque foribus, ingentem crucem defigit in loco, Mahumetanis horrendum clamorem & fremitum dantibus, neque tamen vim repellere auſis. adeò barbaros conſternatos habebat tanti facinoris audacia. Ex eo die fanum ſuum deſerüit ſuperſtitio, quod defixâ cruce pollutum inſani illi deteſtabantur, obtinuitque Religio Chriſtiana per Gaſparem tam generoſi facti imperterritum auctorem. quo facto, párne aliud vmquam patratum India viderit, incertum. Sed agebat haud dubiè Barzæum diuini Spiritus præſens inſtinctus; qui & aliàs non vnâ re manifeſtè ſe prodidit. Nobili Luſitano vitâ perditiſſimo, & confeſſionem reſpuenti, Gaſpar morbum precatus intulit: quo ferox ille tamdiu cruciatus, donec facti pœnitens, ſimul noxas dolenter aperuit: ſimul priſtinam recepit ſanitatem. Alterum vindictæ cupidum per ſalutem obteſtatus vt condonaret iniuriam, cùm ille impiâ voce iactaret vindictam ſalute potiorem; indignatus Gaſpar, maiorique æſtu percitus, Ante craſtini meridiem, inquit, quam nunc contemnis ſalutem, magnis votis fruſtrà inuocabis. Vaticinium dies conſecutus oſtendit: ille morbo repentè

pentè tactus, & Confessarium inclamans, dum turbata familia quærendo Sacerdoti dat operam, intereà impiatus exspirat. Hoc quoque Gaspar habuit non absimile Xauerij: Lusitano sermone verba faciens, à Regij sanguinis Sarraceno, Lusitanicæ prorsus linguæ ignaro, perfectè intellectus est. Valuit prodigium ad persuadendum homini Christianam Fidem. Iam fama Gasparis Constantinopolim perlata, Christianos illos ad viri desiderium inflammabat. Mittitur honestissima legatio, sed in statione Barzæum obedientia retinebat. Xauerius Ormuzio exire vetuerat, zelum illius omnes terrarum oras complexum prudentiâ moderatus: quo iam & ipso Iaponiam meditante, reuocatus Barzæus, Prouinciæque pro Xauerio præpositus, defectis aliquando inter concionandum viribus, quanto omnium luctu, tanto rei Christianæ damno elatus est. Vir planè heroicus, altera cum Xauerio Indorum gloria, eiusdemque rerum gestarum vitæque laudatissimæ verus æmulator; & aliquando similes cum eo (sic sperare iubent merita) honores Supremi sacrorum Iudicis solenni iudicio decernendos diuisurus.

Hæc duo sunt quæ adhuc spectauimus maiora lumina, Barzæus Canisiusque; quorum præcipuè radiis per vtrumque orbem illustris incedit Flandro-Belgica Societas. Nunc astra cetera, quibus Belgicum micat cælum, leui oculorum coniectu intueamur.

Cornelius Vishauæus. Cornelius Vishauæus, de quo sæpè meminimus, vir candidissimi pectoris, domo Mechliniensis fuit. Is ante initam Societatem annis omnino quatuordecim interdiu noctuque textum horrenti crine cilicium super nudâ carne gestauit. Tantam sibi sanctimoniæ opinionem collegerat apud omnes, vt eius vitæ acta conscriberent multi, perque alias terrarum oras circumferrent; neque iam esset vllus Belgij angulus, quin Cornelij nomine personaret. Diuinitus de instante Sociorum aduentu præmonitus est; &, postquam venerant, diuinitus ædes illorum hospitales edoctus. Cornelium Belgarum primum in Belgio adscripsit Faber (nam Canisium paulò antè adscripserat Moguntiæ) anno M. D. XLIII. Vnius accessus plurimis valuit ad exemplum; & ingens Societati parta commendatio est. Testatam communi voce illius sanctimoniam ad patientiæ Lydium lapidem exploraturus Faber, mille hominem tentauit modis. Stradæ iuueni concionaturo Vishauæum iam prouectum ætate, tot grauem meritis, & collectâ sanctitatis famâ nobilem, iubebat ire comitem ad læuam, & gestatâ clepsydrâ in suggesti gradibus attemperare spatia dicendi. Sexcenta huiusmodi fuere experimenta, quibus Cornelius nihilo factus impatientior, virtutem suam verè auream probauit, ex eoque tempore summo in pretio apud Fabrum Sociosque fuit, ipsumque adeò Ignatium. Illud in ipso Fabro edidit memorabile. Præcocem Louanio abitum in Lusitaniam paranti, paruâ prece tertianam, & simul moram trimestrem, Academiæ illi fructuosissimam, iniecit. Iussus deinde precem vertere, pepulit repentè morbum, vti suprà diximus, quo iam Faber depositus ab ipsis Medicis habebatur. Infinitus, Cornelio auctore, Religiosam vitam amplectentium fuit numerus. Castimoniæ suauissimum odorem amoremque, quibuscum ageret, afflabat; ipse perpetuò seruauit illibatam. Messanæ in Siciliâ (vbi primum Societatis Tirocinium

 nium

nium illo Magiſtro fuit) prouerbio ferebatur, nullam viduam virginémve, quantumuis nubere deliberatam, poſſe vel breuiſſimum cum Cornelio ſuſtinere ſermonem, quin ſtatim, mutatâ mente, in ſeruandæ ac Deo conſeruandæ caſtitatis deſiderium exardeſceret. Id ad iocum experturæ tres haud ignobiles filiæ, iam nuptiis addictæ, conſpiratione initâ vno tempore apud eum noxas confeſſione deponunt. Serius repentè fit iocus: momento alia poſt aliam animo mutatæ, nuptiis valere iuſſis, CHRISTVM Sponſum elegere. Obſtupuit vniuerſa ciuitas; & illæ ipſæ quæ ludum facturæ venerant, commutationem ſuam ſine fine mirabantur. Alteram capillamenti venuſtate glorioſam, & ad ſola caſtimoniæ Religionisque trepidantem nomina, monuit Cornelius; breuî pœnas in ipſis quos tantopere adamaret crinibus daturam. Dedit: caput repentino capillorum vitio deformatum, ac turpis caluities ſecuta perſuaſit Religionem. Perſpectas habebat animorum latebras Vishauæus; & vnum aliquem in confeſſione neſcio quid grande occultantem improuiſâ ſceleris manifeſtatione ita perculit, vt collapſum pro mortuo benè diu haberent omnes, donec Cornelij precibus ad vitam reuocatus, publicum miraculi teſtimonium ipſemet dixit. In fingendis ad perfectam vitæ rationem animis nihil Vishauæo fortius, nihil ſuauius. Ab eo Tironum Meſſanæ Magiſtro mirè ſe edoctum, & ſcrupulis plurimis ac moleſtiis ereptum, fatebatur Iacobus Ledeſma; eiuſque dicta ac monita tanti faciebat, vt in libellum, qui hodieque aſſeruatur, accuratè ſingula referret. Sed nulla res virum æquè celebrauit, vt frequentiſſima dæmonum ex inſeſſis mortalium corporibus exterminatio. Iucundum Cornelius habebat cum illis belluis depugnare, & longè deſideratiſſimum adſtantibus ſpectaculum dabat. Id cauſſæ fuit, cur eo munere tantum ſtrepitum adferente diu abſtinere iuſſus, inſignem animi æquitatem domeſticis externisque hominibus ad miraculum probarit. Conſtabat enim, illius maximè vocem accidere formidabilem teterrimis illis geniis, & Cornelius ipſe hanc ſibi gratiam diuinitus conceſſam nouerat; ac nihilominùs nec verbo vmquam nec ſigno prodidit grauem ſibi euenire illius tam raræ poteſtatis interdictionem. Obiit Laureti placidiſſimè, quamuis adhuc vires benè robuſto corpore conſtarent. Oculi mortuo hilariores; os venuſtius, & viuo rubore ſuffuſum: animi ſanctimoniam, ſi aliunde neſcires, cadauer ipſum certiſſimis loquebatur indiciis.

[Margin: Beyerlinck in Theatro.]

[Margin: Hiſt. Societ. p. 2. lib. 1.]

Exempli vim eſſe maximam tunc euidenter apparuit, cùm Louanij Vishauæus ſuo in Societatem ingreſſu multis poſt ſe apertam oſtendit viam. Illum Petrus Faber, non iſte magnus, ſed alter ei cognominis, cui patria erant Hallæ; illum Leonardus Keſſelius, Hermes Poen, Ioannes Cuuillonius, Maximilianus Capella, Daniel Parebruck, Iacobus Duacenſis, Thomas Poghius, Adrianus Adriani, Nicolaus Goudanus, Cornelius Brogelmannus, Antonius Vinckius, Nicolaus Lanoius, Lambertus Caſtrius, aliique Belgarum multi, haud magno temporis interuallo ſecuti ſunt, præſtanti indole iuuenes, artium Magiſtri, & primam Philoſophiæ laudem adepti nonnulli, ſed & plerique iam Theologiæ Baccalaurei: quorum deinde alij rexere Prouincias, alij mirâ eruditione in celeber-

[Margin: *Multi Vishauæum ſecuti, intrant in Societatem:*]

leberrimis Europæ Academiis, ipsoque Tridentini Concilij augustissimo theatro claruerunt.

Nicolaum Florentij à patriâ dixere Goudanum: Bergizomij Pastor erat quando ad Societatem accessit; ineratque in homine facultas dicendi sanè mirabilis, & instrumenta naturæ atque doctrinæ. Itaque celebrabatur vbique maximis laudibus: cumque rescisset populus eum esse dicturum, occupabantur diu antè subsellia, proximisque currebatur è pagis. Fructum ex eâ vineâ tulit eiusmodi, vt vescentium cælesti pane frequentiâ veteris Ecclesiæ facies exprimi videretur. Opponebat ille se audacter hæreticis, & abductam à Catholicâ Religione plebem in sinum Ecclesiæ reducebat, ipsis hostibus admiratione perculsis. Ab Ignatio in Italiam euocatus, prima Venetiis posuit fundamenta Collegij. Bononiæ honorifica Doctoris insignia indeptus, Ingolstadium abiit, vt partes Alphonsi Salmeronis impleret. Ex eâ Academiâ Viennam translatus est, postulante Ferdinando Romanorum Rege, imperante Pontifice Ignatioque. Inde Romam ad prima Societatis Comitia profectus, iterum in Germaniam ad Wormatiense Colloquium dimittitur, nominatim postulatus à Ferdinando Rege: remque ibi Catholicam aduersus hæreticorum potentissimum & famosissimum quemque tantis animis propugnauit, vt, cùm æger ad dimicationem accessisset, atque à Medicis tabe consumendus iudicaretur, in ipsâ studiorum diurnâ nocturnâque contentione valetudini sit restitutus. At malo iterum recrudescente, tandem Belgio suo redditus est; primusque Louanij Pædagogia quæ vocant piis adhortationibus tantopere excoluit, vt Rectores ac Magistri aliam breuî iuuentutem cum admiratione & gaudio sentirent. Ac subinde Goudam à suis ciuibus inuitatus, vbi pro concione audiri cœpit, tanta vrbis secuta est commotio, tamquam cælo lapsum hominem accepisset.

Nicolaus Goudanus.

Sed prima Goudani gloria, Pij IV. iudicium est: is, pro eâ quam de viri virtute doctrinâque conceperat opinione, Legatum suum in Scotiam ire voluit ad Mariam Stuartam Scotorum Reginam, quæ morte Francisci II. Galliarum Regis vidua se receperat ad suos, partim consolandam, partim adhortandam incitandamque, vt ad Concilium Tridentinum mitteret Episcopos, auitamque intereà Religionem in suo Regno aduersus vicinum Angliæ incendium conseruaret. Erat prostratâ tum valetudine Goudanus; ac nihilominùs boni publici obedientiæque studio, plenam laboris periculique prouinciam longè ante salutem suam habuit. Louanio profectus est, duobus Scotis nobilibus in Societatem iam receptis, Edmundo Hayo & Gulielmo Crittonio comitatus, qui maximo vsui in eâ legatione fuerunt. Vix ad Lethæ portum in Scotiam appulerant, cùm ex Catholici cuiusdam incauto sermone ad hæreticorum aures Ministrorum res tota celerrimè peruolat. Extemplò tollunt è suggestibus vocem, adesse ab Antichristo (hoc illi nomine Pontifici Romano odium & infamiam quærunt) Iesuitam Legatum, qui Reginam dolis donisque corrumperet, & nouum euerteret Euangelium. Iam hæretici dominabantur, maximeque spurius Reginæ frater, Prior S. Andreæ, qui ante illius è Galliâ reditum, euersis templis, Regnum

occuparat. Sacrificium tamen Catholico ritu in suis ædibus Regina obtinebat. Ceterùm Religionem nec licebat absque Ordinum Regni conuentu restitui; & apparebat plerosque, si res tentaretur, repugnaturos. Adhæc aditus ita omnes interclusos obseptosque Proceres & Consiliarij tenebant, vix vt tandem Apostolico Nuntio semel atque iterum penetrandi ad Reginam potestas fuerit, per posticum admisso, cùm ea fratrem reliquosque custodes de industriâ ad Ministellum quemdam intereà audiendum ablegasset. Memoratu difficile est, quantum gaudij ex Goudano viso auditoque acceperit præstantissima femina, quantum acceperit animi ad tuendam Fidem. Ex Episcoporum numero quos conuenire studuit Goudanus, & quas habebat Pontificis litteras repræsentare; nemo est ausus sese illi credere, præter Dunkeliæ Præsulem, qui passus est ad se venire Itali mercatoris habitu, cui Episcopus scilicet pecuniam deberet. Vbi in secretiore conclaui Pontificiæ litteræ prolatæ sunt: ambos ea vis lacrymarum oppressit, diu vt neuter erumpere in vocem potuerit. Intereà diligenter ad necem Goudanus quærebatur: euenitque, vt mercatorem Gallum rure satellites nacti, ratique illum esse sub ementito habitu Apostolicum Nuntium, malè verberibus mulctarint, omni licet contestatione negantem sese esse eum quem quærerent: ac fortè etiam confecissent hominem, nisi in vrbem retractus pro mercatore qui erat agnitus fuisset. Ita liber dimissus est, acceptis verberibus ditior, merce profectò haud paulò iis quas tractabat vtiliore, si vti nouisset. Portus quoque omnes obsederant hæretici, ne acceptis à Reginâ litteris exitum Nuntius inueniret. At Hayus Crittoniusque cum fideli nautâ pacti, vt aliquot à portu millibus opperiretur, eò per scapham emisere Goudanum. Qui perfunctus legatione, aliquot deinde annos Louanij vixit, quà Latino sermone hortatus Academicos, quà sacras Paginas interpretatus, donec morbo laboribusque consumptum exstinxit annus M. D. LXV. qui ei veræ quietis initium fuit.

Nicolaus Lanoius, Huius maximè viri stimulatus exemplo Nicolaus Lanoius Furnensis Canonicus, animum ad Societatem applicuit. is qui posteà Germaniæ secundùm Prouincialis fuit, quique in Generali primâ Congregatione, mortuo Ignatio, ad supremum nostri Ordinis Magistratum nominatus est suffragio vno ex viginti, cùm & Paschasius & Borgia vnum retulissent, Natalis quatuor, cetera Lainius.

Leonardus Kesselius, Sed ad Leonardum Kesselium, & sanctimoniâ vitæ, & perpetuâ gubernatione conspicuum, sese conuertat oratio. Louanij, quæ patria illi fuit, in Societatem admissus est à Fabro, cumque aliis vndecim Belgis in Lusitaniam missus ad Simonem Rodericium, amplificando Conimbricensi Collegio, quod Ioannes Tertius Rex Societati nostræ excitabat. Simon ex duodecim illis remisit quinque, & in his Kesselium, seu valetudinis caussâ, cui peregrinum cælum oberat; seu quia Lusitani Proceres iniquo ferebant animo, Collegium Conimbricense Lusitanis Indisque erectum occupari ab exteris. Faber reducem Kesselium continuò Coloniensibus Sociis spe futuri Collegij istic degentibus præficit: quam ille Præfecturam sustinuit tanto cum rerum successu, vt maturè

adeò

adeò ex Lusitaniâ ad hoc remissus fuisse videatur. Ex eo die Kesselius, quoad vixit, Societatem Coloniæ gubernauit. Multa istic supra naturæ vim ab illo patrata. A Præposito cuiusdam Cœnobij rogatus, vt ad Cœnobitam morti iam proximum accurreret, paruit. Æger delectatus virtute Kesselij, collectis viribus, ab vltimâ pueritiâ vitam suam repetere confitendo incipit. vixque iam cœperat, cùm ecce tibi vis morbi remisit: neque finierat, cùm leuatus omni morbo surrexit è cubili, suisque pedibus ingressus est, qui paulò antè ad supremum certamen ritè fuerat perunctus. Alium occupato corpore malus spiritus exagitabat: is vbi ritè noxas apud Kesselium expiauit, continuò dæmonem ab se excussit; nec enim diutiùs habitare satanas poterat, vbi per Sacramentum reconciliationis ius amiserat domicilij. Sed illud in primis illustre & ad posterorum memoriam commemorandum, quod Kesselio nostro cum Iacobo Ledesmâ, de quo iam semel iterumque meminimus, Coloniæ intercessit. Compluti in Hispaniâ, atque in Galliâ Parisiis, multiplici rerum scientiæ nauarat operam Ledesma, vtrobique cum ingenti singularis ingenij famâ, quando Louanium quoque sua ipsum traxit inexplebilis sciendi cupido. Hîc Patrum familiaritate vsus, maximeque Petri Ribadeneiræ, tandem, post longam septem annorum luctationem, Societati se dedit, admissusque est annum ætatis agens tertium circiter ac trigesimum, exquisitissimæ doctrinæ prudentiæque vir, comparandus planè cum paucis. Louanio iter Romam intendens, dum fortè Coloniæ Cœnobium visit Carthusianorum, perque singula oculos ac mentem studiosè circumfert, & solitudinem, quietem, sacrumque illud silentium admiratur; cœpit paulatim animus ad eius disciplinæ formam propendêre. ac propè iam aberat vt initam à se viam damnaret, cùm repentè Leonardus Kesselius, casúne, an impulsu Numinis potiùs, superuenit, vltroque Ledesmam compellans, Non hîc sunt omnia, mi frater, inquit. Habet CHRISTI IESV Regina Sponsa vestitum aureum pulcherrimâ varietate distinctum. & verò hi sunt, & præter hos alij sunt multi verè homines Religiosi, quorum Deo sunt accepta obsequia. Eam vocem Ledesma non hominis, sed Dei ad cogitationes suas tam aptè attemperateque occurrentis interpretatus, prima consilia resumpsit, magisque etiam confirmatus est, quando haud multò pòst nouum ab eodem Patre accepit oraculum. Inambulabat domi Ledesma, de castitate perseuerantiâque solicitus, quando hæc Dei dona esse cogitabat. Fit obuius hîc quoque Kesselius, atque ex improuiso, Certus esto, inquit, Deus tibi castitatis & perseuerantiæ dona concedet. Hæsit primùm Ledesma attonitus, vnde ea viro notitia; tum Dei erga se beneuolentiam veneratus, pulsis ex animo angustiis, respirauit. Hoc quoque Kesselio accidisse memorant prodigiosum. Ignatij videndi magno ardebat desiderio, eâque caussâ Romam cogitabat. At Ignatius eum Coloniensibus necessarium existimans, vetuit abire statione; atque interim scribebat, si Deo gratum foret, aliis mille modis voti compotem facilè futurum. Enimuerò gratum fuisse Deo res ipsa comprobauit. Ignatium spirantem Romæ diuina vis Kesselio Coloniæ spectandum, &, quod mirere, cum otio alloquendum stitit. Ceterùm Leonardus tametsi Co-

loniam ſuam perpetuò excoleret; Nouiomagum tamen Belgij vrbem, quò ſpes vocabat magna Collegij, ſubinde euolabat. Ibi ad eum tanti confitentium fuêre concurſus, vt, quamuis dies totos ſui copiam faceret, ægrè tamen multitudini faceret ſatis. Affirmabat tale ſibi nihil vnquam vſu veniſſe; nec audiendis illis ſolêre defatigari, ſed tam recentibus fuiſſe viribus poſt impoſitum laboribus finem, quaſi tum primùm eos inchoaret. Negabat quoque hoſpes eius Canonicus, annum ante centeſimum tantos in eâ vrbe fuiſſe conſpectos vel auditos ardores. Tam pulchris initiis haud perinde bonus exitus reſpondit. Pia virgo, quæ ſuos Caniſios, Petrum & Theodoricum, ſororis filios in Societate habebat, ædes ſuas & quamdam aream Leonardo in Societatis vſum obtulerat; ac fratris ſui maximè repugnantis conſenſum aureis mercata octingentis, donationem ritè confecerat. Id vbi vulgatum eſt, primariorum nonnulli conſcientiâ prauæ religionis contrariam ſibi Societatem fore intelligentes, fictis criminationibus in eam commouent Senatum, & ipſum in Religione nutantem. Extemplò Senatus renuntiari Keſſelio iuſſit, vrbe faceſſeret. Aderat tum ipſi illi virgini moribundæ Leonardus, & migrantem animam conſuetis Deo precibus commendabat. Quo in munere eum interpellari haud ſunt paſſi familiares. Vbi illa exceſſit, accepto Senatus edicto, per ſummam iniuriam poſſeſſione domus ipsâque eijcitur ciuitate. haud impunè profectò: nam & Conſul, qui præcipuè auctor facinoris fuerat, geminâ prole in altercatione mutuo ferro necatâ orbatus eſt, breuique tertium ipſe funus acceſſit. Senatorum alius, qui pronuntiarat edictum, lentâ febre, &, quod triſtius, deſperatâ animi ſalute contabuit.

Daniel Parebruck. Idem qui Keſſelium dies, dedit & Societati Danielem Parebruck Teneramundanum, magni animi virtutisque virum, cuius maximè patrocinio leuata prima Sociorum Louanij egeſtas. Rem præclarè in Siciliâ geſſit Panormi, Catanæ, aliisque locis; ac præcipuè in oppido Italâ, vbi & populum ipſum & Abbatiam Monachorum ſancti Baſilij ad egregiam Chriſtianæ vitæ formam excoluit; Græcisque eorumdem ritibus, quos per imprudentiam deſpiciebat populus, publicè explicatis, quam merentur auctoritatem venerationemque conciliauit. Interdum & per Diœceſim Mamertinam omnem excurrit, Apoſtolico ritu oppidatim & pagatim catechiſticas inducens ſcholas; nec cum viarum modò laboribus, ſed cum fame, ſiti, rerumque quas natura deſiderat inopiâ luctatus, æquiſſimo ſemper animo lætoque, & ad dicendum quæſtionesque grauiſſimas explicandas ſemper prompto, tametſi & librorum copia, & otium ad commentandum deeſſet. Ad Palæſtinæ ſacra loca ab impietatis tyrannide vindicanda ingens erat homini ardor, eâque ſpe non modò aliis diſciplinis pectus imbuerat, ſed Græcam quoque linguam & Hebræam didicerat accuratè. Inter hæc ſtudia cùm eſſet Montis Regalis Rector, Panormum fortè digreſſus, morbum mortemque non improuiſam inuenit. Multis antequam obiret diebus, Rectori Panormitano Paulo Achilli, & ipſi Prouinciali Hieronymo Domenecco (à quo hæc conſignata litteris accepimus) confirmauit viſum ſibi eſſe iuuenem vnà cum duobus comitibus, ac denuntiaſſe,

tiasse, mortem ipso CHRISTI Natali à meridie oppetendam. Narranti fides timidè habita, propter vim morbi, cùm nemo speraret ad eum diem extrahi posse vitam. Extracta est tamen, ac tunc magis de visi fide dubitatum, cùm caussa mortis noua nulla appareret. At ille nihilominùs, planè vti prædixerat, post meridiem, leniter ore subridens, vix singultu edito, vinculis solutus est corporis. Inter cetera æternæ felicitatis indicia habitum est, Collegij Regalis continuò post eius mortem facta res melior. Nam migraturo Patres certatim multa commendarant; quæ vt alacer acceperat, ita fideliter exsecutus, sui Collegij memor haud dubiè credebatur.

Adrianus Adriani,

At si quem virum Belgam illustrem, deque ipso benemeritum Belgio, habuimus; is profectò est Adrianus Adriani, domo Antuerpiensis, de quo non pauca primo huius Libri Capite commemorata sunt. Ad Societatem ineundam præuia Vishauæi duxere vestigia. Eum Ignatius vbi pertractauit Romæ, posteà inter Socios Angelum non dubitauit nominare, morum alioquin acerrimus censor. Difficilem periculosamque corporis sectionem, vrgente vi mali, passurus aliquando, nocte designatam carnificinam præcedente, cum ingenti fiduciâ Deum obtestatus, necessitatem sibi tam grauem subeundam deprecabatur. nec frustrà: repentè ad precantis aures clara vox allapsa est, Sanus esto: & cum voce sublatum malum, & sanitas restituta. Puerum trimum diurnis nocturnisque dæmonum spectris miserè agitatum, cohorrescentibus pilis, ingenti membrorum omnium trepidatione, ad aram sisti iussit: vbi sacris ipse operatus, parentibus filium incolumem omnique deinceps infestatione liberum reddidit: cuius etiam fratrem natu maiorem, cùm in easdem spectrorum formidines incidisset, eâdem ratione curauit. Viuebat Louanij in diuæ Claræ Cœnobio Aleidis Lutenia, virgo annos nata quatuor ac viginti: ea cùm sextum iam septimúmve diem morbo conflictaretur, ardentissimè postulat acciri ad se Adrianum Collegij Societatis Præpositum. Ex illo præsente sciscitatur, quid dæmonibus identidem insultantibus, noxasque vitæ præteritæ exprobrantibus, respondere oporteat. Adrianus mitti ad se dæmones, si redirent, iubet, se vtique illis responsurum. Fecit quod iussa erat virgo, & post dimidiatam noctem placidissimè animam exhalauit, Nonis Ianuarij anno M.D.LIII. Multo manè Pater eam nostrorum precibus commendat: cumque D. Claræ templum, quod è regione tum erat, ingrederetur, Sanctimonialium vna festinanter accedit, obitum virginis nuntiatura: at ille sermonem venientis præuertens, Scio, inquit, scio obiisse. Id cùm illa miraretur, atque ad Cœnobij Præfectam referret; hæsitantibus illis vnde id rescisset tandem Adrianus, respondit ille, diu se cum dæmonibus suo in cubiculo luctatum, moribundæ virginis certamen sustinuisse; eam verò expiatoriis flammis nunc purgari, è quibus intra triduum eriperetur. Multis ille auctor ad ineundam Societatem fuit, præstantibus planè viris, non modò Belgis, sed Hispanis, Gallis, Italisque. In eo numero Petrus Spiga fuit Calaritanus, qui Societati postmodum in Sardiniâ ad stabilem sedem primus aditum aperuit: is, cùm Louanij non procul Doctorali laureâ abesset, repentè Sociis adscribi voluit.

luit. nec multis pòst diebus suorum litteras accipit, quibus monebatur, vt, postquam Doctoris esset cohonestatus insignibus, togam sibi Doctoralem & cetera pararet ornamenta, magnificoque illo habitu spectandum se suis ciuibus patriæque repræsentaret. Hæ litteræ cùm fortè sordidato purgandisque culinæ vasis intento redderentur, risum tenere non potuit, quòd ludicro sæculo tam pulchrè esset illusum. Adriani quoque virtus odor vitæ fuit Cornelio Croco Amsterodamensi, viro præclaris naturæ ac gratiæ donis ornato: qui, vt Melanchthonis Grammaticam eliminaret, suam ipse edidit; & à Ioanne Lusitano Rege ad Conimbricensis Academiæ initia magnis honorum inuitatus illecebris, ire noluit, ne patriæ iuuentuti, quam aduersus hæreticos in Catholicâ instituebat Fide, deesset. Tandem humana fastidiens, Societatem iniit quinquagenarius; breuique morbo consumptus, quàm serus ad vineæ Dominicæ labores accesserat, tam citus ad denarij mercedem peruenit. Et sanè erat Adriano admirabilis quædam in actione suauitas, quâ omnium in se amorem beneuolentiamque ita prouocabat, vt ius in animos quò vellet ducendos habere videretur. Communem illum vrbis Academiæque diceres parentem. Louanij viuis ereptus est, pari domesticorum externorumque luctu, anno M. D. LXXXI. ac totius Vniuersitatis humeris elatus, teste Ribadeneirâ, immortalem sui memoriam reliquit cum opinione sanctitatis.

Andreas Boccatius, Est, & meritò, viris magnis accensendus Andreas Boccatius, qui Apostolici pectoris ardorem in suâ maximè Frisiâ prodidit; quemadmodum suprà indicatum. In summâ laborum contentione vitam ducens asperrimam, solo pane ac pisce contentus, bibens profluentem, solo stramine cubans aut assere, vestem quotidie cilicinam indutus, haud vulgarem vel apud Fidei hostes sanctitatis famam obtinuit. quam res quædam, haud sanè frustrà in miraculis habita, magnopere confirmauit. Ioannes Bartelius, Senatorio genere oriundus iuuenis, supremis munitus Sacramentis excesserat è vitâ, iamque altero post mortem die efferendum funus domestici curabant; cùm genarum vni rubram insidere maculam animaduertunt, monstroque attoniti, ad Boccatium accurrunt. Adit ipse ad cadauer, efferri vetat, preces indicit. biduum vota supplicationesque tenuêre. redit denique ad vitam Bartelius, perculsis horrore spectantibus. Ad rei famam ingens fit vndique hominum concursus, ad spectandum Bartelium, Boccatiumque, quem miraculi auctorem omnes prædicabant. Nec repertus est adeò contumax, qui fidem prodigio abrogare sustineret: non enim sola præsentium auctoritas, sed ipsius Bartelij mutata vita moresque loquebantur. Nam cùm dissolutus anteà, multisque deditus vitiis vixisset, nunc temperans modestusque agebat, & aliorum vitæ licentiam perstringebat tam acri oratione, nulli vt dubium relinqueret, visum sibi esse rerum quæ post mortem in æternitate aguntur, statum. Patrem verò Andream Sociosque affirmabat diuinitus mundo datos ad errorum caliginem ex animis mortalium propulsandam. Sed illud omnes tenebat stupore defixos, quòd constabat eum nescisse litteras, & præter patrium sermonem nihil vmquam locutum; & tamen variis nunc linguis promptè loquebatur, inclamans Deum

sacris

ſacris maximè infenſum hominibus amore pellicum implicatis, atque inſtare miſerrima tempora peſſumdandæ Religionis, numerumque Eccleſiaſticorum ita breuî imminutum iri, vt vnica omnes neque magna menſa capere accumbentes poſſet. Hic eſt ille Boccatius, quem ex Antuerpienſis templi arâ ſanctiſſimam hoſtiam per medios armatorum globos intrepidum extuliſſe narratum eſt in loco. Poſt multorum annorum non ſolo in Belgio, ſed in Pruſſiâ & alibi exhauſtos labores, dum in eorum præmium à ſuis Moderatoribus Indias expoſcit, moritur Louanij anno M. D. LXXIX. peſte ſublatus, quæ tunc eâ in vrbe ad quadraginta hominum millia extinxit: ex noſtris autem, præter Boccatium, occubuêre Ioannes Gulielmus Harlemius Rector, magno ingenio vir, ac Latinis, Græcis, Hebraicis litteris perinde eruditus, in docendo Theologiæ curriculo Bellarmini collega; quem & doctrinæ gradu & ætate ſuperabat. Vrſmarus item Goiſſonius, is qui Lætienſes Monachos cum inſigni fructu piis inſtruxerat meditationibus, primusque Sociis Pragenſibus præeſſe iuſſus fuerat ab Ignatio. Renerus Reneri nuper Antuerpiæ Rector, nunc exſul,dum Louanienſis Collegij gubernacula mortuo Harlemio ſuſcipit, lue correptus immoritur. Ioannes Iacobi Aſtenſis nuper Legatum Cardinalem in Pruſſiam ſecutus, deinde Traiectenſis Collegij Rector; vnde cum ſuis eiectus, ſepulchrum quoque ſuum reperit Louanij. Alios præterea ad duodecim eadem lues abſumpſit.

Quid nunc Henrici Dionyſij Traiectenſium Apoſtoli labores loquar, vitæque ſanctimoniam ſingularem? Æterna viri memoria eſt, quam nec dominantis eâ vrbe hæreſeos liuor exſtinguet. Is domo Neomagus, Theologiam docuit Coloniæ; & ad ſummi templi ſuggeſtum vocatus, magnâ cum dignitate fructuque perſonam ſuſtinuit. Poſt id Academiæ Dilinganæ Rector ſolenni ritu inauguratus eſt. Denique Traiecti ad Moſam conſedit: vnde nec ab Hoſio Cardinale in Pruſſiam abduci potuit,obſtante ſcilicet Albano Duce,palàm profeſſo, Dionyſium vnum quantouis militari præſidio ſibi eſſe potiorem. Vt Catholicorum amor erat, ita terror hæreticorum: in quos, quòd templa concioni eſſent anguſta, aperto cælo fulminabat. Illius ad concionem prodeuntis latus, domumque redeuntis, ſtipabant aduerſus hæreticorum odia carbonarij armati tamquam milites Prætoriani, ſanguinem vitamque pro ſuo, ſic vocabant, Apoſtolo profundere parati. Bina tabulis conſignata prodigia poſſidemus. Venam pectoris ex dicendi contentione ruperat Dionyſius: hinc tabes orta, ex tabe mors. Ægrotanti lac caprinum deferre conſueuerat puella ab ipſis muta incunabilis, ſed propter morum innocentiam viro ſingulariter chara. Hæc, illo iam mortuo, nocte quadam vſum accepit linguæ; ſubitoque exclamans,Patrem Dionyſium multâ luce conſpicuum ſibi adſtitiſſe confeſſa eſt; & ſermo ipſe miraculum loquebatur. Illud etiam illuſtriu : cum Nicolao Stratio, nobili viro, atque in D. Seruatij Decano, haud vulgaris contracta amicitia fuit. Pepigere inter ſe de communi amborum ſepulchro. Prior morbum mortemque incurrit Dionyſius: biennio pòſt Decanus; cui tumulum facturi dum veniunt veſpillones, ecce tibi receſſiſſe ter-

Henricus Dionyſius.

ram ſponte ſuâ, & nudatum feretrum Dionyſij, locumque condendo ad latus corpori aptiſſimum conſpiciunt attoniti. quo ſtatim vulgato, vniuerſa ciuitas ad ſpectaculum effuſa, ingens prodigium magnâ voce prædicauit.

Theodoricus Gerardi. Amſterodamum quoque Societati dedit dignum memoriâ Theodoricum Gerardi, prô qualem virum, ſi viuere licuiſſet! Is Louanij omnium conſenſu iudicum primâ Philoſophiæ laureâ donatus, cùm Iuris ſtudium, non ſuâ ſed ſuorum voluntate guſtaſſet, in Societatis amorem tantâ vi exarſit, vt, arrepto Romam ad Ignatium itinere, ne parentes quidem inijciendæ moræ metu duxerit ſalutandos. Martinus Olauius, vir in perſpiciendis ingeniorum dotibus acutiſſimus, in probandis propè faſtidioſus, fatebatur, ex magnâ illâ lectiſſimâque Collegij Romani iuuentute ad totius Societatis ſeminarium educatâ ſolum eſſe Theodoricum, in quo omnino nihil deſideraret. Eum Lainius in Poloniam Petro Caniſio ad rei Catholicæ in Regni Comitiis tutelam à Pontifice legato comitem ire iuſſit. At in ipſo itinere vbi Viennam attigit, ſtatim morbo correptus exſtinctusque eſt: immaturum ſanè Societati noſtræ, ipſique adeò Catholicæ Eccleſiæ funus. Pridie quàm moreretur, decumbenti aderat Theodoricus Caniſius Petri frater, cum quo iamdudum arctam Louanij familiaritatem contraxerat, quadam morum ingeniorumque ſimilitudine. Inter colloquendum ſubitò erectus Amſterodamius, Concentum, exclamat, audio Angelicum, chariſſime Caniſi: comitare me, concentum Angelicum audio. Poſtrema eius iam ſacro Oleo delibuti velut cygnea vox fuit ad circumfuſos Fratres, De vocatione Religiosâ haud magis licet, quàm de Catholicâ Fide dubitare.

Ioannes Hamelius. Non abſimilem mortem ſortitus eſt Louanij Ioannes Hamelius, parentibus Bruxellenſibus apud Zelandos oriundus, vir linguarum peritiâ, prudentiâ animi, vitæ integritate ſingularis. Hic Leſſij in Theologicis collega, dum lue infecto præſtat operam, ipſe inficitur, ac quatuor ante mortem horis, cùm fortè noſtri Litanias quotidiano more in ſacello recitarent, ad extremum lectulum clarâ in luce Angelum tutelarem vidit; cui à Socio Adiutore nullam haberi reuerentiam indignatus, Non vides, mi Frater, inquit, adſtantem Angelum? ego certè video veneror que, haud quidem meis, ſed Litanias ritè recitantium meritis euocatum. Hanc rem ille Adiutor contractâ & ipſe lue moriturus, ſanctè teſtatam voluit, ne tam inſigne Numinis beneficium Hamelio collatum in tenebris iaceret apud poſteros, quas ſuo ipſe ſilentio iniurioſus nobis attuliſſet.

Franciſcus Coſterus. Sed iam diu Franciſci Coſteri ſplendor perſtringit oculos, magni planè & admirabilis viri: quem poſtremum ex Ignatij familiaribus annos abhinc viginti amiſimus. Mechliniæ cœpit, Bruxellis deſiit viuere. Laboris ſupra fidem patiens, plurima ſimul geſſit munia, quæ fortiſſimum quemque ſingula grauaſſent. Vaſtiſſimam olim Prouinciam Rhenanam, deinde Belgicam iteratò gubernans, ſimul habendis concionibus, ſæpè die vno ternis, ſimul confeſſionibus audiendis, ſimul ſcribendis libris, ſimul diſputationibus cum hæreticorum verſutiſſimo

quoque

quoque instituendis, vnus ipse par vires homine maiores diuinitus accepisse creditus est. Quis Costerum nescit librorum copiâ parem primis in Societate scriptoribus, fructu etiam superiorem? nam, præter quod attulit commune orbi Christiano bonum, illius scriptio multis Batauorum millibus ad arripiendam retinendámve Fidem exstitit salutaris. In tot tantisque occupationibus, prætérquam quòd perpetuo cilicio flagellisque creberrimis corpus suum excruciaret, ita securus animi vixit, vt somnum ei nulla vmquam cura interpolarit: quem neque vmquam, licet diurno labore fractus, aut dimidiatâ nocte vix inchoatum, vltra præscriptam legibus nostris horam matutinam extraxit, ne quidem id ætatis senex. Beatissimæ Virginis, cui se infantem à parentibus consecratum ferebat, præcipuus cultor, Sodalitates ei in Rhenanâ Belgicâque Prouinciis primus erexit. Illius effigiem in domo Senatoriâ Antuerpiæ, deturbato immani colosso (quod suprà diximus) collocauit Cultori suo vicem Diua cumulatissimè rependit, sed gemino potissimùm beneficio: quorum alterum, illibatus castitatis flos ita perpetuò seruatus, vt nec minimâ corporis commotione, ac ne prauâ quidem cogitatione in omni vitâ se pulsatum, frequenter ipsemet fassus sit. Alterum, constans, ac ne breuissimo vel vnius diei quidem morbo tentata valetudo, ad ætatis annum octogesimum octauum, in tantâ laborum contentione. Sub vitæ exitum rogatus, lubénsne moreretur, cum Ambrosio respondit: Ita vixi, vt me vixisse non pudeat; mori autem non timeo, quia bonum Dominum habeo. Denique cùm Psalmus ei nonagesimus à nostro quopiam recitaretur, & ad singulos propè versus eorum in se sententias expletas affirmaret; auditis illis, *Longitudine dierum replebo eum*, Etiam hanc, inquit, plus quàm octogenario mihi Dominus sponsionem reseruauit; illis verò recitatis, *Ostendam illi salutare meum*; Hoc porrò, ait, à Domino iam reliquum exspecto: quod à nostro iussus sperare, ne de eo quidem se dubitare respondit. Ita plenus dierum, non morbo, sed ætati succubuit, cùm annos septem supra sexaginta in Societate vixisset. Mortui fama commouit magnoperè Bruxellas. Integra fuêre Cœnobia, quæ rosariorum mitterent aut numismatum copiam sancti cadaueris contactu, vt dicebant, consecrandorum. Variæ per Belgium Sodalitates auctori suo parentarunt.

Magnum quoque rebus nostris decus attulit Martinus Antonius Delrio, Antuerpiæ ex antiquâ Hispanæ nobilitatis familiâ oriundus. Acre fuit viro viuidumque ingenium, quod à primâ ætate adeò excoluit, vt Iustus Lipsius Belgarum Socrates Delrium æui sui miraculum non magnificentiùs quàm veriùs appellare soleret. Eiusdem Lipsij hoc quoque testimonium est; nec se legisse vmquam, nec vidisse, ac omnino nescire, síntne Scriptores, quos non Delrius & perattentâ quidem lectione exhausisset. Adhæc cùm retinentissimâ esset memoriâ, incredibile quàm immensum doctrinæ thesaurum suo conclusum pectore circumferret. Vigesimo primo ætatis anno scriptis libris clarescere cœpit: in Supremum Brabantiæ Senatum à Philippo II. Rege cooptatus, mox etiam pro Cancellario ius dicere, fiscoque Regio præesse iussus, vix annos natus octo & viginti; in summo stabat honorum gradu, cùm ad

Martinus Antonius Delrio.

Societatem respexit. Ergo per caussam negotij cum Rege transigendi, acceptâ ab Alexandro Parmensi Principe potestate, in Hispaniam profectus, in Societatem sese abdidit; expletoque Tirocinio, cùm iam ætatis ageret annum trigesimum secundum, ad recolendam Moderatorum arbitrio Philosophiam, talis tantusque vir, tot libris editis clarus, tantis perfunctus honoribus, inter Dialecticorum spineta versari, & cum adolescentibus puerisque de palmâ decertare non erubuit. Eximium illud est, & ad gloriam perillustre, quòd Iustum Lipsium ex Lugdunensi Batauorum scholâ ad Catholici Belgij nobilissimam Academiam suâ auctoritate traduxit. Tandem post docendi scribendique celeberrimos labores Duaci, Leodij, Græcij, Salmanticæ, sed præcipuè Louanij exantlatos, acutissimis calculi cruciatibus consumptus interiit, anno M. DC. VIII. cùm vix triennio Lipsius præiuisset.

Thomas Saillius,

De Thomâ Saillio Bruxellensi haud sanè pauca sparsim iam commemorata sunt. Quem non ille, vt Moscos barbaram gentem Christianis mitigaret legibus, laborem leuem duxit? quæ non alacer capitis sui discrimina subiuit? Frequenter soli ipsi per inaccessas horridasque siluas, feris & latronibus infestas, noctu peregrinandum: hieme in gelidis dormiendum niuibus, & vndenis aliquando mensibus continenter immutatâ veste versandum fuit. Quibus tot tantisque, quamuis aliàs firmus corpore & durorum patiens, exhaustus ærumnis, in Belgium cæli caussâ remittitur, cum Stephani Poloniæ Regis ad Parmensem Principem litteris, vti suo loco est indicatum. Exinde Princeps, quoad vixit, vsus est Saillio ad sacram Exomologesin, interque eius manus supremam animam efflauit; felicior profectò tam fidi Patris tutelâ in illo supremo vitæ actu, quàm tot suorum laude præliorum. Castrensem Missionem instituit Saillius, cum eâque Collegium Bruxellense annis multis præclarè gubernauit. Cum Francisco de Mendozâ Aragoniæ Admirantio ad Cæsarem, ad Poloniæ Regem, ad Archiducem Ferdinandum, eum qui posteà Imperator fuit eo nomine Secundus, Alberti Principis iussu profectus est, & aliquot pòst annis Parisios cum Arschotano Duce, Arenbergico Comite, Ludouico Velasquio, Præside Richardoto, ad pacis fœdera inter Hispaniæ Galliæque Reges sancienda. Mortem suam præsensit, prædixitque. In aulâ, post auditas Principum feminarum confessiones, de more operabatur sacris, iamque diuinum panem & calicem sumpserat, cùm tactus paralysi concidit. Ingens mox toto gynæceo clamor & comploratio. Certatim accurrere omnes, & extremam à sancto suo Patre (sic compellare morem habebant) petere benedictionem. Archidux Isabella vetabat moueri loco; at ipse Collegium palatio præoptabat. Quare inter aulicorum manus domum deportatus, fugiente sensim vitâ, placidissimè, ad laborum suorum præmia, decessit. Illud Saillio diuinitus accidisse memoratur. Ingentem vim sanguinis ruptâ tibiâ effuderat. desperabant Medici, non æger: concepto ad Virginem Aspricollensem voto, præsentem illam spectare sibi visus est, cum tutelari suâ præside Barbarâ, & audire dicentem Filio suo CHRISTO Domino: *Sine hunc nostrum seruulum aliquanto diutiùs viuere.* Vixit porrò ad Medicorum stuporem, multò quàm anteà

anteà vmquam ſanior, neque vllius in poſterum indigens medicinæ.

At Leonardus Leſſius Brechtanus ex agro Brabantino, ingenij ſui doctrinæque monumentis Prouinciam haud mediocriter illuſtrauit. Eum primâ Philoſophiæ palmâ Louanij donatum Societati noſtræ peperit Laurentius Norwegus: qui, quòd plurimos ſingulari gratiâ per Ignatij commentationes ad Religioſum ſtatum adduceret, vulgò Piſcator eſt dictus: eſtque hic ille Norwegus, qui Louanio in Sueciam profectus, auctoritate Supremi Pontificis Gregorij XIII. ad ferendam Catharinæ Reginæ aduerſus hæreſes opem, ſummâ fide, curâ, labore prudentiâque partes impleuit ſuas; vtque illi ſolatium, ita multis ſalutē attulit. Fuit Leſſio, præter ingenij acumen, propria quædam in docendo perſpicuitas; planè vt res difficillimas, maximeque intricatas, ſummâ claritate diſſolueret. Leſſium ex omni terrarum parte conſulebant docti homines, & Albertus Princeps illo ad res grauiſſimas frequens vtebatur. Paulo V. Pontifici Maximo nouum de Iure Iuſtitiâque commentatorem quis neſcio commendabat: Pontifex manu volumen Leſſij proferens, Hic vir, inquit, hic præſtitit rem. Haud minor Leſſio virtus, quàm ſcientia fuit. Inſigne in eo paupertatis ſtudium, rara ſubmiſſio, æquitas animi inconcuſſa, quam Louanij maximè probauit in illâ tempeſtate Academicâ; cuius auctores adeò numquam vel verbo auditus eſt lædere, vt non ſecùs ac ſibi amiciſſimos ſincero complecteretur affectu, honore eximio dignaretur, benignè paſſim apud obuium quemque excuſaret. Mens in illo humanis omnibus maior, & erecta ſemper in Deum: vt cæleſtem in terris vitam agere videretur. victu parciſſimo ac pænè nullo vires vtcumque ſuſtentans, diuina vel lectitabat aſſiduè, vel ſcribebat; vel, ſi accederes, ita loquebatur ad guſtum, vt plenus liquidiſſimâ animi voluptate diſcederes. Vultus ipſe ſanctimoniam ſpirabat. In imbecillo interim corpore morborum examen erat, numerò & grauitate certantium: quibus tot malis, ſed præcipuis calculi doloribus, aliquando ſuperatus, ex mortalitatis ergaſtulo in Beatorum tranſiit domicilium, vbi, diuinâ teſte Paginâ, Iuſtitiæ Doctores fulgent tamquam ſtellæ. Quorum in numero & Leſſium ſplendere, indubitatum nobis reddunt quotidiana prodigia quæ haud temerè circumferuntur. Ampliùs quindena, iuratis teſtibus, nec paucis, & Medicorum iudicio comprobata ſunt: plura patrantur in dies. Sed ea res quoniam ad ēminentius pertinet tribunal, ſingularibus commemorandis tantiſper ſuperſedendum mihi ſentio, dum maior accedat auctoritas. *Leonardus Leſſius,*

Nunc ad Carolum Scribanium, Prouinciæ noſtræ velut parentem, aliquando veniamus, virum cuiuis functioni, cuiuis ſcriptioni parem. Fuit ſanè Scribanius ingenio doctrinâque excellens, iudicio prudentiâque pænè dicam incomparabilis. Rerum, quæ pugnare quodammodò inter ſe videntur, admirabilis in eo ſocietas: generoſiſſimus animus cum inſigni ſubmiſſione; ſumma amabilitas cum ſummâ auctoritate; perpetuæ maximæque occupationes cum interioris hominis diuinorumque aſſiduâ curâ & contemplatione. Quod nemo alius ſperaret, aggrediebatur ipſe, conficiebatque ex animi ſententiâ. Natum diceres in arduorum expeditionem; & tamen ſuis *Carolus Scribanius,*

nihil viribus, Deo omnia tribuebat. Antuerpiæ amicus quidam empto nobis frumento, magnâ pecuniæ ſummâ ad dictum diem indigens, monebat Patrem, aut continuò repræſentandam pecuniam, aut dilatâ ſolutione fidem Societatis in diſcrimen eſſe venturam. Negabat Pater vel obolum eſſe domi; inſtantemque nihilominùs ad preces ire iubet, ipſe pariter precaturus. Haud irritæ preces cecidere. Eodem die ad veſperam perſona pia, præſentis ignara neceſſitatis, illam ipſam pecuniæ ſummam quæ requirebatur Scribanio in eleëmoſynam numerato tradit; tum Scribanius amico, cum voce, En precum noſtrarum fructum. Iam illius quanta & apud ſummos auctoritas! Vix paucis hebdomadis vno alteroque itinere Romam vidit, & complures ſtatim è Purpuratis Patribus, ipſumque in primis Barberinum, qui nunc eſt Vrbanus Pontifex Maximus, ſui admiratione impleuit amoreque; quorum deinde familiaribus litteris perſæpè eſt ſalutatus. At Ferdinandus II. Auguſtiſſimus Imperator litteras & ipſe ad Scribanium dedit beneuolentiæ pleniſſimas: ad ſeſe illum vtique euocaturus propter conſilij ſapientiæque vim, ſi non aliæ cauſſæ in Belgio retinuiſſent. Certè quoties Belgarum aliquem è Societate ad colloquium Cæſar admitteret, nihil prius habebat quàm de Scribanij valetudine ſciſcitari. quod & Romanus Pontifex factitabat. Philippus verò Rex Catholicus duo querebatur; alterum, tantò à ſe locorum interuallo diſtare Scribanij ſapientiam; alterum, publici iuris factum eſſe, quem inſtar myſteriorum penes ſe vnum habere optauerat, Politicum Chriſtianum. Apud Galliæ Regem Henricum Quartum vrgebant calumniatores, Amphitheatrum Honoris à Scribanio editum flammis eſſe abolendum: Rex contrà, ampliſſimo diplomate ſponte tranſmiſſo, ciuem illum ſuum, Gallicique Regni naturalem, vt vocant, indigetauit. Quoties Albertus Belgarum Princeps in Scribanij laudes auditus excurrere? quoties Maximilianus Elector Bauarus? quoties Wolfangus Gulielmus Dux Neoburgicus, quem à Scribanij latere, cùm eſſet in Belgio, negaſſes auelli poſſe? Comes verò de Oliuares, idemque Dux de Sanlucar, præcipuus Regis in tot Regnorum gubernatione adiutor, Scribanium ad colendam amicitiam prior inuitauit; & abſque illius litteris vel vnum aliquem è Belgio venire tabellarium permoleſtè ferebat. Petrus Aloyſius Carafa Archiepiſcopus Tricaricenſis, & per Germaniam Nuntius Apoſtolicus, amorem ſuum explere non potuit, niſi coràm ſpectaret audiretque Scribanium. Cardinalis de la Cueua, Ambroſius Spinola Marchio, & quotquot viros Principes habebat aula, ſæpiùs in die, quin & intempeſtâ nocte, rebus in arduis Scribanium conſulebant. Quæ tanta æſtimatio, non aulicis officiis ei quæſita (nec enim aulæ limen ſalutauit vmquam, niſi quòd ſemel ab Iſabellâ Archiduce euocatus, congreſſum declinare non potuit) ſed ſapientiæ virtutiſque meritis parta: quâ ille ſemper vſus eſt in animorum bonum. odia enim inimicitiaſque (quarum fecunda nutrix eſt aula) ſine numero ſuſtulit, controuerſias diremit: fuitque, cùm quindecim non ampliùs dierum ſpatio lites omnino triginta inter Principes familias ſuo arbitrio definiuit. Nec verò quidquam Religioſæ modeſtiæ carpſit vmquam floren-

florentissima semper auctoritas. De Episcopatu non semel, quin & Cardinalatu, à viris summis compellatus, adeò se honoris hostem ostendit, vt illos homines beneuolos oblatæ in id operæ suppuderet. Præter animi dotes prorsus eximias, commendabat virum quædam maiestas oris totiusque corporis, quæ Magnatibus & Principibus ipsis venerationi esse posset, neque tamen vlli, quantumuis paruo & humili, grauis. eratque cum eâ coniunctus tener adeò sensus gustatioque rerum piarum, vt imagines sacras & icones venerando, globulos voluendo precatorios, Canonicis precibus recitandis, sed præcipuè peragendo Missæ sacrificio, præ mentis dulcedine copiosis flueret lacrymis, & suauissimum pietatis gustum ex occulto spectantibus afflaret. Post longissimam præcipuorum Collegiorum vniuersæque Prouinciæ gubernationem, dum priuatus latêre voluit in Profeßâ domo, clarior & seipso maior apparuit. Fiebant ad eum maximi vndique concursus omnium ordinum ac ætatum: & omnibus par vnus erat, quamuis deuexâ tum ætate, ac valetudine infirmâ. Tanta inerat vel à naturâ, vel à diuinâ gratiâ, mentis amplitudo. Toto triennio virum afflixit morbus, non vehemens ille quidem, sed quem letalem semper ipse pronuntiauit. Paucis ante obitum mensibus, cùm vim mali superasse, solitoque alacriùs domi forisque deambulare cerneretur, suam ipse mortem præsagiens, Philippum Bultinck Sacerdotem Antuerpiâ Mechliniam proficiscentem in hæc verba compellauit: Eia, Pater, in cælum pariter proficisci nos oportet. Non animi caussâ, vti tunc credebatur, sed seriò dictum ostendit euentus. Simul enim mors Scribanij nuntiata est Mechliniæ, id est postridie; simul ille Pater, Atqui oportebat me vnà cum Patre Scribanio mori, dixit; & ruptâ subitò venâ tam copiosus sanguis cor loquentis oppressit, vix vt Extremæ Vnctioni esset tempus, tametsi pridie ad aram fuerat operatus, & etiamtum ædes obambulabat. Id cuiusmodi sit, altiori iudicio ac censuræ permittimus. Illud verò non absimile, quòd S. Remigij Marchionissam, Alberti Comitis ac Marchionis de Bergis matrem, multa querentem, bono animo esse iussit; quippe huius calamitosæ vitæ ærumnis breuî expediendam. quin & mortis tempus præcisè denuntiauit hisce verbis: Post sex hebdomadas me præeuntem sequêris. Prorsus omnia, vti prædixerat, euenere. Agebat Dixmudæ, Flandrorum oppido, Marchionissa, cùm Scribanius moreretur Antuerpiæ. Illam interim corripit morbus; atque vbi de Scribanij morte audiuit, adstanti vrbis Syndico, Iam de me actum, inquit: nam P. Scribanius postremo colloquio sex non ampliùs hebdomadas me sibi superuicturam vaticinatus est. Ergo ad mortem ritè se comparans, exspirante sextâ hebdomade, & ipsa exspirauit. Ceterùm vbi Scribanium periclitari intellectum est, incredibile quanta Belgarum fuerint studia pro tam charo capite seruando. Isabella ipsa Archidux puluerem nescio quem submisit, olim parenti suo Philippo Regi salutarem; sed serò perlatum est remedium. Ipso magni Baptistæ Natali magnam animam exhalauit, luctu nobis suique æterno desiderio relicto.

Quid nunc alios immortali memoriâ dignissimos proferam, quos *alij illustres viri.* aut

aut excellens doctrina aut virtus indignetur tacitos præteriri? Martinum Becanum magni nominis Theologum, quem Germanis dedimus & Cæsari: Franciscum Aguillonium Mathematicis excultissimum, de quibus sex Opticorum libros cum laude vulgauit: Nicolaum Bonartium, de quo dubitat Ribadeneira, vllíne ætate suâ cesserit acumine, iudicio, atque etiam memoriâ; quæ rara dos est in tantâ ingenij sublimitate: Marcum van Doorne, pari præditum doctrinâ, & morum suauissimâ gratiâ: Cornelium Cornelij à Lapide, celeberrimum Louanij ac Romæ sacrarum Paginarum interpretem; quas omnes amplissimis iuxtà ac doctissimis commentationibus illustrauit. de quo Romanum Societatis nostræ Collegium Francisco Cardinali Barberino testatur, *non aliam haberi posse imaginem expressiorem viri, quàm eius libros: iure enim de illo affirmari posse, vt multa suos in libros incluserit documenta viuendi, priùs ipsum ea omnia, quæ ad se poterant pertinere, viuendo expressisse; neque eius vitæ historiam posse conscribi luculentiorem eâ, quam suis ipse Commentariis tradidit, normâ viuendi.* Quid Nicolaum Romæum, Adrianum Mangotium, Heribertum Rosweidum, eruditissimos dicam viros? Quid Ægidium de Coninck, in quo scientiæ modestiæque gratissima coniunctio fuit, virtuti splendorem addente doctrinâ; Iacobum Tirinum, quem animi magnitudo, fiducia in Deum, comitas admirabilem ex æquo & amabilem fecere; cuius in totam sacram Paginam exstat Commentarius inter Hollandicæ Missionis, cui præerat, curas & difficultates elucubratus, æternum excellentis ingenij monumentum? Quid Bernardum Bauhusium, Nicolaum Susium, Hermannum Hugonem, & id genus principes litterarum; quique propemodum exciderat, Andream Schottum, tantæ apud eruditos auctoritatis & famæ, vt Isaacius Casaubonus Iesuitarum doctissimum non dubitarit appellare? Quid Gulielmum Veranneman, Franciscum Pratanum, Adrianum Arboreum, Ioannem Dauid, Arnoldum Cathium, Martinum Bresserum, Ioannem Wintershouium, & quos vel nominare liber sit; alios sapientiâ, prudentiâ, consilio, gubernatione; alios humanis diuinisque scientiis claros, alteri ac tertio & omnibus sæculis nostro stylo commendari dignos, si non numeri obstaret immensitas?

Præfat. in Euangelia.

Nec sanè paucos vel sola virtus, si deesset doctrina, quæ nulli profectò defuit, magnos facit & illustres viros. Eximius proximos iuuandi ardor in Gulielmo Leonio, in Cornelio Duystio satis iam eluxit suprà, vbi de Missionibus actum. Gulielmus verò de Pretere, quantus vir in procurandâ salute mortalium! Vt Catholicæ piæque in scholis puerorum institutioni in perpetuum consuleret, profanas eliminauit historias fabulasque quæ passim versabantur in manibus, & libros vtiles, vitamque formaturos, suffecit. Ille Virginis cultum mirificè per terna promouit Sodalitia; quæ solus annos nouemdecim administrauit. Ille excitauit Catechismos, Religiosorum varia Cœnobia spiritualibus Exercitiis refinxit. Pietatis verò in Deum præcipuâ quadam commendatione celebris vixit Iacobus Stratius, de quo anteà dictum in loco: Antonius Sucquetius, cui Parisiis mortuo Monasteria propè omnia Mechliniæ, vbi erat Rector, parentarunt: Ægidius Bauarius, quo viro cùm

nihil

nihil esset mansuetius; nihil tamen fuit eodem acerbius in pœnis à semetipso exigendis: id quod flagella æneis stimulis præacuta, & cruore rigentia, post eius obitum reperta testantur: Florentius Bronchorstius, quem ad Sodales dicentem numquam Lipsius audire neglexit, professus non se Latinitatis elegantiâ, cuius minimum Florentio erat studium, sed trahi ardore sermonis, & vel solo viri vultu spirante pietatem. Finis nullus sit laudandorum, si Busæos, si Vinckios, si Deckerios, ac plures horum similes Flandro-Belgas, aliis datos Prouinciis, cogar recensere; quorum, etsi maxima sunt merita, meminisse tamen prohibeor, impositâ mihi necessitate breuitatis.

Nam quid Euerardum Mercurianum dicam, Societatis nostræ quartum Præpositum Generalem, quem ex patriâ Luxemburgensi oriundum, Guicciardinus tot ac tanta in Remp. Christianam & officia simul & beneficia contulisse scribit, vt *renatus in eo indicaretur genius atque ingenium diuini illius Ignatij Loiolæ natione Hispani, primique Societatis & Ordinis* IESV *Fundatoris*? Quid Oliuerium Manaræum Vicarium Societatis Generalem, quid Georgium Duras Assistentem, quid Eleutherium Pontanum, Georgium Colibrantium, Nicolaum Trigaultium, aliosque magnos & illustres Gallo-Belgas (quos aliquando nobiscum complexa fuit vna eademque Prouincia) in medium adducam, quorum nec nomina commemorari à me, loci huius patiuntur angustiæ? debetur sanè illis sua laus multò amplior, quàm à me pro dignitate pertractari possit. & erunt, qui pleniùs & accuratiùs id exsequentur, eoque in alienam messem hanc falcem mittere non est consilij. Hic enim de Flandro-Belgicâ nostrâ liber est, alij fuere communes, & in iis laudem suam habuit quorumdam excellentia. Quare nostrorum agmen claudat Phosphoro similis, loco, non splendore postremus, Ioannes Berchmannus Diestemiensis, quem in æui flore mors carpsit, cælo vtique maturum. Angelum diceres in humano corpore hospitantem: ita vixit, vt passim voce ac digito signaretur modestiæ, pietatis, castimoniæ exemplar. Mutij ipsius Vitellesci Præpositi Generalis hoc de illo testimonium est: *Felicis memoriæ Frater noster Ioannes Berchmannus iuuenis reuerâ fuit innocentiâ ac pietate insigni, angelicis moribus, pietate admirabili, virtutibus solidis ac perfectis: Instituti nostri Regularumque seruantissimus: omnibus qui vmquam cum eo sunt versati, quocumque tempore aut loco, per quamcumque occasionem, summi semper exempli: adeò vt neminem reperimus, qui vmquam in eo deprehenderit vel minimum defectum aut imperfectionem.* Moriens nullam Religiosæ disciplinæ legem vel minimam meminerat violasse; tantum aberat à peccati labe. Obiit Romæ, nihil distans Aloysio, nisi quòd magis Berchmanni funere Vrbs commota est. Mira quæ subdo. Ad funestum nolæ domesticæ signum illustris matrona Psalmum pro defuncto sæpiùs conata dicere, in Ambrosianum Hymnum semper erupit. quo perculsa portento, exclamat non hominem illum qui obiit, sed Angelum fuisse: mox ad Collegium progressa, planè, vti dixerat, comperit. Ipso mortis die cognitum variis magno interuallo locis, alterum Romæ Aloysium obiisse. Tactum Berchmanni cadauer, alteri vsum linguæ, alteri oculorum dedit.

Ioannes Berchmãs.

Hermannus Hugo in Vitâ eius.

Ttttt Partem

Partem corporis primam Belgis dono dedit Præpositus Generalis Mutius Vitellescus, Marcus van Doorne in Prouinciam attulit, Louanium seruat.

MAGNORVM IVDICIA DE SOCIETATE FLANDRO-BELGICA. *Romanorum Pontificum:*

Nunc ad alteram Capitis partem, quæ magnorum hominum auctoritatibus constat, gradum facio, illud in ipso limine professus, nullam hinc aliam Societati gloriam à me quæri, præter testimonium veritatis: vt mortalibus constet, aduersus tantam hæreticorum & ex Catholicis improborum maledicentiam stare viros Principes & Ecclesiasticos & sæculares, famæ nostræ validissimos assertores. Atque vt à supremo Christiani orbis capite ordiamur, Paulus IV. Pontifex Maximus non vno testatum fecit indicio, quid de Belgicâ Societate sentiret. Dedit enim ad Granuellanum Cardinalem litteras, quas Breue Apostolicum nominant, paternæ solicitudinis plenas, quibus Prouinciæ nostræ patrocinium illi imperabat. Deinde quò maiorem Ordini nostro apud Belgas auctoritatem conciliaret, personam suam, quod summi honoris fuit, Nicolao Goudano sustinendam imposuit apud Scotiæ Episcopos, ipsamque Reginam Stuartam; tot aliis prætermissis summæ auctoritatis viris, quos vel Ordinis dignitas, vel antiquitatis prærogatiua, vel magnitudo meritorum præ nouellâ Societate nostrâ commendabat. Nec verò leue Clementis VIII. iudicium videri debet, quo Societatem Belgicam potissimùm idoneam censuit sacræ in Batauiam expeditioni suscipiendæ, conseruandis Catholicorum reliquiis, & ab errore in viam hæreticis reducendis. Et quoniam cœpimus à sacris, post supremam illam Tiaram par est ad minores Infulas delabi. Gerardus Groesbequius Eburonum Antistes, idemque de Purpuratorum Patrum Senatu, Belgas Patres Louanio in ditionem suam inuitare solitus, adeò præsentium lætabatur adspectu, quasi non homines, sed hominum tutelares Angelos accepisset. Tum demum ponebat curas, quas pro Religionis incolumitate maximas gerebat, satis ei consultum arbitratus quamdiu adessent Patres. Nec maior Groesbequij, quàm Roberti Bergensis & Georgij ab Austriâ præcedentium Principum, de nobis fuit existimatio: quam Bergensis tunc maximè prodidit, cùm res nostra Louanij laboraret. Nam & suam de grauissimis ac maiori Iudici reseruatis criminibus absoluendi potestatem ita cum Adriano nostro communicauit, vt ad quos ille vellet, eamdem posset extendere; & acri censurâ perstringendos putauit, qui nostro Instituto aduersantes, exercendarum functionum libertatem eripere molirentur. De Læuino Torrentio quid dicam, Antuerpiensium Antistite verè magno, qui præcipuâ Patrum nostrorum vsus operâ, vltimis quatuor vitæ suæ annis septies mille à Fide alienatos Ecclesiæ conciliauit?

variorum Episcoporum.

Fama postuma Præsulum Antuerpiensium.

Quantum in eo Patronum haberet Societas, manifestum fuit in Louaniensis Collegij fundatione; quam ei dissuadendam quibus nescio rationibus Academia susceperat. Ipsum iuuat audire Torrentium ex iis litteris, quas super hac re dedit Antuerpiæ ad Academicos pridie Nonas Maij, anno sesquimillesimo nonagesimo quarto.

Epistola Episcopi Torrentij

Cùm ab eo tempore, quo primùm instructus litteris Louanij, alias quoque Prouincias accessi, ac tandem diuino fretus auxilio, in patriam reuersus sum incolu-

incolumis; nihil magis desideraui quàm occasionem aliquam dari, quo accepti memor beneficij, de Louanio vicissim benè mereri, atque animi gratitudinem aliquam ostendere possem. Successit res non omnino infeliciter. Quòd enim ex peculio honestè parto superfuit, id erigendo apud Patres Societatis IESV *Philosophiæ Gymnasio cœpi impendere, in magnum Academiæ vestræ, vt mihi visum est, commodum & bonum; nihil cuipiam detrahens, sed seriò dans operam, vt toti corpori benè esset. Nam cùm de Republicâ in vniuersum agitur, non quod singulis, sed quod in vniuersum profuturum sit omnibus, considerari consueuit. Accidit tamen, vti plerumque fit in naturali quadam hominum ad dissentiendum inclinatione, vt nonnulli ex Facultate Artium, quam vocant, acriter se opponerent. dico nonnullos, quia mandatum de se opponendo legitimè conceptum nullum hactenus vidi; sed epistolam tantùm, quâ me à proposito deterrere, & aliò inclinare conati sunt. ad quam tum etsi modestissimè, &, vt puto, non imprudenter respondi; illi tamen pergunt obsistere, & nescio quid moliri, vt auctoritate Regis eiusque Concilij impeditus, à sententiâ discedam. Quod vt liberè dicam, nullo vmquam modo impetrabitur. Nemo enim quid cui conferam mihi præscribat, rerum mearum qui sim dominus. Sed efficient fortassè illi suâ ingratitudine aliò me conuertam; quod tamen non facilè neque temerè fiet. Nam Louanium amo. Liberum credo erit sanctæ Societatis nominis* IESV *hominibus benefacere, & apud eos nouum Philosophiæ seu Gymnasium seu Seminarium erigere: quò tametsi nemo, nisi Societati iam addictus, accesserit, satis inde magnum commodum toti orbi Christiano accedet, & præsertim Prouinciis nostris Belgicis; quod quotidianâ experientiâ iam sentimus, & quasi manu tangimus. Quæ ergo ista inuidia est, vt tanti boni fructum non percipiant etiam alij, qui ad Patres discendæ Philosophiæ caussâ confluere & ipsi volunt? Deum testor, quòd si aliud occurrisset consilium, quo Academiæ prodesse plus potuissem, secutus id fuissem. Verùm sæpè & multum cogitanti nullum occurrit. Alioqui, non obstantibus quibuscumque Artium Facultatis priuilegiis, docere possunt prædicti Patres intra septa suorum Collegiorum, quidquid placuerit, Instituto Ordinis sui non contrarium. An fortè sacram Theologiam docentes Louanij à Philosophiâ arcentur? Quis ergo horum sese opponentium finis? nempe vt magnâ cum inuidiâ nihil proficiant. vbi si vnà mecum ornandæ atque illustrandæ isti Academiæ incumbere velint, Pædagogiis etiam suis profuturum sit plurimùm. Quidquid sit, Viri amplissimi, ab æquitate vestrâ impetratum cupio, vt, quoniam Magistratus atque adeò ciuitas ista tota meum consilium laudat atque approbat, atque, vt pergam in proposito, me rogat, vestram quoque sententiam mihi declarare ne grauemini; idque eo ardentiùs peto, quòd ex quorumdam litteris intellexerim, non solùm Artium quam vocant Facultati propositum nostrum displicere, verùm aliis quoque Professoribus primariis. Quod tametsi ita esset, ægrè tamen desisterem; displiceret tamen vehementer. Durum est enim homini ingenuo inuitis atque ingratis benefacere: ego tamen nullam, nisi à solo Deo, vel gratiam vel mercedem exspecto; cuius etiam clementiæ, quantum possum, precibus vos commendans, vel tribus tantùm verbis ad epistolam hanc meam responsum exspecto.*

ad Academiam Louaniensem.

Hactenus Torrentius. in cuius erga nos beneuolentiam successisse videntur, qui succesere in Mitram, Ioannes Miræus, & Ioannes Malderus: quorum hic à Louaniensi Doctorum cathedrâ ad Antuerpiensem

Præſulum tranſlatus, Societatem noſtram perpetuò duorum ac viginti annorum ſpatio paternum in morem adamauit. Diutiùs etiam Iacobus à Caſtro Epiſcopus Ruræmundanus; quem tamen virum ex eâdem Academiâ nobis aduerſaturum timor erat, & quorumdam non beneuolentium exſpectatio. At ille cognitâ ſemel perſpectâque Societate vſus eſt per viginti ſeptem continuos annos, cùm in ciuitate, tum foris, ex eâque perpetuum ſibi Confeſſarium voluit (quod ſolenne habent Epiſcoporum plerique) neque magnum aliquod negotium ſine Patrum conſilio ſententiâque tractauit. Vir ipſe & longâ adeò experientiâ clarus, & eâ doctrinâ quam olim Louanienſis Vniuerſitas venerata fuerat, pro ſuâ tamen modeſtiâ & Societatis æſtimatione frequens, etiam extremâ ætate, & pedes ad Collegium acceſſit, aut controuerſiam Theologicam aut grauioris rei aliquid cum noſtris communicaturus. De Siluaducenſium Epiſcopo Gisberto Maſio, cui ſumma eloquentia Ciceronis Belgici cognomentum peperit, dubitare neminem ſinunt quæ de iſtius Collegij originibus commemorata ſunt in loco. Quoties Maſius colloquiis priuatis, quoties publicis pro concione ſermonibus, noſtrum Inſtitutum, munia, vitam, moreſque ad ruborem Patrum, ad æmulorum dolorem, deprædicauit? Quo die Ignatij in Beatorum album relati ſolennia Societas celebrabat, ipſe peracto ſplendidè Sacrificio in cathedram aſcendens, ad pulcherrimam audientium coronam pro ſuâ facundiâ adeò magnificè de Beati Patris deque Sociorum laudibus verba fecit, vt impatiens tanti præconis inuidia nonnullos in ipſummet concitarit Antiſtitem, auſos de ſuperiore loco carpere, quæ ille dixerat, argumentiſque refellere: quibus mox facti pœnitentibus haud grauatè vir mitiſſimus condonauit iniuriam. Nec à Maſij veſtigiis ſucceſſor Soeſius, ſupremi Parlamenti Mechlinienſis antè Senator, deſciuit, egregius & ipſe noſtri Ordinis æſtimator. At Remigius Druitius Brugenſium Epiſcopus Societatem quanti faceret, non obſcurè prodidit, cùm in ſummis Reip. anguſtiis, negante Magiſtratu parem ſe alendo Societatis Collegio, reſpondit ſe potiùs quàm Collegium vrbe ceſſurum. Druitium adiuuabat Iacobus Pamelius tum Canonicus, ac deinde Audomarenſium deſignatus Antiſtes, prorſus vt ille Collegij Rectorem, hic Procuratorem agere viderentur. Eadem Rodouanij erga nos ſtudia fuere. Mathias verò Lamberti, qui medius inter Rodouanium Druitiumque Infulas geſſit, morti iam proximus, quando ſublucente alterius vitæ radio clariùs apparet rerum color, Sacerdotem noſtrum ad ſeſe euocauit, cui omnes anteactæ vitæ noxas aperuit, perpetuamque Societati, quam adhuc malè cognitam habuiſſe fatebatur, eleëmoſynam donauit. Eadem propè Caroli Maſij Gandauenſium Antiſtitis ſub extrema vitæ tempora vox fuit, quâ dolentis animi ſenſum exprimebat de tam ſerò cognitâ amatâque Societate. Idem & voto multis audientibus ſemet obſtrinxit, ſi ex morbo conualeſceret, dotandæ in eâ vrbe Societatis. Iam Martini Rithouij, Petri Simonis, Antonij Hennin, Georgij Chamberlaini, Iprenſium Epiſcoporum, quàm præclara de nobis fuerit exiſtimatio, beneficia quæ contulere teſtantur. Præſulum plures quamuis promptum habeam dicere, abſtineo, ne tam multo-

multorum commemoratione numerum videar exhaurire voluisse. Viuentium quoque modestia non exspectat laudes; quas si nos nunc prætermittimus, inueniet tractabitque posteritas.

Nunc Abbatum ex maximo numero vnius dumtaxat sententiam, quasi ad specimen, proferamus. Ludouicus Blosius, vir maximi nominis, quid de nobis sentiret ipse, quid alios sentire vellet, sæpè quidem, sed tum præcipuè declarauit, cùm ad Viglium Zuichemum, Regij Senatus Præsidem, huiuscemodi litteras aliquando dedit. *Abbatum testimonia.*

Domine, cùm nuperrimè tecum pranderem in tuis ædibus, de hominibus Societatis IESV *mentio incidit, vt nosti, longo deinde ducta sermone. Cupiebam sanè tecum seorsim de iis loqui, clariusque quid sentirem exponere; sed quia nullam id agendi idoneam opportunitatem nactus sum, mihi nunc ad te de totâ eâ re scribendum esse iudicaui. Domine, magna mihi pridem cum M. Adriano Scholasticorum Societatis* IESV *Louanij Præposito, aliisque ex eâdem Societate, familiaritas intercedit. Vnde eumdem M. Adrianum verum Dei famulum & amicum iudico. Illud verò liquidò constat, eam Societatem, veluti postremum sacrorum hominum Ordinem, ad multorum salutem in Ecclesiâ diuinitus his temporibus excitatam: licet plerique, non è vulgo solùm, sed sacri quoque homines, atque adeò Religiosi, aut de eorum existimatione detrahant, aut parum sanè eorum caussâ velint. Magna quidem certè & illustria per eos in Hispaniâ, Lusitaniâ, Italiâ, Indiis, atque alibi terrarum patrantur à Deo. Perhonorificè de iis mecum egit Nuntius Apostolicus, cùm Hallas eum salutatum venissem, magnique eos se facere ostendit, iisque vt familiariter vterer hortatus est. Nec obscurus est fructus, quem hactenus Louanij ediderunt. Quod pleniùs testificari potest Cancellarius Doctor Ruardus, summâ vir prudentiâ & religione & fide. Quidam tamen aut veri ignorantiâ, aut animi maleuolentiâ, quod ab illis rectè fit & salutariter, in diuersum interpretantur. Sed consueuerunt videlicet res istiusmodi esse principio ad multos inuidiosæ; quod & S. Francisci ac S. Dominici Familiæ legimus euenisse. Illud verò bonis ac prudentibus probari vnicè debet, quod non vt ceteri, anno vno exacto, sed septimo demum aut octauo pòst, publicè profitentur: quæ res, multa quæ timeri possent, auertit incommoda. Quod ad priuilegia attinet, quibus eos Pontifex ornauit, sunt illa omnino isti Vocationi necessaria. Quamquam verò ea ampliora sint illis, quæ antiquis Pontificum legibus, ceteris Ordinibus collata sunt; non sunt tamen aut publicæ Ecclesiæ quieti, aut rectæ disciplinæ contraria: sed potiùs, si res suis momentis rectè expendatur, & virtuti, & animorum vtilitati, & communi bono maximè consentanea. Bini iam Pontifices, sibi inuicem in summam illam dignitatem succedentes, hanc Societatem, maturâ habitâ deliberatione, confirmarunt: Principes verò Christiani plerique benignissimum iampridem in eos animum accepere. Quos sanè viros vt dignitate ac iudicio præstantes, ita cuncta consilio gerentes, qui tantâ in re nihil vidisse existimet, næ eum à rectâ ratione lapsum iudicem. Vtinam vt in ceteris orbis Christiani Prouinciis, ita in nostro quoque Belgio aliqua eorum Collegia instituantur! Id verò & ad Dei cultum propagandum, & ad animarum salutem fulciendam, confiderem vim habiturum esse longè maximam. Sed vereor vt ne hoc Dei immortalis munere necdum digni simus. Domine, si res ita ferret, vt eorum apud Cæsarem, aut Reginam, aut certè in Concilio caussa agitaretur,* *Epistola Abbatis Blosij.*

 rem

rem tu quidem, vti ego existimo, Deo gratam facies, si quàm minimè eis aduersabere. Non debet, qui rectam animi conscientiam curat, acriùs sese huiusmodi conatibus opponere; ne pugnet cum Deo, pro quo se pugnare arbitretur. Non sunt diuina consilia humanis rationibus metienda, quæ omnem excedunt rationem. Hæc te cupio, Domine, prono benignoque animo accipere, quæ vnius veritatis diuinique honoris studio impulsus, scripsi; precorque Deum Optimum Maximum diu te incolumem tueatur. Vale. Bruxellis.

Tuus humilis seruus

Ludouicus Blosius Abbas Lætiensis.

Testimonia Academicorum: Ruardi Tapperi. Iuuat hoc loco etiam, quid Academici Doctores, iique primæ auctoritatis, senserint, festinanter attingere. Ruardum Tapperum Cancellarium dicere solitum accepimus, cerni oculis atque ipsis quoque tangi manibus, Societatem iugulandis hæreticis, non ferro (quod nobis ipsi faciunt) sed eruditione pietateque Christianâ, diuinitus excitatam. Nobilius quoque testimonium dedit excipiens solennem Adriani professionem, quando inter alia docebat Societatem meritò appellari sanctissimo IESV nomine, non, vt quidam peruersè dicunt, quasi alij sint de Societate diaboli, sed quia Dominum IESVM, eiusque Apostolos, præstantissimo sectatur modo: quippe quæ non vni alicui charitatis officio se dedat, sed planè omnibus, parata quemuis laborem, quoduis discrimen subire, ac vitam ipsam pro diuinâ gloriâ & animarum salute contemnere. Prædicabat deinde paupertatis nostræ præstantiam, quòd Professis non modò nihil in commune possidere, sed ne pro Sacrificiis quidem & aliis ministeriis quidquam accipere fas sit: obedientiam verò commendabat, quòd ad quamcumque profectionem, siue ad Turcas, siue ad Indos, nullo viæ solatio sese deuoueant Professi. Addebat, nihil Catholicæ rei vel conseruandæ, vel vbi collapsa esset restaurandæ, accommodatius excogitari potuisse, quàm teneræ ætatis per catechesin & scholas institutionem. Hinc denique conficiebat, nihil mirum videri, si talia munia profitentibus multi satanæ instinctu exsisterent aduersarij: quamquam se credere, plerosque non malignitate, sed ignorantiâ peccare; mox, vbi verum resciuerint, studia mutaturos. Tapperum secutus est Adrianus Brouwershauius Theologiæ Doctor, qui post illam (vti suprà memini) in Adrianum excitatam tempestatem, quâ vir innocens, propter candidati vnius fugam insaniente Magistro, in carcerem abreptus est, arguebat parentes Professoresque, filiorum ac discipulorum suorum ad nos accessum iracundè ferentes; testatus, Institutum nostrum prorsus esse Apostolicum, ad collapsam veterem disciplinam in integrum restituendam. Addebat, Patrem Adrianum ac Socios esse raræ virtutis doctrinæque viros; adeoque vel Spiritui sancto resistere, vel certè nostrum vitæ genus ignorare, quiqui nobis aduersarentur. Parentes autem in graui errore versari, quando filios ab hoc vitæ genere absterrerent, quos felices potiùs arbitrari adeò fortunatâ sorte deberent. Datum etiam est grauissimum Societati testimonium ab Academiâ Louaniensi, *Testimonium Academiæ Louaniensis.* quo tempore apud Mariam Reginam ius incolendi Belgij vrgebatur. cùm enim super re tantâ iudicium Academiæ Regina flagitasset, respondere Doctores, *Institutum Societatis pium & sanctum esse, & nihil in eius priui-*

priuilegiis, bullis, moribus & conuerſatione inueniri, quod non expediens & vtile ſit toti Eccleſiæ, ac potiſſimùm Germaniæ Inferiori: Patres quoque noſtros, magno adhuc fructu, & optimo vitæ exemplo, inter CHRISTI *fideles fuiſſe verſatos.*

Reſtant ex ſacratis Deo viris Ordines Religioſi, quorum in Belgio exſtat frequens & amplum de Societate iudicium. Non enim, vt quidam putant, & ſtolidiſſimus aliquis Batauorum famoſo nuper libello calumniatus eſt, exoſam illam habent, aut habere poſſunt; quippe ex cuius diſciplinâ eorum non pauci hac ætate prodierint; ſed amore & laudibus proſequuntur; tametſi ſingularium quandoque perſonarum zelus imprudentior occaſionem hoſtibus dedit, ſiniſtrè de mutuo inter nos affectu ſuſpicandi. Sed amentia eſt paucorum culpâ damnare vniuerſos; quaſi totum corpus vitioſum ſit, ſi qua pars digiti laboret. Ipris certè quatuor Mendicantium Ordines in commune ſanxerunt, ne cui ſuorum impunè Societatem verbis obterere liceret. Pipinus quoque ex Dominicanâ Familiâ vir magnus, & Archiepiſcopi Mechlinienſis Granuellani Vicarius, cùm ſuorum aliquos perperàm imbutos audiſſet non optimè de Societate loqui; Et nos, inquit, viuamus Socij IESV, neque illis Patribus obtrectemus, quorum veſtigiis inſiſtere nobis erit vtique glorioſius. Et hæc quidem Eccleſiæ Principum ac Sacerdotum teſtimonia fuere, quibus nihilo inferiora Principum ſæculi ac Magiſtratuum poſſidemus. *Teſtimonia Religioſorum.*

Quis Philippi Regis eo nomine Secundi, cui tot Regna per tot annos prudentiſſimè gubernata dedêre nomen Sapientis, non ſolùm honeſtiſſima iudicia, ſed & tanto digna Rege erga nos merita ignorat? nam quòd initio difficiliùs tardiusque Societatem in Belgium admiſit, in hoc quoque fuit prudens. Etenim neque illam tunc ſatis cognitam habebat ipſe, & parentis ſui Caroli Imperatoris atque amitæ Mariæ Reginæ quâ neſcio ſiniſtrâ opinione, à maleuolis ingeneratâ, præoccupatorum præiudicio mouebatur; &, quod erat caput, deterrebatur magnorum virorum conſiliis, diſſuadentium in tantâ veterum Ordinum Religioſorum copiâ admiſſionem noui. At vbi Petrus Ribadeneira, præter Ignatij litteras, etiam à Ferdinando Romanorum Rege commendatitias repræſentauit, quibus ille præſtantiſſimus Imperator teſtabatur Sociorum ſeſe operam ad exſtirpandas hæreſes in primis vtilem in ſuâ Germaniâ expertum, haud dubiè talem & in Belgio futuram; continuò Philippus Rex in vitam ac munia noſtra diligenter inſpexit, laudatiſſimaque omnia comperiens, eum in Patres accepit animum, quem, me tacente, tot Collegiorum fundamina loquuntur. Promouit hanc Regis beneuolentiam Dux Parmenſis, hauſto à matre Margaretâ Auſtriacâ in nos amore, quem eximium ſemperque creſcentem exercere numquam deſtitit. Præter alia id Regi auctor fuit, magnis vt vrbibus imponerentur Patres, teſtatus ad retinendos in Regis fide Belgas Societatis Collegia plus quàm caſtella valitura. Itaque & Traiecto ad Moſam & Ipris Flandrorum recuperatis, cùm in pœnam arces præſidiarias imperare poſſet, eas ſe dixit in Societatis IESV domicilia commutare. At Erneſti Archiducis quanta erant futura de nobis merita, ſi non mors immatura *Teſtimonia Principum ſæcularium. Philippi Secundi Regis. Alexandri Ducis Parmenſis.*

Alberti & Isabellæ Archiducum. tura inuidisset! Parentem in illo Societas amisit, sed recepit in Alberto: cui Principi, eiusque coniugi Serenissimæ Isabellæ, quanto in pretio & amore fuerit Societas, haud facilè dixerim. Illorum fauore in eam molem Prouincia Belgica iam surrexerat, vt magnitudine suâ quodammodò laboraret. De partiendâ agitabatur: quo tempore Leopoldus Austriacus Archidux, nostris lætus incrementis, ad Albertum litteras dedit, *Epistola Archiducis Leopoldi ad Albertum.* quarum aliqua pars hæc erat: *Magnam animo voluptatem capio, cùm ex optimis viris intelligo, tantum in dies iuuentutis & ingeniorum delectum ad* CHRISTI *signa sub huius Societatis auspiciis in Belgio vestro conuolare, vt vna Tirocinij domus tot sacræ militiæ contubernalibus minimè sufficiat.* Deinde Societatem obnixè commendans, inter caussas hanc quoque ponit, *quòd cuique sit exploratissimum, sicubi dicta Societas toto orbe Christiano liberam sua munia obeundi facultatem adepta est, ibidem semper Apostolicam Fidem miris accessionibus amplificatam fuisse; contrà verò, eos qui eamdem aut occultis cuniculis subruere, aut aperto Marte suis finibus exturbare sunt conati, incomparabili rerum suarum, ac præsertim Orthodoxæ Fidei dispendio, temeritatis suæ pœnas luisse.* Hæc & plura Leopoldus. Quæ Alberto Principi tantopere probabantur, vt tale de nobis responsum *Responsum Principis Alberti.* daret: *Sanè certum est, Societatem illam Ecclesiæ Dei & nostræ Religioni verè Catholicæ, non laboribus, non vitæ parcendo, prodesse quamplurimùm, & eamdem quaquauersum toto terrarum orbe propagare & restaurare. Quapropter æquum est, vt eiusdem Societatis obsequia agnoscant omnes Principes & populi Catholici. Nos quidem hactenus eâ de causâ Societatem hanc singulariter commendatam habuimus, & in posterum, quidquid ad eius tutelam & incrementa poterimus, libenter impendemus: nec officio nostro pro viribus vmquam deerimus, dabimusque operam sedulò, vt eadem Societas Celsitudinis vestræ tam amicâ & fidâ commendatione, quandocumque sese obtulerit occasio, perfruatur.* Nec verò magnificentiùs promisit patrocinium suum Albertus, quàm præstitit. Vt enim Collegiorum pleraque taceam, de Ruræmundano certè susceptâ singulari curâ, ad Hermannum Comitem Bergensem Geldriæ prouinciæ Præfectum ita scripsit aliquando: *Negotium illud mihi admodum cordi est, ob fructum eximium qui inde diuinâ opitulante gratiâ exspectatur, sigillatim ob bonam iuuentutis institutionem hocce tempore tot hæresibus deprauato: quem fructum non solùm Ruræmunda mea, sed & omnes aliæ ciuitates vicinæ, & in primis Venlona, vtpote proxima maximeque populosa, participabit.* Isabella quoque Archidux, Alberto iam vitâ functo, datis ad Ruræmundanum Antistitem litteris, *Oculatus es testis*, inquit, *magni fructus quem fecerunt & faciunt Patres Societatis*. Sexcenta sunt, quibus par illud optimorum coniugum ac Principum expressêre inexhaustam benè de nobis merendi voluntatem. *P. Biuerus in Oratione funebri Archiducis Alberti.* Sanè Albertum, Principatus sui tempore, adeò munificum sensimus, vt quas in Societatem Belgicam erogauit eleëmosynas, centum millium ducatorum pretium æquasse, aut etiam superasse fateamur. Iam Ferdi- *Ferdinandi Principis Cardinalis in Societatem beneuolentia.* nandi Principis Cardinalis magna testimonia, partim expressa litteris ad fratrem Philippum Regem datis, partim habito ad suos Proceres ac Tribunos sermone, non ignota habent Belgæ; & longa nimiùm sit commemoratio sectantibus breuitatem. Sed post Austriacum sangui-

nem

nem non tacendus Ludouicus Requesenius, quondam Belgij Gubernator; non Fontanus Comes, qui ab Ernesti Archiducis obitu ad Alberti auspicia tenuit Interregnum; non Franciscus Mendoza Admiralius Aragoniæ, qui, Alberto in Hispaniam quærendæ coniugi Isabellæ profecto, armorum gessit præfecturam; non Ambrosius Spinola Marchio, militiæ Regiæ terrâ marique Imperator; non denique alter Marchio Aytonæ, qui, post Isabellam Archiducem mortalibus ereptam, difficillimis Reip. temporibus clauum tenuit, potentissimos fregit hostes, intestinam perfidiam prudentiâ detexit, celeritate superauit: quibus rebus tam breuî gestis, meritò apud Belgas seruatæ patriæ decus & immortale nomen inuenit. Hi tales viri amorem Societatis palàm professi, de eâ & loquebantur pro suo animi sensu magnificè, & plurimum habebant honoris; & quidquid poterant beneficiorum, studiosè conferebant. Et Marchionis quidem Aytonæ animus erga Patres nostros sese in castris præcipuè prodidit. Capto Schenckiano, in nosocomium ingredi parantem monebat Sacerdos noster & loci angustias esse, & graueolentiam periculosam; adeoque dissuadebat ingressum: cui ille, Nihilo, inquit, meliorem me duco Societatis Patre; tu quò intrare non times, cur ego timeam? Sub belli tempora non priùs de milite, quàm de secuturis militem Patribus cogitabat, prosperum sibi Martem promittens, si à diuinorum curâ auspicaretur. *Marchionis Aytonæ.*

Quòd si nunc ad Togam conuertar, non deerunt præclara iudicia, quæ vel Arcanus Regis Senatus, vel magnum, quod vocant, Parlamentum, vel singula Prouinciarum Concilia, vel denique vrbium Magistratus tulere. Vnius mihi sufficere possit auctoritas Gulielmi Pamelij Præsidis: quem, cum Parmensi Duce, in ornandam quà fauore quà munere Societatem conspirasse diceres. adeò de nobis benè merendi assiduo studio & quadam velut contentione certabant, nisi quòd Dux, vti plus poterat, ita plus merebatur. Percrebuerat Gandaui nescio quæ aut vnde nata opinio, periculum esse ne Claudius Generalis è Missione Gandauensi euocaret Patres. Perculit scilicet is nuntius Senatores, & omnium studia ad occurrendum excitauit. Itaque datis communi nomine litteris, obnixè Claudium orauere *per* IESV CHRISTI *sanguinem* (ipsorum hæc verba sunt) *ne Societatis Missionem reuocari pateretur; sed contrà, iuberet eam confirmari, ad emolumentum spirituale bonorumque ciuium consolationem.* Fatebantur enim, *Patres ad se missos magno totius ciuitatis commodo ita desudare in conuellendâ hæreticorum prauitate, ac Catholicæ rei dignitate restituendâ, vt Ecclesia Dei magnum in dies sentiret incrementum.* Quid illa variorum Magistratuum publicis expressa litteris testimonia? *Notum facimus, Societatis Patres in hac nostrâ ciuitate singulari zelo, pietate, doctrinâ ac modestiâ iuuentutem excolere, nec minùs ad omnem virtutem atque honestatem quàm ad eruditionem informare.* Et alibi: *Testamur, hanc vrbem hominum Societatis industriâ ex merâ nocte, in quâ ipsi eam deprehenderant, in lucem reuocatam.* Item alibi: *Fatemur, Patres Societatis* IESV *ad instaurandam hîc Orthodoxam & Catholicam Fidem, ad acuendam pietatem, ad promouenda litterarum studia, ad bonos & Christianos mores inducendos, magno vsui adeoque necessarios fuisse.* Id genus multa nostris in manibus *Testimonia Togatorum.* *variorum Magistratuum.*

nibus versantur; quæ proferre omnia minimè opportunum festinanti: de vrbe tamen Siluaducensi, vnde iam diu cum ipsâ Religione exsulamus, hoc nominatim dicere non prætermittam. Pactis cum Batauo legibus deditionis, Senatus, vt erat egregiè Catholicus, in curiam conuenit pridie quàm victor hostis intraret, interque mutuos complexus ac lacrymas vltrò abiit Magistratu: pro actu tamen postremo statuit, vt ad Societatis Collegium pergerent vterque Consul, & primarius Senator, acturi amplissimis verbis publico vrbis nomine solennes gratias de obsequio ciuibus quoad licuerat impenso. nimirum hæc vna illos cura solicitos habebat extremo illo publicæ calamitatis tempore, cetera securos.

Litteratorum, Te quoque, magne Lipsi, & litteratorum prime, in testium meorum numero ponere non grauabor. Fatetur is de se, postea quam Humanioribus studiis ipsâque Philosophiâ imbutus esset à nostris, etiam Societati dare nomen voluisse, atque omnino fuisse daturum, si cum bonâ parentum gratiâ licuisset; per quos tametsi impeditus fuit, quò minùs amplecteretur probatissimum sibi vitæ nostræ genus, non cessauit tamen vmquam deprædicare verbis, & omni honoris significatione venerari.

Hæreticorum. Hactenus à laudatis viris laudata Societas. quidni & ab ipsis Caluino-Batauis arcessamus aliquid laudis? nec enim vlla virtutis certior est, quàm ab hoste commendatio. Verùm quæ laus ab hęreticis speranda, quibus iuratum, probris & maledictis incessere Societatem, eamdemque, si possint, funditus euertere? At enim hæc ipsa nostra laus est, quâ præcipuè gloriamur; hunc honorem maximum ducimus, ab hæresi mendaciis traduci, proscindi conuitiis, ad carceres, ad tormenta, ad necem quæri. Beza secundus à Caluino Geneuensis Ecclesiæ fundator, auditus est aliquando dicere, tum demum se ac suos Galliâ potituros, vbi Reginam matrem cum filio Rege (is Carolus Nonus fuit) omnique Regiâ prole, iugulassent. Dictum nefarium, & in ipso auctore iugulandum; sed intereà Valesiano sanguini honorificum, in quo vno Catholicæ Religionis columen versari hostis ipse fateretur. Nostrorum Caluino-Batauorum haud absimilis est philosophandi ratio: stantibus in Belgio Iesuitis stare non potest hæresis, nedum dominari; proinde illi iugulandi. Ferox illa quidem & barbara argumentatio, nobis interim gloriosa. Quis Batauicæ gentis odia in Hispanos ignorat? plusquam Vatiniana sunt. ac nihilominùs profitentur hæretici malle se quotquot Belgium habet Hispanos, quàm bis senos dumtaxat Iesuitas. adeò præ tot armatorum eorumque Hispanorum millibus tam paucorum inermium Iesuitarum terror, & ex terrore odium, hæreticos animos occupauit. Quid? illud parúmne Societati honorificum, quòd Religionem Catholicam sæpè quidem Romanam, sæpiùs tamen Iesuiticam appellent? probrum nobis dicere se putant, & præconium dicunt; quale si nobis tribuamus ipsi, meritò intolerabilis arrogantiæ arguamur. Finis sit; nec enim ostentationis testimonia quærimus, sed necessitatis: quantum scilicet satis est ad Ordinis nostri famam, quâ præcipuè pendet quæstus animarum. Itaque nemo sapiens hanc scriptionem, fastum nostrum superbiamque

Costerus in refutatione iudicij Hollandici aduersus Pannium.

Costerus ibidem.

biamque interpretabitur, sed alienæ salutis studium: cui nostra si prodesse possit infamia, non subterfugimus profectò (ita nos Deus amet) quin stulti, quin scelerati habeamur, dummodò & absit offensa Numinis, neque nos animorum nostrorum conscientia condemnet.

Nunc quoniam ad metas peruenimus, & postremus horum sæcularium ludorum actus (vltimus inquam huius Operis Liber) Flandro-Belgicæ nostræ obtigit; non decet eam reliquis aut gratitudine aut vrbanitate esse inferiorem; & spectatores, quorum oculos tamdiu detinuit, absque missilibus aliquot aut apophoretis dimittere. Itaque hæc pauca è litterario penu deprompta subiicimus.

EXERCITATIO ORATORIA.

ORATIO PRIMA

Eucharistica PHILIPPO IV. *Hispaniarum Indiarumq; Regi, & vniuersæ* DOMVI AVSTRIACÆ *pro defensâ Religione, & admissâ in Belgium Societate.*



SI beneficia conferentis animus, magis quàm res ipsæ, ponderandus est; & nonnumquam summâ nos deuinctos gratiâ credimus, quòd rem, ceteroqui exiguam, à voluntate non exiguâ profectam intelligimus; in ipso limine hæreo, Philippe Rex Catholice, videoque, quem instituere orationis cursum parabam, minimè ad exitum me posse perducere. Volebam enim tibi, maioribusque tuis, Austriacis Principibus, non referre (quod neque vestra munificentia, neque facultas nostra permittit) sed, quatenus verbis assequi valerem, gratias agere, quòd & Socios illi singulari fauore in Belgium admisissent, tuque in hodiernum diem magno patrocinio tuo vereque Regiâ protectione fouisses. Quod quidem beneficium cùm tantum tamque multiplex in se esse conspicerem, vt quibus gratæ mentis significationibus à me explicari posset, vix intelligerem; tum certè si animi vnde prouenit consideranda est amplitudo; planè imparem me sentio, qui rem tantam tamque augustam non dico meritis efferam laudibus, sed vel nudâ narratione proponam. Profecta hæc enim omnia sunt à propriâ illâ Austriacorum pietate, & Christianæ Religionis conseruandæ promouendæque incensâ cupiditate, quam neque vllius eloquentia enarrare, neque ingenium valeat comprehendere. Est illud iam commune orbis iudicium, cui libenter assentior, Austriacæ stirpis eiusmodi esse decora, vt gene-

Austriacorum summa laus, defendere & promouere Catholicam Religionem.

generis claritate, potentiæ magnitudine, opum vi, Imperij vigore, amplitudine, maieſtate, cedat omnino nulli. Sed ſunt alia auguſtiora. Nam externas illas laudes verbis extenuatas ſolent quidam vel naturæ tribuere, vel fortunæ, vt nemo vnus ſibi proprias exiſtimare poſſit. At verò eâ gloriâ, quam ex Religionis promouendæ ſtudio conſecuti ſunt Auſtriaci, ita gaudent ſinguli, vt vniuerſis nihil detrahant; ita vniuerſi, vt propriam ſingulis relinquant: neque in huius ſeſe laudis partem aut naturæ aut fortunæ nomen inſinuat. Nimirum hoc decus illud eſt eximium ac verè diuinum, cui omnia non modò cedant neceſſe eſt, verùm etiam à quo, tamquam perenni felicitatis fonte, omnia in hanc Domum profecta ſunt, hodieque proficiſcuntur.

inde omnis eorum felicitas & magnitudo.

Rudolpho I. (vt antiqua Auſtriacorum decora recenſeamus) quid aliud Imperium peperit, quàm veræ cultus Religionis? quid aliud tot deinde nepotibus tradidit, vt iam duodecim, quos priſca illa Roma celebrat Imperatores, ab vnâ Domo Auſtriacâ ſuperentur? Quid Ferdinando II. oculis quidem noſtris nuper erepto, at cuius virtutis ſpecies in animis etiamnum viuit, viuetque in omnem poſteritatem, quid aliud Imperij coronam contulit primùm, quid deinde ſeruauit aduerſus tot inimicorum validiſſimos conatus, quid aliud demum Ferdinando filio Romanorum Regi tradendum reliquit? Nam quot, Deus immortalis! religioſiſſimus Cæſar hoſtium potentiſſimorum inſultibus eſt impetitus? quot fruſtrà impetitus? Quid autem dico fruſtrà? creſcit ab hoſtium telis Maieſtas nixa Religione; eſtque illud certiſſimum iuſtiſſimumque Æternæ Mentis decretum, vni pietati ſacrum hoc Imperium deberi, nullis hominum machinationibus auferendum, ſed nouis ſemper victoriarum titulis illuſtrandum. Liceat hîc mihi præterire, quod tamen celebrari maximè dignum, quàm ſingulari ac certâ Dei, ſuam in Ferdinando cauſſam protegentis, ope ſeptem ipſos hoſtium exercitus, nihil præter Imperij ruinam molientes, ſuâ pietate fregerit: pietate, inquam, ſuâ, niſi Auſtriacam dicere malimus; neque enim armis militum id vmquam poterat. Educebat initâ conſpiratione Ottomannicas Gabor Betlinus, Proteſtantium copias Iagerendorfius, Hungarus Palatinides Hungaricas, Caluinianas Palatinus & rebelles Bohemiæ Ordines in Bohemiâ; in Palatinatu aliam manum Durlachius, Brunſuico-Halberſtadienſis aliam, aliam Mansfeldius trahebat. Angebatur optimus Cæſar non amittendi diadematis, ſed Religionis opprimendæ metu; pro cuius conſeruatione amplificationeque caput ſuum vltrò deuouebat, admirabili & vix poſteris credendâ voce, Si meâ, inquiens, morte poſſim promouere Catholicam Religionem, oro Deum vt publicè coram toto mundo ab infami carnifice capite plectar. Itaque non Imperij, ac ne vitæ quidem ſeruandæ curâ tangebatur, ſed Eccleſiæ perhorreſcebat ruinas: iamque Regnis ſuis exutus, vnius vix Viennæ mœnibus defendebatur. Adfuit tamen hiſce in anguſtiis, quæ numquam abeſt, auguſtiùs notari ſolita auxiliaris Dei manus: & hoſtibus propriâ ditione, (quod merebantur) exutis, magnum inde rebus Auſtriacis incrementum dedit, vnde humanâ opinione certum timebatur exitium. Rurſus quid non Imperij vaſtator Suecus, quid non domeſticus hoſtis Valſteinius, in vnius

Rudolphus Primus Imperium acquiſiuit Religione, & Ferdinandus II.

qui & mirabiliter retinuit aduerſus tot hoſtes:

aduerſus Palatinum alioſque coniuratos,

vnius Domus ſemper piæ, ſemper inuictæ, excidium machinati? Et quidem victoriis iam feroces Cæſarianis inſultabant; cùm ecce tibi inſperata ex clade ſalus Auſtriacis, hoſtibus in victoriâ principium ruinæ. Cæſus eſt, quâ manu neſcio (eâ arbitror, quæ pietatem ſemper protegit) ille graſſator, victorque laurum ſuo ſanguine cruentauit, Auſtriacam purpuram reddidit illuſtriorem. Nec meliori vſus eſt fortunâ, quem in Mechleburgi Fridlandiæque Ducem Cæſar elegerat; nimia verò ambitio in peruerſa conſilia pellexerat: eâdem die ſanguini ſuo immerſus iacuit, quâ Cæſarem ſolio exturbare ſe poſſe crediderat. Tam atroci ſemel iterumque perſunctus tempeſtate Ferdinandus, nouâ deinceps ſerenitatis luce reſplenduit, magniſque auctus victorijs Romanum Imperium filio ſuo, iiſdem quibus ipſe tenuerat artibus, pietate, inquam, cultuque Religionis tradidit gubernandum. Habuit hunc virtutum ſuarum fructum in terris ſanè vberrimum Auguſtiſſimus parens tuus, Ferdinande Cæſar, quòd te ſpectarit Sceptri ſucceſſorem; habetque in cælis nunc etiam vberiorem. Tu verò perge quàm ſimillimus imperare, & (quod facis) hæreticorum perſequi reliquias, memor eius quod ad Norlingam fuſurus perduelles ſapientiſſimè pronuntiare auditus es, Religionem Catholicam non tui modò, ſed Regnorum omnium eſſe fundamentum. Quam ſententiam te dignam, haud abſimili excepit qui tecum vincebat Ferdinandus Infans Cardinalis, Belgarum columen, cùm à belli Ducibus interrogatus quid ita ſecurus animi & fiduciæ plenus in prælij pericula ſe inferret? haud animosè magis quàm piè reſpondit, quia res agitur Catholicæ Religionis. O præclaram vtriuſque Ferdinandi vocem, quæ ſatis ipſa per ſe loquitur, cuiuſnam ſanguinis fuerint Principes qui eam protulerunt! Et erit qui dubitet, quod ipſos Cæſares ſentire videat, atque ita ſentire, vt iniuriam ſibi nominique ſuo, ſi quis aliter iudicet, inferri grauiſſimam interpretentur? Nam quid ego hîc Albertum proferam, Archiducem noſtrum, cui eximia pietas Pij Principis cognomentum dedit? bis illi ab Electoribus delatum ſcimus Imperium: quorſum amabo te? quâ rurſus de cauſsâ non ſuſcepit? Auſtriaca pietas, vt offerretur, meruerat; eadem, vt repudiaret, perſuaſit, exemplo hactenus tam inuſitato, vt iure quis ambigat, Albertóne ſit glorioſius reieciſſe oblatum, an Carolo V. ſuſceptum geſtumque abdicaſſe. Sed habeat hic laudem ſuam, habeat & ille; quâ certè maiori vterque dignus eſt quàm vt nos conſtituere valeamus: atque illud interim conficiamus, non aliâ manu, quàm Religionis, Auſtriaco vertici vel oblatam vel impoſitam fuiſſe Romani Imperij coronam. Quid Burgundiæ inſignia, Hiſpaniæque ſceptrum, atque in hoc vno alia innumera, quid tandem in Auſtriacam Domum deportauit? Maximiliani I. virtus Burgundiam merebatur; obtinuit cum Mariâ Caroli Pugnacis filiâ, paternarum ditionum vnicâ herede. Philippus I. dignus habitus eſt cui Caſtellæ Regnum vxor afferret in dotem; etiam apud Aragones regnaturus, niſi ante Ferdinandum ſocerum immaturè moreretur. De Carolo V. Philippi filio quid dicam? vnum fuiſſe illum velut cælo miſſum, qui Religionem acerrimè propugnans, paterni aui Imperium maternis iungeret Regnis? At iſtud minimè nouum eſt Au-

aduerſus Succum, aduerſus Fridlandum: & filio tradidit.

Præclara vox Ferdinandi III. & Ferdinandi Infantis Cardinalis.

Albertus Pius Belgarũ Princeps Imperium bis oblatũ bis repudiauit.

Auſtriaci Burgundiam meruerunt Religione, & Regnum Hiſpaniæ,

ſtriacæ potentiæ incrementum. Dicámne, ab vno illo in Europâ atque Africâ tot Duces, Principes, Reges ſuperatos, captos? dicam Prouincias vel adiectas Auſtriacorum ditioni vel reſtitutas? Eſt ingens illa quidem, & vix maximis Imperatoribus conceſſa gloria, ſed tamen infra Caroli fortunam. Debebatur eius virtuti ac Religionis propagandæ ſtudio America nouus Orbis: hîc prouincias formauit nouas, hîc noua Regna conſtituit, noua Imperia comparauit; vt non immeritò grauiſſimi auctores Orbem illum indigitent Carolinum. Tantæ tamque latè diffuſæ dominationi aliquid adijci poſſe exiſtimabimus? Si quò vlteriùs progrediatur habeat Auſtriaca pietas, habet profectò diuina largitas quod apponat. Philippus II. Caroli filius, idemque glorioſæ memoriæ auus tuus, Philippe Rex Catholice, acceptam à patre tot Regnorum hereditatem quantopere amplificauit ſolius merito Religionis, ſolius fructu pietatis? Taceo Mauritaniæ, Æthiopiæ, Arabiæ, Perſidis littora portusque; prætermitto Carmaniam, Indiamque; nihil de aureâ Cherſoneſo loquor; prætereo inſulas innumerabiles: Regna ſanè, quo nihil dici poteſt magnificentius, Regna, inquam, quinquaginta tria vel tributaria ſuſcepit vel penitus ſubacta: &, quod eſt caput, nobiliſsima acceſsit Luſitania. quo vno in Regno aditum eſt quidquid tot bellis per quingentos propemodum annos inuictus Luſitanorum animus & arma pepererant. Hæc tanta tamque auguſta illius Domus incrementa ex vno Religionis tuendæ propagandæque ſtudio prouenisse qui videat, quis non ex animo gratuletur? quis illud non diuinum planè exiſtimet, maiusque quàm vt à ſe dignè ſperet poſſe deprædicari? Habuerunt quidem fortitudinem Auſtriaci Principes, habuerunt prudentiam militarem, aliasque bellicorum Ducum virtutes, quibus & magna ſuſcipere, & glorioſa peragere potuerunt; ſed illas ipſas non aliunde ſibi veniſſe quàm ex pietate, bonorum omnium perenni ſcaturigine, fatentur. Quæ illorum pietas quàm ſe longè lateque proferat, & quantum illi debeat orbis Chriſtianus, quamquam diximus antè nonnulla, & ex tot tantisque fructibus haud difficulter colligi poteſt; intelligere tamen penitiùs qui volet, relegat ille Auſtriaci ſanguinis primordia, & orbis vniuerſi ſpatia peruagetur; reperiet profectò vbique gentium, vbique terrarum ampliſsima huius Familiæ merita. Iam tum olim Carolo V. imperante, ſolum Mexicanum (quod vnum eſt ex octo & decem Americæ Regnis) octoginta numerabat Monaſteria. quot nunc acceſsiſſe credimus, vtroque tranſmarino tractu qui Auſtriaco paret Imperio? quot vbique dotata Sacerdotia? quot conſtituta Canonicorum Collegia? vt de ſcholis, de Seminariis, Academiis, vt de xenodochiis, pauperum receptaculis, infantium domibus, nihil loquar; in ſolâ Occidentis Indiâ ſacrorum Præſulum fundata Sacerdotia ampliſsima ditiſsimaque omnino quadraginta, ſatis luculentum exhibere mihi videntur Catholicæ Auſtriacæque pietatis teſtimonium. Quid ſi iam eorum, qui ex hoc orbe in illas terras Religionis promouendæ cauſsâ ex omni Ordine deſtinantur; ſi eorum, qui poſtquam aduenerunt copioſè illic aluntur, inire numerum contendam, cuius vmquam eloquentia referendæ gratiæ par erit? Fuit cùm è Sociis amplius centum vnâ claſſe tranſmit-

& nouum Orbem,

& Luſitaniam Indiasque.

Exempla Auſtriacæ pietatis.

Quot Epiſcopatus, Monaſteria, &c. fundarint.

Quantum pecuniarum Rex expendat, vt Euangelij lux ad barbaros deferatur.

transmitti; fuit, cùm amplius quinquaginta ducatorum millia, Philippe Rex, vno anno in hunc vsum numerari iuberes. At quantulum istud est ad ea quæ in alios quotannis Religiosos Ordines, in alios per vniuersam illam plagam Euangelij disseminatores liberalissimè profundis? ad quadringenta ducatorum millia in sacræ Legis præcones, ad Philippinas, quæ pars nec maxima est nec præcipua, transuehendos, iamdudum est quod suppeditasti. Sentis nimirum, sentis id ipsum, Rex Catholice, quod Philippum Prudentem, auum tuum & sensisse, & de

Præclara vox Philippi II.

ingenitâ illius terræ inopiâ malè ominantibus respondisse accepimus, nullos sumptus in Christiano proferendo nomine vel graues censeri debere, vel vanos; neque Indiarum tantùm, sed & Hispaniæ thesauros vel in vnius aræ, vel in vnius hominis Christiani conseruationem benè ac prudenter effundi. Dictum herculè Regium, Catholicum, Austriacum, & quod omnem fauorem gratique animi testificationem ab hominibus, ac pænè dixerim à Deo, extorqueat! quod quàm non verbis tantùm, sed & auito exemplo reipsâ præstes, cùm earumdem insularum, tum exterorum Iaponiæ, Chinæ, aliorumque Regnorum per idoneos Sacerdotes procurandâ salute satis superque declaras. Et quoniam

Quantoperè Reges Austriaco-Catholici Religionem promouerint in Europâ,

aliena Regna nominauimus; si remota illa relinquentes, ad Europam nostram conuertamur, quid magis Austriacam Catholicorum Regum commendat pietatem, quàm tot iam annis contra Imperij dicam an Ecclesiæ hostes vi auroque sustentata in Germaniâ bella? tot instituta Anglorum, Hibernorum, Scotorumque per diuersas Prouincias Collegia, Seminaria, Cœnobia? Non ego hîc singula recensebo, ac ne de Hispaniis quidem agam; peruulgata iam illa sunt, & me Belgium meum

præsertim in Belgio.

iam diu vocat, in quo vno omnem Catholicæ rei tuendæ curam & studium expressisse adhuc videntur Reges Catholici, memores, & genus se inde ducere, nec ignari nullum se Belgis suis maius præstare posse beneficium, quàm seruatæ Religionis. Quid enim? præter veteres Antistitum sedes nouæ quatuordecim erectæ fundatæque:

Eo fine quatuordecim noui Episcopatus erecti,

recepta continuò promulgataque per Belgium, contempto rebellionis periculo, Concilij Tridentini placita: tot erecta nupertimè Religiosis ex omni gente Familiis, atque huic etiam minimæ Societati nostræ domicilia, an non satis loquuntur nihil prætermissum quod ad Belgarum animos in auitâ verâque fide retinendos pertineret? Iam ad coërcendam delendamque hæreseos prauitatem, qui sumptus,

& bella in hæreticos gesta, maximo argenti & sanguinis impendio.

qui labor magnus visus est per hæc bella, quæ, nisi Religionis caussa ageretur, teste Sixto V. Pontifice, iam dudum nulla essent in Belgio? centum & octoginta auri milliones ante annum huius sæculi sextum decimum in bello Belgico, veriùs dicam Catholico, consumptos scribebat ipse ad Paulum V. Papam Philippus III. pientissimus idemque fortunatissimus pater tuus, Magne Rex; vt omittam impensas iam inde in hodiernum diem factas. Sed nimirum vniuersas Indiarum diuitias prodigere, Hispaniam tuam opibus virisque nudare potes; hæreticis non resistere, Religionem non defendere non potes. Atque hoc est votum illud, quod te, exemplo Regibus omnibus imitando, quotidie Deo facere intelleximus: hoc est quod, obstupescentibus quotquot è sa-

cris profanisque Ordinibus aderant, tuum auum concepisse audiuimus, cùm intelligeret haud debere se quidem, at posse tamen citra omne piaculum, maiori auertendo malo, liberum Religionis vsum petentibus indulgere Belgis. in genua enim ante CHRISTI è cruce pendentis simulacrum prouolutus, in hanc vocem erupit: *Ego verò diuinam Maiestatem tuam oro quæsoque, Rex omnium Deus, hanc vt mihi mentem perpetuam velis, ne illorum, qui te Dominum respuerint, vspiam dici me aut esse dominum acquiescam.* Itáne verò, Philippe? adeóne parum politicis documentis es imbutus? adeóne nominis oblitus tui, quo te Prudentem omnes appellant, vt, negatâ, quam vocant, conscientiæ libertate, malis amittere, quàm concessâ seruare nobilissimas Prouincias, partem magnam Regij patrimonij, & (si absque inuidiâ licet dicere) pulcherrimam coronæ tuæ gemmam? Fuit enimuerò, fuit altior tibi mens, & supra sæculi prudentiam prudens, quæ politicas rationes haud aliter probabat, nisi quà erant & Christianæ; non tam solicita, ne quid detrimenti Status, quàm ne Religio pateretur. Hæc diuina sapientia, quæ multis saluti fuit, verè sapientem te fecit; eadem (vti paulò anteà vidimus) fecit fortunatum: quæ quamdiu in posteris erit tuis (erit autem in omne tempus, si modò ex duorum qui te secuti sunt Regum constantiâ liceat de vniuersâ posteritate augurari) stabit Domus & potentia Austriaca; nec stabit modò, sed quotidie seipsâ maior dabit publicum orbi documentum, Regna Regnorumque incrementa certissimum esse præmium Religionis.

Strada de Bello Belg. Decade 1. lib. 4.

Præclara vox Philippi II.

Nunc ad cursum suum, vnde abrepta est, reuocetur oratio; illudque fateamur aliquando, à Catholicis Regibus non auro hactenus, non armis, non sanguini esse parsum in oppugnandâ hæresi, monstroque illo tot capitum in suis Batauiæ paludibus obtruncando: adhibita esse hactenus adhiberique consilia non salutaria minùs, quàm potentia, ad Belgarum populos in auitâ fide, hoc est, in vnicâ ad salutem viâ retinendos. Quæ omnia licet eiusmodi sint Austriacæ pietatis argumenta, vt meritò ea omnes suspiciant & admirentur, nemo dignè eloqui se posse confidat; illud tandem quî satis efferam, & quoniam omnino tacere non possumus, quibus grati animi significationibus commemorabo, quòd in Belgarum procurandâ salute Sodalibus nostris vti voluerit administris? fatetur enim in Hispaniis, fatetur in Italiâ, Siciliâ, Germaniâ, aliisque regionibus plurimum se debere Austriacis Regibus Imperatoribusque Societas: nos verò, qui in hoc Belgio viuimus, qui facultatem nostræ hîc explicandæ industriæ non aliis secundùm Deum referimus acceptam; agnoscimus eò plus Catholicis nos Regibus Principibusque debere, quò & ipsi de Belgio in veræ Fidei cultu conseruando plus laborare visi sunt, & præcipuo nos ob eam caussam studio admiserunt, susceperunt, sustentarunt. Quo non obsequij debito sibi Societatem obstrinxit Philippus II. Rex sapientissimus, qui delectatus eo fructu, quem è Societate passim per Belgium decerpi videbat, anno præteriti sæculi octogesimo quarto non tantùm insigni eam encomio exornauit, sed publico etiam diplomate potestatem fecit toto Belgio Domos & Collegia fundandi? Quid non Alexandro Parmensi, quem geminæ

Eo fine admissa in Belgium Societas,

minæ pietatis, hinc Austriacæ, illinc Farnesianæ participem fecerat nobilissimus vtrimque sanguis, erepta ex hostium manibus debet hæc patria? quid non Societas? tot ille arces ad hæreticorum ausus retundendos, quot Sociorum Collegia se numerare gloriabatur. itaque fouebat illa non affectu solo, sed præcipuâ quadam liberalitate subleuabat. Suísne vmquam Belgis excidet Albertus? viuet profectò, viuet propter æterna Regiarum virtutum monumenta: Socij certè numquam de tanti Principis laudibus conticescent. Quoties ille Dunkercam, quoties Siluamducis & Ruræmundam, illic vt firmaret, hîc vt collocaret Societatem, manu etiam propriâ exaratas misit commendatitias? Quantum nobis auctoritate suâ Hallis, quantum liberalitate profuit Winocibergis? Quid illius Serenissima coniux Isabella Clara Eugenia? quam non Societatis Belgicæ sedem materno affectu complexa fuit, materno sinu fouit, maternâ aluit pietate? Quid Princeps Cardinalis, quo nunc fruimur, Ferdinandus, qui, vt sanguine tibi, Philippe Rex, proximus, ita virtute, &, quod nunc agimus, nostri Ordinis amore? Sed in te vno, vt de ceteris taceam, quantoperè mea laboraret oratio, si beneficia vellem non exornando profiteri, sed percensere numerando? Ipsum Belgium, mihi crede, omnes quæ tibi parent Prouinciæ gratias agere gestiunt, quòd per Societatem IESV, te auspice, te tutore, in Austriacâ eâdemque Catholicâ Fide aliquâ ex parte sint confirmatæ; quòd solatium mœstis, quòd dubiis consilium, quòd disciplinam rudibus, directionem aberrantibus, desperatis inuenerint salutem. Non est vel tam desertus homo in mari, vel tam afflictus in terrâ, quin si Sociorum quempiam è voluntate tuâ sibi adesse sentiat, gratissimis Maiestatem tuam apprecationibus prosequatur. Omnes quotquot aliquem è labore nostro fructum percipiunt, dicere se satis posse negant, quantum sibi, quantum suis, quantum toti patriæ profueris, Socios à maioribus tuis admissos susceptosque, contra peruersorum machinationes tuendo fouendoque. Nos verò, Rex Catholice, & probè intelligimus tantum nos debere, quantum soluere non valemus; &, quod in nobis est, animum tibi nostrum, vocem, operam, vitam denique ipsam, seu in præliis terrâ marique apud milites, seu in carceribus & xenodochiis apud ciues subditosque tuos, ponendam deuouemus, tantò lubentiùs, quantò citiùs exigendam speramus. Semper enim gloriosos vos dixi, dicamque, quotquot aut in castris aut in mari animam reddidistis Socij: vestra illa virtus potentiùs me stimulat, quàm Themistoclem trophæa Miltiadis. nec enim pro Rege potuistis cadere, nisi vnà pro Deo, proque sanctissimâ Religione, cui vni Regis arma in Belgio seruiunt, caderetis; nihilo sanè ignobiliores iis, quos Christianam professos Fidem barbara tyrannorum iugulauit immanitas. Tu autem, Philippe Rex, traditum tibi à maioribus inde vsque à Rudolpho Habsburgico patrimonium pietatis, quo vno satis es diues, quodque omnibus Regnis tuis præstat, imò quod Regna tibi omnia peperit, perpetuò serua; ac filio tuo, Principi nostro, transscribe veram Austriacæ Domus hereditatem. Quin & nostrâ in eam rem, quod tui iuris est, operâ in Belgarum Prouinciis vti perge; experturus profectò, quamdiu sudor erit sanguis, à Sociorum nemine

& promota à Regibus Principibusq; Austriacis:

ab Alberto & Isabellâ,

à Ferdinando Principe Cardinale.

Quid Belgium Regi debeat ob sustentatam in eo Societatem.

Societas Belgica seipsam Regi debet, quod libens & grata agnoscit.

mine tuam Religionisque caussam vel in præsenti mortis discrimine deserendam.

ORATIO SECVNDA

Parænetica ad restaurandam in Belgio pristinam pietatem.

Miseriæ adspectus commiserationem excitat.

SI qua vllo tempore miseranda rerum facies oculis subiecta vim habuit, aut ad mouendam intuentium commiserationem, aut ad animos indignitate rei percellendos, eorumque opem implorandam qui in rem communem aliquid conferre possunt; ea sanè est afflictissimi Belgij nostri calamitas, vt cum quauis præteritorum sæculorum fortunâ in contentionem venire posse videatur. Ferunt olim Zopyrum, toto corpore mutilum ac lacerum, eousque Babyloniorum animos ad commiserationem flexisse, vt etiam summa rerum ipsi aduersus Darium committeretur; & tamen tragicam ille fabulam mentiebatur: nobis profectò seria tragicaque sunt omnia, nullusque ludus luditur. M. Antonius aliquando sanguinolentam C. Cæsaris tunicam pro concione ostentans, Romanorum animos in parricidas vindictæ studio inflammauit: & tamen quantum interest inter eius necem, qui dominandi cupiditate Rempublicam pessumdederat, & calamitosissimam patriam nostram, non externorum magis quàm impiis filiorum pedibus conculcatam? Denique ferunt Crœsi Lydorum Regis filium, expugnatis à Cyro Sardibus, cùm videret militis cuiusdam mucronem parentis sui iugulo imminentem, naturæ vincula extremo conatu perrupisse, & cùm in illum vsque diem mutus & elinguis fuisset, magnitudine periculi perculsum vocem primam parenti salutarem à seipso extorsisse: at certè maior nos charissimæ patriæ nostræ fortuna percellit. Quas igitur in vnius discrimine, & quasi calamitatis particulâ, voces doloris indices pietas expressit; eas à me potiori iure licet infante, ac dicendi imperito, sibi charissima patria nostra deposcit in malorum calamitatumque genere vniuerso: cùm non vnius intentus iugulo gladius cernitur, non vnius clades aut orbitas timetur; sed immersus vrbium cruori mucro grassatur, & plurimorum orbitas oculis obijcitur: cùm non exiguâ Belgij parte, nulla iam rerum sacrarum reuerentia, cùm diuina & humana iura omnia pedibus obteruntur. Sanè durus ac ferreus, imò naturæ communis expers, non immeritò videretur, qui in tantâ calamitate non dico aliorum prohiberet lacrymas, sed non indulgeret suis. Ergo ne similis mihi crudelitatis nota inuratur, si quam oculis vestris compendio subieci, Belgij nostri calamitatem tacitus præteriero; hortabor precaborque vos, vt optimæ parenti filij, castissimæ Religioni orthodoxi, tot animarum pereuntium periculo alienæ salutis auidissimi, quanto potestis studio industriâque succurratis: vt, vobis adnitentibus, antiquus ille Religionis splendor postliminiò elucescat, quem hactenus ex historiarum monimentis potiùs coniecturâ assequi, quàm oculis licuit vsurpare.

Herodot. lib. 3.

Quod olim in votis habuit magnum illud Ecclesiæ columen Augustinus,

ſtinus, vt Vrbem orbis victricem cerneret deuictarum ciuitatum ſpoliis refertam, domitarum gentium exuuiis locupletem, Africani, Pompeij, Cæſaris, Octauiani Augusti nobilitatam triumphis; &, vt verbo cuncta complectar, in vnius vrbis ornamenta profuſum, quidquid opum diuturnâ felicitate orbis terrarum congeſſerat vniuerſus: id ego hodiernâ die non abſimili voto libenter paciſcerer; nimirum vt Belgicam noſtram, non Martis inſignibus toto orbe celebrem, ſed, quod longè præclariſſimum victoriæ genus eſt, proſcriptâ idololatriâ, impietate debellatâ, proſtratâ vitiorum acie, aut ſanctiſſimis legibus coërcitâ, de hoſte longè pernicioſiore, imò & de ſeipsâ, triumphantem mihi contemplari liceret. Quæ tametſi iam inde à temporibus Apoſtolorum (miſſis, ab eorum Principe, Materno aliisque viris Apoſtolicis) à barbarie ad humanitatem, à bellicâ ferociâ ad pacis ſtudia, moreſque Chriſtianis dignos, traduci cœperit; ſemina tamen hæc tantummodò quædam fuerunt, quæ deinde à Siagrio, Seruatio, Eligio, Willebrordo aliisque Præſulibus exculta, addo etiam Liuini, Piati, Bonifacij, ſimiliumque Heroum, non ſudore tantùm, ſed etiam ſanguine irrigata, in latiſſimam ſegetem excreſcerent. Tum verò, Deus immortalis! quàm pulchrâ, quamque lætâ metamorphoſi gens illa, quæ priùs inculta atque horrida nihil niſi ferociam ac truculentiam ſpirabat, ad omnem virtutem atque honeſtatem Chriſtianis legibus ac præceptis eſt inſtituta! & quæ priùs nil niſi ſiluas ac ſpelæa ferarum nouerat, quanto ardore religioſiſſima templa frequentare cœpit! quid dico frequentare? imò etiam ſplendore Regibus inuidendo excitare? Quàm læta paſſim videre erat erumpentia virtutum germina? quàm ſplendida candicare virginitatis lilia? quàm grati odoris propagari Monachorum atque Anachoretarum violas? Sed nec roſæ defuerunt, effuſo in cauſsâ Fidei ſanguine purpuratæ. Immenſi laboris fuerit, ſingula vel numerando percenſere: ſed neque mihi propoſitum eſt totius retro acti temporis effigiem vobis repræſentare. Vnum è pluribus ætatis Chriſtianæ ſæculum ab anno ſcilicet ſexcenteſimo vſque ad ſeptingenteſimum paucis adumbrabo. Cuius Annales dum percurro, vix ipſe rebus compertiſſimis ac teſtatiſſimis fidem adhibeo: tantum ſanctitatis florem in tantillâ terræ particulâ (quantam Belgica noſtra leucas non ampliùs LX. quà latiſſimè patet, protenſa complectitur) tantillo tempore ſuccreſcere potuiſſe. Illud fidenter dicam, nullam me toto orbe Chriſtiano Prouinciam nouiſſe, etiam altero tanto terrarum ſpatio ampliorem, quæ, ſi Martyres excipias (quorum æquè facilè millenos ac ſingulos vnius alicuius tyranni mucro demeſſuit) tot ſanctitatis lumina, aut aſtra potiùs, ſacris Eccleſiæ faſtis adſcripta, cælo tranſmiſerit. Quis affirmanti fidem habebit, niſi qui faſtos ipſe euoluerit, vix totis centum annis floruiſſe non tantùm ſanctimoniæ famâ, ſed & miraculorum gloriâ centum ac viginti vtriuſque ſexus illuſtriſſima capita? è quibus ſi Liuinus, Lambertus, Leodegarius, Ewaldus, aliique fortè duodecim ſanguinis ſui purpurâ nobilitantur; non minùs tamen quàm ceteri omnes, totius vitæ laudabiliter actæ meritis in cenſum veniunt. Quid ego ex hoc numero ſanctiſſimos Antiſtites commemorem, Acharium,

Belgium olim religione floruit.

Belgarum ſanctitas ſeptimo ſæculo.

rium, Theodoricum & Eligium Neruiorum, Chilianum Atrebatensium, Audomarum Morinorum, Aubertum & Gaugericum Cameracensium, Amandum & Lambertum Traiectensium, Willebrordum Vltraiectinorum? Quos viros? quæ Religionis oracula? quæ virtutum decora sæculum vnicum orbi terrarum dedit? vt agnoscatis Fidei nostræ ac pietatis semina longè lateque iacta, tantò fecundiora in suis segetibus adoleuisse, quò solertiore industriâ exculta, & maiori colonorum curâ subactâ glebâ fuerunt excepta. Sed nusquam vberior ac lætior hic operæ fructus emicuit, quàm in religiosissimis Cœnobitarum cœtibus, sacrarumque Virginum gynæceis toto Belgio hoc sæculo excitatis. Quis celeberrima palatia dicam an Cœnobia & Asceteria ignorat, Blandiniense, Sithiacense, Amandinum, Lætiense, Marchianense, Aquicinctinum, Maricollense, Hannoniense, Lobiense, ceteraque quorum numerum inire ipsa copia non permittit? Quis non admiratur illos nobilissimarum Virginum cœtus Canonicis legibus adstrictos, Montensem, Niuellensem, Malbodiensem, Andanensem, ceterosque non Religione magis quàm maiestate venerandos? Sed ipsos potiùs Cœnobiarchas & sacrarum Virginum Antistites libet admirari, Amandum, Bertinum, Floribertum, Winocum, Donatum, Babolenum, Vrsmarum, Dodonem, ceterosque non impares opinione sanctitatis: itemque Waldetrudem, Gertrudem, Aldegondem, Odiliam, Eusebiam, Beggam, ceterasque, quas numerus, non vitæ merita, silentio iubent præterire. Et cui dubium nunc esse poterit, infinita per vniuersam Belgicam illo sæculo sub talibus pietatis cultoribus pullulasse sanctitatis germina, præsertim si animaduerterit, cum tot viris religiosissimis totam pænè Belgicam nobilitatem de sanctitatis gloriâ decertasse?

Nobilitas Belgica sancta.

Magnum enim in omnem partem momentum habet virorum matronarumque Principum exemplum: & quod magnis auctoribus commendatur, pulchrum id subditi atque expetendum ducunt. Ingredimini ergo tantisper hoc virtutum viridarium, & inter Belgicæ nobilitatis decora florem aliquem fructumque pietatis hinc illinc decerpite. Neminem proferam, nisi communi Ecclesiæ suffragio Cælitibus adscriptum. Videte igitur Bauonem Hasbaniæ Comitem, opimis facultatibus in pauperes erogatis, intra rusticum mapale pœnitentiæ gratiâ inclusum. Videte sanctissimam Adalbaldi Principis Duacensis familiam, eiusque vxorem Rictrudem, liberosque Maurontum & Eusebiam non minori sanctitatis gloriâ illustres. Quid S. Pipinum Landensem, Brabantiæ Ducem, producam, eiusque coniugem Ittam? quid S. Vincentium Hannoniæ Comitem, eiusque coniugem Waldetrudem? qui non contenti quatuor liberis sanctitate conspicuis, Landrico Meldensi Episcopo, Madelbertâ, Aldetrude & Dentlino, plurimos insuper vterque CHRISTO aggregarunt. Omitto illustrissimam B. Witgeri Comitis & Amelbergæ familiam, in quâ Ablebertus Cameracensis Episcopus, Reinildis, Gudula & Pharaildis acceptam à parentibus gloriam propriis vitæ meritis amplificarunt. Taceo Wandregisilum sub Dagoberto Galliæ Comestabilem sponsæ suæ persuasisse, vt sanctiores virginitatis nuptias cum CHRISTO paciscerentur: & ne fragilior sexus

hac

hac laude videatur inferior, tantumdem eodem sæculo nobilissima Bertilia marito suo Gutlando persuasit. Taceo viduas generosissimas Bertam & Beggam: quarum illa post obitum mariti è Regio sanguine cum filiabus Gertrude ac Deotilâ Religiosam vitam professa est; hæc post mortem Pipini Herstalli, Brabantiæ Ducis, nobilissimis virginibus Andanensibus ad eximiam vitæ sanctimoniam exemplo præiuit. Taceo denique Basinum, Iudocum, Winocum, omnes Regij sanguinis, aliosque complures, ne immergar in hoc laudum oceano. Post tot illustria sanctitatis monimenta, post tot nobilissima sidera subditis ad omnem virtutem ac pietatem prælucentia, an mirum cuiquam videbitur, horridas illas Belgicæ nostræ siluas tam cultis moribus tamque præstanti religione effloruisse? an obstupescet tot religiosissima templa excitata, tot Cœnobia insigni munificentiâ dotata? Fateor hæc talia esse ac tanta, vt vix opes Regiæ tantæ liberalitati suffecturæ videantur: & tamen floruit Belgium post tantam profusionem, non opibus minùs atque copiis, quàm pietate ac religione. Neque enim liberalibus in Deum animis fortunarum dispendium est pertimescendum. Nimis à ratione foret alienum, amoris ac beneficentiæ contentione inter Deum & hominem institutâ, minus aliquid à Deo, quàm ab homine præstari. Itaque cùm posterioribus sæculis non solùm eximiâ pietate & liberalibus disciplinis, & artificum industriâ, & omnium pænè gentium commerciis, denique nullo non ornamentorum genere Belgica nostra emineret, & ad cumulum huius felicitatis alta pax accessisset, diuersarum Prouinciarum incolis per pacta connubialia Principum sub vnius imperio coalescentibus; ita omni genere laudis inclarescere cœpit, vt quæ priùs imitatione siluarum suarum horridis incultisque mentibus abundare credebatur, tandem velut paradisus Dei meruerit appellari, & illud Isaiæ vaticinium, tamquam de se pronuntiatum, audire: *Non vocaberis vltrà Derelicta; & terra tua non vocabitur amplius Desolata: sed vocaberis Voluntas mea in eâ, & terra tua Inhabitata: quia complacuit Domino in te.* Sed non tulit tam secundos rerum successus humani generis aduersarius: & cùm tam firmum ac munitum iam conspiceret Belgarum statum, vt externis viribus vix labefactari posse crederet; illos ipsos in exitium suum armauit, vt clades quæ ab hoste externo timeri non poterat, à domestico inferretur. Hanc in rem prima ac promptissima eius improbitati arma suppeditauit, quæ ferè ad euertenda Regna solet, nimia felicitas. hæc enim animos primùm inusitato fastu inflauit, & antiquæ simplicitatis contemptum inuexit: accessit deinde luxus conuiuiorum, qui Sybaritarum leges saperet. hi enim ad solennes epulas toto anno conuiuas, vt se compararent, præmonebant: at Belgæ nostri in quibusdam emporiis eousque ventri atque abdomini erant mancipati, vt ad apparandum vnicum solenne conuiuium, totis sex mensibus trium cocorum desudaret industria. Sic paulatim perfractis temperantiæ atque honestatis repagulis, libidini frena laxata sunt. quæ quidem eos primùm corrupit, quibus opes & copiæ vitiorum potiùs quàm virtutum fomitem subministrabant; sed mox latiùs serpente contagione, non tantùm promiscuos hominum cœtus, sed sacratiora

Isaiæ 62.

Belgicæ calamitatis caussa.

Hæresis maxima caussa miseriarum Belgij. contubernia peruagata est. In hanc materiam cùm præterito sæculo funesta illa hæreseos fax adhæresceret, quæ non incendia toto Belgio excitauit! quàm luctuosam patriæ nostræ vastitatem intulit! Venerunt è fæce turpitudinum noui isti Euangelij, si Superis placet, præcones, nullâ morum probitate, nullâ sanctioris vitæ disciplinâ, nullâ pietate aut religione ad populum commendati (quales olim viri Apostolici maioribus nostris Fidei facem præluxerunt) sed versipelles, flagitiosi, palàm incorruptum Dei verbum iactantes, clàm verò Fidem ac religionem, imò perfidiam, vitæque licentiam quæstui ducentes. Qui cùm timorem ac reuerentiam Numinis animis excussissent, quidlibet impunè perpetrandi licentiam ac temeritatem inuexerunt. Nec vnum noxæ genus propagatum est; sed rapinæ, libidines, diffidia, rebelliones, sacrilegia, denique diuini humanique iuris contemptus, velut disiectis aggeribus, patriam inundarunt. Ac primùm quidem huius mali labes extremis limitibus se continuit, ac priuatorum parietibus circumscripsit, quasi experiretur: sed paulatim eorum, quibus Ecclesiæ moles incumbebat, partim dissimulatione, partim socordiâ, partim etiam perfidiâ, ad ipsa viscera penetrauit, totoque se corpore diffudit; ac funestum illud incendium concitauit, quo etiamnum videmus & gemimus nobilissimas Belgij Prouincias conflagrare. Tanti stetit à primis finibus pestem non arcuisse; quæ impiâ dissimulatione corroborata, modum nullum accipit, stragemque edit, quantam vult ac potest, non quantam permiseris. *Belli Belgici origo.* Hinc enim (vt per malorum compendia præceps feratur oratio) crudele illud bellum exarsit non Belgij, sed orbis propemodum vniuersi. siue enim Duces aspicias, Europa in partes abiit: siue milites, hinc & inde Belgarum robur; & prout sunt diuersa partium studia, hinc Hispanicæ Italicæque militiæ flos, inde quotquot heterodoxis aut impietatis commercio aut politicâ ratione copulantur: siue tempus, iam septuaginta annis vnius belli incendium grassatur, cùm nullum apud Romanos diuturnius fuisse legamus bello Mithridatico, quod vix quadraginta annos tenuit: siue locum, tantilla terræ portio tam latè patentis belli area est, tot tragœdiarum orchestra, totius Europæ non incruentum sepulchrum, tot Principum ac Ducum clade funestatum. *mala.* Non circumducam auditores meos per singulos huius palæstræ campos funeribus infames; vnica Ostendana obsidio vtrique parti centum millium hominum internecione stetit. Quid ego hîc excidia vrbium commemorem? quid agrorum populationes? quid publica latrocinia? quid priuatorum direptiones? quid sanctissimorum templorum euersiones? quid illatam nobilissimis Prouinciis vastitatem, &, quod meritò quilibet admiretur, congestis in Belgium totius orbis diuitiis, extremam paupertatem? Olim nullâ vnciâ, imò ne teruncio quidem auri Hispanici submisso, cùm Principum plerique pænè dixeram Regias opes Cœnobiis templisque priuati largirentur; florebat tamen Belgium, opesque suas ac felicitatem vix capiebat. Nunc religiosissimis templis ac florentissimis Cœnobiis hæreticorum furore ac insatiabili quorumdam cupiditate direptis ac euersis, quamuis submissis in annos singulos auri Perùani modò tricies, modò quadragies, modò quinquagies

gies centenis millibus aureorum; exhausto tamen Reipublicæ ærario, ac priuatorum fortunis partim accisis, partim profligatis, vix paupertatis suæ modum caussamque assequitur, magnas inter opes inops. Hoc nimirum ad cumulum ruinæ nostræ debuit accedere, vt ne quidem inter tot tantasque miserias Belgica nostra misera aut commiseratione digna censeretur. Vtinam aliquis saltem Marcellus inter patriæ nostræ rudera circumferret oculos; quem ferunt, captis à se Syracusis, nobilissimæ quondam vrbis cladibus illacrymasse. Gratulor tibi, Syracusana ciuitas: video enim in tantâ clade aliquam tibi gratulandi relictam esse materiam. si tibi incolumi stare non licuit, lentè tamen leniterque sub Marcello hoste tam mansueto cecidisti, qui & lacrymas tibi cadenti impendit; & ne quid grauius peccaret militaris furor, seuerâ lege sanxit. At miseriis nostris non hostes tantùm remoti, sed vicini etiam spectatores illudunt; & ab iis, quos minimè decuit, ad diripiendas exuuias concurritur: nec desunt in quibusdam Belgij Prouinciis, qui matris suæ calamitosissimæ bustis insultent, & humili nimis loco se stare arbitrentur, nisi supra patriæ suæ ruinas pedem posuerint. Sed inter cetera quæ recensuimus tristia sanè ac luctuosa, nihil æquè deplorandum, quàm supremi Numinis reuerentiam obsoleuisse, sacra cærimoniasque conculcatas, veræ ac genuinæ Fidei sementem peruersis hæreticorum dogmatibus quasi spuriis seminibus adulteratam: morum honestatem, pudorem, Religionem denique ac pietatem, non paucis regionibus impotenti hæreseos dominatu esse proscripta, denique nescio quam barbariem multis locis inuectam. Hæc si segnes & ignaui dissimulamus, R. R. Patres, profectò nulla in nobis veri zeli scintilla residua est: si non his tantis dispendiis ad diuini honoris vindicias excitamur, si non ad hæresim expugnandam, & profliganda vitia, in solem, in puluerem, in aciem prodimus; nullum veræ laudis gustum habemus. Aut si tanta diuinæ Maiestatis iniuria, tot animarum pernicies, tam luctuosa patriæ nostræ facies excutiendo torpori nostro non sufficiunt; quos tandem stimulos exspectamus? Legimus olim, euerso religiosissimo illo simulque augustissimo Solymorum templo, Deum præcepisse Ezechieli: *Fili hominis, ostende domui Israël templum, & erubescant ex omnibus quæ fecerunt:* populum autem, tam funestâ specie obiectâ, in se suaque scelera, tamquam miserandi illius excidij caussam, iusto dolore exarsisse. Quid nos autem, quibus non propria tantùm, sed etiam populi peccata deploranda incumbunt? quo tandem animo erimus inter tot religiosissima templa in parietinas ac rudera conuersa, inter tot millia animarum in exitium ruentia sempiternum, ceteraque nimis luctuosa, quæ adhuc oculis nostris animisque quotidie obuersantur? Si apud eos verba facerem, quorum flagitia vindicem Dei manum in Belgicam nostram armarunt ac prouocarunt; exprimerent fortassis hæc eius vulnera pœnitudinis lacrymas, & has Thesei quondam voces:

Belgij miseriæ ad opem ferendam nos debent mouere.

Ezech. 43.

> *O patria! tales intuor vultus tuos?*
> *Talesque feci?* ———

Sen. Hippol.

Nunc cùm ad Religiosissimos Patres tota hæc referatur oratio, quid minus sperare possum, quàm sinceræ commiserationis affectum? Illud

verò

verò præclariſſimum eſt commiſerationis genus, quod in depellendis miſeriis conſiſtit. Hîc ego zelum veſtrum, veſtramque ſolertiam imploro, Reuerendi Patres. Ad hæc glorioſa facinora tuorum manus depoſcuntur, ô ſacra IESV Societas: vt quidquid pernicioſæ contagionis & adulterinæ ſementis toto Belgio diſperſum eſt, doctrinæ tuæ Religioniſque præſtantiâ penitus exterminetur. hic campus eſt, in quo tuorum deſudet induſtria, in quo labor, in quo virtus, in quo ratio inſtituti copioſam gloriæ ſegetem ac materiam conſequantur. Negari quidem non poteſt, oppreſſam diu pietatem multis locis reſpirare cœpiſſe, & auitam Religionem etiam maiori ſanctitatis fœnore reſtitutam efflореſcere. Nec deſunt, qui cùm diuinorum myſteriorum frequentationem, diuini cultus amplificationem, Cœnobiorum diſciplinam poſtliminiò reſtitutam, ſingulari animi voluptate contemplantur, pænè exclament; Tanti fuiſſe, & præſentis ſerenitatis exordia præuiâ tot annorum tempeſtate commendari: ſed ingens nobis adhuc tempeſtas ſuperanda eſt, & multa reſtant perſananda vulnera, quæ hæreſeos perfidia, aut bellorum furor inflixit. An non Hollandia, Friſia, Zelandia, Tranſiſalania, magnaque pars Brabantiæ & Geldriæ, adeoque pænè dimidia pars Belgicarum Prouinciarum ſub crudeliſſimo planeque exitiabili hæreſeon iugo adhuc ingemiſcit? Et quænam ibi ſpes ſalutis reliqua, vbi auguſtiſſimum Deo ſacrificium offerre, ſacrilegium eſt; conſcientiam Exomologeſi expiare, flagitium; errantes in viam reducere, crimen pænè læſæ Maieſtatis? Quis ibi ſupremi Numinis cultus, quæ cæli reuerentia, vbi blaſphemis in Deum Superoſque contumeliis omnia perſonant? Quæ ſpecies religionis, vbi templa conuerſa ſunt in horrea; vbi nulli feſti dies, niſi qui Bacchum, aut aliquid Bacchanalibus affine redolent? Quid dicam de vaſtiſſimis aliarum Prouinciarum campis, quos etſi hæreſis non ſubiugauit, armis tamen & perpetuis excurſionibus habet infeſtos? Vidimus in pagis aliquot, in ipsâ arâ, ſeminibus eò inter templorum rudera vento aliquo temerè delatis, arbores excreuiſſe, quas nemo poſſet amplecti. Ibidem rogati incolæ ipſo Dedicationis templi die, nulláne futura eſſet ſanctiſſimi Sacrificij copia? nec Sacerdotis, nec Sacrificij nomenclaturam nouerant: ita non tantùm templorum rudera in ſiluas abierant, ſed animis etiam ſilueſcentibus ipſa Religionis nomina fuerant oblitterata. At cultiores fortaſſis, & ab hac barbarie remotiores ſunt ciuitates. Fateor: & hoc etiam addo, nonnullas eſſe nimiùm excultas, ſed iis in rebus quæ ad faſtum luxumque pertinent, quibus vindictam diuinam potiùs, quàm commiſerationem prouocant. Olim Romanæ Reipublicæ cæleſtes iras imminere vaticinatus eſt Horatius: at quibus indiciis?

Motus, inquit, *doceri gaudet Ionicos*
Matura virgo. ———

O ſi nunc non virgines viro maturas, ſed infantes propemodum pupos atque pupas videret ad numeros ſaltantes, & profanas nequitias balbutientes! à quibus ſi prima Fidei elementa popoſceris, vt ſalutis ſigno frontem pectuſque muniant, vt vnum Deum bonorum omnium auctorem venerentur, vt Virginem Dei Matrem ſalutent, nihil obtinebis;

hæc

hæc ipſis peregrina atque inaudita ſunt: at ſi exegeris omnia vrbanitatum genera ac tripudiorum diſcrimina, nihil illis peritius, nihil exercitatius. Scio hanc morum labem non ad omnes pertinere: ſcio etiam in pleriſque vrbibus quæ Regi Catholico parent, tantam propagari cœpiſſe pietatem ac religionem, vt ſpeciem quamdam primitiuæ Eccleſiæ repræſentare videantur: ſed multa tamen reſtant quæ operam veſtram induſtriamque deſiderent.

Recordamini igitur quam vos perſonam in Republicâ Chriſtianâ ſuſtinere voluerit S. Fundator noſter Ignatius: recordamini vos diuinitus eſſe vocatos ad reducendas animas ſuo Creatori. ea igitur omni ſtudio comparate, quæ inſtrumentum cum Deo coniungunt. Nunc viribus vſus, nunc animis, quibus olim Apoſtoli terrarum orbem inter vitiorum & errorum ſenticeta peragrarunt: nunc illis virtutibus, quibus ad permouendos animos tacita quædam vis inerat eloquentiæ: nunc illo dicendi ardore, qui mentes noxiè tepefactas, imò Hyperboreo hæreſeos ſidere afflatas, priſcâ & genuinâ charitate rurſus inflammet. Recordamini, quam exſpectationem nominis veſtri toto Belgio moueritis, cùm à Rege & Belgis in ciues ac membra cooptati eſtis. Veſtræ curæ fideique concredita eſt ac per tot gymnaſia diſtributa iuuentus Belgica, tamquam mollis & ad omnem partem ductilis cera: vos eam formam imprimite, quæ mentes deceat cæleſti origine nobiles, & viua quædam diuinitatis ſimulacra. ea ſemina ſpargite, quæ in lætam ſegetem vbi adoleuerint, non minùs perfectæ virtutis ac ſanctitatis lumina, quàm columina Reipublicæ producant: viros, inquam, non oſtentatione ingenij ad quidlibet effutiendum proiectos, ſed qui ſapiant ad ſobrietatem; qui cùm ad clauum Reipublicæ ſederint, non Machiauellum aut impia eius axiomata, ſed Deum diuinaſque leges conſiliorum ſuorum actionumque normam ſequantur. Sed quoniam hic gymnaſiorum fructus minùs latè patet, nec ad omnes ſeſe extendit, plus addo; veſtro zelo induſtriæque commiſſa eſt in pleriſque vrbibus florentiſſima iuuentus Chriſtianæ doctrinæ præceptis moribuſque conformanda: vos peculiarem catecheſeos inſtitutionem voti Religione firmatam profitemini: vos ſanguinem ac vitam in arduas terrâ marique Miſſiones, in caſtris, in nauibus, in militum ſtatiuis, in pagis, in Indiis, inter barbaros, inter idololatras, inter hæreticos, CHRISTO IESV Duci veſtro conſecraſtis. Quanta hinc in omnem Reipublicæ partem vtilitas redundabit, ſi eâ quâ par eſt induſtriâ hanc Spartam excolueritis? quàm vberes culturæ fructus? quæ ſpecies religionis? quæ vitæ morumque ſanctimonia? Audeo dicere, me iam nunc animo præcipere rediuiuum primitiuæ illius Eccleſiæ ſplendorem ac dignitatem, & refloreſcentis toto Belgio pietatis odorem ac voluptatem non inani cogitatione prælibare. Intuemini, per Deum immortalem! quos viros hæc Societas in ſuis incunabulis patriæ noſtræ dederit, quæ ſaniora membra ad perfectionem proueherent, Fabros, Stradas, Vishauæos, Bellarminos, Coſteros; quàm ſtrenuos contaminatis ac languentibus Belgij Prouinciis medicos ſubmiſerit, Boccatios, Dionyſios, Leonios, Arboreos: &, ne tam anguſtis limitibus maiorum noſtrorum labores fructuſque circumſcribam,

Societatis eſt Religionem reſtaurare.

10. part. Conſt. §. 2.

Exempla primorum Patrum nos excitant.

bam, ponite vobis ante oculos primos illos Societatis noſtræ Decemuiros, qui per Latium, Etruriam Venetoſque ſecuturis laboribus præludentes, nouam rei Chriſtianæ faciem applaudente Româ inuexerunt: qui per Italiam, Germaniam, Hiſpaniam, Galliamque diſperſi, non dicam paucis annis, ſed pænè menſibus, exſtirpandis vitiis, virtutibus inſerendis, profligandâ hæreticorum perfidiâ, antiquâ Religione ſtabiliendâ, totum pænè Chriſtianum orbem ſui nominis gloriâ compleuerunt. O ignauos nos ac degeneres, ſi eorum labores ac heroicas virtutes ſuſpicere potiùs, quàm æmulari pulchrum ducimus; ſi eorum gloriam honori potiùs ac voluptati nobis eſſe, quàm ſtimulo ad ardua quæque ſuſcipienda credimus! Hoc igitur agamus: nullum officij genus prætermittamus, nec ſudori parcamus nec ſanguini, vt antiquam patriæ noſtræ pietatem ac religionem etiam cum fœnore poſtliminiò redhibeamus. Si negotium hoc viribus noſtris impar exiſtimamus, habemus viros religioſiſſimos ſub variis ſignis CHRISTO auctoratos, qui ſe in huius laboris ſocietatem, in huius militiæ contubernium, in huius gloriæ communionem offerunt, imò qui fortaſſis anteſignani cenſeri poterunt ac Duces. Cùm enim animaduerto Religioſorum Familias paſſim toto Belgio reuireſcere, & mutuâ virtutis æmulatione excitari; iamdudum mihi præſagit animus, tot bonorum vota ac ſuſpiria pro afflictiſſimo Belgio noſtro tandem Deo cordi fore. Agite ergo, & ab aliis benè cœpta ſtrenuè vrgete: non in limine operum laborumque ſtandum eſt; aliorum vos conatus ad vlteriora inuitant. Nolite, quod pigri agricolæ ſolent, alienos labores in ſemente deſtituere: neque terreant vos peruerſorum dogmatum infeſta ſegetibus germina, quæ radicitus exſtirpanda ſunt; non improborum furor, non ſanguinariæ leges, non vlla vis hoſtium piis veſtris ſtudiis remoram iniiciat. Virtus in arduo poſita, quò duriora habet experimenta & difficiliores ſucceſſus, eò certius & expeditius ſibi ſternit iter ad gloriam. Intuemini Sodales veſtros, quos eorumdem laborum ac ſtudiorum conſortes habetis, qui vaſtiſſima terrarum Oceanique ſpatia emenſi, terras aperiunt, quas orbe toto natura ſubmouit: qui cùm in extremo mundi limite conſiſtunt, alium etiam mundum zelo ſuo deſignant, & nouas Indias in Indiis indagant: qui dum incultas Paraquariæ ſolitudines peruagantur, in ipſis etiam ſubterraneis ſpecubus & cauernis barbaros inueſtigant: vt non modò ſolis curſum rerum geſtarum gloriâ exæquent, ſed eò etiam veritatis lumen inferant, quò ille radios ſuos non potuit inferre. Horum ſi vos æmulatio accenderit; non deerunt hîc inflammatis deſideriis veſtris Indiæ: ſuppeditant illas Hollandia, Zelandia, Friſia, Tranſiſalania. Quas vbi ex horridis vitiorum atque errorum ſenticetis ad amœnam ſpeciem, lætamque fecunditatem, cultorum noualium inſtar, perduxeritis; tum demum vobis orbis Chriſtianus priſtinum Deo cultum ac venerationem, patriæ antiquum pietatis ac religionis ſplendorem, ciuibus ſalutem atque incolumitatem poſtliminiò reſtitutam gratulabitur.

ORA-

ORATIO TERTIA

Parænetica ad Patres Societatis IESV *Prouinciæ Flandro-Belgicæ, vt fortibus animis quaternas suæ Prouinciæ Missiones, Batauicam, Castrensem, Naualem, atque ad pestiferos capessere porrò pergant.*

CVm animos vestros, ac incitata ad salutis alienæ curam studia, mihi ob oculos pono, Reuerendi Patres, tantum flammarum & ignium in generosissimis omnium pectoribus ardere video, vt vos ad labores, quos animarum caussâ fortiter suscipitis, & pericula, quæ generosè contemnitis, alacriter subeunda hortari, & operæ minimè necessariæ, & intempestiuæ solicitudinis esse videatur. Sed facilem mihi veniam à vobis polliceor, vbi intellexeritis, me id eorum tantùm auctoritate audere, quibus si reluctarer, maioris culpæ reum vos ipsi meritò pronuntiaretis. Quare & iis quibus debeo parêre, & vestris, quibus dissentire nolo iudiciis, obtemperabo. Dicam de quatuor Christianæ pietatis officiis, quæ cùm primi nostræ Societatis auctores diuinis auspiciis, ab ipsis illius quasi incunabulis amplexi sunt, tum vos Flandro-Belgæ, eorum posteri, pari hodieque studio & alacritate complectimini. Quæ quando ad tuendam propagandamque apud Batauos sanam Fidem, ad conferenda Catholicis militibus terrâ marique pugnantibus, ac demum pestilenti lue per vrbes infectis æternæ salutis auxilia, summâ fide, constantiâ & alacritate nituntur, non nisi à sublimibus animis, & ad virtutem natis, aut generosè suscipi possunt aut constanter seruari. Quibus de rebus cùm dicam, velim eos ego me & sentire & exhibere posse animi motus, quibus incitati omnes nos tam gloriosi laboris decus non tueri tantùm, sed in maius etiam auctum propagatumque ad minores quoque nostros transmittere gestiamus. Atque vt inde exordiar, vnde primus meritò ducendus est cursus orationis meæ, satis apud omnes constat, quanta semper fuerit & prouidentia Mentis æternæ, & sanctissimorum hominum cura, ne castæ Religionis integritas aut vitiaretur afflatu hæresum, aut certè illo vel leuiter obscurata restitueretur in antiquum splendorem pulchritudinis suæ. Hæc videlicet edita iam olim, & humanæ virtutis exempla, & diuinæ in suam Ecclesiam prouidentiæ documenta, iam tum sic interpretabantur maiores nostri, æternorum consiliorum seduli obseruatores, vt cùm ad alia quæuis rei Christianæ commoda, tum ad elidenda prauarum opinionum vulgò enascentium germina luculento diuinæ voluntatis nutu destinari se crederent. Vnde ab ipsis planè cunabulis, adhuc, vt ita dicam, infantula, ac vixdum à lacte depulsa Societas, hanc principem suorum munerum partem præcipuo quoque studio amplexa est, ac sanctissimos eius conatus prouehente Numine, ea rerum momenta attulit, vt qui eius in hoc genere gloriam deterere, & obscurare famam audeat, ipsis etiam Gratiis ingratus esse posse videatur. Inualescebat vniuersâ propè Germaniâ pestilens temulenti

mulcenti Saxonis virus, eique germana ac pœnè gemina viuendi licentia; cui curandæ, quâ possent, accurrere Fabri, Iaij, Bobadillæ, Canisij, Kesselij, Lanoij: ab iisque assiduâ laborum contentione perfectum, vt à vitalibus arceretur lues, & in Germaniâ etiamnum supersit, quod germanam Fidem atque illibatam Religionem colat. Nutabat omni ex parte Anglia, & auersi ab Ecclesiâ Regis imperio Fidem mutare compulsa, nouo perfidiæ genere multiplicem hauserat pestem Lutheri, Zwinglij, Caluini, & aliorum è cathedrâ pestilentiæ Magistrorum. Adfuere confestim ad medelam ei ferendam Personij, Campiani, Cresuelli, Walpoli, Sothuelli, Garnetti: quos omnes, post copiosam optatissimæ messis vbertatem, quà laborum magnitudine, quà carcerum pædore atque ærumnis, quà atrocibus pro Religione suppliciis properata mors, triumphali, vt ita loquar, portâ, ad æternæ vitæ regiam transmisit. Laborabat Gallia pernicioso Lemani lacus ac vicinarum Alpium afflatu,& auidissimi atrocia mali ad ipsa iam Regni viscera penetrarat; eique quam possent operam nauaturi aduolauere Posseuini, Augerij, Pelletarij, Perpiniani, Maldonati, aliique complures, præclaris in eam rem naturæ gratiæque præsidiis instructi: qui propugnatâ fortiter antiquâ Fide, expugnatâ sæpiùs nouellâ perfidiâ, tantò maiorem triumphis omnibus lauream sunt adepti, quantò plus est publicis è superiore loco concionibus, priuatis de plano congressibus, aliisque non minùs idoneis artibus Religionem tueri, quàm effusione sanguinis, hominum strage,clade oppidorum atque vrbium patriam defendere. Neque verò maiores nostri has tantùm Prouincias virtutis suæ palæstras esse voluerunt; Pannoniam quoque, Sarmatiam, Hiberniam, Scotiam pari animi charitate complexi, laborantibus omnibus salutarem præsentemque dexteram porrexere. Nec stetit in hanc diem egregius hic gloriæ cursus; sed eam à maioribus traditam tuemur posteri, nec obsolescere patiemur vmquam illud familiæ decus, quod ipsi viuidum ac nitens toto iam sæculo retinuerunt. Atque vtinam nostrum hoc Belgium huius etiam opis indigum non aliquando fuisset, neque eò è vicinâ Galliâ Germaniâque penetrassent prauarum opinionum propolæ, qui incautis populis malesanum mortis poculum propinarunt. Lugemus etiamnum, lugemus florentissimas aliquot eius Prouincias suo diuulsas à corpore nefariam hæresim tam altè admisisse in viscera, vt ad animi sanitatem reduci hactenus non potuerint.Grassantur in eis sanè præcones insaniæ,quibus nihil sanctum, nihil religiosum; qui tum demum puros putos Christianos se arbitrantur, cùm omnem sacrum ritum exsecrati fuerint, cùm omne rectè factum peccatum, nullum autem peccatum expiandum esse putarint; cùm Magistratibus populos, populis Religionem, Religioni templa,templis Sacerdotes,Sacerdotibus sacrificia,sacrificiis CHRISTVM abstulerint. Et his quoque subleuandis Prouinciis, cùm primùm per operarum copiam licuit, studia sua desiderari minimè passa est Societas nostra; quæ, submissis in earum culturam nouis per interualla subsidiis, quinquagesimum iam propè annum in hoc tam præstanti labore versatur. Constitit hactenus, Deo dante, suum operæ pretium: Catholicorum quæ supererant reliquiæ ad omnem Christiani officij rationem omnibus

Societas opponit se hæreticis in Germaniâ,

in Angliâ,

in Galliâ,

& aliis in regionibus,

item in Fœderato Belgio.

nibus Instituti nostri muneribus excultæ; vacillantes plerique confirmati, inertibus robur additum; innumeri, quibus ambiguus in eam diem Religionis fuerat animus, vel à teneris in hæresi adoleuerant, ad Ecclesiam sunt adiuncti. Oritur in dies alius ex alio labor; & quia regionis huius ager inexhaustâ quadam vbertate in nouam semper albescit segetem, Socij ei excolendo intenti, ac laboribus impares, vobis, Patres Religiosissimi, tamquam auxiliaribus operis benignè annuunt, vt quibus iustam vberrimæ messis lætitiam gratulamini, cum iis in laborum partem venire ne recusetis. Enimuerò in huiusmodi spem educati estis: vestra vel ephebea omnia, vel gymnasia, vel quæuis alia domicilia, quid aliud dixero, quàm prætoria quædam litterarum, Lycæa humanæ diuinæque sapientiæ, disciplinarum officinas, morum palæstras, propugnacula Religionis ac pietatis? vbi futuri hæresum domitores, sanæ disciplinæ restauratores, germanæ Fidei vindices, Orthodoxæ pietatis assertores, consentanea huic militiæ arma procuditis. Clitorem ac Ladonem, celebrata olim flumina, pisces naturâ suâ mutos vocales reddere fabulabatur antiquitas; ego nullum naturâ suâ tam rudem, tam infantem, tam elinguem esse dico, qui non prodire è vestrâ disciplinâ possit, non inane fori curiæq; cymbalum, sed diuini verbi sator atque Euangelij præco, à quo locuples sacrorum fructuum sperari possit vbertas. Laxatis etiam Belgæ charitati frena; & ne illius termini angustiores videantur esse, quàm mundi, huius quoque terminos superare conamini. Penetratis trans Indum & Gangem, ad remotissimas Orientis solis plagas, trans metam Herculis ad vastissimas atque à nobis dissectas Occidentis regiones, ad vltimas hinc inde terrarum appendiculas velut insulas; ibique, euersis dæmonum aris, oppressâ superstitione, impietate proscriptâ, ac sincero Numinis inducto cultu, gloriosa rei Christianæ trophæa erigitis. Gratulor equidem vobis hanc gloriam, quâ nulla vel ad Familiæ nostræ commendationem honestior, vel ad splendorem Religiosæ charitatis illustrior. Neque enim solis nobis aut nati sumus aut viuimus, qui quidquid sumus bono publico debemus; sed vt nostri partem sibi vindicant Prouinciæ terrarum omnium, ita potissimam iure suo exigit Belgij, vtpote natalis nostri soli, pars illa quæ nunc corrupta hæresi, non exiguos, si excolatur, fructus promittit. Ceterùm non ignoro, vt apud Iasios simulacrum quoddam Dianæ intrantibus in ædem sacram vultum vultuosum, tristem ac tetricum ambulantibus in illâ, indeque exeuntibus exporrectam, hilarem ac lætam frontem exhibere credebatur: sic hanc quoque nostram in Batauos expeditionem, eius ignaris atque inexpertis, difficultate, molestiâ ac periculo plenam videri solitam; quæ deinde, post modicum eius vsum, omni difficultate, molestiâ ac periculo carere iudicetur. Non hîc ago de atrocibus in Sacerdotes edictis & legibus, non de metu ærumnosorum carcerum, vitâque vel trahendâ in vinculis, vel etiam, cùm perfidiæ ita visum fuerit, inter exquisita supplicia amittendâ. Scio, quæ terrori sint aliis, ingentibus vestris animis incitamento esse; ne illud quidem, quod nescio quâ virtutis specie blandiri possit alicui, actuosæ profanos inter homines vitæ periculum vel dissimulo, vel inculco apud vos, qui è Familiæ nostræ

Athenæus lib. 8.

Plinius lib. 8. cap. 4.

præcipuâ lege bono publico mancipati, atque ad omnia animorum compendia familiaris diſciplinæ inſtructi præſidiis, neſcio cuius ſpiritualis diſpendij aut periculi metu, tamquam Iunonij pueri in ſinu Iouis, otioſi diuinorum munerum doctores deſidere domi non ſoletis. Quid enim? plorabimus animarum cladem inter tot errorum ludibria pereuntium, nec in iis ab interitu vindicandis omni contentione laborabimus? Collegiorum noſtrorum porticus, exedræ, domicilia, gymnaſia, quotidianis perſonabunt vocibus alienæ ſalutis ardorem profusè laudantium, & ab iis ipſis tam profuſis laudatoribus tam parcè vſurpabitur? Apage à nobis otium tam otioſum, tam inanem mortalitatis illecebram, ſterilium ſolatia lacrymarum, tam vana ac cum ipſis verbis pereuntia rei omnium ſanctiſſimæ præconia. Repræſentemus factis, quod ore prædicamus; ac chariſſimæ patriæ non minimâ ſui parte miſerandum in modum laboranti faciamus pro facultate medicinam: opem operamque noſtram implorat collapſa Religio, & tot animarum millia CHRISTI ſanguine coëmpta ſupplices nobis manus tendunt; & nos tam languidi erimus, vt illam omni quâ poſſumus ope non ſubleuemus? tam erimus duri, vt ruentes ad interitum populares noſtros ab eo omni quâ poſſumus operâ non arceamus? Video ego me orationi meæ ſatis moderari non potuiſſe; ſed dabitis ſpero hanc veniam ardori meo, ſi memineritis hactenus me de propagandâ Religione, deque hæreſi expugnandâ, hoc eſt de potiſſimâ Apoſtolici muneris parte, eſſe locutum.

Venio nunc ad id, quod in laborum noſtrorum cenſu proximum; præſtanda nempe, quæ ſolemus, Catholicis militibus auxilia. Et profectò æquiſſimum eſt, vt eos qui pro aris noſtris pugnant ac focis, Chriſtianę quoque militiæ armaturâ muniamus. Referte vos iterum, ſi lubet, ad ipſa Societatis exordia, & primorum Patrum in animarum lucris contentiones inde vſque ab vltimâ memoriâ repetite; & mecum haud dubiè ſtatuetis, huius quoque Religioſæ laudis gloriam atque amplitudinem à maioribus noſtris occupatam eſſe. Quippe cùm primùm Societas noſtra ſuis conatibus in publicum vtilis eſſe cœpit, pientiſſimi quique copiarum Duces nihil vnquam habuere antiquius, quàm vt ex eâ aliquos ſuarum expeditionum comites impetrarent, precibus ac ſacrificiis apud Deum, reliquis Familiæ noſtræ officiis apud milites præſidio futuros. Cuius quidem noſtræ operæ etiam inter arma tam frugiferæ, cùm, Aphrodiſium obſidente Vegâ, primum maximumque documentum dediſſet Iacobus Lainius; aliorum deinceps Catholicorum Principum exarſere animi, ne in extremæ rei momento tam ancipiti ſuis etiam in caſtris illam deſiderari paterentur. In his Alexander Farneſius, aliique poſt eum Belgicæ noſtræ militiæ Imperatores, qui Hiſpaniæ Regum auſpiciis aduerſum Fœderatas Belgij Prouincias armis decertant, quanto publico priuatoque militum bono, ſuis exercitibus quotidiana mortis pericula ſubeuntibus, ea immortalitatis adſciuere præſidia? Septuageſimum iam annum tenet hæc belli calamitas, atque à primo propè illius exortu in hanc diem dati è noſtris rei ſacræ adminiſtri; quorum laboribus in hac quoque Dei cauſâ exhauſtis, toleratis ærumnis, ſuperatis periculis, haud ſanè video quid ad Religioſi nominis immortalitatem honeſtius, vel ad Apo-

Miſſio caſtrenſis penè cum Societate nata:

in Belgio cœpta.

Apoſtolici animi magnitudinem glorioſius excogitari poſſit. Habuerunt illi Brabantiam, Flandriam, Geldriam, Arteſiam, Hannoniam, aliaque loca, quò cum Regiis copiis migrandum fuit, ſuæ theatra virtutis, in quibus beneficentiæ, charitatis, zeli ſpectaculum darent. Habuerunt non vnam aliquam gentem, vnâ indole ac ſermone, ſed ex vniuersâ propè Europâ Hiſpanos, Italos, Germanos, Anglos, Scotos, Hibernos, Belgas, aliosque complures; quorum ſingulos vernaculâ gentilique ſuâ linguâ Chriſtianam integritatem edocerent, & ſacris myſteriis, cùm res ferret, Catholico ritu expiarent. Verſati ſunt cum Principibus, cum Præfectis copiarum, atque ordinum Ductoribus, cum Patriciis ac plebeiis, & præſertim miſeris ac rerum egenis omnium; vt cùm animorum commodis in commune conſulerent, tum etiam neceſſitatibus corporum præſenti manu ſubuenirent. Verſati ſunt in noſocomiorum ſordibus ac carcerum pædore, vt ægris iuxtà & captiuis, quà ſolatij, quà auxilij indigis, ſolatio ſimul & auxilio eſſent; ac ſi migrandum è vitâ, decretoriam vitæ mortalis clauſulam congruis ad beatam æternitatem præſidiis communirent. Quid, quòd in medias quoque armatorum acies, cùm paribus vtrimque animorum ardoribus & armorum, de ſummâ rei decernitur, progrediendum illis non raro fuit, & per infeſtos gladios & tela micantia huc illucque curſandum? dum hi ad pugnandum fortiter pro rei Catholicæ incolumitate calidis hortatibus animandi, his peccata ſua enuntiantibus aures dandæ, omnibus ad Chriſtianè viuendum, aut moriendum ſubſidia adhibenda. In quâ tam glorioſi laboris arenâ, cùm non ſatis feliciter ad Neoportum Flandriæ pugnaretur, fructum hunc ex iis nonnulli conſecuti ſunt Religioſæ conſtantiæ, vt omnium ſaluti cùm incumberent, cæſi etiam ipſi laboribus ſuis glorioſiſſimè immorerentur. Cùm inter militum clamores, armorum ſtrepitus, equorum hinnitus, tubarum clangores, inſigni animorum tranquillitate verſarentur, de hoc vno ſoliciti, ne quem militum ſacris myſteriis inexpiatum ſuprema neceſſitas occuparet. Viciſtis animæ magnæ, etiam cùm ita victi; neque telorum confertim volitantium ictus declinaſtis, neque cæſorum exhorruiſtis cadauera, neque ſanguinem ex iis etiam tum manantem; ſed vni alienæ ſalutis momento intenti, veſtram incolumitatem & vitam intrepidâ prorſus & inexplebili omnes iuuandi auiditate proieciſtis. Relicti nos ſumus ad ſarcinas mortalitatis huius, planeque volumus (id quod à nobis ſuſceptæ vitæ ratio exigit) virtutem veſtram non fictis imaginibus adumbratam, ſed in nobis ipſis expreſſam, iterum offerre pugnantibus, ne deſiderent Regiæ copiæ in nobis ea animarum ſubſidia, quæ in vobis tanto antè tempore ſunt expertæ. Subiicite ergo animis noſtris eos ignes, quibus arſiſtis: ſpargite in nobis ea incendia, quibus veriùs quàm hoſtium armis abſumpti eſtis; & ſuperſtites adhuc Buzelinos atque Montanos Regiis bellatoribus exhibebimus.

Varij Societatis labores in caſtris.

Patres Societatis dum militibus præſto ſunt, in acie cæſi.

Neque terreſtribus tantùm copiis iuuandis adhibita Sociorum charitas; deſcendit etiam ad infimas ſordes fæceſque ac ſentinam nauium bellicarum, vt hominibus tametſi ſuâ voluntate calamitoſis ſemper, & morti proximis, omnem in caſum præſtò eſſet. Nauigent alij maria earum

Miſſio naualis.

earum causſâ rerum, quibus ſola hominum libido pretium fecit. Perrumpant naturæ clauſtra, & ignotas antiquitati vias aperiant ac terras; qui dum nullos cupiditati ſuæ terminos ſtatuunt, ipſum tamen orbem anguſtis à Deo terminis circumſcriptum fateri debent. Nos ad certiorem diuinæ charitatis auram vela facimus; nec rei nobiſcum ſaltem, ſi non ante nos, perituræ quæſtum, aut vanæ voluptatis è vario aquarum ſiderumque adſpectu hauriendæ captamus lenocinia; ſed Dei gloriam humano omni quæſtu potiorem, & animarum lucra cum totâ æternitate coæquanda. Adimus vitæ periculum, vt aliorum ſalutem in tuto collocemus: iactamur mari, fluctibus ac procellis, vt quamplurimos in æternæ quietis portum inuehamus: vitiatam ac pænè verminoſam potamus aquam, ſalſamentis ac mucido pane vitam toleramus, ne vectoribus noſtris diuini verbi, ac ſacrorum myſteriorum epulas, diuinis refertas deliciis, deeſſe patiamur. Lucerna piſcis memorandus in paucis, atque ex argumento ſic dictus, tranquillis dumtaxat noctibus in alta ſubit maria, linguâque igneâ & nocturni inſtar ſideris ſcintillante per os exſertâ, confluentes ad nouæ lucis illecebram vndique piſciculos captat & deglutit; nos dies noctesque velis & remis, tranquillo atque irato circumuehimur pelago, vt palabundas nobiſcum animas Apoſtolicæ vocis ſplendore captemus, ac ſaluti fortunatâ illis ac felici ſorte tranſſcribamus. Et hanc quidem de Deo deque hominibus benè merendi occaſionem haud ſegniter arripuêre Xauerij, Barzæi, Siluerię, Gonſaluij; qui cùm ad vberiorem apud Indos faciendam meſſem traijcerent Oceanum, è ſuis interim vectoribus manipulos legêre, eâque modicâ animorum fruge ampliſſimis Indiarum meſſibus quaſi præludere cœperunt. Inſtituebant nauticam turbam, colluuiemq; ſeruilem rei Chriſtianæ præceptis, habebant publicos priuatosque de Deo deque animi ſalute ſermones, ſtatas preces ſtatis diei horis decantabant, cunctis præſentibus ac reſpondentibus, deprauatos omnium corrigebant mores, vniuerſos ad eluendas animi ſordes inuitabant. Aderant è maritimâ iactatione nauſeâ, lue, fame laborantibus, tranſcurrebant per ſtratos non tantùm ægris, ſed & ſemiuiuis foros; illis cibos, his pharmaca ſuâ ipſi manu miniſtrabant. Et quamuis in omni illo charitatis officio plus laborum non rarò ſuſciperent, quàm ferre poſſent; pro ſuo tamen modeſtiæ ſtudio credebant minus ſe præſtare, quàm deberent. Miramur omnes, vti par eſt, hoſce primos Familiæ noſtræ proceres; & eorum ſtudia, alienis curandis commodis, ſuis negligendis intenta. Sed non miramur tantùm. E noſtro etiam Belgarum numero non deſunt, qui illos imitentur, qui claſſibus Regiis, Moderatorum imperio, imò ſuâ ipſi inflammatiſſimâ in homines voluntate, mancipati, earum iam ſæpè epibatas, milites, naualemque multitudinem ad omnem Chriſtiani nominis integritatem, conformarunt. Habent in hoc munere dignam ſuis animis ac virtute materiam. Carendum iis dulciſſimâ Sociorum conſuetudine, verſandum inter confertam arctiſsimis in locis turbam hominum, vt quàm leuiſſimè loquar, minimè religioſorum, in pædore atque ærumnis trahenda vita, percurrendus, quaquà patet, Oceanus, & quotidiana calamitoſæ captiuitatis, vel etiam mortis ſubeunda pericula. Sed hæc vltrò etiam

Plin. lib. 9. Hiſtor. c. 27.

Labores primorum Patrum Societatis in nauibus.

Labores & pericula Patrum in Miſſione nauali.

etiam expetuntur ab iis, qui vbi salutis alienæ caussa agitur, imperterrito charitatis ac prompto in omnem partem impetu ad illos potissimùm iuuandos accurrunt, quibus non nisi per singulares ærumnas atque inusitata discrimina subueniri potest. Copiosa hîc quoque, Patres Reuerendi, nec vulgaribus operis contenta messis. Qui in eâ laborant, periculis pares, labori impares, designant oculis ac tacitè ambiunt prensantque fortissimum quemque nostrûm; atque ad rei gloriosissimæ, vestrisque studiis & ardoribus dignissimæ, societatem inuitant. Animis hîc opus sublimibus & erectis, atque ad ardua quæque aspirantibus; animis, inquam, qui non minus facultatis ad rem omnem adferant, quàm voluntatis, ac huius vitæ mortalis terminum non suo paucorumque commodo, sed quàm plurimorum vtilitate metiantur.

Verùm, quas hactenus commemoraui, tres illæ principes nostri muneris partes, vt per se cùm ad testandum Christianæ charitatis ardorem, tum ad probandam Apostolici animi magnitudinẽ, quàm maximè sunt illustres ac splendidæ; sic ab eo quod nobis etiamnum superest oratione explicandum, à præstando, inquam, lue pestiferâ laborantibus obsequio, haud facilè dici potest, quantum decoris ac dignitatis accipiant. Enimuerò cùm in ærumnis vitæ nihil sit, quod hominum animos ad pietatem magis emolliat, quàm longè lateque in eorum perniciem sæuiens pestilitatis atrocitas; excitatur tum nempe & euibratur illorum virtus, quibus aliena salus curæ & cordi est, vt eam præcipuè messem sibi legendam sumant, quam nocentissimi aliàs mali calamitas insigni semper vbertate atque copiâ dare consueuit. Inexplebilis est ista nostri generis vorago; & si quando ei laxatis à Deo habenis grassari licet impotentiùs, exhaurit vrbes ac vicos, villas & oppida; neque vllis illorum excidiis, vllâve mortalium clade satiatur. At libamenta sunt hæc cælo, non funera; immortalitatis, non mortalitatis victimæ; benignitatis hostiæ, non furoris; opportuna modò ægris, moribundis ac morientibus auxilia ne defuerint. Ad hæc ergo tam luculenta animarum lucra, fusâ per populos pestilitate, quærenda, nostra quoque Societas à primâ sui origine haud segniter exarsit. Vos vos appello principes Europæ regiones, Hispania, Gallia, Germania, oræque terrarum vltimæ, India, Brasilia, Peruuia; quò non priùs nostri Ordinis homines, quàm eorum hoc in genere auxilia penetrarunt. Laborabatur per citeriorem Hispaniam plerisque in vrbibus atque oppidis ferali hoc malo, & ibidem omnium animis, vt in extremo discrimine, ad studium pietatis ac salutis erectis, quàm vberem non dico sementem, sed messem fecêre Mirones, Alberri, Parræ, Lozani, Sarauiæ, Garni, qui, neglecto vitæ suæ periculo, vltimis illorum populorum & corporis & animi periculis præstò fuêre. Per Lugdunensem Galliam desæuiebat eadem lues, & Lugduni eius metropoli Edmundus Augerius sustinebat vnus omnia, dum ægros inter & valentes ex æquo partitur operam, & quoad diurnis nocturnisque laboribus consequi potest, vtrorumque incolumitati consulit ac saluti. Cùm apud Germanos Moguntiæ, Treuiris, Coloniæ vulgaretur contagio, certatim Præfectorum suorum pedibus accidebant Socij, vt sibi adesse ægris, eorum curare vlcera, purgare sordes, egeno-

Missio ad iuuandos peste infectos.

Societas in Hispaniâ succurrit peste infectis;

in Galliâ;

in Germaniâ:

egenorum gratiâ alienam periclitari benignitatem, omnium animos sacris expiare mysteriis, & piis hortatibus ad supremum certamen accendere liceret. Quorum desideriis vsque eò feruentibus dum factum est satis, quis satis vel dicendo explicet, vel cogitando assequatur, quàm luculenti animarum quæstus exstiterint? Omitto apud Indos, Brasilos, Perüanos, non minùs vtilem ac fructuosum nostrorum Patrum laborem, in hac eâdem caussâ: venio ad te Flandro-Belgica nostra, & tuas vrbes, non aduenis minùs quàm incolis frequentes, compello. Vllane tuarum vrbium Socios nostros suis ciuibus animorum cultores adsciuit, quæ non ad reliquam ex omni eorum labore atque industriâ frugem, luculenta quoque nauatæ infectis operæ pretia non accenseat? Fuit, fuit illa semper in nostris etiam Flandro-Belgis animi virtus, vt quæ terrere vulgò solent alios stratæ ægris ac moribundis domus, malumque contagione serpens, & imminentis vbique mortis lurida facies, ipsis ad summum illum Christianæ laudis ac Religiosæ charitatis fructum persequendum stimulo essent. Nolim ego hîc palpare sanctissimos viros, qui in hoc obsequio vitam posuerunt, aut è veterum funerum ritu, flabello mortuis ventum facere. Hoc citra vllius inuidiam, atque omnium cum applausu dici potest, non à Delphico tripode, Pythiâve cortinâ, aut Dodonæâ quercu, sed ipso Veritatis ore prolatum, charitatem hominibus nullam esse maiorem, quàm quæ pro amicis animam ponat. Relati iam olim in Cælitum numerum, atque Ecclesiæ fastis adscripti sunt, quos huic tam glorioso muneri intentos, charitatis veriùs quàm pestilitatis æstus absumpsit. Fortunati illi profectò, qui fluxâ ac fragili hac vitâ immortalem atque æternam mercati, beatissimas illas piorum sedes penetrarunt; iisque nunc incedunt lætitiis, quæ nullâ rerum vicissitudine, nullo temporum lapsu terminabuntur.

in Indiis. *in Belgio.* *Olim Sanctorum numero adscripti, qui huic functioni sunt immortui.*

Hîc ego rursum, Patres Fratresque, nostrûm omnium appello fidem; & quando neque venalem sub catastâ prostituimus operam, neque dubio rei perituræ quæstu fœneramur laborem nostrum, dignâ nomine nostro constantiâ, insistamus illorum vestigiis, quorum tam optabiles, tantisque cumulatos bonis, vitæ exitus admiramur. E primis maiorum nostrorum laudibus semper fuit, charitate CHRISTI obfirmare pectus, publica priuataque valetudinaria circumcursando terere, vlcerum fœditatem grauitatemque odoris non auersari, blandè solari mœstos, perditos cælestis vitæ spe recreare, omnes ad tolerantiam, & ad honestatem sanctitatemque vitæ acriter impellere, pestilentis etiam mali vim longè lateque serpentem alienæ salutis caussâ non horrere. Et quis sit in nobis eâ morum mollitie, animique inopiâ, cuius non eòdem vota colliment, dirigatur labor, adspiret industria? Video profectò, dum vos ego contemplor studiaque vestra, æquo diutiùs fauisse me hactenus infantiæ meæ, quâ ad palmares illas quatuor nostri muneris partes vel leuem vobis ardoris flammam inijci aut potuisse aut debuisse crediderim. Enimuerò si, vt ille ait, lingua cordis est affectus; habetis profectò, vel, me tacente, quasi domesticum oratorem, animi vestri zelum, qui maiore, quàm ego, vi feratur in intima viscera, altiusque vel grauioribus rationum momentis, vel acrioribus

ribus verborum aculeis, in abditiſſimos cordis ſinus deſcendat. Agite porrò (atque ita vos compellare exiſtimate Societatem Iesv, matrem verè magnificarum & Apoſtolicarum virtutum, non lenem à ſuis filiis exactricem) agite, Ignatij magni filij, optimi maximique Iesv Socij, macti animis, & virtute maiorum veſtrorum adhuc ſuperſtite, bonâ cum Moderatorum veniâ, Batauiæ, quà poteſtis, adiuuandæ, Catholicis caſtris ac claſſibus pro facultate ſubleuandis, popularibus veſtris lue tactis, pro ſuſceptæ vitæ ratione curandis, accurrite. Nihil vos ærumnæ terreat, nihil moleſtiæ frangat, nihil periculi remoretur: immolate Deo, qui vos in Societatem Filij ſui adſciuit, animorum veſtrorum induſtriam, libate ſudorem, &, ſi res ferat, etiam ſanguinem dedicate.

ORATIO QVARTA.

De obedientiâ R. P. Petri Caniſij.

PEtrum Caniſium, natione Belgam, prouinciâ Geldrum, domo Neomagenſem, ſummâ doctrinâ & ſanctitate virum, ſi quis veſtrûm miratur, Auditores; quibus veſtigiis ad ſupremum Religioſæ vitæ culmen aſcenderit; hunc vel ignorare neceſſe eſt, quantum præſidij in obedientiâ poſitum ſit ad virtutem; vel certè, quantum in eâ ſe exercuerit Caniſius, non ſatis animo recordari. Quam non illa fecunda virtutum mater, honeſtatis optimorumque morum ſobolem procreauit? quàm numeroſam? quàm locupletem? quàm diuinam? Habeant ſanè virtutes ceteræ ſiue genitrices ſuas, ſiue altrices ſingulæ (neque enim vno ſatu conceptuque productæ ſimul exiſtimari poſſunt omnes) *obedientia* certè, velut communis quædam officiorum vitæque Chriſtianæ parens, *ſola virtus eſt, quæ virtutes ceteras menti inſerit, inſertasque cuſtodit.* Quod verò non ille ſtudium conatumque adhibuit, vt, quam animo conceperat, præſtantiſſimam viuendi rationem ad obedientiæ regulam normamque dirigeret? Hac duce atque adiutrice, quàm multa geſſit per omnem vitam pro animarum ſalute vtiliter, pro Eccleſiæ incolumitate feliciter, pro Dei gloriâ præclarè! Quæ ipſa quoniam & numero & magnitudine pænè infinita ſunt, non ingrediar in latiſſimum hunc campum hodie, ne, ſi cuncta vel ſtrictim à me percenſeri numerando poſſe confidam, tantum ſcilicet de gloriâ viri incomparabilis delibem inuitus, quantum volens lubensque profitebor, cùm pro viribus attigiſſe cuncta me arbitrabor, plus ſemper maiusque aliquid ad dicendum præteriri à me atque omitti oportere. Vnam eius virtutem, quam in deliciis ſemper habuit, obedientiam oculis ſubijciam, vt ex eâ quæ reliquarum norma eſt, de immensâ decorum illius ornamentorumque animi magnitudine exiſtimare poſſitis.

Cùm fidem oraculi, quo profuturum ſe olim Eccleſiæ in Societate Iesv nondum tum quidem conditâ, puer adhuc didicerat, ternis firmare præſidiis, animarum, quem vocant, zelo, perfectione vitæ, fortisque animi conſtantiâ inſtituiſſet Caniſius; circumſpicere nimirum in ipſo ſanctioris vitæ limine cœpit, quam in partem ſanctimoniæ curam con-

O.
ti.
tū

Greg.
Mor.

inſtrux
Caniſium.

 uerteret,

uerteret, quâ deinde fretus, triplicem hunc funiculum non modò texeret in ſpem ſalutis miſerorum, ſed ad infringendam etiam perfidorum audaciam augeret atque corroboraret: cumque obſeruaſſet, certiùs nuſquam præſidia hæc vberiusque quàm in vnâ obtemperandi ſubmiſſione contineri, huc profectò aduertit animum, atque ad obedientiæ virtutem comparandam curas omnes cogitationesque contulit; tum demum ratus Eccleſiæ ſe Societatique, ad quam vocatus eſſet, etiam honori futurum, ſi quos & zelus ſuus requireret ignes, & ſuſcepta Religio vitæ perfectionem, & cum hoſtibus contentio magnanimitatem, à perpetuâ obſequendi voluntate mutuaretur.

Tum, zelo animarum: Atque vt ordine noſtra procedat oratio, nemo profectò tam mente captus tamque hebes eſt, qui non intelligat planeque videat, animarum zelum, tametſi cum amore patriæ optimo cuique à naturâ indito id habeat commune, vt impetu quodam feratur in ſalutem plurimorum; niſi tamen præceptis iudicioque Magiſtratuum, velut prouidentiæ quibuſdam habenis, dirigatur, non modò rebus præclarè gerendis inutilem, ſed perniciosum etiam futurum. Iraſcebatur igitur iam tum Caniſius illi ſiue faſtidio ſiue arrogantiæ Gymnoſophiſtarum, quibus, contra communis Philoſophiæ præcepta, vti certum erat nemini leges dare, ita nec à quoquam accipere: laudabat verò Ariſtotelis cum primis ſapientiam, qui boni ciuis officium, non obtemperatione minùs cùm parendum, quàm imperio cùm gubernandum eſſet, definiebat. quocirca nihil tam arduum, nihil tam humile tamque abiectum offerri vmquam potuit, quod non obuiâ voluntate ſuſciperet. Quis credat, virum ſecundiſſimis auris famæ gloriæque nominis ſui velificantem, pro quo cunctæ ferè Germaniæ Academiæ veriùs omnino ac glorioſiùs, quàm pro Homero ciuitates olim Græciæ, contendebant, poſtquam grauiſſimis ad Carolum Cæſarem & Leodij Antiſtitem legationibus perfunctus, fidem Vlmæ Wormatiæque egregiè contra Lutheranos diſputando propugnaſſet, inter Theologos Tridenti ac Bononiæ in ampliſsimo illo Patrum Doctorumque totius orbis conſeſſu ſententiam magnâ cum laude dixiſſet, diuinas Litteras Coloniæ atque alibi explanaſſet, complura Sanctorum Patrum à ſe priùs recognita ſcripta in lucem edidiſſet, Septemtrionem totum miris exſpectationibus, velut ad noui ſideris ortum, non impleſſet tantùm, verùm etiam recreaſſet; quis, inquam, credat, huius famæ curſum repentè ſic incidere aut voluiſſe aut potuiſſe, vt à Theologicis ſubſelliis, quæ pridem Doctor inſederat, ad puerilem Rhetorum ludum, procul extra Germaniam in Siciliæ finibus aperiendum, deſcenderet? Deſcendit enimuerò Caniſius perlubenter, vnamque Ignatij iubentis voluntatem non præteritæ modò famæ nominisque ſui exiſtimationi, ſed fructui etiam animarum, quem à ſacris lectionibus ſperare potuerat vberrimum, antepoſuit, puerosque iam vir ad oratoriam facultatem informare cœpit, qui vixdum iuuenis altioribus viros imbuerat diſciplinis. Quid, quòd eodem ferè tempore, ne quod ingenitæ libertatis arbitrium præpoſterâ falleret cupiditate, integritati obedientiæ nuncupato voto cautum eſſe voluit, ſancteque tum quidem Deo promiſit, deſertis etiam quibuſcumque ſtudiis litterisque, ad abiectiſſi-

Diodor. Sic. lib. 1.

lib. 3. Polit. cap. 4.

pro quo negligit famam:

ad humilia ſe offert:

sectissima quæuis horti culinæve munia promptum facilemque se fore? Absurda fortasse videbuntur hæc siue Ignatij imperia, siue Canisij obsequia, si sapientum vulgi iudicio rem æstimare velimus; at nouerat profectò vterque, non aliâ rectiùs alumnâ quàm obedientiâ zelum animarum nutriri atque amplificari. Cùm enim Ducis IESV (cuius quidem vita vniuersa quid nisi continens quidam assiduusque zelus fuit?) sacratissimum nomen militiæ suæ propalàm alter præferret, alter impigrè sequeretur; eodem ortu progressuque diuinæ gloriæ radios à se felicissimè propagandos esse arbitrati sunt, quo Sol ille diuinus orbi primùm illuxerat, feruidisque zeli flammis cœperat coruscare. Hic verò cùm amoris sui ignes ab ipsâ diuinitate decerptos, hominum animis non fabuloso Promethei radio, sed naturæ nostræ participatione statuisset infundere; quâ conceptione & partu, quâ susceptione & educatione, quâ disciplinâ & institutione, quâ sustentatione & nutrimento, quâ denique vitâ & morte zelum suum, nisi obedientiâ, manifestauit? CHRISTVM imitatur:

Equidem existimo, Auditores, planeque mihi persuadeo, Ignatium nostrum, cùm præuideret animo quantus in Ecclesiâ qualisve vir futurus esset Canisius, huius virtutis exercitatione tantæ molitionis, quæ consecutura dein erat, fundamenta ponere voluisse: hunc verò pro eo, quem gerebat, animo atque ardore, ad promendas omnes humanæ diuinæque charitatis occasiones ac modos, tirocinium eiusmodi velut propriam quamdam palæstram, stabilemque zeli Spartam, exemplo CHRISTI & calidè arripuisse, & tenuisse constanter, & seriò fortiterque excoluisse. Itaque siue ad populum dein diceret, siue aures pœnitentibus daret, siue scripto contra hæreticos pugnaret, siue voce ac disputatione contenderet, siue molestis Prouinciæ functionibus publicam, siue piis mentis exercitationibus priuatam vitam ageret; non vigilias, non labores, non pericula, non res præclarè laudabiliterque à se gestas, non fructum denique ipsum, sed obedientiæ dumtaxat nutum imperiumque spectabat. quâ quidem nixus, quid non aut egregiè pro salute communi gessit, aut fortiter animoseque perpessus est? Non possum hîc committere, quin dicam quod sentio, Auditores, nihil propemodum toto Septemtrione, quo tempore Lutherana pestis omnia diuina & humana iura violabat, illustre dictum factùmve, quin & scriptum à quoquam fuit, cuius non vel tota laus, vel pars certè magna ad Canisium pertineret. Quid, quòd non ardua solùm quæque, quod posse; sed & honoratiora quoque, quod mereri videbatur, ad eum deferebantur? Explanandi Theologorum in scholis erant sacri codices; explanabat Canisius: stylus in aduersarios stringendus; stringebat Canisius: legendus Cæsari concionator; legebatur Canisius: purgandæ erroribus Academiæ; purgabat Canisius: Tridentini Concilij decreta Summi iussu Pontificis promulganda; promulgabat Canisius: confirmandi eâdem auctoritate in Fide Principes Germaniæ viri; confirmabat Canisius: luctandum cum perfidis; luctabatur Canisius: disputandum cum hæreticis; disputabat Canisius: vnus denique propemodum omnia Canisius. Hinc iam illa frementium luporum, à quibus prædas ad ouile Dominicum abigebat, rabies dicam, an ludus, & in vtroque veritatis expressa laus, *Canem Au-* *eius obedientiam amplexus Canisius:*

 striacum

striacum appellantium: cuius nisi excubiæ, Sociorumque, qui ab eo Canisiani dicebantur, validi pro domo Dei latratus obsisterent, inclinatum propemodum, ita loquebantur, Papæ Regnum prostraturos se penitus euersurosque minitabantur. Atque hæc quidem quo plausu excepit Germania? quibus vocibus Polonia probauit? quibus Italia Belgiumque præconiis extulit? quibus studiis, iudiciis, testimoniis, quàm amplis, quàm luculentis, quàm magnificis totus Septemtrio, orbisque adeò vniuersus, prosecutus est? Non adferam hîc Regum Principumque gratulationes, non Antistitum purpuratorumque Ecclesiæ Patrum admurmurationes commemorabo, non Summi Pontificis beneuolentiam singularem litterasque in primis honorificas exhibebo. Ipsa si loqui possent tecta ac parietes sacri; si templa, si aræ, si ritus vocem emitterent; si scholæ, subsellia, publicæque exedræ sensus suos proderent; quo spiritu, quantâ contentione testarentur, palamque clamitarent: O felix Imperium! ô fortunatam Canisio Germaniam! Quòd in ruinis fidei non stamus tantùm, sed erigimur; quòd in communi Ecclesiæ incendio subiectas perfidorum faces depulimus, repressimus, extinximus; quòd in publico patriæ latrocinio, in cædibus, rapinis, direptione prouinciarum, perduellium manus euasimus, speciem antiquitatis retinuimus, Religionis cultum cærimoniasque custodiuimus, splendorem à maioribus acceptum amplificauimus; id post Deum Canisio referimus acceptum. quòd iacentes erecti, nutantes confirmati, errantes reducti sunt; quòd hæreticorum fractæ vires, debilitatus furor, compressa audacia; quòd litterarum domicilia, iuuentutis seminaria, virginum Cœnobia vasta nuper cultoribusque suis vacua, pristinę dignitati gloriæque restituta sunt; totum id tribuimus Canisio. Inter hæc verò quas non insidias, calumnias, iniurias ab errorum magistris & sectatoribus passus est? quot conuitiis laceratus? quot lapidibus etiam ad aram petitus? cùm ille interim vnius obedientiæ præsidio munitus, zelum suum quaquauersum explicaret; vnius obedientiæ clypeo tutus, pericula ac labores iuxtà haberet; vnius obedientiæ malleolis instructus, charitatis suæ faces accenderet; vnum id dumtaxat, quacumque parte tempestas ingrueret, identidem ingeminans: *In obedientiâ spes & fortitudo mea, nec eligam in domo Domini aliud esse, quàm iumentum omnibus diebus vitæ meæ.* Æmulabatur nimirum, auctore Ignatio, Ducis sui IESV promptissimam obediendi voluntatem, eâque zelum, quo ad promouendam Dei gloriam exardescebat, assiduè metiebatur.

& fortiter passus est.

Secundò, perfectione vitæ ab obedientiâ:

Verùm cùm non vnum hoc ab obedientiâ decus animi, sed cuncta virtutum ornamenta, ceu fonte quodam, nosset permanare; quò maiore flagrabat absolutæ perfectionis desiderio, hoc acriùs eidem persequendæ cœpit insistere. Hanc ego tam fecundam honestatis virtutumque matrem quo nomine compellem nescio. Pandorámne dicam cælitus ad nos missam totâ diuinitatis supellectile non minùs diuitem quàm speciosam? an auream virgulam appellabo? ex illarum scilicet genere, quas aut instaurandæ Vlyssis iuuentuti Minerua, aut sopiendis corporum animorumque motibus Mercurius, aut sordibus quisquiliisque in aurum commutandis veteres excogitarunt. at è fabulis deprompta ista

hæc autem similis Pandoræ, virgulæ aureæ,

sunt,

ſunt. Quid igitur? principémne in horologio rotam nuncupabo, ad cuius ſiue torporem ſiue motum ceteræ vel fixæ ſemper hæreant, conuerſioniſque expertes, vel illicò volubilitatis quodam ſpiritu animatæ, ſuis ſingulæ curſibus pari diſparíve celeritate torqueantur? An cælum dicam potiùs illud inter complura primum volubile, maximeque incitatum, cuius motu, velut admirabili quodam imperio conſentienteque ad incolumitatem vniuerſi dominatu, citeriores cuncti orbes, quos ambitu ſuo circumplectitur, cientur certâ lege, ſtabilique mutatione verſantur? Apta herculè & argumento noſtro conſentiens comparatio: ſiquidem & obediendi virtus ea rota eſt, quam in ceteris primam, motumque ac locum, ad quem quaquauerſum impelleretur ipſa, reliquæ virtutes conſequerentur, definientem, vidiſſe ſe teſtatur Ezechiel: & eadem nimirum eminentioris cæli circumuectio, cuius ab origine cunctarum virtutum motus, dum paribus Religionis ſpatiis progreſſuque ſanctitatis circum axem diuinæ voluntatis rotatur ac flectitur, iucundiorem longè reſpondentis ſibi vndequaque honeſtatis concentum efficit, quàm illa Pythagoræ poſſit eſſe imparibus orta cælorum interuallis, curſibuſque nata contrariis harmonia, ad quam mundum canere falsâ veteres opinione exiſtimarunt. Attamen neſcio quid in diſpare Epheſiorum Dianæ, & vrbium à Sardanapalo ædificatarum fabricâ cernere licet, quòd æqualium inæquali tempore ſubſtructionum imagine hinc vberes obedientiæ fetus, celereſque parturitiones, inde raras naturâ ſuâ difficileſque virtutum aliarum generationes, meliùs expreſſiuſque repræſentet. Annos viginti ſupra ducentos Græcorum molitio tenuit, cùm vix totidem columnas, quot Regum operi immorientium ætates numeraret; ſurgeretque interim maximâ licet opum viriumque contentione ſenſim ac pænè ſine ſenſu Aſiatica moles, faſtidio haud ſcio longi temporis, an marmoreorum parietum faſtigio celebratior. Anchialus verò Tarſuſque, quàm amplæ, quàm pulchræ ciuitates, quantâ celeritate, nutu propè imperioque effeminati ceteroquin Regis excitatæ ſunt? vnâ dumtaxat luce, quæ ſolis ortu occaſuque definitur, cœptæ perfectæque vrbes commemorantur. Cernere erat iucundo ſpectaculo, vaſtiſſima terrarum ſola momento temporis ſaxorum oppleri multitudine, foſſis deſcribi, mœnibus circumcingi, ornari portis, plateis diſtingui, tectis denique ædificiiſque collocupletari. Credas ad lyræ cantum non iam vnas Thebas Amphionis arbitrio concurrere ac coagmentari, aut certè fetam machinationibus humum, mirâ naturæ ſiue ſolertiâ ſiue fertilitate, vrbes derepentè integras, ceu fruticum gemmas, ſolâ dominantis libidine, è ſinu ſuo protrudere ac procreare. Equidem diſcrimen ortum inter progreſſumque virtutum, quæ quidem ad mores formandos pertinent, & ſiue abſente ſiue comite obedientiâ progignuntur, mihi ſoleo proponere, cuius ergò Ignatius Caniſiuſque eamdem quoque reliquis præſtare arbitrati ſunt. Habent omnes ſpeciem quamdam diuini templi auguſtiſſimam, ſed quam ſolitario ſuæmet efficientiæ conatu non niſi longa multorum annorum exercitatio laborque improbus ad vltimum educere conſueuit: accederet modò parendi certa Religioſaque voluntas, actutum & ſine morâ non ſingula tantùm, ſed vniuer-

rota maxima in horologio, primo mobili,

Ezech. 10, 17.

vrbibus Sardanapali,

vno die ædificatis:

vniuersa honestatis ornamenta glomeratim, facto velut agmine, suis absolutissima formis procederent, animumque illustrarent. Quod cùm ab ipsis vitæ melioris rudimentis compertum esset Canisio, vsuque ipso didicisset, non vnius actionis terminis, vt virtutum singulas, obedientiam concipi, non vnius officij limitibus promptum obtemperandi studium circumscribi, verùm ad omnem honestatis speciem vim suam extendere efficacitatemque proferre; nihil antiquius in omni reliquâ vitâ habuit, quàm quacumque re, loco, tempore facilitatem obsequiumque suum Præfectis exhibere; nihil acerbius duxit, quàm eiusmodi dignitatibus augeri, per quas dum præesse cogeretur ceteris, obedientiæ materiâ, certo nimirum adipiscendæ quàm citissimè perfectionis subsidio, priuaretur. Quo animi sensu Sociis imperare iussus prouinciam deprecatus est? quo mœrore admisit? quâ anxietate administrauit? quo gaudio deposuit? quâ gestientis animi lætitiâ ac voluptate postliminio sibi obedientiæque redditus est? quantas, quàm incredibiles pro hoc munere gratias egit? quâ submissione, quâ pietate, quâ religione vsus est? Testes sunt assiduæ voces illæ, quas ad Superiorum iussa reponere solitus est. deserenda statio erat, alioque ad ignotos procul ab amicorum consortio commigrandum: *Obedientia mihi*, aiebat, *ex quocumque loco faciet paradisum.* Peregrinandum erat difficillimis viis, incommodâ tempestate, pleno periculorum itinere: *Non discedam à præscripto sanctæ obedientiæ: non recuso laborem quem obedientiæ sanctæ deberi scio.* Deuoranda tædia erant supraque humanam imbecillitatem insistendum operi: *Dabit Deus his quoque finem; & ego, vt spero, moriar filius obedientiæ in* CHRISTO IESV *Domino nostro.* Iam verò quid illa facilitas ad omnia, quantumuis difficilia? *Fiat Domini voluntas, & obedientia sancta per nos impleatur.* Quid illa, neutram in partem, cùm arbitrari de se liberè posset, inclinantis animi æquilibritas? *Hoc esse officij mei proprium fateor, vt quæ statuunt & mandant mei Superiores, exsequar.* Quid illa mentis tam beata, tam placida, tam secura, vticumque præcepta res eueniret, tranquillitas? *In obedientiæ sanctæ decreto libenter acquiescam.* an non vsquequaque perfectum omnibusque numeris absolutum obedientiæ Religiosæ exemplar repræsentant? Itaque tantos in omni genere virtutum huiusce præsidio processus faciebat, vt iam non gradatim ad sanctitatem pergere, sed cursu contendere pennisque etiam euolare videretur. Longum sit ire per singula, quâ submissione, quâ mansuetudine, quâ simplicitate ad omnes vsus sit: quibus inediis, vigiliis, defatigationibus corpus extenuarit, vires exhauserit, valetudinem labefactarit, quo precandi Deum contemplandique res sacras studio, quâ castimoniâ, quâ patientiâ animum excoluerit, spiritum promouerit, mentem ad diuinæ cuiusdam perfectionis formam erexerit.

ob hoc expetita

cultaque à Canisio,

in omni re.

Vnum illud tantummodò persequar, quod è tribus, quæ initio dicenda proposui, reliquum est, atque ad animi robur fortitudinemque pertinet. Hîc verò quid ego prædicem, quibus ille vel armis vel auxiliis virtutem suam constantiamque probarit? quando Sapientis iudicio constat, quòd *vir obediens loquetur victoriam.* Cùm vitam hanc infelicem atque mortalem innumera circumstent ab incunabulis propè ipsis bella, quibus

Tertiò, animi fortitudine:

Prou. 21.

quibus vel cum nobis ipſis animique domeſticis motionibus, vel cum exteris hoſtibus, quos ſupra naturæ vitium patimur infeſtiſſimos, aſſiduè ſit dimicandum; rectè rerum omnium Moderator prouidit Deus, vt neque tela nobis deeſſent quibus vim inferre, neque præſidia quibus impetum eorum ſuſtinere & retundere valeamus; ſitque beneficio eius in poteſtate omnino noſtrâ, niſi ignaui eſſe volumus, ne plures pugnas quàm victorias numeremus. At quænam, oro, iſta ſunt? quo ſuſcepta conſilio? quâ auctoritate legibusque ſancita? Illa nempe illius ductu *quâ exemplo* auſpicioque ſuſcepta à nobis arma, *qui genus humanum*, vt Ignatij con- *plo* CHRI- ditoris noſtri ſanctiſſimi verbis vtar, *neglectæ obedientiæ ſcelere afflictum ac* STI, Epiſt. de virt. *perditum, ſalutari ipſemet obedientiâ reparauit, factus obediens vſque ad mor-* obedientiæ. *tem, mortem autem crucis*. Impreſſerat fatalia illa contumaciæ veſtigia poſteritati ſuæ infelix Adam, inſcripſeratque in animis omnium noſtrûm fucatæ cuiuſdam libertatis ſpeciem, omni ſeruitute turpiorem atque intolerabiliorem. Suaue nimirum atque illecebroſum videbatur, nullius ductu imperioque flecti, quaſuis leges repudiare; durum contrà naturæque propenſionibus inimicum, vocem imperantis nutumque excipere, & alterius voluntati obſecundare. At illud quid tandem erat, niſi cupiditatibus variis ſubiici, perturbationibus agitari, ſceleri libidinibusque ſeruire? Exin tot vbique terrarum mancipia quot homines extitere; quorum quiſque quantum ferè poteſtate præſtabat ac dominabatur ceteris, tantum ſuis ipſe vitiis deprauatiſque affectionibus ſeruiebat. Enimuerò hanc mentis à ſe procreatæ tam nobilis, tamque ingenuæ, abiectionem diutiùs ferre Deus non potuit; igitur impoſitum ceruicibus noſtris iugum ſtatuit excutere, ſuiſque tantummodò obſequiis deſtinatos in priſtinam libertatem vindicare. Hîc iam diuinæ Sapientiæ, ſi lubet, conſilium, Auditores, prouidentiamque attendite. Cùm aliæ *per volun-* infinitæ rationes illi ſuppeterent, excellentiæ quodammodò præſtantiæ- *tariam ſer-* que immemor ſuæ, noſtram ſeruiendi neceſſitatem cum ſeruitutis vltrò *uitutem* à ſe ſuſceptæ nouâ quadam atque inuſitatâ imagine commutandam ratus, *ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens*. Attilium ferunt, cùm Phil. 2. Romæ liber eſſe poſſet, hoſtium etiam crudelitati ſeruire Carthagine, quàm ciuium ſuorum immunitatem labefactare maluiſſe: quæ res vna cùm barbaros ſtupore, Italiam iracundiâ impleſſet, plus ad conficiendum Punicum bellum roboris atque fortitudinis voluntaria Conſulis ſeruitus, quàm liberorum arma attulere. Tum certè ſuccreuere nobis animi, viresque contra vim ac potentiam hoſtium auctæ ſunt, cùm libertatis vindex noſtræ Dei Filius, optione datâ, obedientiæ ſeruus alieno magis elegit arbitrio mori, quàm ſuo viuere. Quippe cùm eorumdem *vincimus,* hoſtium, quos ille ſuâ parendi voluntate profligauerat, impetus eſſent dimicationesque ſuſtinendæ; ſpes iniecta nobis eſt, eiuſdem obedientiæ præſidio vinci à nobis expugnarique poſſe. Quæ quidem ratiocinatio veritate ipsâ ſubnixa, etiam D. Auguſtini auctoritate confirmatur. Cui in Pſal. 71. enim ignota eſt hæc eius vox? *Sola obedientia tenet palmam, ſola inobedien-* conc. 2. *tia inuenit pœnam*. Exempla verò quid commemorem, cùm non exiſti- *quod patet* mem par aliud Caniſio in hoc laudis genere exſtitiſſe? Nam vt omit- *in Caniſij* tam, quâ manſuetudine difficillima quæque imperia non exceperit modò, *manſuetudine,*

verùm etiam exhauſerit atque obſequio mitigarit; vt nihil de ſimplicitate dicam, quâ iuuenibus ſenex, rudibus exercitatus, tironibus veteranus miles fingendum ſe ducendumque ſubiecit; vt tacitus prætercam, quod ad promptiſſimam dignitatis abdicationem pertinet (nam cùm præeſſe Sociis poſſet, iique Magiſtratu ne abiret, hortarentur; adduci nequaquam potuit, vt, quacumque grauiſſimarum licet rationum ſpecie, momento temporis obedientiæ meritum vel aliorum ſententiis vel ſuæ exiſtimationi poſtponeret, illicoque Prouinciam cum imperio in ſucceſſorem tranſtulit) quoniam hîc nouum etiam nihil neque inuſitatum. par animi magnitudo Ariſtidi fuit, qui ad Marathonem Prætor, militis partes, cùm Ducis poſſet, elegit; imperiumque vltrò ac ſponte ſuâ, cunctis admirantibus, Miltiadi ceſſit. hoc certè quod dicturus ſum rarum, minimeque vulgare, prætermitti non poteſt. Etenim quis neſcit, quanto quiſque ad mentis ſuæ conceptiones pariendas impetu abripiatur? *Conceptum ſermonem tenere quis poterit?* quo quiſque fetum intelligentiæ ſuæ amore proſequatur? Librorum eadem ferè quæ liberorum progignendorum ratio eſt: vbi partus maturuit, niſi in lucem edatur, parentem miris modis affligit, diſcruciat, necat. Appulerat ad ſcriptionem contra hæreticos mentem ſuam, Summorum Pontificum Pij V. & Gregorij XIII. iuſſu, Caniſius: itaque in eam rem incumbebat, vt obediendi ſtudio ne valetudini quidem inter aſſiduos commentandi labores & lucubrandi contentionem parceret. Quis operæ fructus, quàm ingens, quàm copioſus exſtiterit, non minùs aduerſariorum perturbatio, quàm rectè ſentientium plauſus, totiusque Eccleſiæ gratulatio, quibus vtrumque de Præcurſore & Matre Domini commentarium excepere, teſtata eſt. Tertia ſupererat de Apoſtolorum Principe diſſertatio: quam in controuerſiam multa ſecum ab initio meditatus cùm inuenerat ipſe, tum inuenta ab aliis collegerat, atque in ordinem digeſſerat: procedebat labor neque ſegniter neque infeliciter: erecti, finem vt imponeret, exſpectabant omnium animi, priorum voluminum, quæ iam vulgauerat, famâ deſiderium augente. Scribentem ſtimulabant boni publici amor, tuendæ veritatis ſtudium, argumenti grauitas, hæreticorum aduerſus CHRISTI Vicarium calumniæ: quin & propenſio ipſa, neque indoli minùs quàm zelo congruens negotium, pondere ſuo, vt niteretur, impellebant. Quid exſpectatis, Auditores? iam enim præcipere mihi videor opinione veſtrâ, quanta futura ſit parientis lætitia, cuius in nitendo tantus eſt labor, tantaque contentio. At ô rem incredibilem planeque nouam! omne gaudium intra fructum obedientiæ ſtetit, ceteroqui ſterile atque infecundum. Hoffæus, cui Prouinciam aliquanto antè tradiderat, ſiue quòd in paucitate Sociorum viri operâ ad plura in dies indigeret, ſiue quòd, indulgendum pauliſper valetudini ratus, iudicaret omnino lucubrandi ſtudium remitti oportere; primùm quidem interpellare ſcriptionem cœpit, hærentesque libris cogitationes ad alia diuertere, mox etiam cum Mercuriano, qui tum vniuerſam Societatem Præpoſitus moderabatur, agere, ne porrò pergeret; tandem etiam efficere, vt bonâ Pontificis gratiâ manum à perfecto propemodum opere abſtineret. Quis hîc niſi eximiæ ſanctitatis vir non commoueatur

ſimplicitate,

abdicatione officij,

ſuppreſſione libri,

Iob 4.2.

quem Pontificum iuſſu cœptum,

Prouincialis conſilio retardatum,

æquo animo tulit.

tur animo? quis non abortionis tam inopinatæ iussu torqueatur vehementer? quis de Prouincialis iudicio etiam fortasse non expostulet? At leue nimis hoc, atque ad Canisij gloriam etiam exile. Quantus qualisque vir, quàm perfectus obtemperandi magister sit oportet, qui imperia eiusmodi, velut ipsiusmet cæli nutu definita, obuiis accepit vlnis, incredibilique animi voluptate amplexatus est? Heliodorum Ecclesiæ Tricensis in Thessaliâ Præsidem ferunt, cùm Æthiopiam suam festiuiùs quàm grauiùs exaratam vel premere iussus esset, vel se Episcopatu abdicare, Infulis priuari suis, quàm libri famâ carere maluisse. tanti nimirum etiam optimo cuique suus est vel labor ne pereat, vel gloria ne sepeliatur: Canisio verò adeò non graue hoc neque acerbum seuerioris sapientiæ funus accidit, vt vitæ quoque melioris, quam in otio ac tranquillitate Deo in posterum consecraturus esset, beneficium interpretaretur. Principio quidem, cùm iam lentiùs studia sua propter crebra Superiorum diuerticula cerneret procedere, neque vtrumq; sat commodè domi forisque hinc molestum rerum grauiorum, inde iucundum litterarum à se negotium geri posse perspiceret; voces illius exaudiebantur identidem illæ, quæ nutum imperantis, sepositâ interim scribendi propensione, adiuuarent: *Valeant*, aiebat, *studia, si ab his auocat obedientia, cui me totum debeo.* Posteà verò quàm à Mercuriano seriò deliberandum sibi, vtrùm mallet in scribendo pergere, an alias res agere, intellexit; præter æquabilitatem præfatus nihil, magno excelsoque animo sui ac sententiæ victor suæ, *Libenter*, inquit, *in Patris nostri & aliorum sententiâ conquiescam, vt deinceps reliquam ætatem in Religiosâ simplicitate & simplice obedientiâ tranquillè consumam, vbicumque demum me viuere, & quidquid vel agere vel sustinere voluerint Superiores: horum iudicio magis quàm meis desideriis vel propensionibus credam. Certè dum ita sentiet Prouincialis, ad scribendum redire non cupio, & fortasse bonâ conscientiâ non debeo.* Denique cùm à Pontifice Gregorio missio vacandique copia facta esset, tum verò ille summi beneficij loco cessationem accepit, rogauitq; Deum, vt impertitæ quietis ac silentij fructum sibi iucundissimum, quamplurimis vellet esse salutarem. Neque ex illo tempore vox eius exaudita vlla est, quæ non dico sensum, sed memoriam etiam intermortui operis vel proderet vel reuocaret. O victorem sui animum! ô virum fortem! ô generosum! ô constantem! quidquámne in hoc laudis genere præstantius? tot præcellentis ingenij fructus, tantis sudoribus partos, tanto studio lucubratos, tantâ contentione collectos, tanto iudicio expolitos, tot omnium ordinum votis desideratos, vnius obedientiæ nutu, velut telo quodam fatali confixos, tumulóve ante diem insepultos, incredibili bonorum luctu æternùm interire; Canisium autem, cui hoc funus ducebatur, ne commoueri quidem animo, non frontem contrahere, non vultum inflectere, sed magis lætitiâ gestire, voluptate perfrui, gaudiis exultare? Ego certè vt complura sint honorum illius insignia, laudumque præclarissima monimenta, nullum neque excellentius neque admirabilius proponi posse existimo, quàm memoriam virtutis huius sempiternam. Minus profectò est, quòd dæmonas geniosque malos vicit, atque ex corporibus humanis expulit, quòd incolumitatem ægris, salutem despera-

Heliodoro gloriosior, Niceph. lib. 12. c. 34.

sui victoria,

super miracula

tis attulit, quòd innumera beneficia viuens mortuuſque mortalibus largitus eſt; quòd Heluetiorum Friburgum, ſenectutis ſuæ domicilium, vltimamque ſanctimoniæ palæſtram, perpetuo ad hunc vſque diem *memorabili,* prodigio à peſtiferâ lue, quâ vexari crebrò antè conſueuerat, immune ſeruauit: minus, inquam, totum hoc, cuiuſmodicumque ſit, exiſtimo, quàm quòd id ætatis, auctoritatis, celebritatis domi foriſque vir, præceptam iam exſpectatione famam, nominiſque ex tam illuſtri ſcripto immortalitatem, lubens volenſque non animo tantùm ſuo ac propenſione, ſed quacumque gloriâ atque hominum exiſtimatione ſuperior, vnius imperantis arbitrio nutuque, periclitari paſſus eſt. Hanc ego virtutem eius, hanc animi fortitudinem atque excelſitatem, hanc tam præclaram eximiamque ſui ipſius victoriam omni ſtylo, ſcriptione, commentario, litterarum miraculorumque monimentis præponendam iu- *æternâ,* dico. Nam de perennitate quidem nihil dubito, Auditores, quamdiu memoria vigebit Caniſij (vigebit autem propter eminentem illius ſanctitatem doctrinæque famam ſemper) nulla non poſteritas ſuſpiciet, ætas admirabitur, temporum diuturnitas tantæ ſubmiſſionis obedien- *imitandâ.* tiæque exemplum imitabitur. Id nobis dumtaxat prouidendum hac in parte exiſtimo, Auditores, ne, dum ſæculi huius (quod in Societate primum tam inſignes Caniſij palmæ nobilitarunt) memoriam gratâ ſolenniique memoriâ recolimus, vel minimùm à virtutis huius non vtilis magis quàm glorioſæ veſtigiis, tam illuſtribus tamque præclaris, deflexiſſe videamur. Intuendum nobis eſt, quibus ille ſuum lucrandarum animarum zelum nutrimentis auxerit, quibus gradibus ad ſupremum perfectionis culmen aſcenderit, quibus præſidiis aduerſus hoſtes omnes, ſuamque in primis ipſe voluntatem corroboratus ſit. Nihil iſtâ cogitatione neque ad mentis noſtræ exercitationem vtilius, neque ad morum vitæque probitatem honeſtius, neque ad Caniſij commendationem illuſtrius, neque ad omnipotentis Dei gloriam promouendam efficacius ſuſcipi à nobis admittique poteſt. Quare etiam atque etiam oro vos obteſtorque, Auditores, vt acceptam hanc à viro tanto obedientiæ laudem, melioris ſæculi, quod ingredimur, auſpicio, non modò integram illibatamque, quo modo tradita vobis eſt, ad poſteros, ſed auctam etiam vehementer nouis exemplis atque amplificatam, ad æternitatem omnium ſæculorum tranſmittere velitis.

EXER-

EXERCITATIO POETICA.

EPISTOLA HEROICA

ALEXANDRI FARNESII Ducis Parmenſis ad PHILIPPVM II. Hiſpaniarum Regem, ſuadentis vt in vrbibus Belgij à ſe recuperatis Collegia Societatis IESV collocet, ſingula pro arcibus futura.



EN iterùm iuſtam Deus & Victoria cauſſam,
Proque tuis & te quæ geris arma probant.
Auſpiciis, Rex magne, tuis Antuerpia ceſſit;
Quo ſteterant hoſtis, ſtant tua ſigna loco.
Ære ſonant turres, tormentis mœnia; plauſu
Pars populi melior, totaque caſtra fremunt.
Ignes, lætitiæ teſtes, per compita lucent:
Pulſa loco Pietas ad ſua templa redit.
Ipſe triumphali ſe cingit arundine Scaldis,
Cuius eant, ipſæ ſcire videntur aquæ.
Vrbs tam firma ſitu, tam vaſto flumine ſepta,
Inuia virtuti credita penè fuit.
Vrbs tamen hæc, flumenque tuo iam Marte receptum,
Spem facit hoc recipi cetera poſſe modo.
Hæc tibi ſuccubuit, quam dum videt eſſe ſubactam,
Ipſe fidem victor vix ſibi miles habet.
Ex quo ſcuta virûm, galeaſque, & fortia voluens
Corpora, tardum egit Moſa cruentus iter;
Cùm Traiectini rubuerunt ſanguine muri,
Nec rubuere minùs militis arma tui;
Nulla fuit maior victoria, nulla triumpho
Dignior: hac viſa eſt Belgica penè capi.
Flandria nunc tuta eſt, nunc tuta Brabantia; totque
Oppida quæ cepi, nunc ego capta reor.
Nunc demum (gratare tibi) tot vicimus vrbes,
Impia quæ tulerant in caput arma tuum.
Vicimus, heu! vrbes; tumidum non vicimus hoſtem!
Victus adhuc vires, telaque inermis habet.
Tela, quibus fruſtrà concurrant enſis & haſta,
Nec quibus occludant murus & vnda viam.
Forſitan hoc quæris, quæ ſint tam noxia tela,
Quæ tibi plus armis eſſe cauenda putem?
Sunt animi cæcis decepti erroribus: illi
Pro telis fraudem perfidiamque gerunt.
Non hæc militibus, non hæc compeſcitur armis,
Hæc nullâ belli vincitur arte lues.

Conde altas turres, ipsíque minantia cælo
Mœnia, quæ vastis ambiat amnis aquis;
Mœnia transiliet, fossas superabit & vndas,
Et sibi per turres vallaque sternet iter.
Mille seras validis, vt serues, adiice portis,
Mille seras tacitâ detrahet illa manu.
In portis vigilet, vigilet per mœnia miles,
Quà subeat, cæcas inuenit illa vias.
Troia stetit victrix, dum virtus miscuit arma,
Obiiciens telis tela, virisque viros.
Non armis illam cælestibus acer Achilles,
Non gemini Atridæ, non Telamone satus,
Non anni domuere decem, non mille carinæ:
Tam fortem exitio fraus tamen vna dedit.
Hæc metuenda tibi est, hæc captas obsidet vrbes;
Nempe animos gentis cordaque capta tenet.
Nec tamen innata est talis vecordia Belgis;
Ingenio populus dissidet ille suo.
Nec tamen illorum tibi pars parêre recusat;
Sed pars imperiis est aliena tuis.
Hæresis infecit. caput est & caussa malorum
Hæresis: hac orcus nil, puto, peius habet.
Illa furens latè per campos errat & vrbes;
Quaque errat, Stygio sub pede luet humus.
Crinibus euulsos in vulgus proiicit hydros,
Et furiis implet pectora tacta suis.
Hæc ferro & flammis, hæc cæde & sanguine gaudet;
Iniicit hæc auidas in tua iura manus.
Vnica lex illi, nullas agnoscere leges;
Quod iuuat & lubuit, iusque piumque vocat.
Fas illi, omne nefas; illi discordia, pax est;
Virtus, impietas; fœdera, nulla fides.
Plus tibi quàm Belgæ nocet hæc; hæc vna rebellat;
Hæc in te pugnat viribus vsa tuis.
Nec parcit Superis: Superûm mysteria sæpè
Sparsit humi, & canibus sæpè voranda dedit.
A se direptis infert incendia templis:
Quàm multa in cineres, hei mihi! versa iacent.
Cumque videt flammas, animos accendit ab illis:
Sic noua se pietas, sic nouus ardor alit.
Vrite cum templis Diuos, ait, vrite flammæ;
Ille mei in Diuos ignis amoris erit.
Quæ violat Superos, quæ cælum oppugnat, & ipsum
Numen, Principibus parceret illa suis?
Aut non illorum terras spoliaret & vrbes?
Nec quidquid raperet, crederet esse suum?
Credat vt esse suum, satis est rapuisse; rapinis
Pascitur: has belli præmia, iusque vocat.

Sed

Sed quia bacchantem reprimis, frenasque rebellem,
Nec sinis, vt spoliis crescat inulta tuis;
Et quia quæ rapuit repetis, repetita tueris,
Teque opibus perdi non sinis ipse tuis;
Te vocat immitem, te nominat illa tyrannum:
Et vulgi fæcem, quæ sibi credat, habet.
Error hic à teneris cum crimine discitur annis,
A teneris discit te violare puer.
Nota cano; non hoc, toties quæ fœdera rupit,
Quamuis sit mendax, ipsa negare potest.
At tu bella moues, & multo milite pugnas,
Vt rapias illi, quod priùs illa tibi.
Quid tamen arma iuuant, quid capta Brabantia, quidve
Ante tuos supplex Flandria tota pedes;
Si maneant animi, quales dum bella parabas,
Armaque si solæ deposuere manus?
Si maneant animi placidâ sub fronte rebelles,
Et subitò erumpat flamma putata cinis?
O quoties vincenda tibi tua Belgica restat!
O quoties Hydræ colla secanda nouæ!
Hei mihi! si frustrà victor tot prælia gessi:
Hei mihi! si frustrà tot cecidere Duces.
Fac tamen has multo flammas exstinguere nitar
Sanguine, & innumerâ cæde piare nefas.
Quid tibi submittent, nisi vultum rursus & ora?
Quæque iterum fallant, quid nisi verba dabunt?
Credemus verbis iterum celantibus iras,
Experti, flammas quas tegat ille cinis?
Eheu! quàm facile est crimen non prodere vultu;
Quodque animus versat, dissimulare nefas?
Ergo age bellorum cum bellis eiice caussam;
Inque suo tantum semine tolle malum.
Cum quâ venerunt, discedent bella; redibit
Hac abeunte, abiit quæ, veniente, Fides.
Sed neque Marte tuo potes hanc benè vincere pestem:
Si posset subigi Marte, subacta foret.
Nempe fero Medici non sanant omnia ferro
Vulnera; nec quoduis tollitur igne malum.
Apta suo hæc medicina loco est; queis flamma noceret
Corporibus, vires succus & herba dabunt.
Nec mihi, quâ sanem subit ars; mea ferrea dextra est:
Vix mollem hæc possunt vulnera ferre manum.
Quæ velit infestis animis possitque mederi,
Turma virûm est; IESV *nomen & arma gerunt.*
Cùm studia illorum (memini) moresque notasses,
Dixisti: Gens hæc nomine digna suo est.
Illa tuis addet, quod adhuc, Rex magne, triumphis
Defuit, & tandem plena trophæa feret.

Et

Et quoniam ſanare tuos, quàm perdere mauis;
Vtilis hæc victis hoſtibus hoſtis erit.
Non illi validis torquentur pila lacertis,
Nec ſæuo rigidum cingitur enſe latus:
Non gerit illa manu clypeos, nec ſpicula verſat,
Nec ferro pectus, nec tegit ære caput:
Sed virtute animos, & cæli munit amore,
Nilque prius armis Relligionis habet.
Bella mouet vitiis; fraudes oppugnat & iras,
Deque ſuâ pulſas protinus arce fugat.
Sed quoties pugnat, patienti pugnat amore:
Cedit, & hac gaudet quilibet arte capi.
Sæpè refert fractoſque arcus & tela Cupido,
Et queritur plus hæc arma valere ſuis.
Sæpè ſibi doluit contundi cornua Bacchus,
Cùm dolor in lacrymas verteret omne merum.
Vidi ego mutatum ſubitò, qui dixerat antè:
Tu mihi Bacche Deus, tu mihi Cypri Dea es.
Vidi ego iuratos in mutua vulnera ciues,
Quâ tulerant gladios, fœdus inire manu.
Qui tantos motus, tantos compeſceret ignes,
Ex IESV *ſolers agmine miles erat.*
Adde quòd, in teneros dum peruigil excubat annos,
Diſcat ab his quid ſit turpe decenſque, puer:
Vtque ipſi Regum Domino, rerumque Parenti,
Sic quoque ſeruandam Regibus eſſe fidem.
Viderat hanc aciem, totoque expalluit ore
Hæreſis, & colubris ſibila vana dedit,
Aduerſaſque ſuis deteſtans artibus artes;
Creſcit in exitium gens, ait, iſta meum.
Dixit, & euulſos lacerans cum crinibus angues,
Concuſſit rabidum terque quaterque caput.
Gens pia creſce, precor, furiamque euerte nefandam;
Perdentem populos Regnaque perde luem.
Tu monſtri inſidias oculos deducis ad ipſos,
Tu quæ tecta cupit damna, latere vetas.
Per te mille doli, per te mendacia mille,
Errores per te probraque mille patent:
Stulta quibus leuitas, hebetiſque amentia vulgi
Plaudit, & inſanâ credulitate fauet.
At tu conſiliis, oro, Rex, annue noſtris,
Si tibi, ſi cupias conſuluiſſe tuis.
Dum licet, illorum clades auerte tuaſque;
Et dubiis rebus, quam potes, affer opem.
Maior adhuc supereſt pars belli, vincere victos;
Huic operi vna cohors deſit, & vna ſat eſt:
Quæ ſignis animiſque ſuis inſcripſit IESVM
Ritè cohors, caſtris deficit vna tuis.

Vnam

Vnam militiæ, vt Belgas tueare, cohortem
Adde tuæ: numerum non habet illa suum.
Hæc tibi captiuas subiget felicius vrbes,
Quàm tua tam validis agmina plena viris.
Vincant arma viri, Belgas hæc vincet; & hostem
Hac subiget, quâ plus parte timendus erat.
Crede mihi, quot huic dederis Collegia turmæ,
In quibus excubias seruet & ipsa suas:
Tot speculas dederis, tot captis vrbibus arces,
Quæ nullâ poterunt fraude, nec arte capi.

ODE

Ad Amplissimum virum, Dominum MARTINVM SIVILLA, FERDINANDI filium, Magni Concilij Regis Senatorem, cuius parens olim Antuerpiæ diuo IGNATIO eleëmosynam largitus.

HVc ades magni columen Senatus;
Par auis, maiórve, Siuillianis;
Fors & hoc dici sinis, ô meorum
Prime Sodalis.
Gestiens nulli mea plus amari
Musa, te ad primi noua festa sæcli
(Magna si quidquam tibi donat oti
Curia) poscit.
Ducta iam denos decies per annos
Temporum victrix stat; & augurari
Vatibus si quid datur, ibit annos
Maior in omnes
Magna Loiolæ soboles: nec illam
Sit potens aut trux cruce & igne Iapon
Perdere, aut nostro toties cruentus
Sanguine Maurus;
Nota nec Calui rabies Ministri, aut
Pertinax odisse Lutherianus;
Non edax liuor, vigil innocentum
Rodere famam.
Nostra quin ætas odiis ab ipsis
Longiùs vires animosque ducet,
Qualis aduerso violentus ignis
Flamine crescit.
Nam quid in Numen Superosque possint
Tam leues ausus hominum? paternâ
Si tegit natos ope dux IESVS;
Sæuiat asper

Maurus & Iapon, fremat & Lutheri
Dira, Caluiniq́ue ferox propago;
Iungat armatas, licet, Orcus iras,
Nil moror; vnus
Spernere obstantes animosus hostes,
(Martius quò me rapit ardor?) vnus
Obuium cunctis dabo pectus, audax
Dicere pugnam.
Musa sed gressum preme concitatum:
Namque me pugnas per & arma ferri,
Nec locus, nec mens; magis at modestum
Dicere carmen.
Qualiter Loiola Deo incitatus,
Tecta fortunasq́ue suamq́ue fortis
Patriam fugisse, Parisiorum
Venerit vrbem.
Vrbs nimis felix, meritò inuidenda
Ceteris terris, tua nosse prudens
Si potes tanto bona quæ parauit
Hospite cælum.
Forma si vilis tibi, sæpè vili
Mens amat formâ latuisse. Virtus,
Fronte non solâ benè semper æsti-
mata, recessus
Pectoris cæcos habitare gaudet,
Mox suam latè explicitura lucem.
Sic cinis flammas subitò daturum
Occulit ignem.
Quid loquor? raros latitantis vrget
Cura virtutis; nec auara curat
Dextra, si sortem premat immerentum
Tristis egestas.
Hinc frequens Scaldim Sequanæ anteponens
Nudus argenti properare magnam
Sueuit Antuerpam, stipe colligendâ
Diuitis vrbis.
Tuq́ue non parcâ numerasse dextrâ
Diceris (magnos habet illa testes
Fama) mî numquam reticende Ferdi-
nande Siuilla.
Te canam quando me iterum biuertex
Mons feret postliminiò Poëtam:
Tunc cauæ valles resonante dicent
Voce Siuillam.

AD

ODE
AD NOBILISSIMOS DOMINOS CONSVLES AC MAGISTRATVS ANTVERPIENSES.

ANTVERPIA D. IGNATIO munifica, viuo mortuoque: viuo eleëmosynam sæpè largita, mortuo prima terrarum magnificentissimam ædem excitauit.

IO triumphe! prima tot vrbium
Anuersa gaude; prima, Sodalium
Ignatianorum triumphos
Ire nouos redeunte sæclo,
Gratare: pars est ante alias tibi
Ingens in illis. O meritis pares
Aut voce quæ satis lyráve
Musa potens cecinisse grates!
At tu mearum, qui citharam tenes,
Præses Dearum, Phœbe, biuertici
Descende Parnasso, rogatusque
Aduaticam meliore plectro
Molire laudem, qualiter hospitem
Parisiorum finibus aduenam
Donare Loiolam potentum
Sueta virûm stipe copiosâ.
Namque igne postquam pectora cælico
Attacta sensit, protinus & larem
Post terga speratosque honorum
Dat titulos animosus exul.
Non multus illum frater imagines
Monstrans auorum, & degenerem arguens
Querela, non supplex rogantis
Ira domus, humilesque palmæ;
Non dulce quidquid, magnificum aut putat
Mortale vulgus, mente quatit virum
Constante; nec terret relictis
Dura opibus veniens egestas.
Milésne, dixit, sanguine Cantabro,
Diuis amatam pauperiem pati
Recusem, in exemplum trahentis
Ire Ducis piger, & vocanti
Parêre cælo? scilicet arduæ
Dum Pampelonæ mœnia Gallico
Concussa tormento laborant,
Impauidum feriant ruinæ,

Et non inertem, nec timidum mori,
Dicat vel hostis: cùm melior vocat
Me caussa pro magni Tonantis
Relligione, sacris, & aris,
Cùm sæuientes Orcus Erinnydas
In bella ructat; signa ego perfidus
Desertor eiurem, meorum
Suppliciis patiens teneri?
At non mei sic sanguinis immemor,
Stirps bellicosi mascula Cantabri,
Turmas per hostiles anhelo
Vulneribus meruisse palmam.
Sic fatus, acri pectoris impetu
Velox paternâ cedere de domo,
Contempsit obstantes amicos,
Et lacrymas abitum morantes.
Fertur propinquæ nudus Iberiæ
Fines pererrasse, & per inhospitas
Cautesque, Pyrenesque dorsa,
Ad Sequanæ properasse ripas.
Hîc exsulantem exercuit improbus
Labor sciendi, discere iam graui
Ætate dissuetum, & seueris
Difficilem studiis: at ipse
Lætus profanam militiam sacrâ
Mutasse, durâ tentat opus viâ,
Magnisque luctatur Sophistis,
Puluere conspicuus decoro:
Donec rogatâ destituens ope
Ferox egestas expulit hospitem
In arua Belgarum, & superbæ
In patriam tulit Andouerpæ.
Hîc non auaros indigenas, neque
Clausas egenis Aduaticûm manus
Sensisse gauisus, benignæ
Multa bonus canit augur vrbi:
Ventura quondam tempora, tempora
Saturniano qualia sæculo
Colit vetustas, cùm nec auro
Sit pretium nitidisque gemmis,
Cùm tota cornu diuite copia
Se fundat agris. ô! precor audiat
Hæc vota Loiolæ, & secundis
Annuat auguriis Olympus.
Hac spe superbo templa dicauimus
Æterna saxo, non imitabile
Opus, nec audendum Myroni aut
Praxiteli; magis inuidendum.

Hac

Hac ſpe, meorum gloria carminum
Antuerpianæ lumina Curiæ,
Ignatianæos triumphos
Luminibus celebrate feſtis.
Vos nec tacebit poſteritas; neque,
Si noſtra quidquam Muſa poteſt, meis
Vos incelebratos relinquam
Carminibus, patriæ ô Parentes!

PATRIS CORNELII SILVII
IN MARI GLORIOSA MORS.

NVntia Flandriacas dudum compleuerat oras
Fama, mari toto magnis volitare Batauos
Claſſibus, Arctoum claudi ſub retibus æquor.
Extemplò commoti animi: fremit arma iuuentus
Nautica; prima ducum ſibi quiſque pericula poſcit.
Tum portu educunt naues; pulſata per vrbem
Tympana diſperſos cogunt ad littora nautas.
His aliud cunctis præſentius additur armis
Auxilium, ſeptem delecti ex Ordine Patres
Qui IESVM *vitæ ſtudiis, & nomine præfert:*
Heroum genus inuictum, quod in omnia ponti
Loiolidæ nautis ſocium diſcrimina mittunt.
Hos inter comes ad naues non vltimus ibat
Siluius, intrepidum pectus. Qui vultus euntis,
Quæ ſpecies fuit, & magnæ conſtantia mentis,
Dum peteret quod non erat euaſura periclum?
Vt primùm adſpirant auræ, ſinuataque tendunt
Vela Noti, timor Hollandûm retinacula ſoluit
Claſſis, & inuehitur pelago. Pars mitior anni
Deſierat, tempusque aderat quo Belgicus horret
Fluctibus Oceanus, ſpirantque valentiùs Auſtri.
Non minùs ad Boream curſus, gelidosque Triones,
Inceptos peragunt. fertur cita gurgite claſſis.
Iamque adeò innumeris conſtratum retibus æquor,
Piſcantumque rates per fluctus ordine longo
Diſpoſitæ procul apparent, confuſa trahuntur
Retia; turbati trepidant muſſantque Batàui.
Iam clamor, iam terror erat; ſed certa maligni
Heu! ſpolia, & certos venti inuidere triumphos.
Ergo alacres dudum à tergo ſpirantibus Auſtris
Omnibus in Cattos nequidquam nauibus ibant,
Intenti in pugnam, cùm vento horrere profundum
Paulatim magis atque magis: commota tumeſcunt
Æquora, maioríque fremunt ſtridore procellæ:

Et nunc vicinos oculis sublimior vnda
Subducit, rursum æquato mox gurgite reddit
Hollandos. spes nulla manus committere pugnâ.
Hornius (hic classi ductor) cum fluctibus, inquit,
O comites, si me cæli non fallit imago,
Pugnandum est hodie. Feruet mare, tergaque cælo
Erigit : hunc timeo Batauis plus omnibus hostem.
Vix ea fatus erat, ventisque instantibus ingens
Pars maris in nauim assiliens, ipsumque virosque
Proluit. Extemplò accurrunt per curua madentes
Transtra viri, funes laxant, subductaque Coris
Vela negant : vasto dispergitur æquore classis.
Quis coniurati motus fremitumque profundi
Explicet? aut possit verbis æquare fragorem?
Nulla quies, mediis credas in fluctibus Alpes
Vndare, inque rates liquidos incurrere montes.
Heu! quid agant maris in tanto cælique tumultu?
Quò cursum intendant miseri? diffiditur arti;
Quoque fretum ventusque rapit, sine lege feruntur.
Quis tibi tum, Silui, sub tanta pericula misso
Sensus erat? tali cùm feruere cuncta tumultu
Prospiceres puppi è summâ, totumque videres
Misceri ante oculos tantis stridoribus æquor?
Corpus, quod poterant vnum, cum naue proterui
Iactabant venti; mens inconcussa manebat.
Non illum exitij certa impendentis imago,
Non vasti vndarum cumuli, quos vndique Nereus
Concitat, inque ratem facto velut agmine torquet,
Affecêre metu: stat inexpugnabile pectus
Herois, fessos vocat ipse ad munia nautas
Intrepidus, pauidisque metum vectoribus aufert.
Hos inter plures cælique marisque fragores
Effluxere dies, nec tempore victa remittit
Tempestas; crescit rabies, propiusque minatur.
Est Batauos vltra, quà sese littora circum
Oceanus Frisiæ magno curuamine flectit,
Dorsum immane mari syrtis: circumflua vasti
Vnda freti nomen terræ Vlielandia fecit.
Illa vbi destituit pelagus, solitusque retraxit
Æstus aquas, longè aggestas ostentat arenas
Splendida; mox rursum ex alto redeuntibus vndis
Insidiosa latet sub gurgite, certa carinis
Pernicies, quascumque vadis impegerit æstus.
Huc tanti ignaros discriminis aspera ponti
Et Boreæ furialis hiems rapit. Hæc super addunt
Horrorem tenebræ, duplicataque noctis imago
Iam magis atque magis, vicina pericula celat.

Noctis

Noctis erat medium; rector sese inscius alto
Iactari velut antè putat, nec turbida præter
Æquora, quod metuat fugiátve, subesse periclum:
Cùm subitò ingenti nauis succussa fragore
Constitit, atque vadis infixa tenacibus hæsit.
Conclamant nautæ exanimes, miseroque vlulatu
Cuncta replent: veluti cùm mœnia subruit vrbis
Hostis, & euersis muris valloque potitus,
Incautos subito aggreditur certamine ciues.
Turbam inter trepidantem accurrit Siluius; vtque
Nulla super miseris præter cælestia cernit
Auxilia, ante oculos infixam cernit arenis
Stare ratem, à tergo pontum sine fine furentem:
Submittit genua, & cum vultu ad sidera palmas
Attollens, Moriamur, ait. Si corpore solui
CHRISTE *iubes, miseræque vocat lux vltima vitæ,*
Adsum: nulla mora est; venientes pectore toto
Excipiam fluctus. habeat sibi corpus, & alto,
Vt volet, Oceanus mersum sub gurgite voluat.
Dum meus ille animus viuat, dum spiritus ad te
Liber eat, patrij leuis est iactura sepulchri.
Sic fatus, properè surgit, vultuque sereno
Pallentem ad turbam versus: Nunc pectore firmo,
Nunc animis opus est, comites, absistite planctu;
Vtque decet Dunkerkanos, vtque ignea sæpè
Fulmina tormentorum inter fecistis, auitæ
Nunc quoque virtutis memores, contemnite mortem.
Obruat ignauum hoc vndis & inutile corpus
(Si visum est superis) pontus; mens criminis expers,
Victrixque Oceani, seruabit inobruta vitam:
Si modò corda dolor scelerum sibi conscia tangat,
Et vitæ maculas lacrymarum diluat imber.
Dixerat: ast dudum letales alueus vndas
Accipiens, ruptæque trabes, & certa sub ipsis
Mors oculis cunctis plus hortatoribus vrgent.
Tum verò admissas certatim expromere noxas
Idem omnes simul ardor habet: secreta feruntur
Vulnera sub lucem, & multos suppressa per annos
Crimina iam nullus retinet pudor; omnia promunt.
Hæc illi: furit intereà non segniùs æquor,
Sublimemque æstu subterlabente carinam
Sæpiùs attollens, summis suspendit in vndis.
Illa freto redeunte suo mox pondere præceps,
In fatale vadum recidit; quassata ruinam
Dant latera, insinuant laxis compagibus vndæ.
Iam facies maris intus erat; Cornelius æquor
Pectore propellens, mediâ sub morte natantes

Confir-

Confirmat socios; nunc huc, nunc aduolat illuc,
Oblitusque sui fertur: En vulnera nobis
Illa patent (nam dextra crucem sublata tenebat)
Huc alacres plenique animis properate, superstes
Fluctibus hæc animus se tutus in ostia condat:
Hoc nulli poterunt nos portu excludere venti.
Talibus oranti vasto stridore dehiscens
In partes vtrimque ratis diuulsa recessit.
Tum piceum erumpens fundo mare, fracta carinæ
Membra, virosque simul diducto absorbet hiatu.
Pauci, quos melior iuuit fortuna, natantes
Amplexi manibus tabulas, conuulsaque mali
Robora, in hostilem tandem excutiuntur arenam.
Siluius, vt ruptâ nauim compage solutam
Vidit, & ingenti patefacto irrumpere fluctus
Limite, pendentis manibus complexus vtrisque
Effigiem CHRISTI; *Nunc, ô* IESV, *accipe, dixit,*
Hanc animam, laterisque tui sub vulnera conde.
Plura precaturum inuoluit sub gurgite vortex,
Moxque iterum fundo sublatum reddit ab imo.
Ille natans fluidæ subnixus fragmine puppis,
Inter aquas IESVM, *quoties finit hiscere fluctus,*
Voce refert, IESVM*que ipsis immurmurat vndis:*
Donec vi veniens pontus, quæ vexerat illum
Excusso longè è tabulâ vocemque animumque
Abstulit, & nigro correptum vortice torsit,
Non vltrà superas emergere passus in auras.
I felix anima, & victrix pelagique, tuique,
Naufragio è medio pulchrum molire triumphum
Ad Superos; tecumque animas, quas ritè piasti,
Illustres animas, vitamque in funere nactas,
Ceu spolia æthereis, vt dignum est, sedibus infer.
Quamuis Oceanus medio sub gurgite corpus
Exanimum premat, aut versent in littore venti:
Tanta tamen virtus nullis ludibria debet
Fluctibus aut ventis; ridet quodcumque minatur
Pontus, & inuitis victrix emergit ab vndis,
Ipsa sibi placidus quouis in turbine portus.

Belgica Festum S. Ignatij mense Iulio suum vindicat.



Sol in Leone Belgico.

Ecce Cleonæi micuit dum sideris astrum,
Tactaque Phœbeo fulgurat igne iuba;
Ignatî celebrare diem Leo Belgicus ardet,
Et facit hic terris, quod facit ille polo.
Iamque toros multo comit formosior auro,
Signaque Loiolæ pectore fixa gerit:
Et procul inflexâ Diuum ceruice salutans,
Gaudet sacratos lambere posse pedes.
Scilicet insolito latè fremit excita plausu
Belgica, Loiolam deuenerata suum.
Hinc memor hospitij, veteres Antuerpia amores
Suscitat, hinc studiis æmula Bruga suis.
Mille diem geminant votiuis ignibus aræ:
Mille faces noctem, dum venit illa, fugant.
Omnia cùm fulgent, flammas super emicat omnes
Quod sacro Ignatius fundit ab ore iubar.
Hoc Belgæ obseruant, oculos hoc sidere pascunt,
His facilem meritis in sua vota trahunt.
Quin Pater ipse, poli benè vix statione receptus,
Viserat indigetum tecta per alta choros;
Cùm flectens oculos, veteres respexit amicos,
Optauitque nouos, Belgica templa, lares.
Hæc colit, hæc ambit, seque his oblectat in oris;
Hîc sobolem læto germine multiplicat.
Parcite Romani, populares parcite Iberi;
Belgica & ipsa sibi vindicat Ignatium.

Miſſio Hollandica.



Inter delphinas Arion.

PÆnè ſuperfuſo tellus iacet obruta ponto,
Quam Friſii & Bataui Mattiacique tenent.
Vtque in aquis, aut inter aquas prope littora nati,
Sic gaudent in aquis viuere, & inter aquas.
Felices olim, Regis cùm iura colebant,
Romanamque, Deo debita iura, Fidem:
Cùm necdum belli fraudumque indagine capti,
Subdiderant duro libera colla iugo.
Eheu! nunc Dominoque ſuo Cæloque rebelles,
Ruperunt iunctâ iura fidemque manu.
At benè quòd melior tanto in diſcrimine curſum
Pars tenet, & ſæuis altior exſtat aquis.
Pars etiam rapidis quam vortex merſerat vndis,
Soſpes inoffenſum per freta carpit iter.
Vos ſtatio feſſis, vos merſis vita fuiſtis,
Cùm ſociam, IESV *turma, tuliſtis opem.*
Veſtrum opus eſt illis ſeruare aut reddere vitam,
Quos noua tam ſæui gurgitis ira premit.
Per vos in medio ſecuri turbine ludunt,
Et retinent certum quod docuiſtis iter.
Nec leuis eſt veſtri merces pretiumque laboris,
Cernitis vnanimi pectora iuncta fide.
Sic olim medios inter delphinas Arion,
Ipſosque & tumidas carmine mulſit aquas.
Tacta fides citharæ delphinas in æquore iuuit:
Hos iuuat, & per vos ſeruat auita Fides.

Fructus Missionis Hollandicæ.



Occide, & manduca. *Act.* 10.

PAnditur en cælum; procul hinc, procul ite profani:
Quidquid id est, fiant visa secunda, precor:
Ah meliora piis. venientia lintea cælo
Conspicor, immundis lintea plena feris.
Has ego sustineam confusâ cæde necatas
Mandere, & impurâ polluere ora dape?
Hoc tamen ostento Gentes seruare profanas,
Nostráque iussus erat sacra docere Petrus.
Talia multa queri, Socij possetis IESV,
Qui colitis Batauûm quam mare pulsat humum.
Illic est quodcumque Petro fuit antè timori:
Hanc tamen ora petunt vestra manusque dapem.
Non placet impuros, vt putria membra, recidi;
Si medicâ possunt membra coire manu.
Viuant, atque nocens ponant aliquando venenum,
Paruaque pars sani corporis esse velint:
Vt sano incipiant tandem arridere palato,
Sintque dapes gratæ, quæ priùs horror erant.
Hoc agite, ô Socij, infectis succurrite membris,
Vertite in optatos ipsa venena cibos.

Missionis Hollandicæ latebræ.



Ἐν κευθμῶσι πλέον ἄφθονός ἐστιν ἄγρα.

Vberior latebris venatio.

ἈΛΛ' ὑμεῖς θεῖον καὶ ἀνίκητον γένος ἐστέ,
   Οἵτινες αἱρετικῶν τὴν ἐφοδευόμενοι
Τὰς πολιάς, βελαερόν τινα μὴ ἀγρεύετε θῆρα,
   Μηδέ τιν' οἰωνὸν πλέγμασιν ὑμετέροις·
Ἀλλὰ βροτοῖς, πολλούς τε πόνους χαλεπούς τε παθόντες,
   Ψυχὴν καὶ θυμὸν τλήμονα παρτίθετε.
Ἴστε γάρ, ὡς τὸ γέρας ψυχαὶ περικαλλὲς ἔασι,
   Πειράμεναι θείου αἵματος, οὐράνιαι.
Μηδ' ὀκνεῖσθ' ὅτι δήπου ἀγρευσάμενοι ἐστὲ λαθόντες·
   Πόλλακις ἀγρέστωρ δέξατο θῆρα φανείς,
Κρυπτόμενος δὲ λέληθε· τὸ δ' ἐν κευθμῶσιν ἀγρεῦσαι
   Ἱμερόεν, καὶ γὰρ αὐτόθι ἀγρεσία
Ἄφθονός ἐστ' ἐπιπλεῖον· ἰδού, πῶς ὀξέα κλάγγει
   Τοῖς πτερύεσσ' ἄγρας σφόδρα ἐφιέμενος
Ἴρηξ, ὁρμηθεὶς δ' ἐν ἐφοδίῳ ἀμφιποτᾶται·
   Ἀλλὰ μάτην σπεύδει τοὺς ὄνυχας μεγάλους
Βαλλέμεναι ἀμφὶ φυγόντι, πλέως ἴκτις δ' ἀφυλακτέες
   Εἰς δασύποις ἐσιών, ῥᾷον ἑνὸς κρατέει.
Οὐκ ἄρ' ἐνὶ σπείεσσιν ὑπέκδυσίς ἐστιν ἑτοίμη·
   Αἰθέρι δ' ἐν μέσσῳ ῥήϊόν ἐστι φυγεῖν.

Missio

Missio Castrensis.



Da mihi animas, cetera tolle tibi.

Hinc venit Assyria & Babylonis robur in armis;
Inde Gomorrhæi stant Sodomæque duces.
Insonuêre tubæ: miscent certamina Reges:
Alterno latè sanguine terra madet.
Iam Sodomæ cecidêre Duces; iam vincula passi,
Felices socios qui cecidêre vocant.
Immeritum quoque Lot tristis fortuna coëgit
Barbara captiuâ vincula ferre manu.
Non tulit hanc sortem, neque tantum dedecus Abram:
Hoc duce tercentum, stant noua castra, viri.
Væ tibi, væ Babylon, nostrâ quæ clade superbis:
Iam rerum versas experiere vices.
Aßyrij cecidêre; Loti iam vincula stringunt
Aßyrios; Sodomæ reddita præda Duci est.
Victor Abramus ouat: cui Rex: Age, diuide prædas,
Redde animas nobis, cetera tolle tibi.
Dicite vos Socij, vos Regia castra secuti,
Quæ referet vester præmia digna labor?
Quo lucro stabit victoria? dicite Regi:
Da nobis animas, cetera tolle tibi.
Præmia non leuium ferimus satis ampla laborum,
Si nostrâ constet vitâ aliena salus.

Missionis Castrensis opima præda.



—— Pars optima prædæ
In noua dat vires certamina. ——

QVid non venator, quid non vigil inuenit auceps?
Quas non illecebras quæstus vtrumque docet?
Ah fuge, præmoneo, fuge, dum licet, ardea: capta est
Altera; ne fias altera præda, caue.
Insequitur, rabidosque in te falco exserit vngues;
Quæque priùs comiti, iam tibi rostra parat.
Scilicet hunc primæ pars allicit optima prædæ,
Inque nouas pugnas, & noua bella rapit.
Vos quoque, quos socio sibi nomine iunxit IESVS,
Exstimulat prædæ nobilioris amor.
Audio, vox vna est: Iuuat, ô! per castra, per hostes
Tendere, quà cælum, quà Deus ipse vocat.
Inuia virtuti nulla est via; repperit illam,
Aut facit: in medio nil timet illa metu.
Est hic, est animus vitæ contemptor, & astra
Sanguine venali qui benè credat emi.
Sic agite inuicti Heroës, per tela, per enses
Obuia in oppositam pectora ferte necem.
Militibusque suas Ducibusque relinquite prædas,
Vestra suo sint cum milite præda Duces.
Omnibus è prædis pars hæc erit optima prædæ:
Hæc animos vobis in noua bella dabit.

Missio-

Missionis naualis vtilitas.



Iactemur, modò prosimus.

Nos quatit algenti Boreas modò missus ab Arcto,
Fronte modò aduersâ vexat agitque Notus.
Nos Zephyrusque Eurusque agitant. ludibria ventis,
Quicumque æquor agunt, irrequieta sumus.
Non tamen æquoreis frustrà fluitamus in vndis;
Non mare nos frustrà, sæuaque iactat hiems.
Nam vada signamus, cæcasque sub æquore syrtes;
Has simul vt vitet, naufragiumque ratis.
Iactemur, modò prosimus; *modò nauita per nos*
Euitet syrtes, insidiasque maris.
Nos quoque Loiolidæ (nec frustrà) dulce putamus
Iactari instabili per maria alta rate.
Iactemur, modò prosimus. *depellite nostris,*
O nauta, ô miles, vestra pericla malis.
Nauta caue, dum resque sinit, tua vela retorque;
Hæc fuge, naufragium ne patiare, vada.
En vitium nauis patitur. celer obstrue rimam;
In nauem irrumpunt hac mare morsque viâ.
At tu quid lentus torpes? sta miles in armis;
Qui necet, aut animam vulneret, hostis adest.
O benè! paretis? Nunc nobis dulce periclum,
Nunc est terra grauis, nunc iuuat ire mari.
Fluctibus & ventis iactemur, dummodò vestris
Hic animis prosit subueniatque labor.

Missio

Missio naualis ardua.



Intentant omnia mortem.

EN quanto peragant cursum discrimine puppes,
Quas procul à patrio littore pontus habet.
Indomitum venti voluunt mare, sedibus imis
Eruta conuulsam verberat vnda ratem.
Vicini exitium scopuli, syrtesque minantur,
Fractaque spumosis æstuat vnda vadis.
Fulminibus cælum superintonat; æmulaque illis
Altera tormentis fulmina missa fremunt.
In ratis exitium conspirauere procellæ,
Fulminaque & fluctus, & vada cæca maris.
Præsentemque viris intentant omnia mortem;
Mortem, quam timidis adferat ipse pauor.
State, ipsamque inter fortes consistite mortem:
Hæc vinci à vobis se quoque posse sciat.
Vt pereant alij, spes vt sit nulla salutis;
Amissâ veniet vestra salute salus.
Si medio ratis hausta profundo ad tartara sidat;
Confecti cursus sidera portus erunt.
O felix nimiùm cursus! non incubat illis
Terra grauis, cælo quos leuis vnda dedit.

Missionis

Missionis Naualis lucra.



Emerget diues ab vndis.

Ardua res lucrum. Quid non molitur auarus?
Quas gremio condit terra, recludit opes.
Terra parum est cupidis; in prædam cedit & æquor,
Nec sat tuta freti gurgite gemma latet.
Mergitur & cæcas petit vrinator arenas,
Scrutaturque, sinu quas Thetis abdit, opes.
Crescit amor lucri, gelidisque accenditur vndis
Dira sitis: medias æstuat inter aquas.
Quid facis infelix? pelago malè credis auare,
Littus ama tutum: non habet vnda fidem.
Vt tamen emergas; non sunt tua præmia tanti:
Hæc, si, dum sequeris, sit tibi vile mori.
O quantò spolia his, Socij, meliora refertis,
Quos hominum toties per mare raptat amor?
Non illis adamas pretio, non certet iaspis,
Non lapis Oceano concolor ipse suo.
Præmia sunt animæ, diuinæ mentis imago.
Istis nil spoliis ditius orbis habet.
Ite alacres, date vela Notis, vocat Auster in altum.
Tollat amor lucri, quem facit vnda metum.
Ampla satis merces, lucrum discrimine maius.
Diuini pretium sanguinis illud habet.

Patres nauales, inſtante pugnâ aut tempeſtate, animos vectorum expiant.



בַּצַּר

חִזְקוּ מְתֵי חַיִל כִּי לֹא תַלְאוּ בְּהֶבֶל
בּוֹקוּ בְּכָל־מְאֹד פֶּן תְּמוּתוּ מֵחֶדֶל
הָרִיקוּ תְּהוֹמוֹת וְהַבּוּקָה וּמְבוּקָה
בַּצַּר תוֹשִׁיעֲכֶם וְאֲנִי מְמְצוּקָה
הַשְׁלִיכוּ טְמֵאִים גַם טֻמְאַתְכֶם לַצוּלָה
רְמוּ שֶׁקֶץ בַּיָם וַיְהִי לְשִׂמְחָה תוּגָה
שְׂאוּ מַשְׂאֲכֶם וְכָל־מִשְׁקַל הַנֶּפֶשׁ
אָז אֳנִיוֹתֵכֶם תָבוֹאוּ מְחֹז חֵפֶץ


INSTANTE PERICLO.

PErgite, namque inſtat leti crudelis imago:
Et pretium tanti vita laboris erit.
Id ſupereſt, validis ſentina exhauſta lacertis
Oceano reddat, quod malè geſtat onus.
Vos animi meliùs labes, inſtante periclo,
Ponitis in medio, naufraga turba, mari.
Scilicet hoc premitur grauiori pondere nauis,
Quo ſine tuta ſuum proſequeretur iter.

ALIVD

ALIVD CARMEN IN EAMDEM SENTENTIAM.

NVlla fides pelago. Pelagus discrimina mille,
Mille vias leti, quâ spatiatur, habet.
Sunt vada, sunt syrtes, sunt Acroceraunia ponto:
Multa rati Boreas, multa minantur aquæ.
Nec fauor astrorum stabilis. polus ipse timendus,
Et cum fulminibus qui ruit axe fragor.
Sæpè mouet Batauus collatis prælia rostris;
Et ponti victrix classis, ab hoste timet.
Vt nihil accedat; senio rimisque fatiscens
Ipse necaturas alueus haurit aquas.
Qui regit, à scopulis, & ab hoste retorquet euntem;
Quaque potest, grauidam fluctibus, arte leuat:
Scilicet vt citiùs mare libera transeat vndis;
Quasque mouet Batauus, vitet, & aura, minas.
At quantò meliùs, quàm fluctus, crimina Patres
Tollitis! hæc peiùs quolibet hoste nocent.
Nec tantum pelagus, quantum premit ira Tonantis.
Est omni grauius pondere, crimen, onus.
Sistuntur Danai, tardæ stant Aulide puppes:
Caussa latet; Phœbo iudice læsa dea est.
Classe domum repetens Aiax, mare vincit & hostem;
Sed tamen offensæ Palladis igne cadit.
Ergo age qui tumido dubiam regis æquore puppim,
Discrimen si vis tollere, tolle nefas.



Patres nauales lacrymis pœnitentiæ vectorum animas ad portum ſalutis promouent.



Impleuitque ſinum lacrymis.

AD portum properas? ponto ne fide nec Euris,
Nil leuius vento eſt, mobiliusque mari.
Tollit ad arbitrium Zephyrus, quod ſtrauerat æquor:
Et quæ ſpem dederat, iam facit aura metum.
Certiùs arte rates inflataque vela reguntur:
Arte cauent ſyrtes & vada cæca maris.
Arte per obſtantes ſua flectit carbaſa fluctus
Rector, & aduerſis nauigat arte Notis.
Spargit aquis velum, curſumque obliquat; & Auſtro,
Quod petitur littus, non prohibente, ſubit.
Non prohibere parum eſt: propellit, vt obſtitit antè;
Implet & humentes fortiùs aura ſinus.
Vita quid eſt aliud, niſi nauis concita vento?
Et ſpeciem fallax æquoris orbis habet.
Portus, qui petitur, cælum eſt: ſuus æthere ſplendor
Emicat, incerto ſidera certa mari.
Eſt facilis curſus: venti ſed euntibus obſtant;
Quaque lubet, miſeræ non licet ire rati.
Vna ſalus ſupereſt; ſpargantur lintea fluctu,
Inuito curret tuta carina ſalo.
Ille tuus labor eſt, IESV *pugil: elicis vndas,*
Inque ſinum lacrymas ire per ora iubes.
Nec mora, ventus adeſt, & felix Numinis aura
Prouehit in portus vela ratemque ſuos.

Miſſio

Missio ad peste infectos.



Victima salutis publicæ.

VRbe lacus mediâ Latias infecerat auras,
Inuoluens damnis tecta virosque suis.
Roma metu pallet: populi commune sepulchrum
Creditur, &, melior ni Deus obstet, erit.
Quid faciant ciues? humeris hic, ille lacertis,
Quo claudi possit tanta vorago, ferunt:
Omnia nequidquam. cumulo telluris hiatus
Crescit, & exundans diditur vrbe lues.
Consulitur Phœbus: sortes oracula pandunt:
Quod petitur, summum det tibi Roma decus.
Augur in incerto est, oracula Curtius edit;
Et, summum Romæ sunt, ait, arma decus.
Quoque minùs dubites, in me tentare licebit:
Sit vitæ damno libera Roma meæ.
Nec mora: vectus equo, qualis tendebat in hostem,
Insilit, & patulam claudit opertus humum.
Magna viri virtus. sed vos nil ceditis illi,
O pugiles, animæ prodiga turba tuæ.
Non vos dira lues, quæ conficit omnia, terret,
In mediis ausos stare cadaueribus.
Seminecesque artus, & adhuc spirantia virus
Corpora præsenti visere morte iuuat.
Omnia fert pietas, fatum quoque, nescia vinci;
Vnum pro multis deuouet illa caput.

Si Societatis merita, si Sociorum vota spectentur, dicenda supersunt plura; sed enim vt dictorum aliquando sit finis, verbis eam nouissimis summorum virorum stylo & ore proditis salutemus.

MILITANTIS ECCLESIÆ
POSTREMO ORDINI
IESV MINIMÆ SOCIETATI,
QVAM
DIFFICILLIMIS TEMPORIBVS
A CHRISTO ET MARIA
PRIMIS IN CÆLO PARENTIBVS
OPPORTVNE CONCEPTAM,
IGNATIVS
[a] HOMO IVVANDIS HOMINIBVS VERE NATVS,
[b] ANIMVM GERENS MVNDO MAIOREM,
[b] VLTRA VNIVS ÆVI TERMINOS OPERA SVÆ PIETATIS EXTENDENS,
APOSTOLICIS CONFIRMATAM ORACVLIS,
DOCTRINA ET VIRTVTIBVS ARMATAM,
NEQVIDQVAM INVIDENTIBVS ET INSIDIANTIBVS IMPROBIS,
AD MAIOREM DEI GLORIAM,
SVPRA VOTVM FELICITER, SVPRA EXSPECTATIONEM FORTITER
EDIDIT, EDVCAVIT:
QVAM
FRANCISCVS XAVERIVS
[c] VIR CÆLITIBVS MAGIS SIMILIS QVAM MORTALIBVS,
[d] EX APOSTOLICO NVNTIO FACTVS ET NOMINATVS APOSTOLVS,
TOTO DIFFVSAM ORIENTIS OCEANO
IN FINES ORBIS TERRÆ
VIX DECENNIO LATIVS PROPAGAVIT
QVAM MVLTIS SÆCVLORVM ÆTATIBVS

[a] Nicol. Zābeccarus in Orat. pro B. Ignatio.

[b] Greg. XV. in respons. ad Relat.

[c] Greg. XV. supr.

[d] Nicol. Zābecc. supr. Cardinal. à Monte in Relat.

[e] VEL

[e] VEL AVDAX ROMANORVM FORTITVDO PERAGRARE VICTORIIS, [e] Greg. XV. suprà.

[e] VEL CVRIOSA GRÆCORVM SAPIENTIA ILLVSTRARE LITTERIS,

POTVERE:

QVAM

VRGENTIBVS VNA CETERIS EIVSDEM ORDINIS DECEMVIRIS

SEMPER ET VBIQVE

AGENTEM BONA ET PATIENTEM MALA,

HINC SANCTISSIMORVM VIRORVM

DOMESTICA INNOCENTIA CANDIDAM,

NVLLIVS TAMEN GLORIÆ CANDIDATAM,

INDE IMPROBISSIMORVM HOMINVM

EXTERNA VIOLENTIA PVRPVREAM,

NVLLIVS TAMEN AMBITV PVRPVRÆ PRÆTEXTATAM,

IESVS

TOTO PASSIM ORBE, AC ROMÆ PRÆSERTIM,

EX DIVINA SPONSIONE PROPITIVS,

SVI NOMINIS

POSITI IN SIGNVM CVI CONTRADICETVR

GLORIOSO SED ET ONEROSO TITVLO DECORAVIT:

QVAM

INIQVISSIMIS QVÆSTIONIBVS ET EXQVISITISSIMIS TORMENTIS

HODIEQVE SVBIECTAM, ET TAMEN SVPERIOREM,

PRODIGIIS NOBILEM, NON SVPERBAM,

VIRTVTIBVS EXERCITAM, NON ERECTAM,

CLARAM LITTERIS, NON ELATAM,

VITÆ PRODIGAM, MORTIS SECVRAM,

PONTIFICES VIRIQVE MAXIMI,

[f] ALII SPIRITV DEI CONCEPTAM, [f] Paul. III.

[g] ALII BRACHIVM ECCLESIÆ DEXTERVM, [g] Cle. VIII.

[h] ALII LEGIONEM IN ECCLESIA DEI FORTISSIMAM, [h] Greg. XV. suprà.

[i] ALII SACRÆ MILITIÆ SOCIETATEM, [i] Idem in litt. ad Carolũ Episcopum Virdunens. 1622.

CATHO-

CATHOLICI NOMINIS DEFENSIONE ET HÆRETICORVM EXCIDIIS
CLARISSIMAM
VNVS
TANTA INTER DECORA SVÆ ET SVORVM MODESTIÆ MEMOR
IGNATIVS MINIMAM NOMINAVIT.
ILLI
ANNVM IAM CENTESIMVM NATÆ, ET ADHVC VEGETÆ,
ADOLESCENTI, NON ADVLTÆ,
MATVRÆ, SED NON DECIDVÆ,
VT IISDEM ET QVI GENVERE PARENTIBVS,
ET QVI SVSCEPERE MAIORIBVS, BENE IVVANTIBVS,
SVPRA INIVRIAM TEMPORVM, SVPRA INVIDIAM SÆCVLORVM,
NEC ENERVATA PROSPERIS, NEC ADVERSIS DEIECTA,
IMMOTA MINIS, TERRORIBVS INCONCVSSA,
MALIS NON INFIRMIOR, SED AVDENTIOR,
IPSAM IN ÆTERNITATEM PROCEDAT ET CRESCAT:
ANNO M. DC. XL. AB IPSIVS CONFIRMATIONE SÆCVLARI PRIMO
OPTIMÆ MERITISSIMÆQVE MATRI SVÆ
PVBLICVM HOC VOTVM POSVIT
PROVINCIA FLANDRO-BELGICA.



INDEX

INDEX RERVM MEMORABILIVM.

Res carmine explicatæ, distinctis in Poëtarum gratiam typis discernuntur.

Eeeeee Andreas

B.

C.

D.

G.

agens

H.

Socie-

eiusdem

L.

N.

negat

pridie

Errata quædam, quæ festinantibus obrepserunt, ita corrige;

Pag. 9. *lin.* 19. tantùm darentur: *dele* tantùm.
Pag. 401. *lin.* 35. suis: *lege* sui.
Pag. 830. *lin. vlt.* ruinis: *lege* ruinas.
Pag. 834. *lin.* 21. vanis: *lege* variis.
Pag. 860. *lin.* 27. auctore: *lege* actore.
Pag. 862. *lin. pænult.* referti: *lege* refecti.
Pag. 866. *lin.* 4. conseruandæ: *lege* consecrandæ.
Pag. 870. *lin.* 28. patrocinio: *lege* patrimonio.
Pag. 876. *lin.* 43. tibiâ: *lege* venâ.
Pag. 897. *lin. vlt.* erit sanguis: *lege* erit & sanguis.



FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS.

CVM *tres Societatis nostræ Theologi librum qui inscribitur Imago primi sæculi Societatis* IESV, *à Prouinciâ Flandro-Belgicâ eiusdem Societatis repræsentata, relegerint, & edi posse censuerint; ego infrascriptus Societatis* IESV *per Flandro-Belgicam Præpositus Prouincialis, potestate mihi ad hoc ab Admodum R. P. N. Præposito Generali Mutio Vitellesco factâ, concedo Balthasari Moreto Typographo Regio, vt eumdem librum excudere & publicare possit. In quorum fidem has officij mei sigillo munitas dedi Antuerpiæ* VIII. *Ianuarij, anno* M. DC. XL.

Ioannes de Tollenare.

APPROBATIO CENSORIS.

IMAGINEM *primi sæculi Societatis* IESV, *à Prouinciâ Flandro-Belgicâ repræsentatam, valdè opportunam fore iudico tum ad pleniorem notitiam Societatis hauriendam, tum etiam posteris ad æmulanda Maiorum suorum præclara facinora. quare vtiliter typis euulgabitur. Antuerpiæ* XII. *Februarij, anno* M. DC. XL.


Gaspar Estrix S. Theolog. Licent.
Canonic. & Pleb. ac libr. Censor.

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPVS IV. Hispaniarum & Indiarum Rex Catholicus, ac Potentissimus Belgarum & Burgundionum Princeps, Diplomate suo sanxit, nequis *Imaginem primi sæculi Societatis* IESV, *à Prouinciâ Flandro-Belgicâ eiusdem Societatis repræsentatam*, præter Balthasaris Moreti voluntatem intra nouennium vllo modo imprimat, aut alibi terrarum impressam in Inferioris Germaniæ ditiones importet, venalémve habeat. Qui secùs faxit, confiscatione Librorum & aliâ graui pœnâ mulctabitur; vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, XVI. Ianuarij M. DC. XL.

Signat.

Steenhuyse.


LABORE ET CONSTANTIA
C.I.

W. Brown 124 High Holborn Dec. 1859

425 IMAGO PRIMI SÆCULI SOCIETATIS JESUS, a Provincia Flandro, Belgico ejusdem Societatis representa, thick folio, *illustrated with numerous beautiful emblematical engravings whole bound, calf gilt, fine copy,* from the Earl of Shrewsbury's Library, with his Book Plate, 31s RARE 1640

"*A most splended work, of extreme rarity and high price,* embellished with exquisite engravings, magnificent as the genius of the order, whose pride and vanity composed the previous monument of the Jesuits, intituled *Imago Primi Sœculi S. Jesu, &c.*"—"Cet ouvrage renferme plusieurs singularités qui le font rechercher. On y rapporte pluseurs privilèges aussi indécens, que l'on soutient avoir été accordés à cet ordre par J. C. lui-meme ; par exemple, *celui de ne pouvoir pas etre damne, si l'on persevere jusqu'a la fin dans la societe.* On y trouve aussi, parmi d'autres reveries de ce genre, le singulier cérémonial de la reception d'un Jésuite dans le ciel ; mais comme un plus long détail à ce sujet nous menerait trop loin, nous renvoyans à l'ouvrage meme ceux qui desirent se satisfaire à cet égard. *Les exemplaires de ce livre sont devenues rares. et le prix en augmente dans le commerce avec leur rarete.*"—*De Bure.*




Special 93-B
folio 7368
THE GETTY CENTER
LIBRARY

